



6
14 E
22

6-21 6 22

PETRI SCHOLIRII
EQUITIS ET SENATORIS
ANTVERPIENSIS.
SERM. FAMILLIARIUM
LIBRI III.
CVM COMMENTARIIS
ALBERTI LE ROY

S. P.

ANNO
ↀ.ↀↄ
LXXXIII



# PETRI SCHOLIRII

EQUITIS ET SENATORIS ANTVERPIENSIS,

## SERMONUM FAMILIARIUM LIBRI III.

PERPETUIS ET HACTENUS DESIDERATIS COMMENTARIIS ILLUSTRATI:

OPERA ET STUDIO

## ALBERTI LE ROY

*ANTVERPIENSIS,*


FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.


Adjectæ sub calcem aliquot Epistolæ Familiares ejusdem Poëtæ, hactenus non editæ.

*Opus Satyricum, eruditum, amœnum, Doctorum usu comprobatum.*










HERMOPOLI,
Typis BASILICIS, Anno CIↃ. IↃC. LXXXIII.



# SYNOPSIS OPERIS.

## LIBER PRIMUS.



## LIBER SECUNDUS.



## LIBER TERTIUS.



## COROLLARIUM.

# NOBILISSIMIS,

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

ET PRUDENTISSIMIS

VIRIS AC DOMINIS

## URBIS ANTVERPIENSIS

PATRIBUS ET MODERATORIBUS:

PRÆTORI, MARCKGRAVIO DITIONIS RHIENSIS,

# ALEXANDRO

## DELLA FAILLE

EQUITI, TOPARCHÆ DE RHEET, &c.

AMPTMANNO

# PETRO PASCHASIO

## DE DECKERE

EQUITI, TOPARCHÆ BARONATUS MONTE-LEONIS, &c.



CONSULIBUS

## FLORENTIO DE BERCHEM

V. N. TOPARCHÆ DE TONGELAIR.

## JACOBO ANTHONIO

## DE WITTE J. C.

TOPARCHÆ DE LEVERGEM, DOIRNE, TER LAEKEN, &c.

SENATORIBUS

GREGORIO MARTENS J. C. Consulari,

PHILIPPO FRANCISCO DE VARICK V. N. & J. C. Hereditario Bruxellensium Vice-Comiti, Toparchæ de Huysinghen, Buysinghen, Boondael, &c. Consulari,

ANTHONIO VAN LEYEN,

JOANNI AUGUSTINO VANDE WERVE, V. N. & J. C.

ANTHONIO JOSEPHO DE SMIDT, J. C.

† 2 NICO-

NICOLAO JOSEPHO DE HALMALE V. N. Consulari,
PASCHASIO IGNATIO VANDEN CRUYCE V. N.
Toparchæ de Artselaer, Cleydael, &c.
PETRO HAPPART V. N.
PHILIPPO RUBENS V. N.
GASPARI VAN HORNE J. C.
EDUARDO DE BROUCKHOVEN V. N. Toparchæ de Novion, &c,
BALTHASARI VANDER HEYEN V. N.
GUILIELMO MOLS,
IGNATIO VAN WESENBEECK,
NICASIO LAMBERTI J. C.

*THESAURARIO GENERALI*

CAROLO ANTHONIO DE ALTUNA, V. N. ex Senatore,

*THESAURARIO*

GASPARI SCHRYNMAECKERS,

*RECEPTORI GENERALI*

NORBERTO DE MOCKENBORCH,

*SYNDICIS*

JACOBO JORDAENS J. C. ex Senatore,
JOANNI FRANCISCO LAMS J. C.

*GRAPHIARIIS*

JOANNI DE CHAMPS J. C. ex Senatore,
HENRICO SNYERS J. C.
JOANNI SEGHERS J. C.
HENRICO IGNATIO VAN BUREN J. C. ex Senatore,

*SECRETARIIS*

MAXIMINO GERARDI J. C. ex Senatore,
ANDREÆ EUGENIO DE VALCKENISSE J. C. Monchiaci Domino, Bibliothecæ Publicæ Curatori,
CONSTANTINO DE WEERDT J. C. Domino de Vordestein,
PETRO GOOS J. C.

SE ET SUA.
PERPETUÆ OBSERVANTIÆ SIGNO,
IN SCHOLIRIO A SE ELUCIDATO
DAT, DICAT, CONSECRAT,

F. ALBERTUS LE ROY
*Ordinis Erem. S. August.*

EPIS-



Riscarum, recentiorumque Urbium siqua inter ceteras per orbem caput extulerit, PATRIÆ MEÆ PATRES AMPLISSIMI (præfiscinè dixerim) hæc est ANTVERPIA VESTRA, quę intra paucorum annorum spatia, secundo ab hinc seculo & convenarum incolarumque numero, & mercimoniorum frequentiâ, rerum opulentiâ, Artium omnium copia excellentiâque, Pietatis & Virtutum studiis, & denique, (quę maxima laus est) Viris utriusque Litteraturę peritissimis ita floruit: ut sicubi terrarum parem habuerit, nihil certè cuivis alteri concessisse videri possit. Annalium & Historiarum hujus & superioris seculi fidem, nusquam non expositam, non est cur huc arcessam, quando unus Sapientiæ ac Litterarum Antistes, magnus, inquam, JUSTUS LIPSIUS, nobis instar omnium est; qui urbem vestram tanti æstimavit, ut eam & ORBIS OCELLUM, & in hoc orbe terrarum VELUTI GEMMAM, imò & URBEM URBIUM præfidenti ac intrepido dicto nuncupare veritus non sit. Animum ille suum arguit luculentè verbis olim ad Gloriosissimum vestrum CONSESSUM prolatis, quę, ut nimii erga patriam studii, ac fortasse temeritatis, suspicione me liberem: digna censui, quæ nepotes nostros exterosque populos hoc loco non fugiant. *Multa me in ea* (De Antverpia loquitur) *capiunt: homines, locus, genius ipse loci. Homines quidem, quos quis non honesti, bonique appetens, tales amet? Sunt Mercuriales apud Vos, fateor: sed iidem Virtutis, prudentiæ, quidam & sapientiæ candidati aut Mystæ. Et universè, si inspicimus, gravitas ubique, sed & comitas quædam adjuncta, & decens alacritas animorum. Parcimonia est, sed cum elegantia; pecuniæ studium, sed sine detrimento melioris studii, id est artium & virtutis. Non blandiendo hoc dicam: multi apud vos magni bonique, non ob opes, sed merita appellandi. Jam ipse locus quis? Ad Flumen pulcherrimum pulcherrima planicies: & in hac juxtà illud Pulcherrima Urbium, quas Europa, Africa, Asia videt. Ja-*



*Etemus nos Belgæ; Structurâ, Ordine, Symmetriâ, Mœnibus, Ædificiis, Viis, universâ elegantiâ, non est quæ nostram istam superet, imò æquet. Scio singula si spectentur, quasdam excedere: sed omnia corporis, ut sic dicam, membra junctim qui exploret, suffragium judicio meo dabit. At ipse genius loci, quàm potens, felix, & altioris quidem classis ordinisque est! Consideremus ab annis circiter centum, è quali quanta urbs vestra facta fuerit: mirabile erit, incredibile erit, nisi iis qui oculis sensibusque sint arbitrati. Deus bone, surgere in hanc frequentiam, splendorem, opes, commercia, unum aliquem locum, & subitò verticem pænè cælo inferre? Factum est: & hoc quoque laudi vestræ accesserit, in eam magnitudinem venisse, quæ et si vera, fidem veritatis vix mereatur.* Amabat, fateor, ANTVERPIAM Lipsius, idque non uno in loco tam apertè liquere voluit præstantissimus Scriptor, ut visum fuerit Gaugerico Rivio J.C. vel inde conjectare vitâ functi cor ibidem tumulandum fuisse, uti & Romæ caput; si, more inter Principes recepto, partitim sepeliri cordi habuisset. Sed nullam huic dicto fidem amor is abrogabit ei, qui Lipsii candorem novit, & oculis verum arbitratur. Nec paradoxus extitit: cultus enim à Vobis fuit Lipsius, sed amore litterarum & doctrinæ. Nam cum AMPLISSIMUS vester ORDO semper constiterit ejusmodi Viris, qui è litteris didicerunt litteras æstimare, non poterant non observare sui similes, id est eruditos: quid ni eorum antesignanum? Neque enim ab aliis optimæ artes spernuntur, quàm ab indoctis. *Non in vili*, inquit Gregor. Nazian. *Habenda eruditio, quia quibusdam ita videtur: sed censendum lævos & imperitos illos sic affici: qui vellent omnes sui similes esse, ut in communi illo grege laterent, & inscitiæ reprehensionem effugerent.* A quâ mente semper alieni extiterunt gloriosissimæ memoriæ MAJORES vestri, qui unà cum Nobilitate Legumque peritia, animos litteris perpolitos in commune consilium contulere, suo calculo etiam prementes isthoc Cassiodori: *Desiderabilis eruditio Litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens invenit, unde sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit, quemadmodum*

*modum populos sub æqualitate componit. Nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam Litterarum non augeat gloriosa notitia.* Nempe ut alibi Tertullianus, litteratura instrumentum est ad omnem vitam. Humanitatem hominibus reddunt Litteræ: Virtuti præjacent, ut oppidis prourbia, inquit Lipsius, ansæ sunt sapientiæ: duces & comites vitæ politioris: ceteris disciplinis lumen accendunt. Rectè vetus istud:

Διπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

*Qui litteras didicere plus tanto vident.*

Homines docent quid & quantum nesciant, hoc ipso docendos, quid discere expediat. Hæc patres & populares vestros permovere potuerunt, ut & Litteris tam feliciter incumberent, & eruditos suspicerent. Non huc ciebo *Ortelios, Schottos, Fienos, Nomios, Delrios, Beyerlingos, Gruteros, Schetos, Libenos, Barlæos, Laetios, Grammayos, Bauhusios, Baxios, Sweertios, Marsilarios, Wesenbecios, Moretos, Belleros, Biæos, Tirinos, Papebrochios*, aliosque sine numero, disertissimos scriptores, qui Litteris clari, cum natali urbe nominis sui claritatem communicarunt: Vobis tantùm repræsentari velim *Ægidios, Scribonios, Wouverios, Bochios, Brantios, Weerdtios, Rubenios, Eyckios, Gevartios*, aliosque qui doctrinâ & scriptis Collegium Senatorium, id est, nobilissimum Ordinem vestrum, cujus membra erant, mirum in modum illustrarunt. Inter quos dum non imo in loco elegantissimum sui ævi Censorem PETRUM SCHOLIERIUM statuo, jure merito doctissimos ejus sermones, omnium punctis consecratos, tribunali vestro substerno. Opus togâ Vestrâ exclusum ad vos ultro currit, PATRES CONSCRIPTI, ut auro & gemmis suarum gnomarum clavos vestros prætexat, & exornet. Elegantiis & urbanis jocis Virum suæ Musæ & ingenium Satyricum aspersere: sed Vos cultissimâ vestra consuetudine excoxistis. Quę ratio vel prima fuit, propter quam has in SCHOLIRIUM VESTRUM lucubrationes, ad gloriam utriusque nostrûm, Magnifico vestro Nomini inscriptum veniam. Nugas esse non diffitear, si cum Poëta, quem exponunt, conferantur:

tales

tales tamen ſunt, quæ viam minùs planam, non nihil componunt & æquant, quâ non omninò difficulter lectores tranſmittantur. Scaphis quandoque rimoſis & uliginoſis viri Principes magna quædam flumina tranſmearunt. NOTÆ hæ noſtræ uligo & rimæ ſunt: ſi non eâ puritate, quæ ſupercilia veſtra decet, vos trajicient, à portu ſaltem & Vatis ſui ſcopo non adeò longè deflectent. Accipite PATRES AMPLISSIMI Collegam veſtrum, quem noſtræ jam demum levidenſæ veſtitum ſchemate, eâ quâ par eſt obſervantiâ, vobis do, dedico, conſecroque; non alio fine, quàm ut novum vobis beneficium debeam, & profitear; qui ſcio quam partim publico Familiæ meæ (quam jam inde à deductâ, & ſingulari veſtro favore receptâ, in hanc urbem Auguſtinianâ Coloniâ, fovere non deſinitis) partim privato meo nomine, quem aliquo apud Vos loco eſſe ſubindè non diſſimulaſtis, veſtris ſim beneficiis obæratus. Gratum erit vobis, haud diffido, à ſeverioribus curis, quibus hoc difficillimo tempore Rempublicam ſuſtinetis, animos ad hæc amœniora diverticula ſevocare. Iſtud ergò perpetuum ſtudii erga Vos mei ac gratæ voluntatis monumentum eſto. Audiant, ſentiantque cum poſteris peregrini, hocce rei Litterariæ qualecumque augmentum, non aliundè quam à VOBIS profluxiſſe. Sive enim ſalem POETÆ guſtaverint; Veſtrum eſt, & in fundo Veſtro natum: ſive nebulas noſtras tractaverint; Veſtrum eſt, & à Veſtris in nos beneficiis, & complurium ex cœtu Veſtro eruditorum hortamentis dimanavit. Suſcipite ergo VIRI SAPIENTISSIMI eâ oris ſerenitate animique benevolentiâ, quibus bonas artes & litteras complectimini, tenellos hoſce conatus noſtros & ſic ſemper apud vos ſtatuite, SCHOLIRIANUM hoc Cimelium, à Subſelliis Veſtris primò egreſſum, jam tandem à nugis noſtris locupletius lucidiuſque, ad Subſellia Veſtra, ex æquo jure revertiſſe. Deus Optimus Maximus felicibus eventis bonas curas veſtras & conſilia, in rem Regis & Populi, fortunet, ac nos Veſtro præſidio tueatur. Vovebam Antverpiæ V. Kal. Maias Anno CIↃ. IↃC. LXXXIII.

LECTO-

# LECTORI SUO
# SCHOLIASTES.

OVatum est ante pugnam, mi Lector, annos ab hinc quindecim, per aliquot Scholiriana Musa cultores, qui, quod impensè desiderabant, scholia per me in Scholirium adornari, apud viros minimè vulgares evulgarunt. Ego quamquam eram frequens ex ore Diependalsano (diligebamus enim inter nos) Scholirii auditor & admirator: numquam tamen in animum induxeram, ejus generis pulpamentum, quod numquam seriâ lectione degustaveram, fastidiosis hujus seculi palatis excoquere: utpote qui altè mihi infixum habebam istud Flacci nostri ad Pisones:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus: & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potẽter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Ego itaque qui exploratum habebam, quàm foret domi mihi curta supellex, quàm rudis focus, quam indigestus abacus, sic semper apud me existimavi: alium quærendum esse, qui plus olei & operæ ad Cleanthis, quod aiunt, lucernam absumpsisset. non enim quempiam de vulgo lixarum hic desiderari, sed aptè condiendis Scholirii scitamentis, opus esse recocto archimagiro. Displicebat insuper (& cur non fatear?) caliginosa asperitas, versuum hiulca scabrities, assequendi molestia, divinandi morosa incertitudo. Verum ex quo V. N. Franciscus Dipendalius J. C. & caussarum patronus celeberrimus, nostri vatis præco & amator ὅπως λέγω, tertium fere annum perstitit auribus meis insonare festivam Scholiriana Musa eloquentiam, veracemq́ ubique & innoxiam dicacitatem: tum & queri continenter ac seriò, temporum labentium defluxu ac incuriâ, thesaurum hunc, in blattarum & tinearum epulas abiturum: aures aliquanto faciliores præbere cœpi, & amore popularis Poëtæ expugnari me passus sum, ut librum arriperem. Dipendalii voto lætus continuò auctor accessit Ornatissimus Vir Balthasar Moretus Piæ Mem. Plantinianos suos typos pollicitus, siquid in lucem Scholirii expedirem. Auspicatus itaque lectionem, virium mearum in ipsis carceribus periculum feci: cumq́ viderem non prorsus infeliciter, aut sine fruge mihi laborem successisse, acclamante in primis Dipendallio; audacior tum factus, sperare non timui fore, ut si viam planarent illi, qui cum Poëta vixerant, elegantiasq́ ac sales ejus, tum & mores ejusdem ævi non ignorabant, tutò possem excurrere ad spatia, & rem ad optatam metam deducere.

Itaque pergendi consilio jam obfirmato, prima mihi cura fuit consulere Nobil. Erudit. ac consularem virum Franciscum Paschasium vanden Cruyce, τὸν μακαρίτην, qui pro humanitate quâ erat singulari, inter sedentarios podagræ suæ cruciatus, de moribus & genio Poëtæ, de versandi id temporis ratione, & de locis quibusdam obscurioribus plurima me sciscitantem, non tantùm audivit; sed & docuit ejusmodi, quæ facem mihi maximam in hac nocte præluxerunt. Imò fatendum est liberè, in locis quibusdam interpretandis, quæ Heracliti σκοτασμὸν redolebant, abjectâ non semel propriâ conjecturâ, pedibus in sententiam illius lubens conc.ssi. Partibus etiam suis strenuè de-

*functus est Dipendalius noster, qui cespitantem hinc inde non infrequenter stitit: factáq; earum, quas tumultuario calamo, horis à foro liberis, in pagellis charta virginis, Scholiriano codici alternè insertis, non indiligenter exaraverat, notarum copiâ; mirum in modum adjutavit. Nec pigratus sum adire ac consulere ceteros, quos sperabam aliquod nobis lumen adferre posse, inter quos jure mihi recensendi sunt, optima memoria Viri Nobiles & Consulares Joannes Antonius Tucherus Roberti filius, & Philippus Schoyte, qui, quod requirebam & sciebant ipsi, non gravatè in commune contulerunt. Omnium tamen maximè opportuna mihi accidit hac fini facta consuetudo cum V. N. Davide Scholirio Petri filio, qui Poëta patris M. SS. omnia in scriniis suis latentia, ad me detulit humanissimè, obtestatus vehementer se dolere, quòd maximam aliorum partem, quam amicorum quorumdam usui ac lectioni commodaverat, amisisset.*

*Vix explicem quanta cum aviditate hos manuscriptos codices volverim & revolverim, quantoq; conjecturis meis fuerint adjumento. Quidquid enim ad elucidandos sermones editos (materiam enim uberem componendorum edendorumq; complectuntur) facere poterat, fideliter transcripsi; suntq; illa qua in commentario nostro passim citantur: adeò ut sanctè possim asseverare, nullam me inde lucem habuisse, quam non candidè tecum communico. Qua omnia demum ita me animarunt, ut primis curis per transennam defunctus, inter primos flagitanti eruditorum Corypbao Macario S. Michaëlis Ord. Pramonstratensis optimo Prasuli. Musarum nostrarum Macenati (Deus nunc illi merces in calis) aliisq; urbis nostra Summatibus ac Senatorii Ordinis viris, solenni publicaq; sponsione horum scholiorum debitorem me fecerim. Verumenimvero nomen id ut temporiùs expungerem, non sivère anceps quandoque valetudo, imposita domestici muneris ratio, fabrorum omnis generis & operarum quotidianus strepitus, tristia sabbatha, arisq; corradendi inquies solicitudo. Inter qua Dipendalius familiari ac forensi usu doctus, optima interdum nomina non appellando fieri mala; non cessabat, quoties congrediebamur, de fide mea me interpellare, aculeis & salsugine sua incitare, immo in manifestas quandoque (hâc erat apud me familiari dicacitate) rixas erumpere: videndaq; editionis spe se ludi opinatus, fatali quodam prasagio extremis praludere. Quam rem optimis viris & consiliis inimica mors, nimis heu! ratam probavit: nam cum querebatur inter cetera, plerosque Scholiriana editionis futuros patronos, in dies ad priores abire, in communem patriam prior ipse abactus est. Vacaverunt deinde hac studia annos haud minus quatuor, dum ego in Italiam profectus (quod unum ornando Paradiso Scholiriano deesse videbatur) priscas Musas propiore vultu veneror & consulo; donec inde redux, & vacuas à magistratu familiari horas nactus, cœpi commentationes nostras sub incudem revocare, & crudiora quavis Italiam potissimùm attinentia, secundis curis excoquere, ac seriò tandem de mittendo in publicum cogitare. Quare commentario absoluto, nihil prius habui, quàm editionem, quâ possem festinatione maturare, & fidem meam solenniter omnibus obligatam liberare. Itaque jam nunc operi addito colophone, audeo sumptuum nostrorum tuaq; orexios periculum facere; hoc unum te obtestans, ne de mora, vel comperendinatione mecum expostules. Ego enim quod Imperatori suadet prudentia, non nisi accitis collectisq; viribus, ac bene instructa acie, mihi congrediendum censui. Hac de scribendi occasione, nunc de operis instituto, quadam nobis prafanda sunt.*

*Sermonum familiarium libros tres ab Auctore dum in vivis, diverso tempore editos, unà cum scholiis, lectioni tua devoveo. Eorum postremus minoribus typis, ac contractiore complicandi formâ excusus, paucorum manus trivit,*

*vit, tum quòd vix tribus chartæ foliis constaret; tum quòd Auctor inexspectato fato abreptus, non potuerit commodè suum id munusculum inter amicos distribuere & evulgare. Nefas tamen existimavi, elucidatis jam duobus prioribus libris, tertium præterire: quòd genuinus ejusdem patris fœtus foret, qui fraterno jure, eamdem lucem, quâ fratres impertiveram, postularet: & quòd præ aliis philosopharetur; optimisq́ præceptis tam parentes nobiles in educandis liberis, quàm liberos in moderandis moribus imbueret. Ad calcem quoque, ne vacarent aliquot pagellæ, septem epistolas familiares hactenus non editas adjeci, quas propter extemporariam brevitatem & calorem scribendi, dignas censui ne prorsus interirent.*

*Scholirianam phrasim quod attinet, à priscis scriptoribus, quorum medullam hausit, pondus habet: pretio, ut magnus censuit Puteanus, cum ipsâ antiquitate comparanda. Et quid ni exclamem cum eodem, O salem! O mulsum? Argutam enim illam, & Horatiano sale conspersam, elegantem, festivam, & urbano joco dicacem reperi. Nobilis quoque ac libera est ubique, & nusquam non madens aceto, nemini servire didicit, seu spectes homines quos extollit vel corripit; seu mores quos cum venustate non planè pravos vel damnabiles describit; seu vitia quæ styli acumine defigit, seu denique Latini sermonis leges, quibus arctè nimiùm se constringi noluit, rerum ubique (quod sibi indulgent liberaliora ingenia) solicitior, quàm verborum. Ab iis tamē notandis (ne succense Criticè) manus abstinui, tum quòd deferre studeo, ut fas postulat, Auctori mihi sacrosancto: tum quòd abunde, siqua labes stylum cōmaculant, aliis gratiis & dotibus diluuntur: tum denique quòd doctiores facilè & sine obelisco animadvertent, quæ minùs periti sine offensa præteribunt. Conatus sum, in locis non unam interpretationem admittentibus, verosimiliorem sententiam eligere, ac mox post subjecta contextus verba, eam antè omnia paucis exponere: quod etiam in aliis minùs dubiis aut incertis præsto, ne tu fortasse avidior in prosequendo Poëta, parergo prolixioris scholii, longiùs digrediare ab instituto.*

*Nec anxius sum, in ejusmodi locis interpretādis, quæ litterario pulvere mediocriter sordidis, vel primâ fronte se offerunt (fastidient fortasse nasutiores) verùm imperitioribus id tribuendū esse duxi, ne vel cogerentur aliunde sibi lumen arcessere, vel tædiosam lectionem suspēdere. Plurimos enim hoc ævo reperias, qui posito in prima ætate amœniorum litterarū tirocinio, ita rapiuntur ad ea, quæ mensas & fortunas opimant, studia; ut numquam patiantur animum ad priscas elegantias exspatiari: minimè hoc liberales, quòd eam, quæ ceteras hominum liberalium disciplinas acuit, polit, excolit, tam illiberaliter sordideq́ negligant, ne dicam aspernentur. Ceterùm optem Poëtam nostratem non oscitanter à te transmitti, sed seriâ attentâq́ lectione trutinari. Cuilibet enim dictioni (nisi me fallit affectus) suus lepos & sal est, quem nescio tamen an ego ipse solicitè satis ubique, ac eo, quo par erat studio, observare curaverim. Dum enim calidiùs progredimur ad alia, usu venit non rarò, ut præstantiora quædam nos fugiant, & non observata prætereantur. Ego quamquam adnixus sum omnem hanc segetem diligenter colligere ac excutere: non ausim tamen mihi id tribuere, ac tibi polliceri, nihil à me relictum esse, aut non tactum; unde doctiores faciant spicilegium, & me erudiant. Imò verò gratiam à me singularem inibit, quem errata mea vel omissa amicè denuntiare non pigebit. Gaudebo me doctum, nec gravatè canam palinodiam: aliquando forsan (si quidem recantari merebuntur) aliquod illorum luci daturus additamentum, unde lucidior nitidiorq́ ad posteros transmittatur Scholirius.*

*Quædam quoque sum interpretatus subinde, quæ apud nostrates fortè plùs satis nota sunt: veniam tamen tribuent, qui considerabunt, cum*

*Latinè scribitur, etiam exteras nationes; cum notissima, etiam doceri posteros; qui, quæ modò cunctis sunt explorata, mutato tempore & hominum ingeniis, olim fortassis ignorabunt. Fidem in citandis auctoribus anxiè nobis præstandam duximus, nec ullum locum memini me ex illis in nostras commentationes transcripsisse, quem non proprio marte, ac attento oculo perviderim. Ne porrò in numeris barbaris excudendis delirarent operæ, summâ diligentiâ & sollicitudine accuravimus. Geminum ad calcem libri adjecimus indicem, non exiguo nostro cum labore: priorem qui omnia speciatim, tam res quàm verba & phrases; posteriorem, qui solas parœmias complectitur. Hic brevis, ille prolixior; & quidem locupletissimus, tum ob materiæ ubertatem, tum quòd unicum quandoque pronuntiatum non unâ transpositione variatum exhibeat. Neque tantùm prodit ea, quæ longiusculè, vel ex proposito in commentario tractantur, verùm etiam, quæ obiter ac per transennam, ab auctoribus isthic citatis aut à nobis, traduntur, aut mero casu incidunt. In quo etiam commodo tuo insigniter studui: nam hac ratione, totius operis compendium habes, & quodvis facile reperias: numeris, ne te fallant, accuratè digestis & excusis. Quisquis tamen eo utetur, locum dictionis vel sententiæ quæsiturus, rogatum monitumq; cupio: ut si promptè, quod quærit, non reperit; Poëtæ verba cum commentario nostro conferat, aliàs non statim assecuturus sententiam, quæ illic vacillat aut suspenditur: cujus proinde syntaxis, ad suprà expressorum versuum complexionem referri debeat. Postremò posteriorum sermonum lectione, nondum ephebiam egressos aut verecundiores, interdico: dociles enim sunt, ut cum Juvenale docet usus quotidianus, imitandis turpibus & pravis; quæ licèt auctor noster, non alio fine producat, nisi ut eadem castiget, & exuat: tamen talia esse possunt, quæ cum desiguntur, non perimuntur: & ut pereunt, aculeum figunt; unde tenellorum animorum tumores & ulcera, quæ vix sera ætas aboleat. Optimè vetus satyrographus:*

Maxima debetur puero reverentia.-----

*Batavos quoque vicinos ac populares nostros, Scholirianâ dicacitate nolim exasperari. Quid enim? scripsit, cum jam post duodecennales inducias bellum recruduerat inter nos & illos, commissis etiam inter se partium studio eruditis. Eos itaque oratos velim pace jam nobis conjunctos, ut siquod animosiùs aut præfidentiùs dictum offenderint in his sermonibus, eâ, quâ gaudent, animi moderatione transmittant: cogitentque, non tam gentē vituperandi caussâ, quàm ex decoro ejus temporis, & amore Principis & patriæ, calidiori calamo excidisse.*

*Tu verò, mi Lector, sumptus & labores nostros æqui boniq; consule, eosq; jam publici juris factos in usus tuos transcribe. Si hactenus Poëtam nostrum extulisti, meas in illum nugas non aspernaberis. Ego quia iratis quandoque Musis, ad hæc sacra me intromisi, jure metuo, ut in omnibus mihi faverit Delius. Supercilium tamen tuum, ac justum veru non deprecor, modò dum notas defectum, non transfigas affectum. Vale, & si quidem gustu tuo, aut ingenio Poëtæ quid dignum reperis, impensis & conatibus nostris bene ominare.*



PETRI




PALLAS
DIOGENES
IN EFFIGIEM
N.V. PETRI SCHOLIRII
EQVITIS & SENATORIS ANTVERPIENSIS,
POETÆ SATYROGRAPHI &c.
Fudit ab hocce sales et mella Scholirius ore
Cui dentem exacuit prisca Thalia novum.
Corpus ut est mentis, sic mens sit corporis icon;
Dixeris, hic Flaccus, vel Iuvenalis adest.
ITALIA
BRABANTIA
I. E. Quellinus delineauit Pict. Cæs. M.tis
A. Voet. iunior sculpsit

# PETRI SCHOLIRII
# VITA.

PETRUM SCHOLIRIUM, reipublicæ nostræ ornamento, Antverpia edidit, superioris seculi anno LXXXII. eodem ipso, quo avia illius CATHARINA DE DECKERE, virum suum PETRUM SCHOLIER, Patricium Norinbergensem extulit & tumulavit in æde Cathedrali Antverpiæ, relictis quatuor filiis PETRO, JOANNE, HIERONYMO, & DAVIDE: quorum postremus, ex JOANNA CELOSSA uxore sua admodum lautâ, genuit Satyrographum nostrum, Gentis suæ splendori. Quamquam enim illa inter optimas & equestris nobilitatis familias à tribus haud minùs seculis apud Noricos cognomine gentilitio, SCHULLER, apud nostrates, SCHOLIER, inclaruerit; multisque honorum prærogativis aucta sit à Rudolpho II. Aug. litteratissimo Principe: non minorem tamen apud posteros gloriam invenit, ab ingenio & eruditione Poëtæ Petri, cui apotheosin inter suas Musas jam pridem decrevit & celebravit Apollo.

Puer à Patre liberaliter educatus, ac præter cetera ludo litterario adhibitus, ingenii mox igniculos prodidit, non tam labore operoso, quàm facilitate & acie judicii inter suos emicando. Ephebiam ingressus, patrem amisit funere præmaturo, sed cujus desiderium prudens & generosa Mater, ac optimus patruus Hieronymus minuerunt. Eorum enim auspiciis Parnassi culmina superavit; & ad Gymnasium Grudium destinatus, in Philosophiæ pulvere versatus est, nulla aut exigua fruge; sic enim ipse de se in M. SS. alibi: *Non Scholastica Philosophia cultor; cùm id temporis spatium, quod ad eam exercitationem erat destinatum, sphæristeriis potiùs, tripudiis & aliis juventutis illecebris impendimus.* Et hæc fortè ratio extitit, ob quam Academica studia, desultoriâ quadam levitate intermisit, donec tandem Lovanium redux anno ætatis XXX. Legum tam Sacrarum, quàm Civilium Laureâ VIII. Kal. Octob. Anno CIↃ. IↃC. XII. insignitus est.

Inde, ut solent elegantiora ingenia, & quibus non tam paranda, quàm jam parta Fors est, animum appulit ad visenda priscarum Musarum monumenta, & Italiam Paradisum terrestrem sibi lustrandam delegit. Ubi sex annos continenter, & mores hominum & antiquitatis studia; situs item & amœnitates urbium, oculis tam attentis observavit: ut mireris quàm paucis versibus res plurimas exposuerit. Qua in re obsequentes sibi & faciles matris suæ loculos, etiam ex voto & voluntario interventu Sororum expertus est. Ferunt quidam ad octoginta nostratium aureorum millia, quorum tres Scutatum Romanum constituunt, in Italia consumpsisse. Nec mirere, splendor ubique & elegantia iter & mansionem ejus commendarunt, ad latus plerumque Ducis Arschotani, cui se comitem honorarium propriâ quadrâ conjunxerat.

In Belgicam redux ductâ conjuge venu-

nustissimâ, & à multis etiam nobilioribus certatim ambitâ, Annâ Lamberti, sedem sibi delegit Lovanium celeberrimum litterarum emporium, ut liberiùs Musis vacaret, & inter doctos, quorum consuetudine tenebatur, versaretur. Domicilium ibidem suum in Prætorio PLACET, (sic vulgus nuncupat) describit & celebrat sermone x. fol. 321.

*Parte aliâ cultis æstiva palatia tempe*
*Antiqui dixere, PLACET, servantque minores*
*Nomen, quod Domino placuisse libidine quondam*
*Deliciisque horti genium oblectasse ferantur.*
*In facie magis ad lævam &c.*

Lucebat id ætatis in ea Academia litterarum emicans Jubar ERYCIUS PUTEANUS, vir ad omnem honestatem, & elegantiam factus, Regius Consiliarius, arcis Præfectus, & publicus Historiarum Professor, in cujus interiorem amicitiam ita se insinuavit, ut plurimum ex tam docto commercio, hauserit & amoris erga Musas, & opis ad scribendum. Coluit etiam Gerardum Corselium, Petrum Gudelinum, aliosque tunc florentes in Legum Facultate Magistros. Quo tempore posito lepôris sui Poëtici tirocinio, lusit honori V.N. ROBERTI TUCHERI: sed parum feliciter, si jocis ipsius fidem habemus, de quibus mox in Proecthesi ad Librum I. uberiùs differemus.

Antverpiam postliminio ad patrium Larem regressus, & in Senatorium Ordinem cooptatus, cultissimorum hominum cœtus & sodalitia frequentabat, ipse ad omnem elegantiam & amicitiæ cultum conversus, fabellas suas urbano sale, quo plerumque thrasones, ardeliones, suffenos, & homines bombylios defricuit, condiebat. Naturâ siquidem ad jocularem censuram propendens, ridendi scribendique argumenta sibi undiquaque nitebatur conquirere. Ad hæc horis quibusdam subcisivis, veterum scriptorum principibus Ciceroni, Horatio, Maroni, Nasoni, Juvenali & Persio; tum & Historiis, ac melioris notæ Politicis & Criticis deditus; sedulò colligebat adversariisque suis mandabat, quidquid aliquando in usus suos transcribere destinabat. In verbis & gestis modestus fuit, nihil de se unquam gloriatus: quin immò, avitam suam nobilitatem plurimos annos latere passus, adunco naso sæpenumero suspendit eos, qui hesternam gentis suæ claritatem nusquam non buccinantes, alios, se tacitè nobiliores, contemnebant.

Magistratus & publica munia fugiebat, quamquam non deessent potentissimi in aula patroni, qui illum non semel ad Consularem urbis dignitatem destinarunt. Amoliendum tamen id sibi ratus, ab omni adulatione & cultu aulicorum abstinuit, libertatis suæ amans, musarum, quietis & amicorum solidus æstimator, Sic enim de semet ipse Serm. IV.

*Sive quod in strepitu, genus hoc miserabile vitæ*
*Ulterius nequeam non fastidire, quietis*
*Sectator solidus, &c.*

Frequentes illi & dilutiores cum amicis convictus, & extemporariæ nonnumquam epulationes, quas ipse vel hospitali humanitate, vel leporibus suis mirè condiebat. Et quamquam luxum & omnem cothonismum oderat, à podagra & nephritide malè sibi metuens, & obventuram à pulmonum vitio tabem exhorrens: oleo tamen lucernam fraudare nesciebat, modico & bono in morem Florentinum victitans; delicias potiùs ab arte, lautitia & mutuo officio, quàm à pretio, & perfunctoriè paratâ dapum copiâ quæritans. Condimenta & intinctus æstimabat, Apicianæ disciplinæ minimè rudis: quippe qui de ea vernaculo sermone suum *M. Antonium Magirum* ediderit. Dimidium sibi plus toto ratus, uni-

unicâ dumtaxat in diem pastione gaudebat : nullâ namque cœnandi orexi proritari solebat.

Religionis Orthodoxæ, piéque ac simplicis credulitatis observantissimus fuit, heterodoxæ inquietudinis derisor. Quid plura? Ipse mores suos illustret prærupto carmine, quod in M. SS. reperio.

*----- Me ad macra diaria sæpe ex*
*Abrupto invites, coràm quem quæritis adsum.*
*Nec perdas : venias hac libertate placebis.*
*Quo-me-cũque vocas, præsto sum, cõmodus ut vis.*
*Intempestivos calices siccare tabernis*
*Nec volo, nec possum, quamvis Academia alumnus.*
*Comœdi allectant : sint neurospasta, videbo.*
*Stenobatis teneor : Carolos ausculto legentes*
*Siqua novi rumoris habent. Nec abhorreo Merâ*
*Sub serum, ripâ donec vectoria navis*
*Interdum appellat. Bene pransus obambulo: justis*
*Viso intervallis cilii gravioris amicos,*
*Evitans nimis atque parum. Respondeo multis*
*Solus epistoliis : moderato & ludimus alveo :*
*Et superest tempus, nec enim propendeo cœna :*
*Et satis expedio (ignoscas) mea. Quid faciam dic?*
*Credo, nec indago quidquam, nec biblia volvo,*
*Calvini electis quæ discutienda puellis.*
*Concio plus satis est, constant mihi mystica Sacri.*
*Rideo si dubitet quisquam nasutior illis,*
*Quos Deus illustrans interprete sede locavit.*
*Horresco chimicos : rauceştis Musicus annis.*
*Pingere non didici : nec amo, floresque labascunt.*
*Corporis ad vires horis insudo statutis.*
*Siqua roges, curo ; mea parva negotia tracto.*
*Quod satis est soboli, quod possum præsto Maritæ,*
*Tempore quæque suo. Taceo cur cætera? Scribo*
*Iudicis austerum quod non formidet acumen.*

Mathematicæ quoque deditus, de astrorum motu, occursu, influxu, ac ex iis divinandi nugis scitè aliquando disseruit. Æqui bonique studiosus neminem lacessebat : litibus tamen non caruit, quas illi census & fundi controversiosi attulerunt, & inheredes cum voraci capitis arrosione transmiserunt. Regi Catholico Principi suo, ac Patriæ fidelis extitit civis, etiam cum rerum suarũ jactura ; Genti Austriacæ supra modum devotus. Testatur Diogenis postremi versus, variique sermones, quibus se calidum partium ejusmodi vindicem profitetur. Perfidos cives nusquam latêre passus, debito apud Magistratus indicio eorum machinamenta, etiam cum capitis periculo detexit. Docet diploma Consulare & Senatorium.

*Universis & singulis præsentes litteras visuris, lecturis, seu legi audituris Consules & Senatus civitatis Antverpiæ, salutem.*

*TEnore præsentium fidem facimus & attestamur,* PETRUM SCHOLIER *Equitem auratum officio Senatoris in hac urbe fideliter & accurate per annos decem functum fuisse, & de omnibus sibi commissis pro servitio Regis, ac boni publici, optimam semper rationem dedisse, maximè in conspiratione quorumdam hæreticorum prædictæ urbis civium, quorum technæ & proditiones sedulitate & industriâ dicti* PETRI SCHOLIER, *etiam cum ipsius periculo vitæ, fuerunt detectæ, nec non ipsa civitas à manifestissimo periculo, in quo versabatur, liberata, profligatis atque proscriptis plusquam octoginta familiis, prædictæ conspirationis suspectis. Insuper attestamur prædictum* PETRUM SCHOLIER, *ades fortes nominatas* BALLAER *habere extra muros hujus civitatis prope castellũ, quæ cum omnibus suis prædiis & appendicibus, ad majorem dicti castelli & urbis securitatem, jam ab annis septem, à milite præsidiario Regis, cum magno dicti* PETRI SCHOLIER *dispendio occupantur. Et quia hæc ita vera sunt, non potuimus illi denegare veritatis testimonium, sine dolo malo : in cujus rei fidem, sigillum ad caussas dictæ civitatis Antverpiæ præsentibus apponi jussimus, die octava mensis Novembris Anno salutis millesimo sexcentesimo trigesimo.*

*Sign. van Lyere.*

CEterùm homo fuit opulenti census, nam ex decem & quatuor liberis quos

quos ex conjuge sua suscitavit, cuilibet ex septem superstitibus, annua duo nostratium aureorum millia, post mortem legasse, ex optimis auctoribus didici. Tergeminas illi Sorores, easque omnes lautis & nobilibus viris nuptas fuisse comperio. Maria siquidem conjugavit se Antonio Tassio, viro ex pervetusta Turrianorum apud Italos, & Tassiorum in Hispania & Belgio, primarum familiarum necessitudinibus inclyta propagine, nato: qui post mortem conjugis, collegio Cathedralis Ecclesiæ Canonicus adscriptus est. Altera Catharina primùm elocata V.N. Joanni Roccoxio, Consulis Nicolai, de quo initio sermonis IX. & Adriani Canonici ædis Cathedralis, germano fratri: deinde post ejus mortem, Joanni de Romrée, Equiti, ex prisca apud Eburones stirpe, Freponti Domino, cui peperit filium multo magistratu exercitum, & quem Consulem nuper suspexit Mechlinia, Elegantiæ Scholirianæ & amœnitatis heredem. Tertia denique Joanna junxit se Petro Immelot nobili apud Iprenses sanguine prognato, Vlamertingæ Domino, & militari magistratu de Rege ac Patria optimè merito.

Inter has conjugesque viros & Scholirium fratrem, liberalis & sanctissima intercessit consuetudo. Delectabantur enim mutuo congressu, certabant officiis, & multa animi nobilitate de se invicem bene mereri contendebant. At Poëta noster licet medicæ artis minimè rudis, & jam æstate, potis Spadanis fontibus, valetudinem utcumque instaurasset, fatum tamen suum minimè potuit effugere. Adulto siquidem Autumno, repentinâ inter sodales apoplexiâ correptus, triduumque supervivens, omnibus sacris ritu Catholico sibi adhibitis, magno rei litterariæ dispendio vivere desiit XVI. Kalen. Decemb. anno CIↃ. IↃC. XXXV. relicto doctis, & liberis potissimùm masculis, qui litteris nondum maturuerant, magno sui desiderio. Patris & Avi tumulo illatus, eruditorum epitaphia expectat: ego illi meum inscribo.

LUMBRICE, NIL SCHOLIRIO PUTRET, FUGE:
SALSUS POETA EST: VIVIT IN SUO SALE.



JUDI-



# JUDICIA
## DOCTORUM VIRORUM
### DE STYLO ET INGENIO
# PETRI SCHOLIRII
### HUC ACCITA.

ERYCII PUTEANI ex Cent. 3. Apparat. Misc. Epist. 18.

## PETRO SCHOLIRIO V. C.

*ACcepi, legi, æstimavi* SERMONES *tuos, verum severioris Musæ munus. Vigor ubique est, elegantia, ingenium. Breviter: unus ostendisti, etiam nostro scribi ævo Satyram posse; quam summi etiam Poëtæ hactenus refugerunt. Locum si habeat* μετεμψύχωσις *Pythagorica, in te dixero vel Horatium, vel Juvenalem ipsum spirare. Sic hiulcos castigas mores, ut nemo possit offendi: sic honestos promoves, ut mihi agere Philosophum videare. Gaude, mi* SCHOLIRI, *immortalis es, & inter magna nomina tuum quoque laudabitur: imò gaude, non magno volumine omnia tibi sæcula vindicas, famam nunquam non augendam exorsus. Vin' verò videre, quàm bene scripseris? vide, quàm ego malè. Hi mei ecce Versus sunt, sed à filiis collecti. Inconcinni verè sunt, si cum tuis comparentur. Vide tamen, & compara: suave tibi erit, cujus ingenium superas, ejus affectum æstimare: ego quantò laude minor ero, tantò majori à te beneficio amabor. Vale. Lovanii, in Arce,* XVI. *Kal. April.* ∞. IↃC. XXIII.

Ejuſdem ex Cent. 4. Apparat. Miſc. Epiſt. 38.

## PETRO SCHOLIRIO V. C.

*Adhuc me Sermones tui habent & oblectant, ſtilo* FAMILIARES, *pretio vel cum ipsâ Antiquitate comparandi. O ſalem! ô mulſum! Tuum ſtili coloribus repræſentas ſæculum, ſed tamquam antiquo vivas. Belgam, an Romanum te dicam, neſcio. Scribis & deſcribis Belgas, ſed Romanâ verè linguâ. Dentem quoque Romanum video, ſed candentem: morſum ſine vulnere. Tamquam non corripias, ſed corrigas, quæ à Catonis normâ recedunt; ludas, non lædas. Mores noſtri, ſi non pravi, inepti interdum ac ridiculi ſunt, partim exemplo plurium, partim naturâ cujuſque. Suum autem nemo vitium confiteri vult: publicum, tamquam ſuum, omnes putant reprehendi. Quis igitur Cenſuræ locus? At ridere inania hominum vota ſtudiaque permiſſum eſt, quoties innocentiſſimis numeris veritas explicatur. Ea ingenii tui ac eloquii felicitas eſt, ut non tam ſcribere, quàm pingere videaris, oculos animumque legentis pariter trahens. Facit quoque eruditio tua, ut quæ vilia, aut plebeia ſunt, ſplendorem à ſtilo capiant; quæ jacent, exſurgant. Breviter; philoſopharis: quod cùm à litteris munus nonnulli hodie ſeparant, doctrinæ lumen ignorantiâ extinguunt. Habes judicium meum; imò Palæſtræ, feliciter quidem jam inſtauratæ. Sed tu munuſculum iſtud hoſtimenti loco cape, & tot Olympiades vive, quot deſcripſi. Vive, inquam, & vale. Lovanii, in Arce,* VIII. *Kal. Febr.* ∞. IϽC. XXVII.

VALERII ANDREÆ ex Bibliot. Belg.

PETRUS SCHOLIERIUS, *Antverpienſis, J.C. Senatoriæ dignitatis, ingenio ſtiloque elegans, Lovanii, poſt luſtratam Italiam, Muſas amœniores coluit, & amicos interioris admiſſionis Viros Ampliſſ. Gerardum Corſelium, legum Anteceſſorem, & Erycium Puteanum. Luſit*

Satyras *ſive* Sermones familiares, *in corruptos ſeculi mores, typis Plantin.* 1623. 4.

*Eodem*

*Eodem auctore editus est Lovanii libellus* de arte culinaria, *idiomate Flandrico, nomine* M. Ant. Magiri, *typis Joan. Flavii in* 8.
*Decessit Antverpiæ anno* CIↃ. IↃC. XXXV. XVI. *Kal. Decemb.*

FRANCISCI SWEERTII ex Athenis Belg.

PETRUS SCHOLIERIUS *Davidis F. Antverpiensis, in qua urbe non semel Senatorem egit; in jurisprudentia clarus, mihique carus. Poëta elegans, & urbanus. Doctorum virorum sui temporis ac maximè* Erycii Puteanii *admirator & cultor. Italiam vidit, nunc patrii soli deliciis fruitur. Edidit*

Sermones familiares *carmine heroico, quibus se ostendit non scholarem, sed verè magistrum esse. Hos legens videris ipsum Horatium audire. Aliud nescio quod opus meditatur. Malè incepit, si hic desinat. Antverpiæ typis Plantini 1623. 4. & 1626.*

LAURENTII BEYERLINCK ex Censura lib. 2.

S*ermones familiares* PETRI SCHOLIRII *Antverpiensis à festiva urbanitate, & quæ ad vetustioris ævi, qui in simili argumento luserunt Scriptores accedat, styli nexusque elegantiâ commendantur.*

NOB. ET CLARISSIMI VIRI

ANDREÆ EUGENII VAN VALCKENISSE,

Domini de Monchy & Bordeghem, Urbi Antverpiensi à Consiliis & Secretis: Bibliothecæ publicæ ibidem, post MIRÆOS, HAEXIOS, GEVARTIOS, Curatoris doctissimi,

EX EPISTOLA AD SCHOLIASTEN.

L*egi quas R. V. in eruditissimos, & aureæ scriptorum ætati nihil concedentes, sermones familiares* PETRI SCHOLIRII, *huc usque prælo commisit elucidationes, &c. Spes publica laboriosi otii tui exspectat finem, vel timendum ne exclamet, uti de* ELEGANTISSIMO SCHOLIRIO *aliquando in Athenis suis Belgicis Sweertius, quòd malè inceperit si hìc desinat. Ego*

*ubi ad me librum & elucidationes miserit R. V. commissæ mihi provinciæ, id est publicæ hujus Urbis tradam Bibliothecæ:*

Illic aspiciet positos ex ordine Fratres,
Quos studium cunctis evigilavit idem. *Ovid. l. 1. Trist.*

ÆGIDIOS *scilicet*, SCRIBONIOS, BOCHIOS, EYCKIOS, GEVARTIOS, *aliosque non infimi nominis Poëtas, & qui antè, & cum* SCHOLIRIO *tam Musas ad hanc Urbem deduxere Romanas, quàm ibidem Magistratus claruere insigniis. His R.ª V.ª Optimos Mæcenates & Nestoreos annos voveo. Antverpiæ 24. Martii 1683.*

---

# SERIES AUCTORUM,

*Quibus usi sumus in compilandis hisce Commentariis, vel qui in iis citantur, laudantur, expenduntur, castigantur, aut defenduntur.*

AB Heer.
Ælianus.
Ælius Gallus.
Ælius Lampridius.
Ælius Spartianus.
Alciatus.
Aldus Manutius.
Alexander ab Alexandro.
Ambrosius.
Ammianus Marcel.
Anaxandrides.
Angelus Politianus.
Angelus Rocca.
Antiphanes.
Antisthenes.
Antonini Pii Itinerarium.
Apuleius.
Aristoteles.
Aristoxenus.
Arnobius.
Arrianus.
Ascensius.
Asconius Pædianus.
Athenæus.
Augustinus.
Augustinus Anconitanus.
Aul. Gellius.
Aurelius Victor.
Ausonius.
Autumnus.

*B.*

BAckerius.
Balduinus.
Baptista Mautuanus.
Barlandus.
Baronius.
Baudius.
Baudrand.
Bauhusius.
Baxius.
Bayfius.
Becanus, Joan. Gorop.
Becanus, Martinus.
Bellarminus.
Bembus.
Bernartius.
Beroaldus.
Biblia Sacra.
Blaeuw admiranda.
Blondus.
Bochius.
Boethius.
Boissardus.
Bonaventura.
Bononiensis, à Cruce.
Britannicus.
Brodæus.
Budæus.
Bulingerus.

*C.*

CÆcilius.
Calderinus.
Calepinus.
Callimachus.
Camerarius.
Canterus, Guilel.
Canterus, Theodor.
Capugnanus.
Caramuel.
Casaubonus.
Casellius.
Cassiodorus.
Castalio.

Castel-

ADMO-

ADMODUM REVERENDO

# P. ALBERTO LE ROY,

ORD. EREM. S. AUGUSTINI PRIORI ANTVERPIENSI,

ILLUSTRANTI POEMATA

PETRI SCHOLIRII ANTVERPIENSIS,

EQUITIS AURATI,

POETÆ LAUREATI;

UTRIQUE GRATULATUR è ROMANA SAPIENTIA

M. F. M. H. A. G.

Ipsa Magni Augustini Luce, Anno CIƆ. IƆC. LXXXII.

*Schemata* SCHOLIRII, *velut alter*, REGIUS *edit:*
*Dixeris*, ALBERTI *penna*, *poëma* PETRI *est.*
*Delicias Latii canit hic: premit ille cothurno*
*Eloquium Latii: lux sit uterque schola.*
*Quis magis illustret, dubii sub judice lis est:*
*Hoc certum;* ALBERTI *schemate* PETRUS *ovat.*

## AD ANTVERPIAM.

*Mercibus ecce Virûm flores*, ANTVERPIA, *doctis:*
*E Scaldi in terras, per mare transfer opes.*

AD VENERABILEM VIRUM

# P. ALBERTUM LE ROY,

ORDINIS EREM. S. AUGUSTINI &c.

Cùm Patris mei, diu multùmque (dum viveret) flagitantis, desiderio obsecutus, amœnam Scholiriani Sermonis familiaritatem toti mundo patefaceret.

*Non minus ingenii est, quàm scribere, scripta tueri,*
*Quæ solet obscurum condere sæpe chaos.*
*Sed qui præterea bene scripta, instricta resolvit,*
*Obscura illustras: major utrumque facit.*
SCHOLIRIUS *strinxit, quæ docta ænigmata scripsit;*
*Sed bona stricta, Notis* REX *meliora facit.*
*Redditur ille sibi melior, quàm fecerat ipse:*
*Nec reddi melior* ILLE *vel* ISTE *potest.*

PET. IVO VAN DIEPENDAEL Francisci Filius J. C.
& Toparcha in Vorst.

AD

AD REVERENDUM SPECTABILEMQUE PATREM

# F. ALBERTUM LE ROY,

ORDINIS EREMIT. S. AUGUSTINI, &c.

Dum promissa dudum Parentibus meis quondam, & spiritali MACARIO Abbati, & naturali FRANCISCO J. C. ad SCHULLERUM commentaria in lucem ederet.

*Anversa ut mores SCHOLIERI Carmine picti*
*Anversam laudant, ingeniumq; viri:*
*Sic lustrata Notis SCHOLIERI carmina vestris*
*SCHULLERUM laudant, ingeniumque tuum.*

HIERONYMUS VAN DIEPENDAEL Canonicorum Præmonstratensium Ecclesiæ S. MICHAELIS apud Antverpienses PRIOR.

## AD EUNDEM.

*Lucida quæ paucis, aliis obscura reliquit*
*Carmina SCHOLIRIUS, vix quoque nota suis:*
*Inde licet similis sit Flacco vel Juvenali,*
*Vix de SCHOLIRIO fama superstes erat.*
*Attamen ILLE notis, dum per se notus ubique*
*Notior, & notum TE simul esse facit.*

JOANNES PETRUS LESCORNET J. U. Licent. & Urbis Antverpiensis à Consilio & Regimine, vulgò *Wyckmeester.*

ADM. REVERENDO AC DOCTISSIMO

# P. ALBERTO LE ROY,

ORDINIS EREM. S. P. AUGUSTINI &c.

Nob. Viri PETRI SCHOLIRII Antverpiensis Poëtæ Satyrici opera, Præclaro Commentario illustranti.

## ΣΥΓΧΑΡΜΑ.

*SCHOLIRIUS mores hominum sale mordet honesto,*
*Sive tuos, Teuto, sive, Latine, tuos.*
*Sed tamen obscuro, licèt acri & carmine docto,*
*Quod mens non quævis ingeniumq; capit.*
*Novit id ALBERTUS, cujus lux splendida, PETRUM*
*Illustrat, vario condecoratq; die.*

*Commen-*

*Commentariolis, Scholiis qui nubila claris,*
*Et tenebras, calamo lumina dante, fugat.*
*Sicq́; librum Latiâ, vix antè in Gymnade notum,*
*Conspicuum cuivis efficit esse notis.*
*Nec malè* SCHOLIRIUM, *latuit qui pluribus annis,*
*A tineis, atro vindicat atque situ.*
*Gratulor. Interea tenebras ne spargito, Mome,*
*Nobile quod prodit, nubila nescit, opus.*
*Magna molis opus, Doctum, Regale,* Σεβαστὸν:
*Lux cujus, nox est, pallide Mome, tua.*

Εἰκῆ τῷ Ἡρακλεῖ accinebat in observantiæ Συγγραφῶ
Fr. JOANNES DE LEENHEER Aug. Eximio P.M.
Provinciali Belgicæ à Secretis.

## AD EUNDEM,

DOCTISSIMI

# PETRI SCHOLIRII

Satyras, eruditis Scholiis & Notis, elucidantem.

*QUod Phœbi auspiciis doctus* SCHOLIERIUS *olim*
*Edidit, ingenii est non morientis opus.*
*Tam docto carpsit salsoq́; poëmate mores,*
*Ut Satyras Flaccus diceret esse suas.*
*Sed magis* ANVERSÆ *totiq́; patescat ut orbi,*
SCHOLIRIUS *Scholiis clarificandus erat.*
*O benè! quòd* REGEM *dederit* ANVERSA *peritum,*
*A cujus calamo robora Pallas habet.*
*Sessitat in cujus Pytho Romana labellis,*
*Cujus & ore edit Attica Musa melos.*
*Dum calamos,* ALBERTE, *tuos Regisq́; cothurnum*
*Exeris, Authori par sit ut ille suo;*
SCHOLIRIUS *per te prodit redivivus in orbem,*
REGIS *& egregio visus ovare stylo est.*
*Aptum tu genium Satyris,* ALBERTE, SCHOLIRI
*Nactus es, aut (liceat dicere) nullus habet.*
*Ne tenebris latitaret, habet te Vindice lucem,*
*Clarius & Clario Judice reddis opus.*
*Detegis historias, vatum commenta revelas;*
*Quæ referunt mores sacra, profana, refers.*
*Quæcumque Ausoniis, Belgarum aut abdita terris*
*Rara latent, calamum non latuere tuum.*

††††　　*Nil*

*Nil adeò abstrusum, cæcis tenebrisq; sepultum,*
*Quod non in lucem mente sagace trahis.*
*Sic ritè illustras Scholiis præclara* SCHOLIRI
*Carmina, quæ per te secula tarda ferent.*
*His Scholiis detecta scholis grandæva vetustas,*
*Spirat, fitq; tuis nota Thalia notis.*
*Hinc Satyris nati lætabitur umbra Poëtæ,*
*Se rursus calamo vivere posse tuo.*
*Regale est, dignumq; cedro tam grande volumen,*
*Quo tua & Authoris fama perennis erit.*
*Hæc,* ANVERSA, *præit merx mercibus omnibus una,*
*Quam tibi* REGALIS *fert sine fraude manus.*
*His caveas Scriptis illidere, Zoile, dentes;*
REGIS *quod prodit nomine, robur habet.*

Benevolentiæ affectu pangebat Fr. JOANNES HUYSSENS Augustinianus, Sodalitatis Zonigeræ Lovanii Orator.

## APOSTROPHE GRATULATORIA
AD MAGNUM VIRUM

# PETRUM SCHOLIRIUM

DE ADEPTA NOMINIS SUI IMMORTALITATE,
Per eruditissimum Scholiasten R. P. ALBERTUM LE ROY Ord. Erem. S. Augustini.

INCLYTE VIR *numquam nobis* SCHOLIERIUS *esses,*
*Ni tibi tam felix* REX SCHOLIASTA *foret.*
*Te facis obscurum, quondam brevis esse laborans:*
*Nunc, quod non fueras factus, es id quod eras.*
REX *dimetitur longum, latum, atque profundum,*
*Arcta quod in puncto vestra Thalia stitit.*
*Illa Thalia quidem fuerat doctissima; sed Sphinx.*
*Gratulor:* OEDIPODEM *plectile Carmen habet.*

Accinebat utrique devotissimus F. BERN. DESIRANT, in Lovaniensi Gymnasio S. T. Professor.

## DE UTROQUE EORUNDEM,
# AD ANTVERPIAM.

A*Usoniæ ingenio claros miramur alumnos,*
*Appula quos tellus, Tuschia, Roma tulit.*

*Laus*

*Laus tibi non minor est*, ANTVERPIA, *quando tuorum*
*Italiâ, studiis, desinis esse minor.*
SCHOLIRIOS *in te* VENUSINOS *Musa secundos*
*Extulit, haud prisco cedere docta sali.*
*Non opus est verbo, primordia perlege, dices:*
*Multum instar* FLACCI, *vel* JUVENALIS *habet.*
*Attamen hac stricta phraseos sub nocte lateret:*
*Ni nova* REGALEM *dextra tulisset opem.*
REGIA *dextra tulit*, *Fratremq;*, ANVERSA, *celebrans,*
*Maternum studuit amplificare decus.*
*Ad trutinam dum quippe vocat monumenta* SCHOLIRI,
*Doctorum trutinam non sine laude subit.*
*Aptiùs an quisquam declaret mystica Vatis,*
*Quàm qui post Vatem Vatis inivit iter?*
*Invisit Romam Campanaq; littora Baias,*
*Et qua Miseni viscera clausa tegunt.*
*Hinc Itala que describit miracula terra*
SCHOLIRIUS, *fracto cortice, lumen habent.*
*Sparge igitur radios, animosa* ANVERSA, *per orbem:*
A REGE *in* PETRUM *vita regressa tuum.*
*Alter ab alterius superabit secula luce:*
*Lux utriusque tibi fama perennis erit.*
*Vosq; Itali & Belga ne spernite dona duorum:*
*A* REGIS *geminum nomine splendet opus.*

Observantiæ studio Fr. THOMAS MELYN Gymnasii Litterarii S. August. Antverpiæ Præfectus.

# V. N. PETRO SCHOLIERIO

## EQUITI ET SENATORI ANTVERPIENSI,

## Ad Sermones suos familiares, ceu nodos Regios, Regium Oedipodem nacto.

OPus, SCHOLIRI, REGIÒ *metro exstruis:*
*Quodcumque pangis versibus* REGEM *sapit.*
*Amica sive ludis, aut sale infricas,*
*Regale totum est*, REGIO *natum stylo.*
*Sed quidquid in te* REGIUM, *est nodus simul:*
*Solvendus uni* GORDIUS REGI. *Ast opus*
*Non est* MACEDONE; *solvit* ALBERTUS. *Stupes?*
*Scholia* SCHOLIRII *facere*, REGIS *est opus.*



# PETRI SCHOLIRII
## ANTVERPIENSIS,
# SERMONUM FAMILIARIUM
## LIBER PRIMUS.
## PROECTHESIS
### *AD SERMONEM I.*



ROBERTUS TUCHERUS. Roberti & Isabellæ Schetz F. Antverpiensis, equestribus ac pervetustis apud Noricos imaginibus illustris; quamvis ætate jam maturior, multa eruditione exasciatus, senatoria dignitate quasi emeritus (verum Patrem Antverpiæ ac Optimum Cos. XII. postliminio suspexit) non ita pridem ductâ Prænobili Virgine Maria Berchemia, Antonii Equitis & Cos. ac Annæ Halmaliæ, primarum apud nos gentium sobole, maritus: Lovanii equidem, in amplissimo disciplinarum stadio, tamquam novus post vetera certamina pancratiastes, Legum lauream (incertum quo consilio) affectabat. Quo tempore Poëta noster Norico itidem stemmate nobilis, Patriâ Antuerpiensis, prolyta, conjugatus, ad veteres Musas post lustratam Italiam redux, sedem ibidem fixerat, electa habitatione in Prætorio, quod *places* vulgus nominat, ac ab ipso celebratur sermone 10. Hic suarum partium fore ratus, Viro quondam à studiis sodali, civi ac æquali, honorem quem adibat, palàm gratularii aliquot elegos extemporario calore in publicum protrusit, à vena quàm ab eventu ominatiùs. Carmen enim istud non perinde ab omnibus acceptum, apud alios operæ pretium plausum reperit, apud alios pro thesauro, ut aiunt, carbonem; immò prunam candescentis invidiæ, in aculeati styli & manus supplicium. Quippe superstitiosos quosdam Aristarchos, obeliscis armavit primorum versuum jocus, quo sodalem specie tenus dehortatur ab instituto, luditque non nisi per tetricas & pueriles scholæ affanias iter patere ad laureolam: postetioribus tamen semet ipse corrigit, palinodiam canit, ac demum, quod antè damnaverat, amico consilium gratulatur. Quo genere recantationis non contenti unus & alter pædotribarum, quibus ægrè portabatur expensum gravitatis suæ pondus, mox Hellade tota pubis palestricæ, in belli societatem contractâ, papyraceum ac monophyllinum hoc Ilium communibus armis incursaturi ibant: adeò ut tanti moliminis apparatu perculso vati, licet antè principum seniorumque Areopagitarum notis absoluto, necesse fuerit ad incidendam litem, de declinando foro circumspicere. Ipse de hac re canit in M.SS. lib. 2. Heroic. ỷ.740.

*Hæc mihi pro longo redduntur amore? Licebit*
*Declinare foro; nec contradictio: namque*
*Nemo potest Iudex in caussa proprius esse;*
*Et valet in toto, quod jam antè in parte valebat.*
*Dicit Apostolico Bruxellis Nuntius ore*
*Iura suis; Præses vel Cancellarius istis*

*Casibus internis; quorum me fisto paratum*
*Curia, ut absurdè pateat reprehensa Thalia,*
*Ne tamen insontes elata parte premantur,*
*Nec premat exemplu manifesta calumnia natos;*
*Interpello tuum, RECTOR IUSTISSIME, munus:*
*Interpello humeris qua rubra insignia vestris,*
*Salvo jure fori: pro obtusis hactenus actis*
*Postulo demeritis istis, pro talibus ausis,*
*In pœnam dupli damnari posse petitis.*

Inde ut à Musis alienior, à scribendo tamen manum non abstinuit, sed duos heroicorum libros, ex quibus jam allata deprompsimus, evigilavit: primum de laudibus Athenæi Lovaniensis, erectione Collegii Myliani, Illustrissimorum Fuggerorum Consiliis, aliisque huc spectantibus, pro ut pridem usu venerant: cujus initium, placandis animis adversariorum suorum, seriò scriptum sic sonat:

*Ille ego qui, quondam gracili modulamine claros*
*Offendi gravitate viros, timidosque vocavi*
*Egregios legum dominos, sine crimine mentis:*
*(Incautis sua culpa tamen) nunc versibus almam*
*Doctorum celebro classem, qui mille virorum*
*Pectora clarorum Belgis, tot in urbe Senatus,*
*Consilii totidem Patres toto orbe superbos*
*Fœcundo genuere sinu; pariuntque quotannis*
*Indefessi oneris centena in secula fœti;*
*Eauctamque fovent sobolem, monitisque revisunt*
*Sæpe suis; si quando imo res ardua casu*
*Incidit, hi referunt libris, noctesque diesque*
*Invigilant, patriis ut leges legibus aptent,*
*Iussa ducũ inculcent, consuetaq; moribus æquent.*

Alterum de rixa jam memorata, quo ferocioris cujusdam Menecratis furias graphicè describit, cui legum alumnus ipse, annos ante decem, convixerat. Hic quod se dentatâ phyllirâ rosum conjectabat, ob fastum quem uno alterove cum collega, prærer morem ceterorum, & hodiernum, præferebat; flammam, instar Erynnios, inter omnes spargere perdurabat; plerisque nihilominus secundùm argutias Poëmatii decernentibus. Opusculum enimvero conditum melle ac sale, quod nisi passim proderet actores fabulæ, lucem, quam ab auctore merebatur, minimè per auctorem effugisset. Hoc quia visum non est, primum hunc sermonem extare voluit, ut posteris innotesceret, in arce etiam Palladis & Musarum, sacris vatibus quandoque à sycophantiis, per ipsas Deas inultis esse licuisse. Tu Lector Philomuse, quò pleniùs eum capias, elegiacon ipsam belli Helenam, quemadmodum ante annos sexaginta & quod excurrit, editum fuit; nobis verò ex Musæo prænobilis, eruditi ac consularis viri felic. Memor. Francisci Paschasii vanden Cruyce, Equitis, Toparchæ d'Arsselaer & Cleydael &c. ad usus publicos humanissimè suppeditatum, totidemque verbis hic subjectum, sine supercilio non sine Gelasino decurre.

NOBILI VIRO

# ROBERTO TUCHERO

ANTVERPIENSI,

## ANTVERPIENSIS LAUREAM

GRATULATUR.

*Tempora tam serâ tua quid velare coronâ*
*Aut subit, aut quæ te noctis imago regit?*
*Quid libet in vanas animum contendere curas?*
*Quâ juvat ad puerum mente redire virum?*
*Est tibi sponsa domi; pandecta invisa puellis.*
*Non istis studiis conciliatur amor.*
*Sputasti (memini) leges puerilibus annis:*
*Et faber & pepo & notus Jason erat.*
*Calvus es ignoscas (neque id æquâ mente tacerem)*
*Sufficit ad magnos pravia cura gradus.*

Pandecta gen. Fœmin. cum Budæo, alioquin est masculini apud alios.

Quem

*Quem reliqui ob titulum magnis conatibus ardent,*
*Is datus urbe tua est jam tibi nuper honos.*
*Rideo si titulum, pariter si commoda spectes:*
*Exspectas multa, & multa relicta tibi.*
*Volve animos* TUCHERE *tuos; namque ultima primis*
*Cedunt; caussidicus, qui modò præses, eris?*
*Si quoque defuncti nulla est tibi cura parentis,*
*Vincaris Dominæ quæso favore tuæ.*
*Quam juvat & crista, & lateri sociabilis ensis:*
*Congrua plebeis laurea docta comis.*
*Forte Magistratus quæ sit sententia quæris?*
*Aptiùs ingenio quàm putat arte regi.*
*Te, socerumq; tuum jam pridem* ANTVERPIA *novit;*
*Et genere & genio cujus in ore vales.*
*Si solidè inspicias, urbs est dignissima Belgij;*
*Dignior in digna parte præesse solet.*
*Tu præs, & dignè; nihil hic quæsiveris ultra:*
*Est aliis aliis fama paranda viis.*
*Fingere qui poteris tot verba carentia mente?*
*Doctores primos fingere honore viros?*
*Sistes te tumidis (res est odiosa) magistris;*
*Qui plus te norint unus & alter erit.*
*Qui poteris tetricas audire ac reddere voces,*
*Supplex concilio quando futurus eris?*
*Quid petis? Admitti. Studuisti? Olim tribus annis.*
*Sub quo? Sub Titio. Vade, rogabo meos.*
*Non pudet, ac metuis toties venerando precari?*
*Justa juventuti tædia sæpe movent.*
*Non piget, ac spernis ridentibus oscula palmis,*
*Dissimilesq; viris dissimulare modos?*
*Volve animos,* TUCHERE, *tuos; ego sim tibi tanti.*
*Hei mihi quod nemo serius auctor erat!*
*Hæc ego ludebam placidè, metroq; struebam*
*Materiâ vires exacuente meas.*
*Ecce mihi misero, portâ clausisq; fenestris,*
*(Tam citò plectuntur crimina) Pallas adest.*
*Non velut extremis errabat collibus Ida,*
*Cum Pastor forma jura daturus erat.*
*Non velut Argolicis quondam fumantibus aris;*
*Non velut arce sua Pieridumq; choris.*
*Dira sed aspectu, stridore simillima Diris;*
*Ipsaq; stridebant arma furore deæ.*
*Flammea verba sonans, violentâ ebullit irâ,*
*Qualis in exitium, Troia cruenta, tuum.*

*Insuper hasta manu rutilantis fulminis instar;*
*Hac, inquit, meritis digna, Poëta, tuis.*
*Siccine quem cautè nostra medicavimus arte,*
*Redditur incauto saucius ore tuo?*
*Sic laceras doctos? Doctores despicis: ipsis*
*Si non finieras exagitandus eras.*
*Haccine concivi, noto, studiisq; sodali?*
*Pœne tibi à puero cognitus ille puer?*
*Aut citò scribendi indignus spoliaberis arte:*
*Aut hac inverso carmine suasa canes.*
*Scilicet hac teneras credis curare puellas?*
*Materiam quamvis fœmina laudis amat.*
*Calvet, & hoc fateor; naturâ non tamen annis:*
*Utque senex, numquam est, ad bona, tarda via.*
*Sistere se claris res non onerosa Magistris;*
*Vidimus & magnos cedere sæpe duces.*
*Quàm varii, titulo spreto, caruêre favore?*
*Quàm varii tituli jure favore valent?*
*Pœnituit multos humiles risisse scholares;*
*Sæpius ad magnum Laurea fertur opus.*
*Dic quid ad hac? Quid ais? Quin hac modò versibus ornas?*
*Non satis utilitas est tibi nota viri.*
*Di voluere ipsum fatis melioribus ortum;*
*Ipsius elato volvitur axe rota.*
CONSUL *adhuc vobis, lux, præsidiumq; futurus;*
*Munere quo functo consiliator erit.*
*Cetera subticeo. Quid ad hac meditaris? Et ipse*
*Est socer in sacris, Frater & esse cupit.*
*Mente Magistratus desistas urbis abuti;*
*Qui bene (vel nusquam) legis ab arte regit.*
*Va tibi tu nigra dicebat cacabus olla,*
*Ipsemet ad studium post duo lustra redis.*
*I nunc & seros seris rationibus urge,*
*Noxius est aliis qui sibi damna parat.*
*Peccasti graviùs; vix excusabilis error;*
*Ni calamo repares, horrida, juro, feres.*
*Sic Dea: nec potui quidquam: sic fata recessit:*
*Frigidior glacie & semisepultus eram.*
*Hei mihi quid feci! Qua culpam vota piabunt?*
*Offendi Numen quod pietate colo.*
*Jussa mihi, & merui, palinodia: Numina testor,*
*(Erravi) ingenio crimen abesse meo.*
*Peccavi fateor: sit pœnituisse piamen:*
*Qui dolet, erroris jam quasi labe vacat.*

His

*His licèt admißis, animi cruciatibus angor:*
*Sum tamen instantis latus honore Viri.*
*Restat ut ex animo, quæ spondet præmia virtus,*
*Gratuler: ex animo gratulor omne bonum.*
*Gratulor & fatum, Dominamq; & laurea serta:*
*Et si quid supra est, gratulor omne tibi.*
*Gratulor ipse mihi tua laurea serta, tuisq;*
*Inde tibi Socerum, te Soceroq; tuo.*
*Nympha tuo monitu sumus hæc ventura locuti;*
*Perge precor celeri dicta probare fide.*
*Tu quoque, si quis adest, experto crede* ROBERTO:
*Præstat quàm numquam tardiùs esse virum.*

P. S.

# SERMO I.
## IN MUSAS.

ARgum. Palladem & Musas valere jubet, quod in ipsarummet domicilio, de carminis dicacitate immerenter postulatus, multas sine vindice molestias sustineat: animum proinde, aliquot scriptorum exemplis, à satyrarum scriptitatione deterritum, ad hortensia studia & venatum transfert. Verùm intercedit Apollo, increpitisque Musis, partes utrimque conciliat, seculi fucos aperit, & assertâ Poëtis priscâ castigandi potestate, solam prudentiæ cautelam in eâ exercendâ commendat.

SUBSANNATE *pares vobis, vel qui meruere*
*Vates, Castalides, qui mendicare Sorores*
*Constringunt Bromio, qui sunt ignominiosæ*
*Fautores culpæ, qui cudunt falsa; Minervæ*

1. SUBSANNATE.] Irridere cum sanna, de qua vide infrà ỽ. 85. PARES VOBIS] Vates seu Poëtas de vulgo, ut estis vos. Infrà *Pindi in vertice vulgus* audiunt ỽ. 65. Trivialis rejectio: *Age cum paribus, ride, vel pete tui similes*: quâ contentionis filum incidimus plerumque, cum insigni contemptu adversarii. MERUERE.] Malè agendo vel scribendo.

2. CASTALIDES] Musæ. Castalides, Pierides, Aonides, Aganippides, Pegasides, & alia sexcenta, vel pueris nota sunt: satis sit, hìc & alibi, ad ea tantùm digitum intendisse, ut parum memori revigescat memoria. MENDICARE.] Turpiter servire, adulari, parasitari. SORORES] Musas, artem poëticam.

3. BROMIO.] Baccho. Fortè allusum ad vernaculum isthoc nostrum *brem* aut *brommen*, quod epulationem & ingluviem parasiticam denotat. *Bromii* nomen Baccho tribuitur à fremitu Bacchantium, vel à vociferationibus ebriorum, vel uvas calcantium in torculari. Quidam apud Del Rio in Senec. Oedip. ỽ. 492.

*A strepitu Bromius, quod vociferetur Iacchus,*
*Quod curis solvat corda, Lyæus erit.*

Baechi nomina habes apud Ovid. Met. 4. ỽ. 11.

4. FAUTORES CULPÆ.] Palpando, non arguendo, penitus silendo, aut fortè defensando, mores pravos. CUDUNT] Metaphoram vide init. serm. seq. ad *incude & follibus*. FALSA.] Falsas censuras & criminationes. Tacitè sua laudat ab æqui verique studio.



5. PA-

*Parentem imperio non me: & tu, perfida Pallas,*
*Vive, valè; satis est Divas novisse; deinceps*
*Nil mihi vobiscum: sunt rustica numina nobis,*
*Atque potestates herbarum, amesque Dianæ;*
*Queîs ego devovi, tabulis ad Apollinis aram*
*Omnibus appensis, quidquid dabit Atropos ævi.*
*Nam quid rancidius, quàm me Tritonidis hastâ*
*Carmina vertentem, bis, terque, quaterque vicissim,*
*Parte Facultatis, Rectoris parte citari;*

5. PARENTEM.] Obedientem, & dicta retractantem. PERFIDA.] Mihi parum fida, per quam licet adversariis meis impunè me traducere. PALLAS.] Scientiarum, artium liberalium, & Gymnasiorum ad cultus animi præses, uti Mercurius generatim omnium. Inde Hermathena signum Mercurii & Palladis in Academia Villæ Tusculanæ Ciceronis, de qua ipse lib. 1. ad Att. Epl. 1. & 2. *Turneb.* l. 8. c. 24.

6. VIVE, VALE.] Sic Flaccus l. 1. Epl. 6. ℣. 67. Numicium valere jubet, sed seriò & benè precando: hìc autem repudiantis, non bene precantis vox est: Catul. ad Fur. & Aur. ℣. 17.

*Cum suis vivat, valeatque Mœchus.*

DIVAS] Palladem & Musas. NOVISSE] Quam scil. parum tueantur suos vates.

7. SUNT RUSTICA &c] Hortum colam, noscendis herbarum virtutibus, ac venationi operam dabo. Ovid. Met. l. 1 ℣. 192.

*Sunt mihi semidei, sunt rustica Numina.---*

Musarum desiderio remedium præscribit, ut Amori Naso: de remed 1. ℣. 192.

*Rura quoque oblectant animos, studiumque colẽdi:*
*Quælibet huic curæ cedere cura potest.*

8. POTESTATES] Virtutes, efficientiæ cognoscendæ. Virg. Æn. 12. ℣. 396.

*Scire potestates herbarum, usumque medendi*
*Maluit.-------*

AMESQUE] Arma aucupatoria. *Ames* Hadr. Junio, pertica aucupalis tendiculam sustentans: hìc ad quævis instrumenta venatoria extenditur. DIANÆ.] Quæ venantibus præest.

9. TABULIS.] Chartis, Libris. Olim inscribebant tabulis ligneis, cereis, lapideis, æneis &c. non secus quam nos modo Chartæ. Sensus est: abjectis studiis litterariis.

10. APPENSIS.] In morem eorum, qui se artis exercitio abdicant, quibus solenne artis instrumenta diis præsidibus suspendere. Virg. Ecl. 7. ℣. 24.

*Hic arguta sacrâ pendebit fistula pinu.*

Horat. l. 1. Epl 1. ℣. 4.

*-----Vejanius armis*
*Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.*

Et lib. 3. Od 26. ℣ 3.

*Nunc arma defunctumque bello*
*Barbiton hic paries habebit.*

QUIDQUID ATROPOS &c.] Reliquum vitæ. *Atropos* una Parcarum, quæ vitæ humanæ stamina dispensare creduntur.

11. NAM QUID RANCIDIUS.] Putidius, insulsum magis, intolerabilius: ex Juvenale sat 6. ℣. 184 TRITONIDIS HASTA.] Supple ictum vel territum. Canit enim elegiacon ℣. 55.

*Insuper hasta manu rutilantis fulminis instar:*
*Hac, inquit, meritis digna, poeta tuis.*

Ovid. Amor. l. 3. ℣. 28.

*Nos petit invicta Palladis hasta manu.*

Hasta uti proprium Palladis gestamen, ita & olim regibus & principibus in usu, armorum & imperii summam fuisse, ex Sext. Pomp. docet Rhodig. l. 21. cap. 16. *Tritonia* Pallas à palude apud quam educata, aut à lacu unde Triton amnis defluit, apud quem in habitu virginali primùm conspecta.

12. VERTENTEM] Invertentem, dicta recantantem sub persona Palladis. BIS TERQUE] l. 2. Heroic. de quibus suprà in procthesi extat sic:

*Ergo improvisò totius nomine juris,*
*Uno eodemque die bis, terque, quaterque vicissim,*
*Parte facultatis, Rectoris parte citamur.*

VICISSIM] pariter, per facultatem & Rectorem.

13. FACULTATIS] Collegii seu senatus Doctorum juris, qui juventutem legibus operam dantem

*Primorum veluti ſententia lata locorum*
*Judice me in dominos; manibus poſt terga retortis*
*Otia ſectari vos, nec rumore cieri?*
*Magna propinquorum ſi quando nata ſimultas*
*Nota ſuis Laribus, facili quæ prompta propinqui*
*Componi arbitrio; vitio ſi quiſque teporis*
*Ingenuam detrectat opem; gaudetque perennes*
*Conturbari animos, & creſcere ſanguinis æſtus;*
*Navigat extenſis, ſic fota injuria, velis.*
*Non mea res agitur, quamvis mea, ſed tua, Nympha,*
*Veſtraque, Pierides: generis finxiſſe Deorum*
*Doctores potui, atque ipſis præponere Muſis:*
*Non ea mens tibi, Pallas, erat: paremus ad unum*

dantem moderantur. RECTORIS] Cui ſupremus in rep. Academica Magiſtratus, ſed ſemeſtris, ut fere Romanorum Dictatura. Poteſtates ejus & honores diſce apud J. Lipſium lib. 3. Lovanii ſui cap. 3. & alios. CITARI] In jus.

14. VELUTI] Ac ſi foret me judice pronuntiatum contra Dominos PRIMORUM LOCORUM] Primi ſubſellii judices.

15. POST TERGA RETORTIS] Otiantium & lentè ambulantium more: iis enim frequens, manus ad tergum retorquere, dum ſtant aut, fallendi otii gratiâ, loca publica identidem inambulant, ſecuri eorum quæ dicuntur aut aguntur, quaſi ſuâ nihil interſit ea reſcire. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 2. ℣. 33.

*---Manibus poſt terga retortis.*

16. SECTARI NEC CIERI] Supple decet, vel oportet, quæ reticentur per Ellipſin. Virgil. Æneid. 1. ℣. 41.

*----Mene incepto deſiſtere victam?*

17. MAGNA PROPINQUORUM &c] Comparatio cum diſſidio familiari inter propinquos, quod niſi ſolertiâ arbitri cujuſpiam ex eâdem familiâ intercedentis, ſub initia componatur & extinguatur, mox ſimultatis flamma tectum ſuperat, & cum infamiâ partium per vias & compita propellitur.

19. ARBITRIO.] Judicio honorario, ſeu ſententia arbitri in hanc rem à partibus electi.

20. GAUDETQUE PERENNES] Polyſyndeton Poëtæ noſtro perquam familiare; ut ordo ſit: ſi detrectat opem ferre, gaudet & perennes animos conturbari, & æſtus ſanguinis creſcere.

22. NAVIGAT EXTENSIS &c] Summa velocitate propellitur, non ſecus quam navis omnibus velis extentis. Syneſius in Dione apud Eraſmum in Chiliadibus: *non pedetentim, ſed velis omnibus.* Cicero pro domo ſua ad Pontifices c. 24. *Pleniſſimis velis.*

23. NON MEA RES.] Quia veſtra: auſpicibus enim Muſis panguntur Carmina. QUAMVIS MEA] Qui carminis auctor ſum, ideoque malè habeor: NYMPHA.] Dea, Pallas, cujus eſt viris ſapientibus adeſſe, ne vel in propria cauſſa delirent.

24. PIERIDES.] Muſæ. GENERIS FINXISSE DEORUM &c] Vehementiùs & hyperbolicè, ſeu ſupra fidem eos laudaſſe. Veteres gentium ſuarum primordia à Diis vel Heroibus deducere gaudebant.

25. DOCTORES] Utriuſque juris, quos incautè, ſed ſine mentis crimine offendi. Ita enim ſupra in proectheſi ſemet ipſe purgat.

26. NON EA MENS TIBI PALLAS] Optimè: id enim cum ſapientia pugnaſſet, cui falſa & immodica laus pro vituperio. Nam ut rectè tritum iſtud: *Sapiens dum laudatur in ore, flagellatur in mente.* PAREMUS.] Minis & haſtâ territi, juſſa tua promptè capeſſimus. AD UNUM] Verſibus omnibus ad unum uſque, in contrarium ſenſum commutatis.

27. VER-

*Versibus inversis; num plus quàm vota reposcis?*
*Juro, puellarum potiùs curabo cerebro*
*Phasmata, & Anticyræ medicabo inglorius arte*
*Bile laborantes; adytis, Heliconius, ipsis,*
*Quàm me rideri patiar Tutricibus ipsis*
*Immeritò. Pecco quia doctum confero doctis?*
*Lædóne quando dico, Professi grandia turgent?*

27. VERSIBUS INVERSIS] Canendo palinodiam primorum versuum, qui bilem doctoribus ciere poterant. Auctor lib. 2. Heroic.

*Siquid inest bilis, minuit palinodia virus.*

PLUS QUAM VOTA &c.] Serium desiderium damni resarciendi, & pœnitentiam dicti. Quoties enim ad finem carminis, ut pareat Palladi, non dicit se peccasse Poëta?

28. PUELLARUM CEREBRO &c.] Spectris, nocturnisque apparitionibus obnoxio, ex humorum abundantia, & diurnis cogitationibus melancholicis. Solet enim illis, maximè amantibus vivacior esse imaginatio. Sententia est: scribam potiùs fabellas amatorias, qualis Amadeus ille, ut inquit Lipsius ad lib. 1. Politic. c. 10. ingeniosi nugatoris proles; quò mentem occupent, & avertant à cogitationibus valetudini & quieti noxiis. PHASMA] Visum, spectrum &c.

29. ANTICYRÆ] Insulæ admodum feracis ellebori, qui atram bilem & Melancholiam purgans, remedium est insaniæ. Inde proverbii origo: *Navigare Anticyras*. Illic enim ut auctor est Plinius lib. 25. c. 5. elleborus tutissimè sumitur. Horat. l. 2. Sat. 3. ℣. 82.

*Danda est ellebori multò pars maxima avaris:*
*Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.*

Et de arte Poët. ℣. 300.

*----tribus Anticyris caput insanabile.---*

30. BILE LABORANTES] Atra bile, quæ hominem commoto & perturbato animo in furias rapit. Ab Hercule Herculeum morbum prisci dixerunt: quo respexisse volunt Virgil. l. 8. Ænei. ℣. 219.

*----Alcidæ furiis exarserat atro*
*Felle dolor-------*

Aristoteles in problem. sect. 30. quærit: *Cur homines qui ingenio claruerunt, vel in studiis Philosophiæ, vel in Republica administranda, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus, & alios, ita ut etiam vitiis atræ bilis infestarentur, ceu inter Heroas de Hercule traditur?* Præclarè La cerda de hoc argumento in 8. Æneid. Virgil. HELICONIUS.] Ego Poëta castris Heliconiis auctoratus, & Musarum sacris devotus. *Helicon* prope Phocidem mons Camœnis dicatus. ADYTIS IPSIS.] In ipso Parnasso seu Lycæo Grudio, ubi artes omnes & disciplinæ perdocentur.

31. TUTRICIBUS IPSIS.] Ab ipsis Musis facultatum omnium præsidibus.

32. IMMERITÒ] Præter culpam meam, sine crimine mentis. PECCO, QUIA DOCTUM CONFERO DOCTIS?] Comparaverat Tucherum cum ipsis Doctoribus, extollendo singularem viri eruditionem, non extenuando gloriam eorum, qui alios tales formant. Nec temerè: doctissimus enim erat ille, etiam quando adolescens Musis ac Legibus cùm in Patria, tum Lovanii operam dabat, ac jam tunc eo nomine apud Belgicam & externam nobilitatem ac juventutem inclaruerat, ut verissimè & citra adulationis fucum cecinerit Scholirius Elegiaci ℣. 7.

*Sputasti (memini) leges puerilibus annis:*
*Et Faber & Papo & notus Iason erant.*

Quid igitur mirum, si jam Magistratu patrio, & usu decennali exercitum, adeo commendat à Doctrina, ut duos trésue Lovanii Doctores ipsi vix anteponat? Canit enim Eleg. ℣. 32.

*Qui te plus norint, unus & alter erit.*

Nemo quippe injurię dederit Doctoribus Lovaniensibus, viris licèt undiquaque eruditis, & per orbem clarissimis, si conferuntur cum aliis, qui vel ibidem, vel alibi terrarum, magnam ætatis partem Thoriæ ac juris praxi cum laude consecrarunt, licèt nullis Academicorum, ut vocant, graduum titulis insigniti.

33. PROFESSI GRANDIA TURGENT.] Quod dixit Eleg. ℣. 31.

*Sistes te tumidis (res est odiosa) Magistris.*

Doctores enim reverendam discipulis, & spectabilem morum gravitatem jure præferunt, grandia

*Nota parœmia: vel si inflare scientiam? Habentur*
*Scrupea, quæ afficiunt; denodes, protinus ornant.*
*Esca hæc litigii? Cæsar non sic sua jura*
*Dilapidanda dedit: de lanâ, pœna, caprinâ,*
*Codice, disparibus. Libertas aurea Vatum*
*Tuta sit in terris; aut vos componite cælo*
*Intrepidos versus, mutilatæ & psallite turbæ.*
*Ut taceam egregios, quos est cohibere, Magistros,*
*Non me, pro innocuo, trepidans responsio Schori*
*Territet, Erycio, vehemensque erroribus ira?*

dia scientiarum nomina professi, tam ob sacri Magisterii auctoritatem, quam ob incomparabilem eruditionem, quâ sui quilibet Parnassi Apollines habeantur. Ne tamen fraudi foret dictum aliquantò liberius, palinodiâ mitigandum censuit ℣. 69. Elegiaci.

*Sistere se claris res non onerosa Magistris.*

34 NOTA PARŒMIA.] Adagium ex sententia D. Pauli Epl. 1. ad Corinth. c. 8. ℣. 1. *Scientia inflat, charitas autem ædificat.*

35. SCRUPEA] Aspera, scabra. Scrupi propriè lapilli, qui pedum offendiculo, gressum detinent: per translationem nodi vel ænigmata, aut argumentum quodvis obscurius, quod intellectum remoratur. AFFICIUNT] Offendunt, vel potiùs putantur offendere. DENODES] Nodos, aut scabritiem tollas, læviges, complanes. Sententia est: quæ prima fronte lectionis apparent aspera, aut ferientia; si penitiùs inspiciuntur, & commodum nanciscuntur interpretem; non tantùm non offendunt, sed & orationem illustrant, & lectores oblectant. Sic adamas rudis & impolitus, intuentibus displicet; denodatus & lævis, omnium rerum ornat maximè.

36. ESCA.] Fomes, materia. CÆSAR] Divus Justinianus, qui variè dispersas Imperii leges, operâ præstantissimorum Jureconsultorum, sub diversis librorum titulis, in unum corpus redegit; quod hodie complectitur Institutiones, Pandectas seu Digesta, Codicem, Novellas &c.

37. DE LANA CAPRINA] De re frivolâ, qualis caussa, quam contra me actitant. Proverbium vetus ab historia, vel fabellâ duorum pervicaciter inter se colluctatorum, lanásne haberet caper an setas? Horat. l. 1. Epl. 8. ℣. 15.

*Alter rixatur de lanâ sæpe caprinâ.*

PŒNA] Molestia, labor, negotium, rixa: subaudi *est*: id est, anxiantur, torquent invicem se, rixantur.

38. CODICE] Interpretatione Codicis Justinianæi, qui constitutiones imperiales in XII. libros sectas complectitur. Hic autem pars, pro toto juris Romani corpore usurpatur.

39. CÆLO] In Cælo, ubi nullam hominum offensam pertimescatis.

40. INTREPIDOS] Tutos ab offensâ & violentiâ eorum, qui se rosos indignentur. MUTILATÆ TURBÆ.] Quæ se mutilatam, vel læsam opinatur, & numero contra me prævalet; cietque tumultus, magis impetu, quàm ratione metuendos.

41. UT] Quamvis. QUOS EST COHIBERE] Qui veniunt sub censuram Poëtarum, non secus quàm omnes alii.

42. TREPIDANS RESPONSIO] Tremula & malè cohærens, ob metum sicariorum minaciter interrogantium. SCHORI] Ludovici. Viri apud Grudios clarissimi & Consularis, stemmatum vetustate prælustris, quem plebs patria nigri cognomine, à capillitio designabat.

43. ERYCIO] Puteano, Regio Historiographo, magni Lipsii successore, arcis Lovaniensis præfecto, scriptis celeberrimo, de bonis litteris optimè merito, intimoque Scholirii amico. Hic falsò credebatur conscripto virulento libello, cui nomen *Corona Regia*, ac sine auctoris nomine divulgato (Isaacum Casaubonum scripsisse fama est) magnæ potentiæ in Europa Principem suggillasse; quod scelus dum vindicatum eunt clandestini sicarii, quibus de facie notus non erat

*Conjugii Eupolidi nox prima, novissima vitæ:*
45. *Exulat, ut reliqui, liber Naso, & Juvenalis:*
*Esse meræ constat, placuit si Euphormio, sortis.*
*Suggeritis Satyras; noli me tangere: scribam.*

Puteanus, nobilem virum Ludovicum Schorum, cultu & barbâ Philosophum, Erycio non prorsus absimilem, ad muros urbis Lovanii, viâ quæ Mechliniam mittit, strictis mucronibus aggrediuntur, & latinè nomen sciscitantes, præsentem viro mortem intentant. Verùm ex sermonis barbarie, quâ trepidus ille, & non admodum latinè doctus, cespitabat; subolentes non esse Puteanum quem petebant, innoxium sine vulnere dimiserunt. VEHEMENSQUE ERRORIBUS] Violenta, & vehementer accensa, ex falsa opinione, quâ calumniarum auctorem credebant Puteanum.

44. CONJUGII EUPOLIDI] Eupolis priscæ comœdiæ scriptor Græcus, vitia hominum notabat multa cum libertate. Horat. l. 1. serm. 4. ỷ. 1.

*Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesq; Poetæ,*
*Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est;*
*Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,*
*Quod Mœchus foret; aut sicarius, aut alioqui*
*Famosus; multa cum libertate notabant.*

De morte illius non convenit inter scriptores: alii bello Laconico militantem, naufragio periisse in Hellesponto (unde decretum referente Suida, amore Eupolidis, ne postea Poëtæ militarent), alii in mare projectum, ab iis in quos Baptas (fabulæ nomen vult esse J. Cæsar Scaliger Poët. l. 1. c. 27. tribuitque Cratino) scripserat: alii inde eluctatum: alii in Ægina mortuum contendunt. *Ger. Ioes. vossius* de Poët. Græc. c. 6. *Magius*, *Domitius* & alii primâ nuptiarum nocte, thalami ruinâ unà cum conjuge extinctum fuisse produnt: id tamen negat Plautius de Eupolide comico. Quidquid sit, certè Ovid. In Ibin. ỷ. 529.

*Sit tibi conjugii nox prima novissima vitæ:*
*Eupolis hoc periit, & nova nupta simul.*

In quem locum nuper Cnippingius: *Eupolis veteris comœdiæ scriptor apud Græcos, ductâ uxore Glycerio, prima nocte mortuus inventus est unà cum puella.*

45. UT RELIQUI] Viri docti, fortes, triumphatores, scriptores &c. ut Cicero, Montanus, Vatienus, M. Æmilius, Scipio Africanus & alii quos recenset Ravisius Offic. l. 3. c. 14. LIBER]. In scribendo. NASO] Ovidius qui quòd Augustum Cæsarem scriptis offenderat, ab eo relegatus est ad Euxinos. Exilium suum celebrat libris Tristium, & de Ponto. Ejus geminam caussam prodit lib. Trist. 2. Eleg. 1. ỷ. 207.

*Perdiderint cum me duo crimina, carmen & error;*
*Alterius facti caussa silenda mihi.*

JUVENALIS] D. Junius, qui in Paridem pantomimum Domitiani Cæsaris invectus Sat. 7. ỷ. 90.

*Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos,*
*Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?*
*Præfectos Pelopeia facit, Philomela tribunos.*

per honorem militiæ, octogenarius ad præfecturam cohortis, in extrema parte tendentis Ægypti, dimissus, tædio & angore periit. Existimant alii eum tempore Domitiani non scripsisse, & vitam extendisse usque ad Traiani, imo fortè, ut videtur Lipsio Epist. Quæst. l. 4. Epl. 20. Hadriani Imperium. Ut ut est, exulum Nasonis & Juvenalis meminit Sidon. Apollin. Carmin. 9. ad Magn. felicem ỷ. 266.

*Non qui tempore Cæsaris secundi*
*Æterno incoluit Tomos reatu,*
*Nec qui consimili deinde casu*
*Irati fuit Histrionis exul.*

46. MERÆ SORTIS] Soli fortunæ, non auctoris consilio tribuendum. EUPHORMIO] Satyricum opus Joannis Barclai, quod Euphormionem Lusininum inscripsit.

47. SUGGERITIS SATYRAS] Mihi, qui meopse ingenio rapi me sentio ad scribendas satyras. *Satyra* apud græcos tragicæ asperitatis diverticula primùm fuere, dein à Romanis extra scenam usurpari cœptæ. Poemata sunt faceta & Mordacia, proscindendis flagitiis adinventa. Nomen habent à Satyris Bacchi comitibus, Tityris & Silenis, non à satyrâ lege, vel lance. Nam olim à Græcis veteribus illoti illi ac procaces silvarum Dii, cum lancibus & canistellis omni pomorum genere plenis, quibus Nymphas allicerent, in scenam deducebantur, ut lassos audiendis semper seriis, præsentium animos, dicacitatis suæ licentiâ oblectarent. Horat. de art. ỷ. 220.

*Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,*
*Mox etiam agrestes Satyros nudavit, & asper,*

*Inco-*

*Quî taceam, ad Stellam veluti memorabile Cannis,*
*Imparibus bellum exitiis? Vafrosque ministros*
*Regum exstirpatos, Bironem, Calderon, Ancrum?*
*Et medio populi grandes sine luce lucernas,*

*Incolumi gravitate jocum tentavit: eò quòd Illecebris erat, & grata novitate morandus Spectator.------*
De hac re optimè J. Cæs. Scaliger poëtic. lib. 1. c.12. Item Franc. Floridus Lect. subc. l.1.c.15. NOLI ME TANGERE] Ita suadet argumentum satyricum, vel quod Poëtis id stylo tractaturis incurrendæ invidiæ, vel quod hominum vitia insectando, sui cuique tangendi metum incutiat. SCRIBAM] Ac si dicat: ego quidem scribam, sed necessum erit plurimos tangere. Quî enim tacere possim

48. AD STELLAM] Bellum perduellium Bohemorum, quod depugnatum apud Stellam regale palatium ad Pragam urbem Bohemiæ principem, quod Lotichio *Ad stellam*, aliis propter figuram *Stella* dicitur. De illo Jacobus Damianus Societ. Jesu Poëta non inelegans libr. 4. de Bello German. ℣. 424.

*Est urbe egressis ampli mons verticis (Album Gens vocat) ad cujus lævum latus eminet ædes Regia, STELLA dedit Stella cum nomine formam.*
Hic famosa illa pugna, de Bohemico, & Germanico imperio decretoria, pugnata est, inter Ferdinandum II. Aug. & Fredericum Comitem Palatinum, quem rebelles, abrogatis Ferdinando regni fascibus, regem inauguraverant. Victoria penes Imperatorem stetit anno hujus seculi XX. sexto Idus Novemb. XXII. Dominico, post Pentecosten, die, quo Ecclesia Universa, Euangelicam hanc sententiam, velut pugnæ resseram, & victoriæ auspicem intonabat: REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI, ET QUÆ SUNT DEI DEO. Cladem Frederici & Bohemorum hæreticorum disce ex Gevartio Introit. Ferdin. Lotichio, Miræo &c. VELUTI CANNIS] Ingens illa & notissima strages, cui parem antecedentia bella non dederant, bello Punico secundo, ab Hannibale ad Cannas Apuliæ vicum, Romanis illata; in qua extincto altero Cos. præter bis mille septingentos equites, XL. Romanorum millia perierunt. Livius libr. 2 Dec. 3. Florus l.2. c.6. Silius Italicus lib.9. & 10. Confert itaque Poëta Pragensem cladem novam, cum veteri ad Cannas.

49. IMPARIBUS EXITIIS.] Dispare eventu vel exitu. Exitium veteribus non tantùm rei lævæ, sed etiam lætæ exitum, designabat. BELLUM] Germano-Bohemicum. Rectè: alius enim belli Punici contra Romanos, alius Bohemici contra Imper. Ferdinandum, exitus fuit. Ferdinandus victor fortunâ suâ prudenter usus, Fredericum ad incitas redactum, provinciâ Rhenensi, ac Septemviratu mulctavit, ac omni propemodùm Germaniâ exegit: Romani contrà, etsi Cannensi clade, non secus quàm lethali vulnere, desperatissimè saucii, instauratis tamen animis, &, ut poterant, viribus; victorem Hannibalem fortunâ suâ uti nescium, & Campanis deliciis enervatum, Italiâ pepulerunt. MINISTROS.] Rerum monarchicarum administros, versipelles & perfidos.

50. BIRONEM] Ducem & Franciæ Mareschallum, qui ab Henrico IV. Galliarum Rege summis rebus non semel cum laude adhibitus, tandem omnium curiarum punctis, reus perduellionis pronuntiatus, prid. cal. Augusti, capite truncatus est, anno post Christum natum CIↃ. IↃ. C. II. CALDERON] Rodericum Calderonem, qui ex modica, nobili tamen ac militari sorte, ad summos gradus evectus, ob intolerabilem fastum, plerisque proceribus invisus, de proditione, cæde, aliisque criminibus accersitus, sub Philippo IV. Hispaniarum Rege, anno CIↃ. IↃ. C. XXI. præfecto publicitus jugulo, XII. cal. Novembres, ludentis fortunæ specimen, occubuit. ANCRUM] Conchinium Ancræum Florentinum, qui gratiâ conjugis Eleonoræ Galligaiæ, per dignitates plures, ad maximā potentiam evectus, summam in Gallia auctoritatem exercebat. Quâ de caussâ cum principibus & populo juxta invisus foret, moribus ejus Ludovico XIII. patefactis, non unâ glande transfossus, perimitur, VIII. Cal. Maias, anno CIↃ. IↃ. C. XVII. Cadaver ejus sepultum, mox effossum, patibulo affixum, in partes dissectum, visceribus tandem in amnem projectis, Vulcano sacrarum est. *Gramondus, Mirans, Bussieres*, & alii.

51. IN MEDIO POPULI.] Spectabiles, & metuendi à potestate, & rerum publicarum admini-

*Auriculasque Midæ, truncos, sciolos, crotalosque,*
*Angustæ naturæ homines, vitaque coactæ,*
*Improvisò acri quos verset Sostratus arte?*
*Nonnullis Fortuna favet: sit gratia parvi;*
*Multa nocere queunt: odiosa poëmata culpæ.*
*Argento sileam duplices hinc inde Sinones?*
*Pareat injustis justissima Musa lupatis?*
*Concipitis frustrà: sed quærite, & invenietis*

nistratione SINE LUCE LUCERNÆ] Utpote qui foris magnarum rerum gloriam præferunt, intus omni virtutis & ingenii lumine cassi: non secus quàm laterna amplissima, quam nulla intus facula collustrat. Adagium vulgo nostro tritissimum. Lucerna hîc pro laterna ponitur, cum propriè sit lampas seu vasculum monomyxon aut polymyxon, id est unius aut plurium ellychniorum.

52. AURICULASQUE MIDÆ] Asinos, fungos, obtusos, quibus crassæ aures & pingue judicium. Auriculæ quippe Midæ asininæ fuere, ut testatur vetus istud: Μίδας ὄνου ὦτα. Id est: *Midas auriculas asini*, scil. accepit; iis insignitus ab Apolline, cui cantu Panem præferre sustinuerat. TRUNCOS] Stolidos. Cicero l. 1. de Nat. Deor. c. 84. *Qui potest esse in ejusmodi trunco sapientia?* SCIOLOS] Semidoctos, qui plurima se rentur scire, cum ignorent pœnè omnia. CROTALOS] Locutuleios, garrulos, rabulas, blaterones & linguaces; qui linguæ futilitate omnes obtundunt, & in quos cadat adagium: *Archytæ crepitaculum*. De quo adeundus Erasm in Chil. Porrò *crotalum* crepitaculi genus est, ex ære, ferro aut ligno, ad edendos sonos concinnatum. Rhodig. l. 19. c. 4. Had. Junius Belgicè interpretatur *Ratele*.

53. ANGUSTÆ NATURÆ] Abjectos, viles, arctis ingenii & virtutis finibus circumscriptos. Cic. Orat. post red. in Senat. cap. 9. *Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris, ac sordibus.* Et lib. 1. Off. c. 68 *Nihil est tam angusti animi, tamque parvi, quàm amare divitias.* VITÆQUE COACTÆ] Non suo, sed summatum arbitratu viventes; quique suopte marte, nihil audent generoso ac libero homine dignum.

54. VERSET] In diversam sententiam pertrahat. SOSTRATUS] Auctor vel suasor quispiam acrior & ferocior, qualis Sostratus, quem validum declamatorem fuisse innuit Juven. Sat. 10. ℣. 178.

*-----Madidis cantat quæ Sostratus alis.*

Actionis enim vehementia, latera, & inprimis alas sudore facit madescere.

55. NONNULLIS] Scriptoribus. FORTUNA FAVET] Gratiam principum virorum illis conciliando. SIT GRATIA PARVI] Quamquam parvi faciam ejusmodi benevolentiam, & favorem potentiorum, nec hâc spe scripturus sim: sententia est: quamquam scribendo olim mihi prodesse, neutiquam tamen rebus meis, scriptionem ejusmodi, damno esse desiderem.

56. MULTA NOCERE QUEUNT] Quæ scribenti vel excidunt perperam, vel malè à lectoribus interpretantur. ODIOSA POEMATA] Satyrica, & hominum vitiis infesta. CULPÆ] supple *sunt*. Id est in caussa sunt.

57. ARGENTO] Pecuniâ coëmptos. DUPLICES SINONES] Proditores, perfidos, perjuros, qui vafritie, & artibus doli mali, vel duos Sinones æquent singuli. *Sinonis* perfidiâ dolisque Ilium corruisse latè docet Virgilius lib. 2. Æneid. & passim cum Græcis poëtæ Latini.

58. INJUSTIS LUPATIS] Iniquis legibus primatum, ut mihi liberum non sit, omnium juxtà mores pravos, & vitia suggillare. *Lupatum* asperrimi freni genus. Ovid. l. 1. Amor. ℣. 15.

*Asper equus duris contunditur ora lupatis.*

Papinius lib. 4. Theb. ℣. 739.

*-----Non spumeus imber*
*Manat equûm, siccis illidunt ora lupatis,*
*Ora catenatas procul exertantia linguas.*

Hic ad dominatum potentiorum in servos assentatores transfertur.

59. CONCIPITIS] Speratis hæc mihi persuadere. QUÆRITE, ET INVENIETIS.] Ex euang. Matt. c. 7. ℣. 7.

60.

*Assentatores pretio, aulaïque favore.*
*Non equidem invideo: sunt, qui cacoëthe laborant*
*Isthoc, innumeri: basis ista politica vitæ*
*Inter magnanimos hodie: rudis, & lare privus,*
*Laudibus assuevi non prodigialiter ullis.*
*Ergo vale Pallas, Pindique in vertice vulgus;*
*Avocor ingratis, medica ad plantaria: mater*
*Ordine naturæ natos ex corde fovebit,*
*Quos volet officio correspondere deinceps.*

60. PRETIO] Nummis, muneribus, principum favoribus. Philosophicè, ac ex lege Socratis, qui in Epistolis Leonis Allatii, epl. 1. *Sermones*, inquit, *rationesque Philosophicas venales exponere, omnino indecorum est.*

61. CACOETHE] Pravâ consuetudine assentandi in scribendo. Juven. sat. 7. ℣. 51.

*-----Tenet insanabile multos*
*Scribendi cacoethes.------*

62. BASIS POLITICA VITÆ] Id est vitæ politicæ fundamentum, sustentaculum, & prima præceptio, adulari potentibus: hoc est iis qui nobis bene faciant. Politicam vitam vocat eorum, qui inanem famam Deo & justitiæ præhabentes, solis hominibus in rem suam placere contendunt; non qui reipublicæ justè rectèque administrandæ student, quod propriè politicorum est.

63. MAGNANIMOS] Homines inflatos, ambitiosos, & magnis animis ad honorum culmina contendentes. RUDIS] Artium aulicarum, & politicarum ejusmodi. LARE PRIVUS] Familiâ privatâ non publicarum rerum administrâ editus. Nam alibi in M. SS. canit.

*-----Lare privus,*
*Munere nam careo.-------*

64. LAUDIBUS] Aliorum decantandis. PRODIGIALITER] Monstrosè: id est, hyperbolicè neminem laudare soleo. Horat. de art. ℣. 29.

*Qui variare cupit rem prodigialiter unam.*

65. PINDIQUE VULGUS] Plebecula & fex scholæ Academicæ. Affectus est vehementer indignantis, & Deas despicientis. *Pindus* Thessaliæ Mons Apollini & Musis consecratus.

66. AVOCOR INGRATIS] A vobis, quæ minimè gratam in me voluntatem habetis: aut certè vestris ingratiis; id est, sine vestrâ gratiâ, utpote quibus nihil debeam. *Ingratis* vel *ingratiis* idem valet quod invitè, aut malâ gratiâ. Cic. pro Quinct. c. 47. *Extorquendum est invito, atque ingratis quod non debet.* Terent. Eunuch. Act. 2. sc. 1. ℣. 14.

*Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.*

Id est ut dormiam velim, nolim. Plaut. Casin. 2. 5. 7.

*Vobis invitis atque amborum ingratiis.*

Sic idem Merc. 2. 4. 11. *tuis ingratiis.* Quod græci ἀέκητι, vel ἀκούσιος dixerint. Vide Turn. l. 24 c. 31. MEDICA AD PLANTARIA] Ad plantas & herbas medicas. Plantas, raptas esse volunt de arboribus, plantaria ex seminibus nata, quæ cum radicibus & terrâ propriâ transferuntur. Virgil. Georg. 2. ℣. 27.

*-----Et viva suâ plantaria terrâ.*

MATER] Terra, ex qua omnia progignuntur: inde communis omnium mater dicta. Livius l. 1. c. 56. de Bruto & Tarquiniis post auditum oraculum Delphicum, Imperium Romæ habiturum qui eorum primus osculum matri tulisset: *Brutus*, inquit, *aliò ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit: scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset.*

67. ORDINE NATURÆ] Ex Ordinatione naturæ, seu dispositione providentis Dei. NATOS] Me & alios ex se genitos. EX CORDE] Seriò & solicitè. FOVEBIT] Nutriet & defendet, contra quoscumque adversarios, quod non facitis vos.

68. OFFICIO] Hortorum vel agrorum cultu retaliare materna sua in nos beneficia.

# APOLLO.

*Quos motus animorum, aut quæ certamina nostris*
*Audio delubris? Parnassi viscera numquid*
*Spiritus unus alit? Lacerâ discordia pallâ*
*Pierios agitetne choros? Volet anxia regna*
*Pegasidûm, ut totum quondam tremefecit Olympum?*
*Juppiter hanc Stygiis, fraterno, habitare cavernis,*
*Fœdere constituit; graviter monuitque, supernè*
*Horribiles dictu numquam tentare latêbras:*
*Addidit & pœnas. Quæ vos dementia cepit,*
*Quò Musæ vestri immemores? Vos & mea cura,*
*Finitimi Superis, mea maxima cura, Poëtæ,*
*Pacificis quoque digni oleis, fanatica quæ vos*

APOLLO INTERCEDIT.

69. MOTUS] Iræ ac odii. CERTAMINA] Rixas, lites, contentiones.

70. DELUBRIS NOSTRIS] Lovanii in Academia, loco mihi proprio. PARNASSI VISCERA] Intima, vitalia, & magis necessaria membra Academiæ, ut sunt illi qui vel regunt juventutem, vel studiorum emenso curriculo laureæ honore præfulgent, & alios docent.

71. SPIRITUS UNUS ALIT?] Animantur à me solo, ut idem velint quod ego, atque ita conveniat inter omnes. Uti enim fieri non potest, ut unus & idem homo dissentiat à semetipso, quia unus animus est quo agitur; ita & plures discordare non possunt, si ab eodem spiritu impellantur. LACERA PALLA] Veste discissâ, in symbolum discissi animi. *Palla* vestis promissa, mulieribus quàm viris usitatior. Virg. l. 8. Æneid. ℣. 702.

*-----Scissâ gaudens discordia pallâ.*

72. PIERIOS CHOROS] Otia litteraria, studia Academica. Ovid. Trist. lib. 5. Eleg 3. ℣. 9.

*---------Vacuamque laboribus egi*
*In studiis vitam, pieridûmque choro.*

VOLET] Subaudi, tremefacere. ANXIA] Imbellia, paci assueta; à Marte abhorrentia, & ad quemvis tumultum trepidantia. Musas enim oblectat quies, & alit concordia. PEGASIDÛM] Musarum regna; id est gymnasia litteraria.

73. OLYMPUM TREMEFECIT] Bello Giganteo, seu Gigantomachiæ tempore, quo sibi à Titanum moliminibus metuebant Dii, cum iis depugnare coacti.

74. FRATERNO FœDERE] Quod icit cum fratre Plutone inferorum tyranno: ut Numina noxia, scil. terræ & superis, in regnis illis tenebricosis delitescerent.

75. GRAVITER MONUITQUE] Districtè ac minaciter præcipiendo. SUPERNE TENTARE] Contendere in summum Tartarum, ut egrediatur ad superos infestandos.

76. HORRIBILES &c.] Carcerem Stygium, quo coërcetur.

78. IMMEMORES VESTRI] Pacis & tranquillitatis, quam postulant studia.

79. MEA MAXIMA CURA POETÆ] Quos præ ceteris quibuscumque Doctoribus & discipulis diligo, curo, in visceribus gero. Insignis affectus amoris Apollinei in Poëtas. FINITIMI SUPERIS] Commendatio decumana Poëtarum, qui non nisi sacro ac divino quodam furore perciti, vaticinantur. Ovid. l. 6. Fast. ℣. 5.

*Est Deus in nobis agitante calescimus illo,*
*Impetus hic sacra semina mentis habet.*

Laudes Poëtarum nullis non veterum monumentis decantatas, qui desiderat, adeat Rhodig. l. 7. c. 1. & 2.

80. PACIFICIS OLEIS] Non tantum lauro vel

*Ira movet? Pimplamne etiam tentabitis armis?*
*Ponite, Thespiades, hinc inde dicacula, nati,*
*Pectora, & indomitam, dum tempus, me duce, tectis*
*Propulsate Deam: minimis exercita fratrum,*
*Tandem etiam in magnas succrescit sanna querelas.*
*Ergo agite, Aönides (fratrum reverentia magna est)*
*Enerves cohibete minas; labiúmque malignum,*
*Nasutosque omnes, ignorantésque, magistrósque*

vel Daphnide mea, sed etiam Palladis oleâ, pacis & concordiæ notâ digni; cum sub nostro utriusque præsidio juxta militetis. Olea pacis, & juventæ symbolum. Sidon. Apoll. Carm. 14. ad Calliop. ỷ. 4.

*Quem pacis simul arbor & juventæ*
*Æternumque virens oliva signet.*

Inde & in nuptiis conjugali concordiæ dicata. Idem. Carm. 15. Epithal. Polem. & Araneol. ỷ. 198.

*Amborum tum Diva comas viridantis olivæ*
*Pace ligat, nectit dextras & fœdera mandat.*

Vid. Jac. Dur. Cassellium var. l. 2. c. 20. FANATICA IRA] Furor, rabies. Fanatici dicuntur furiis correpti, lunatici, dæmoniaci, phrenetici, quod in fanis potissimum furant, capita jactantes, oculos distorquentes &c. Quintilianus lib. 11. c. 3. *Caput jactare, & comas excutientem rotare, fanaticum est.*

81. PIMPLAMNE] Parnassum, Lyceum Grudium. Pimpla Thraciæ Mons, Musis dicatus, quem Macedones postea obtinuerunt, ut author est Strabo lib. 10. Inde Horatius lib. 1. Od. 26. Pimpleam Musam compellat. ỷ. 9. *Pimplea dulcis.* Aliis fons est, aliis locus Phocidis apud Parnassum. Vide Phil. Ferrarium.

82. PONITE] Deponite. THESPIADES] Musæ. NATI] Poëtæ. HINC INDE] Utrimque DICACULA PECTORA] Animos mordaces, & invicem maledictis proscindentes.

83. DUM TEMPUS] Antequam malum inolescat & fiat insanabile. DUCE] Auctore, suasore. TECTIS] Heliconiis domibus, seu Gymnasio.

84. DEAM] Discordiam, divam illam Acheronticam. Id est, pacem componite. MINIMIS EXERCITA] A caussis nihili, & parvis initiis orta & commota.

85. IN MAGNAS QUERELAS] In contentiones & odia capitalia. Vulgaris parœmia est: *Parva scintilla magnum quandoque excitat incendium.* Nam ut Cic. Phil. 5. c. 31. *Omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum, fit plerumque robustius.* Et multo usu comprobatum est illud Q. Curtii lib. 6. c. 3. *Parva sæpe scintilla contempta, magnum excitavit incendium.* Et unus instar omnium Ecclesiasticus c. 11. ỷ. 34. *A scintillâ unâ augetur ignis.* SANNA] Irrisio, contemptus. *Sanna* fit certo vultus gestu, puta ore ab occipitio distorto, labiis contractis, anteriorum dentium ostentatione, &c. in eos quos ridet. Triplex illius genus indicat Persius Sat. 1. ỷ. 58.

*O Iane à tergo quem nulla ciconia pinsit,*
*Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,*
*Nec lingua, quantum sitiat canis Apula, tanta.*

Vide commentatores, & infrà serm. 10. ad ỷ. 220.

86. AONIDES] Musæ. FRATRUM] Poëtarum. REVERENTIA] Id est, quibus tamquam Parnassi alumnis & Sacerdotibus, magna debetur reverentia.

87. ENERVES] Nullo nervo aut rationis robore firmatas; sed ortas ex prava boni carminis interpretatione. COHIBETE] Pro ea qua polletis authoritate in Gymnasio. LABIUMQUE MALIGNUM] Quo lacessitur, & falsò traducitur Poëmation, ejusque auctor innoxius.

88. NASUTOSQUE] Aristarchos, doctos, qui graviori censurâ vexant carmen. Nasutos dixere veteres, quidvis occultum aut tectum facile subolentes: item doctè scientes irridere, quod irrisio non rarò fiat certa nasi compositione. Nam ut est apud Plin. l. 11. c. 37. *Subdole irrisioni dicatus nasus.* Sic suspendere naso, pro tectè ac vafrè irridere dixit Horat. lib. 1. Sat. 6. ỷ. 5.

*Ut plerique solent, naso suspendis adunco*
*Ignotos.--------*

Huc spectant quæ adferimus serm. 8. ad ỷ. 57.
in-

*Injustis removete odiis: servanda potestas*
*Vatibus illæsa est; aut gloria vana Sororum,*
*Nunc viget in terris duplici simulatio fuco,*
*Invisumque bonis crebrum poppysma: fovetur*
*Cæcus adulator; morumque elegantia, fraudes;*
*Et sub vulpe animi, cum Verre, & Clodio, Ulysses*
*Vivitur; & pretio est ficti constantia vultus.*
*Nemo reconcinnet? Pereat, Jove vindice, totus*
*Peste Lycaoniâ rursum perversior orbis?*

infra vide Calderin. observ. l. 3. c. 8. & Erasmi Chil. IGNORANTESQUE] Qui doctis & ingeniosis mixti, eò immitiùs lacerant, quò minùs capiunt. Lipsius Cent. 2. Miscel. Epl. 27. ad Mylium: *Imperitissimus quisque, audacissimus: & judicii hunc calculum sibi sumit quilibet è litteraria plebe.* MAGISTROSQUE] Doctores omnium facultatum, quos ira paucorum tentabat transversos agere.

89. POTESTAS] Arrodendi, perstringendi, & castigandi vitiosos mortalium mores.

90. ILLÆSA] Integra cum plena scribendi libertate. GLORIA VANA] Nulla vel exigua fuerit vestra Musarum gloria: hanc enim soli poëtæ sartam tectam conservant, vestri nominis nusquam non memores, tacentibus ceteris.

91. DUPLICI FUCO] Duplo fucatior, tectiorque quàm olim.

92. POPPYSMA] Adulatio, palpum. Juven. Sat. 6. ℣. 583.

*Præbebit vati crebrum poppysma roganti.*

*Poppysma* fictitia vox ab ipso sono, quem ex labiorum collisione editum, usurpant equisones, ad permulcendos equos indomitos, adhibitâ etiam manuum leni tractatione. FOVETUR] Amatur, colitur, evehitur, & in obtinendis dignitatibus, cuilibet bono antefertur.

93. CÆCUS ADULATOR] Id est tacitus & occultus: non enim cæcus dicitur, quia non videt, qui in adulando nimis perspicax est: sed quia tam tectè ac artificiosè blanditur, ut blandiri non videatur, ab eo saltem, cui blanditur. Sic & Cicero *morbum cæcum, res cæcas, casum cæcum* &c. dixit. Virg. l. 6. Æneid. ℣. 30.

*Cæca regens filo vestigia.------*

94. SUB VULPE] Imposturis, fucis, dolis vulpinis. Notum ab astutia animalis istius ingenium. Pers. Sat. 5. ℣. 117.

*Astutam vapido servas sub pectore vulpem.*

Horat. de art. Poët. ℣. 437.

*Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.*

Hinc Lipsius Civil. Doct. l. 4. c. 13. *Ubi Leonina pellis non pertingit, oportet vulpinam assuere.* Quo innuitur dolum adhibendum esse, cum viribus res obtineri non potest. CUM VERRE ET CLODIO] Notissimæ improbitatis hominibus, actore M. Tullio egregiè notatis. Prior enim in Sicilia prætor avarè, libidinosè, crudeliter versatus, repetundarum postulatus est: Clodius verò Mœchus famosus in sacris bonæ Deæ deprehensus muliebri vestitu, à Milone postmodum interfectus est. ULYSSES] Ulyssis vita vivitur, id est ficta & simulata. Ulysses enim à prudentiâ, versutiâque apud Homerum, aliosque tam Latinos quàm Græcos celebratur.

95. PRETIO EST] In pretio est. FICTI CONSTANTIA VULTUS] Constans vel continuata vultus simulatio. Juven. Sat. 13. ℣ 76.

*------Aspice quantâ*
*Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.*

Notat eos, qui norunt frontem suam gravem, & modestè severam componere, tanquam si essent viri integerrimi, quantivis pretii, & sanctissimi, cum acta fronti dissimilia, & malorum conscientia mendaces arguant turpissimè.

96. RECONCINNET] Reparet, restituat, instauret. Plaut. Menech. 2. 3. 72.

*Pallam ad phrygionem ut deferas, ut reconcinnetur.*

97. PESTE LYCAONIA] Scelere Lycaonis Arcadiæ Regis, qui Jovem ipsum interficere tentaverat, apud se ex itinere diversantem, ut exploraret an tanta foret hominum impietas, quanta ferebatur. Imò eidem unum ex Molossis obsidibus jugulatum, partim lixum, partim assum

*Undique Vertumni; dum quæstio honoris, & auri,*
*Omnis Aristippum decuit color; ara Lavernæ,*
*Bifrontisque Deæ monstrosa piacula fumat.*
*Insudant homines passim, ut peccata, reductis*
*Casibus, incrustent; usuræ ac schemata tuta*

sum in mensâ epulandum apposuit. Immanitatem execratus Jupiter, fulmine domum exussit, tyrannum in lupum transformavit, terramque universam, Deorum calculis suffragantibus, cataclysmo demersit. Ovid. Met. 1. Descripturus Deorum concilium, & Jovis orationem ℣. 165.

*Fœda Lycaoniæ referens convivia mensæ,*
*Ingentes animo & dignas Iove concipit iras;*
*Conciliumque vocat.-----*

Vide plura ibidem in sequentibus, huc spectantia.

98. UNDIQUE] Ex omni parte, caussâ, tempore. VERTUMNI] Mobiles, & instabilis ingenii homines, qui versare semet, sententiamque artificiosè commutare ad temporis servitium promptissimè didicerunt. *Vertumnus* Pomonæ amator, quò illam ad se redamandum pelliceret, variis utebatur formis & figuris: unde & vertendis anni temporibus, & rebus distrahendis præesse credebatur. Eum veteres modò aratorem, seminatorem, messorem, modò fossorem & plantatorem depingebant. De illo Ovid. Met. 14. ℣. 643.

*O quoties habitu duri messoris aristas*
*Corbe tulit; verique fuit messoris imago!*
*Tempora sæpe ferens fœno religata recenti,*
*Desectum poteras gramen versasse videri.*
*Falce datâ frondator erat, vitisque putator.*
*Induerat scalas, lecturum poma putares.*
*Miles erat gladio &c.*

Apud Propert. lib. 4. Eleg. 2. ℣. 21. vox ejus est.

*Opportuna mea est cunctis natura figuris:*
*In quamcumque voles, verte: decorus ero.*

DUM QUÆSTIO HONORIS ET AURI] Dum quæritur honos vel aurum, eorumdemque potiundorum quantulacumque spes affulget.

99. ARISTIPPUM] Parasitum, assentatorem, mobilem. DECUIT COLOR] Habitus morum, vitæ genus, conditio & sors. Horat. l. 2. Sat. 1. ℣ 60.

*Quisquis erit vitæ, scribam color.---*

Et lib. 1. Epl. 17. ℣. 23.

*Omnis Aristippum decuit color & status & res.*

*Aristippus* Cyrenæus, omnium primus quæstu philosophatus, divitibus, ac imprimis Dionysio Siculorum tyranno, assentabatur. Ingenium erat illi ad simulandum pro tempore, loco & personis aptissimum: usque adeo, ut jussu ejusdem tyranni in muliebri purpura saltare non erubuerit. Extat inter Socraticas apud Leon. Allat. Epl. Antisthenis ad Aristippum, quâ jubet hominem potiùs elleborum potare, quàm vinum in mensa Dionysii. *Non est enim*, inquit, *Philosophi munus, apud tyrannos vitam traducere, & Siculis considendo mensis tempus conterere.* LAVERNÆ] Quæ est Dea furum & latere volentium: nam in obscuro, abditoque ejus luco, Romæ furta sua dividebant; unde laverniones dicti: Deamque venerabantur, quò instituta sua furandi ac mentiendi fortunaret. Hinc qui vir bonus videri, non esse volebat, precatur apud Horat. l. 1. Epl. 16. ℣. 60.

*-------Pulchra Laverna*
*Da mihi fallere, da justo sanctoque videri:*
*Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Sententia Poetæ hoc loco dolos perstringit.

100. BIFRONTISQUE DEÆ] Fraudis vel fallaciæ, deæ scil. infernalis, ut pleraque vitia; quam veteres puellari pallâ amictam, geminâ fronte, hinc puellæ, inde anus depingere solebant: quòd à fronte & extrinsecus blandiatur, à tergo & intrinsecus mordeat. MONSTROSA] Enormia. PIACULA] Scelera. Priscis enim solenne erat victimas, pro ratione admissi criminis, diis immolare, queîs expiarentur. Inde piacula, quæ non erant nisi sacra piacularia, quibus flagitiosi semet expiabant: unde etiam *piacula* dicta sunt peccata, propter quæ sacra piacularia instituenda erant. FUMAT] Fumo hostiarum admissa exponit. Sententia est: passim fraudes horrendæ, & occulta furta committuntur.

101. INSUDANT] Operosè & seriò student. REDUCTIS] Ab extremo vitio, ad aliquam speciem virtutis seu mediocritatis.

102. INCRUSTENT] Aliquo honesti fuco tegant, & obducant. Notat eos qui hodie malefacta sua, vel aliorum temere defendunt, extenuant, aut à reatu absolvunt; doctis & probatis omnibus contrarium nequicquam inculcantibus.

*Ex imis ducunt foliis; facilesque ministrant*
*Juriurando secura repagula mentis.*
*Nemo reconcinnet? Quorsum sub sidere magno*
*Vatibus ingenium datur, & censoria virga?*
*Et correctores calami, & derisor jambus?*
*Et, quod nemo capit, compungi Palladis œstro?*
*Et, quod nemo sapit, falsi sub imagine verum*

SCHEMATA] Mantella, pallia, vestes, quibus obtegantur, ne appareant iniquæ. *Schema* vestis est exterior. Plaut. Amph. prol. ℣. 117.

*Quod ego huc processi sic cum servili schemâ.*

Prisci latini dicebant schema schemæ, ut syrma syrmæ, Diadema Diademæ, dogma dogmæ &c. vide Ger. Joan. vossium Instit. Orat. l. 5. c. 1. ubi ex Dione, *χῆμα στρατηγικὸν*, dicitur vestis imperatoria. Per schemata igitur intellige hic rationes vel obtentus, quibus conantur tegere, aut elevare injustitiam usurarum: quâ phrasi etiam usus Plaut. Capt. 3. 3. 5.

*Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis.*

TUTA] Justa, licita, concessa. Ovid. lib. 1. de arte ℣. 33.

*Nos venerem tutam, concessaque furta canemus.*

103. EX IMIS FOLIIS] Anxiè conquisitis rationibus, ex intimis librorum vel ingenii recessibus DUCUNT] Docent, aut docere contendunt.

104. REPAGULA MENTIS] Restrictiones, ut vocant, mentales, quibus jurantium sermo, non secus quàm repagulis quibusdam, coarctatur intra fines ejus significantiæ, quam ipsi tacitè & animo, illi præscribunt. Notat eos qui docent decumanâ, vel quâvis necessitate ingruente, fas esse homini Christiano sacramentum fallere; hoc est, verbis præscriptis vel conceptis subdolè jurare, in alium sensum, quàm ferat usitatum vocis etymon, aut accipiat is cui juratur: interpositâ scil. clausulâ restringente in animo, quâ vera fiat illi sententia, quæ alteri sit falsa; adeoque dicat cum Cic. Off 3 c. 107. *Juravi linguâ, mentem injuratam gero*, ex Euripide. Id verò fásne sit an nefas, in disceptationem venire non patitur Augustinus, qui dubitantes arguit, & mentem suam edisserit, Epl. 224. ad Alipium: *Rectissimè, dici non ambigo, non secundùm verbum jurantis, sed secundùm expectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri. Unde* PERIURI SUNT, *qui servatis verbis, expectationem eorum quibus juratum est deceperunt.* Et Epl. 225. Ad Albinam, idem confirmat: *Exspectationem*, inquit, *eorum quibus juratur quisquis deceperit*, NON POTEST ESSE NON PERIURUS. Et Lipsius lib. 4. Civil. doct. c. 14. ex Isidoro sic pronuntiat: *Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille cui juratur intelligit.* Quibus demum supremâ suâ in terris potestate, auctor factus est INNOCENTIUS XI. P. M. dum nuper opinionem iis contrariam, inter LXV. proscriptas vigesimam sextam, justissimo suo Theta confixit: ut nulli deinceps Satyrico de illa expostulare necesse sit.

105. SIDERE MAGNO] Hîc in terra, sub sole.

106. VATIBUS INGENIUM DATUR?] Ad insectanda vitia. Finis enim Poeticæ, delectando animos hominum ad virtutem inflectere, & à malo deterrere: quod ni faciant, frustra Poëtico enthusiasmo agitentur. CENSORIA VIRGA] Potestas censendi cum supercilio, seu castigandi: virga enim potestatis & imperii insigne est, sumptâ origine à magistratibus Romanis. Hinc Virg. l. 4. ℣ 242.

*Tum virgam capit: hâc animas ille evocat orco*
*Pallentes, alias sub tristia tartara mittit.*

Psalmographus Psalm. 44. ℣. 7. *Virga directionis, virga regni tui.*

107 CORRECTORES CALAMI] Ars & peritia scribendi vertus, queis corrigant malè sentientes. DERISOR] Conviciator, insectator, accusator. JAMBUS] Carmen jambicum, quo conviciari & irridere solent antiqui; sic dictum *ἀπὸ τῦ ἰαμβίζειν* quod est conviciis invehi in aliquem. Horat. de art. ℣. 79.

*Archilochum proprio rabies armavit jambo.*

108 NEMO CAPIT] Scil. præter Poëtas, & quibus datur. PALLADIS ŒSTRO!] Sapientiæ impulsu, impetu, & furore poëtico. Huc enim tendunt omnia Poëtarum monumenta.

109. FALSI SUB IMAGINE] Sub fabulis & com-

*Instillare animis, & fallere criminis artes?*
*Ludite securi, cum libertate, Poëtæ;*
*Eruncate imis, priscâ virtute, medullis*
*Infelix lolium: regum super atria, Tempe.*
*Distinguenda tamen sunt tempora: moribus istis*
*Gratia debetur, color, & palpatio major*
*Quàm quondam antiquis: Promiscua ludite, Vates,*
*De reliquis cautè, de Principe relligiosè.*

commentis, quæ tantùm falsi imagines, non falsa sunt, illis potissimùm qui illorum mythologiam intelligunt.

110 FALLERE] Eas aperiendo & exponendo. ARTES] Astus, dolos, versutias, larvas, quibus student celare & tegere crimina.

111. LUDITE SECURI] Scribite, componite carmina *Ludere* vel *canere* Poëtarum proprium, quod eorum versiculi olim ad tibiam, lyram, aut aliud quodvis instrumentum musicum cantabantur.

112. ERUNCATE] Excidite, exstirpate. *Runca* olim, nunc *runcina*, instrumentum est quo radices & herbæ noxiæ exscinduntur. Inde *runcare*, & *eruncare*. IMIS MEDULLIS] Ex intimo animorum recessu.

113. LOLIUM] Vitiorum, quæ rempublicam reddunt infelicem, & scelestos ducunt ad interitum, ac ærumnas sempiternas. REGUM SUPER ATRIA, TEMPE] Viridaria, & horti animorum bene culti & amœni, oblectamentis superant regum aulas. Id est animus innocens, regum fortunis beatior est. Optimè Cicer. Tuscul. Quæst. l. 2. c. 64. *Nullum theatrum virtuti conscientiâ majus est*. Horat. l. 1. Epist. 1. ℣. 59.

*-----Pueri ludentes, rex eris, aiunt,*
*Si rectè facies. Hic murus aheneus esto.*
*Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*

*Tempe*, amœnissima Thessaliæ loca inter Ossan & Olympum interjecta, quæ Horatius lib. 1. Od. 7. ℣. 4. inde *Thessala* vocat. Describit Ovid. Met. 1. ℣. 568.

*Est nemus Æmoniæ, prærupta quod undiq; claudit*
*Silva, vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo*
*Effusus Pindo, spumosis volvitur undis.*


Ceterùm Tempe generatim de quibusvis viridariis, locisque ab amœnitate celebratis dicuntur.

114. MORIBUS ISTIS] Hujus temporis, quo interiit mascula virtus proavorum, immigrarunt cum mollitie, assentatorum servitia.

115. GRATIA] Comitas. COLOR] Venustas & lepor, & jocus urbanus in carpendo. PALPATIO] Adulatio, quâ captentur animi molliores.

116. QUAM QUONDAM ANTIQUIS] Qui liberiùs, & magis masculè, & sinè longa præfationum aut titulorum serie, in cujusque vitia poëtas invehi sinebant. PROMISCUA] Ut tulerit argumentum, nunc hos nunc illos sine ordine suggillando.

117. CAUTE] Prudenter & circumspectè. RELLIGIOSE] Reverenter, timidè, & cum summa cautela ac anxietate, ut in re sacrosancta & Religionis.



# SERMO II.

## IN MOMUM.

Argum. Stomachatur in Momum quempiam, quod sciolus ipse cum sit, audeat lacessere poëtam ut parum sapientem, mendacem, nugivendulum, minutulis studiis deditum. Expositâ proinde instituti sui ratione, fucos illius & vitia notat, acerbiora etiam comminando, nisi aut rationibus apertis arguat palàm responsurum, aut pacem stipulatus, maledictis abstineat.

*De culpis iterum, de moribus ergo sinistris*
*Est reddenda mihi ratio? Numquámne licebit*
*Grati operis felici incude ac follibus uti?*
*Semper ego multis odio? Tanti metra? Votis*
*Hæc intacta meis, cum molitore frequenti*
*Protestor; precibus qui sollicitavit & auro*
*Grandius officium, quod detestatur adeptus;*
*In curas veluti, Rege exorante, coactus.*
*Iam tempus, surge ac propera, Mome, ocyùs urge,*

1. De culpis.] Dictis aut scriptis perperam interpretatis.

3. Grati operis.] Cudendorum carminum. Incude et follibus.] Studio defungi. Instrumenta fabris ferrariis, & aurificibus propria incus & folles, aliquando transferuntur ad alias artes. Cic. de nat. Deorum lib. 1. cap. 54. *Rerum formas & figuras, vos effici posse sine follibus & incudibus, non putatis.* Ad animum, & in primis ad poeticæ studium translatam invenias incudem. Horat. de arte poët. ℣. 441.

*Et malè tornatos incudi reddere versus.*

Ovid. l. 1. Tristium eleg. 6. ℣. 29.

*Ablatum mediis opus est incudibus illud:*
*Defuit & scriptis ultima lima meis.*

*Eamdem incudem tundere* dixit Cicero de Orat. 2. cap 162. proverbiali schemate, pro indefatigabili assiduitate, in operis alicujus studio perseverare.

4 Semper ego] Innuit aliàs sibi sua carmina fraudi fuisse. Consimili erotesi Juvenalis auspicatur suas Satyras.

*Semper ego auditor tantum P......*

Tanti metra?] Ut cuipiam bilem moveant?

5. Votis intacta.] Esse intacta, aut minimè cogitata: quod propositum mihi fuisse, neminē sc. suggillare, protestor, cum Molitore] Candidato magistratum multo molimine precis & auri adepto. Ironicè, ac si dicat: tam verum protestor, quàm is qui dignitatem assecutus, deiërat invito eam sibi obtigisse. Nota est Sacramenti formula, quâ Brabanti Magistratum capessentes, ex more prisco coguntur palàm fidem facere, se nec auro, nec precibus, nec amicorum interventu, sibi aditum parasse ad dignitatem, cui à Rege adlecti sunt.

7. Grandius officium] Magistratum quempiam, aut locum in Senatu. Detestatur adeptus] Videri vult detestari, & non ambivisse.

8. Rege exorante] Perinde ac si cogente Rege, in hanc provinciam suis ingratiis missus foret.

9 Jam tempus] Convitiandi Poëtis; nunc effer quæ inficetè, & pro more tuo jacis in Poëtas. Mome] Cavillator non absimilis Momo, qui

10. *Jam tempus: cerebri quia Musicus, atque Poëta,*
*Magnâ parte caret: concessâ parte minutis*
*Hic mersus studiis, nugas circumligat arte:*
*Dum sapit, insanit; mera, si mentita, Thalia:*

qui olim nihil præclarè agere solitus, aliorum deorum opera magnâ licentiâ & mordacitate calumniabatur; nihil tam absolutum existimans, quod suâ censurâ non roderet.

10. MUSICUS ATQUE POETA.] Antipophora, quâ sibi refutandas adversarii criminationes subjicit.

11. CEREBRI PARTE CARET] Sic sentit Onocephalus Momus cum hujus ævi cuculis, qui cum eruditum pulverem ne quidem attigerint, audent tamen nobilissimis artibus convitium facere, quod videant fortasse mercenarios quosdam symphoniacos, ac pedestrium Musarum nugatorios poëtastros, pro ludionibus passim & actoamatis haberi, utque cerebro medeantur Anticyras ablegari. Id verò quàm parum afficiat ipsas artes, earumque ex asse peritos, noverunt, quibus in eruditorum senatu jus suffragii adeptis, licet ex æquo de ejusmodi controversiis cognoscere. Antiquitus teste Fabio Musici iidem & Vates, & sapientes habiti. Horat. de arte ỷ. 396. ubi de poëticâ & musicâ veterum.

*---Fuit hæc sapientia quondam.*

CONCESSA PARTE.] Scil. cerebri, vel ea parte quâ sanus est.

12. HIC] Nempe Poëta. Musicorum causâ se abdicat, Poëtas vindicare aggreditur. MINUTIS STUDIIS] Abjectis & puerilibus, quibus pueri & tirones operam navant. Sed indoctus Momus, ejusque hoc seculo suffragatores ignorant, quid inter poëticam & versificatoriam intersit, dum potiùs pedes metricos, legesque carminis considerant, à Grammaticis juvenruti præscribi solitas, quàm recondita sapientiæ mysteria, & morum præcepta, quibus Poëtarum monumēta passim inspersa sunt. Rectè Turnebus l. 26. c. 1. *Plus in Poëtis latet eruditionis, quàm plerique supercilioſi viri eorum contemptores censent, qui præter puerilem oblectationem nihil in illis inesse credunt.* Sed hi ex cortice de nucleo sententiam ferunt. Censeant illi, qui jam ferulæ versificatoriæ manum subduxerunt, & quos non studium augendæ rei culinariæ, sed seria priscorum sapientum lectio excoxit. Optimè Petrus Montanus superioris seculi satyrographus non ineruditus Sat. 1. ỷ. 8.

*Quilibet esse potest dives, non esse poëta.*
*Descripsisse pedes non est fecisse poëma.*
*Versificatores nomen famamque poëta*
*Non habeant; longè est Numen præsentius illis*
*Qui divina canunt, &c.---*

NUGAS CIRCUMLIGAT &c.] Res nihili, gerras, fabulas, mendacia metricis pedibus astringit, & pro argumento habet.

13. DUM SAPIT] Scil. sibi & arti suæ, ad ejus amussim exasciatis versibus. INSANIT.] Auctore Momo. Sed eruditi hîc intelligunt sanam insaniam. Nam Democritus ait, oportere Poëtam esse insanum, id est agi quodam mentis calore ad scribendum carmen. Ideoque Horat. rectissimè ad Pisones ỷ. 309.

*Scribendi rectè sapere est, & principium & fons.*

Quo postulat, ut Poëta sapiens sit, Philosophus, & non insanus, antequam incipiat scribere; & inter eos de quibus Naso l. 6. Fast. ỷ. 5.

*Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.*
*Impetus hic sacra semina mentis habet.*

Plato negat Poëtam ex suo, sed ex Numinis instinctu prodire. Et Cicero l. 2. de Nat. Deor cap. 194. *Sæpe audivi Poëtam bonum neminem (id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu furoris.* Idem hoc l. 1. de Divin. c. 80. Verùm hunc furoremq, aut si mavis, insaniam, non agnoscimus in Poëtis, nisi cum sedent in tripode, ut ait Plato, non aliàs, quod hic maledicus Momus. MERA, SI MENTITA, THALIA] Vera musa, verus Poëta est dum mentitur. Thalia comœdiarum præses, id est argumenti prorsus fabulosi. Inde nusquam non legas fabulam pro comœdia. Horat. certè l. 1. Sat. 2. ỷ. 189.

*---Ne sit quinto productior actu*
*Fabula.-----*

Id est comœdia. Extant Antiphanis Comici versus in excerptis Grotianis, de fabulis.

*-----Scilicet tragœdia*
*Felix poëma est: nam principio cognitum*
*Argumentum omne spectatori est, antequam*
*Verbum hiscat aliquis, nomen tantùm dicere*
*Poëtæ satis est. &c.*
*At nobis ista non licent, sed omnia*

C 3 Sun



*Et maledicendo placet, & livore nitescit.*
*Hinc despecta jacet (nam & rebus inutilis) amplis*
*Et suspecta focis. Scitè. Sed te volo paucis,*
*Magne vir, & magnis jam dudum exercite rebus,*
*Cui nihil obscurum; vulgo potiora medullis*
*Exagitans, acie penetrans per opaca Gebennæ;*
*Plurima concipiens dextro conamina voto,*
*Ponderibus librate tuis; nobis ades unde,*
*Tantus Aristarchus? Pervestigare colores*

*Sunt invenienda, nomina inprimis nova,*
*Res ante gesta, res præsentes, exitus,*
*Initia. Ex illis siqua pars defecerit;*
*Exsibilatur, Phide sive ille est Chremes.*

Thalia igitur, vel Comicus quispiam non ineptè dixerit cum Plautino Sosia Amph. act. 1. sc. 1. ✠. 43.

*Si dixero mendacium, solens meo more fecero.*

Sed hæc mendacia sunt, sicut omnia arte facta ad imitationem naturæ. Satyræ olim fuere pars Comœdiarum, unde hic potiùs Thaliæ, quàm alius meminit Musæ. Vid. supra serm. 1. ad ✠. 47.

14. MALEDICENDO] Ob maledicentiam & dicacitatem plerisque accepta est: iis tamen maximè, qui extra telorum jactus, non tam aliena vulnera, quam mordentis Poëtæ dentem & salem mirantur. LIVORE.] Versibus invidiâ plenis. NITESCIT.] Ornatur & commendatur.

15. DESPECTA] Momo & quamplurimis Momo similibus: quasi ingenuo viro Poëtam salvere convitio sit. Questus etiam. Naso l. 3. de art. ✠. 411.

*Nunc hedera sine honore jacent, operataque doctis*
*Cura vigil Musis, nomen inertis habet.*

REBUS INUTILIS] Augendis, utpote minimè quæstuosa; quod suo malo dolet Ovidius de Pont. l. 1. ep. 5. ✠. 31.

*An Populus verè sanos negat esse Poëtas,*
*Sumque fides hujus maxima vocis ego?*
*Qui sterili toties cum sum deceptus ab arvo,*
*Damnosâ persto condere semen humo.*

Contrà noster infrà Serm. 11. ✠. 258.

*Indice si vulgo studium sit inutile, saltem*
*Segregat à vulgo, conceptibus imbuit altis,*
*Recreat ingenuos, illuminat, occupat, ornat.*

16. AMPLIS FOCIS] Gentibus & familiis. Metalepsis, focus pro domo, domus pro familia: hoc est, Principibus & Summatibus de maledicentia ac dicacitate suspecta est. Foco pro domo utitur Propert. l. 4. El. 1. ✠. 10.

*Unus erat fratrum maxima regna focus.*

Et l. 2. El. 1. ✠. 64.

*Restituit patriis Androgeona focis.*

Domum autem pro familia sive pro gente usurpat Virg. l. 1. Æn. ✠. 288.

*Cum domus Assaraci Phthiam, clarasque Mycenas servitio premet.--------*

SCITE] Vox est ironicè respondentis Poëtæ. Quasi dicat, bene dixisti. PAUCIS] Supple verbis rogatum.

17. MAGNE VIR] Continuat ironiam. EXERCITE REBUS] Experte, usu docte.

18. VULGO POTIORA] Nobiliora, quàm vulgus meditatur.

19 OPACA GEBENNÆ] Loca caliginosa & saxosa, quæ oculorum acie penetrari non possint: id est Gebennæ super pervadens. Gebenna verò, vel Gebennæ montes sunt altissimi Arvernos ab Helviis dividentes, nivibus plerumque contecti. Luc. l. 1. ✠. 434.

*---Quâ montibus ardua summis*
*Gens habitat canâ pendentes rupe Gebennas.*

21. PONDERIBUS LIBRATE TUIS] Omnibus numeris absolute: qui propriâ gravitate vel sapientiâ nixus, sententias tamquam ex tripode oracula decantas. Sarcasmus. Ovid. de terra l. 1. Met. ✠. 13.

*Ponderibus librata suis-----*

22. ARISTARCHUS] Censor vel corrector. Horat. ad Pisones de viro prudente ac versuum castigatore ✠. 449.

*Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit:*
*Fiet Aristarchus.--------*

Id est similis *Aristarcho* Grammatico Alexandrino,

*Cæcum? Ridiculum: quæ supra nos, nihil ad nos.*
*An quia Romanis nosti trivialia verbis*
*Interdum garrire, quibus traducitur uxor,*
*Et cerdo; assumes tibi quidquam in carmine juris,*
*Quod malè comprendis? Vel si recitaveris umquam,*
Tityre tu patulæ, *credas te fonte lavatum*
*Pegaseo, Daphnesque statim diademate dignum?*
*Falleris, & nescis, bone vir; tibi Corus, & Auster,*

drino, quem perhibent tam castigato fuisse judicio, ut in germanis Homeri versibus seligendis, spuriisque rejiciendis, maximam fidem & auctoritatem invenerit. Quia autem versus venam Homeri non redolentes, dum ejus carmina in libros digereret, obelis vel verubus prænotatis damnabat: natum est Adag. *Obelo* vel *obelisco notare*, quod est damnare vel reprobare. Colores cæcum?] Cui, ut notat proverbium, *nihil coloratum*, cum careat visu, cui soli subjicitur color. Inde finitima: *Quid cæco cum speculo?* Et *Cæcus de coloribus*. Quod postremum torquemus in illos, qui temere judicant de rebus, quas capere nullâ ratione queant.

23. Quæ supra nos, nihil ad nos.] Dictum Socraticum, prohibens curiosam investigationem rerum cælestium & arcanorum naturæ. Torqueri potest in eos, qui de negotiis principum, vel S. Theologiæ mysteriis, aut rebus captum suum superantibus temere loquuntur. Hic aptè jactatur in Momum, quod asinus ipse lyram auscultet, audeatque judicare de poëtica quam ignorat.

25. Traducitur uxor] Decipitur, ridetur, infamatur imprudens, utpote latinè nescia. Sic Senec. de Provid. c. 5. *Nullo modo magis potest Deus concupita traducere, quàm si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit.* Similitudine ductâ, ut est apud Lipsium in hunc locum, ab iis, qui traducebantur per fora vel Theatra.

26 Cerdo] Fungus quispiam vel idiota, quales cerdones, aut id genus homines ex infima plebe. In carmine juris] Arrogabis tibi jus & potestatem censendi carmina? Non abludit phrasis Nasonis l. 1. Amor. El. 1. ℣. 9.

*Quis tibi sæve puer dedit hoc in carmine juris?*
*Pieridûm vates non tua turba sumus.*

27. Recitaveris] In ludo litterario sub ferula præceptoris.

28. Tityre tu patulæ] Isthoc initium Maronis, quod in fronte operum illius primum se offert legentibus Ecl. 1. Fonte lavatum Pegaseo] Excellentem Poëtam, & qui ex divite vena, non pœnitenda fundat carmina. Quales qui sunt, de Parnassi fonte, quem Pegasus ungulâ excitavit, multum hausisse dicuntur. Ita Persius ad temperandam invidiam, prologum auspicatur.

*Nec fonte labra prolui caballino,*
*Nec in bicipiti somniasse Parnasso*
*Memini, ut repente sic Poëta prodirem.*

29. Daphnes diademate] Laureâ coronâ, Poëtarum proprio ornamine, quòd laurus futurorum præsensionem habere vulgò creditur, ac divinationis est symbolum. Inde vaticinia edituri lauro coronabantur; imò & laurum comedebant. Rhodig. l. 5. c. 7. Papin. sil. 4. c 4 ℣. 46.

*Felix curarum, cui non Heliconia cordi,*
*Serta, nec imbelles Parnassi è vertice laurus.*

Jovianus Pontanus Elegiam alloquens ℣. 97.

*At vates cui numen adest cui Delphica serpit*
*Laurus, & arguto carmen in ore sonat.*

Scio & hederâ Poëtas coronari, sed id expendere hujus loci non est. Certè Phœbus fugientis Daphnes amore frustratus, ad eam jam in laurum deformatam, disertè edixit apud Ovid. Metam. 1. ℣. 557.

*---At quoniam conjux mea non potes esse,*
*Arbor eris certè, dixit, mea. Semper habebunt*
*Te coma, te cythara, te nostra, Laure, pharetra.*

30. Falleris et nescis.] Philautiæ vitio tam cæcutis, ut non videaris tibi ipse decipi. Ovid. Epl 9. Heroid. Deianiræ ℣. 113.

*Falleris & nescis: non sunt, &c.-----*

Bone vir] Ironicè, pro simplici, incauto, vel indocto. Phrasis est Belgico idiotismo respondens, quâ solemus viros ineruditos, ac minimè vafros, bonos compellare, & non rarò irridere.

Horat.

*Cum Jano Cunina, Venus, Rhamnusia, Juno,*
*Spondent fortunatam animam, tumidosque nepotes:*
*Nos nihil hic contrà: fruere; utere Nestoris annis:*

Horat. l. 2. serm. 3. ✝. 31.

*-------O bone, ne te*
*Frustrere, insanis & tu.-----*

Ubi Damasippus Horatio ut simplici, ac minimè versuto convitiatur. CORUS ET AUSTER] Venti, quibus scil. adspirantibus à tractu occiduo & meridionali, ad te naves innumeris mercibus onustæ redeant. *Corus* ab occasu æstivo spirat, *Auster* à meridie. Mercatoribus observandos aut metuendos esse innuere videtur Juven. Sat. 14. ✝. 268.

*-----Coro semper tollendus & Austro*
*Perditus, ac vilis sacci mercator olentis.*

31. CUM JANO] Recenset hic Deos humanæ felicitatis, ac vitæ conjugalis præsides, quibus sospitantibus, etiam ex voto Poëtæ, Momo liceat beatè vivere. Incipit autem à *Iano*, utpotè qui rerum initiis finibusque, omnibus actionibus civilibus, & laboribus præesse olim credebatur. Initiatorem vocat Augustinus lib. 4. de civit. c. 11. ut intelligas inde speranda Momo rei familiaris, ac fortunarum incrementa, cui conjugii, mercatus, ac rerum suarum primordia dicaverit. *Ianus* Deorum antiquissimus, principium & finis, principem in sacris locum, ac Patulcii & Clusii nomen invênit, quod per eum accessum ad ceteros Deos patere; eumque tempora, annos, menses, dies aperire ac claudere existimarent. Nunc bifrons, nunc quadrifrons quaquaversus scil. respiciens; item clavem gestans, ac manuum articulis numerum dierum totius anni exprimens, pingebatur. Ab eundo quasi *Eanum*, Cic. de nat. Deor. 2. c. 67. à nostrate verbo *gaen*, quod itidem est *ire*, *Ganum* dictum existimat Goropius Becanus l. 4. Cron. De illo copiosè Macrobius l. 1. Saturn. cap. 7. CUNINA] Quæ, ut est apud Lactantium l. 1. de fals. Rel. c. 20. *infantes in cunis tuetur, ac fascinum submovet.* Infantibus quippe parentes vehementer metuebant à fascino, cui avertendo, Phallos rem turpiculam, ex eorum collo suspendebant. Augustinus, loco ut supra, *ipse*, inquit, *infantes tueatur, & sit Cunina.* Pro fecunda infantium educatione usurpari hic auguror. VENUS] Animorum conciliatrix, amoribus ac generationi præest: quare sicuti amoris nexu conjuges ligat, ita & concordiam, ac mutuam benevolentiam inter eos firmat; fœcunditatem quoque inducendo, maximum vitæ conjugalis momentum. Quinque numina conjugalia vide apud Plutarch. Quæst. Rom. probl. 2. RHAMNUSIA.] Nemesis, quam alii eamdem cum Fortuna, alii cum Justitia ac Deorum invidia faciunt; facinorosos plectere credita est. Hanc, ut placet Erasmo, aiunt ex opinione veterum theologorum lunæ superpositam, generali potentiâ Fatis præsidere, terrena omnia despectantem, ut reginam & arbitram rerum omnium; quæ inprimis fastui infensa, nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat; nunc bonos ab imo suscitans, ad benè vivendum extollit. Nimiis votis obstare indicat Ausonius Epl. 24. ✝. 51.

*Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se*
*Inferret nimiis vindex Rhamnusia votis.*

Claudianus de Bell. Get. ✝. 631.

*Sed Dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis,*
*Ingemuit flexitque rotam.-----*

Vide Gevartii electa, & pulcherrimam Nemesis descriptionem apud Angel. Polit. in Syl. Manto. Hanc ergo deam vota sua fortunantem habere, vitæ humanæ non leve subsidiũ est. JUNO] Conjugii & partuum præses: à curando matrimonio *Pronuba*, *Zygia*, *Iuga* & *Iugalis* priscis dicta, quod ei, ut ait Virg. l. 4. Æn. ✝. 59

*-----Vincla jugalia curæ.*

A mulierum partubus fortunandis (quod alii Dianæ tribuunt) fœtibusque vitali aurâ initiandis, *Gamelion* & *Lucina*. Camerarius dec. 1. probl. 3. & Leopardus Emend 20. c. 5. Maritis in officio conjugali continendis præfectam fuisse indicat Ovid. Epl. Her. 12. ✝. 87.

*Conscia sit Iuno sacris præfecta maritis.*

32. FORTUNATAM ANIMAM] Felicitaris & fortunarum ingentium spem tibi faciunt. TUMIDOSQUE NEPOTES] Superbam ac opulentam posteritatem. NESTORIS ANNIS] Longevitate Nestoris, quem veteres constanter a tertio vitæ seculo, triseclem nominant; vel ut Lævius apud A. Gellium triseclisenem. Sed autumat Muretus var. lect. l. 9. c. 8. intelligendum id esse de tertia periodica genea, quam attigit. Genea autem Græcis dicitur pariendi ac generandi perfectius spatium, quod annorum triginta periodo conficitur: ita sexagenarius duas dicetur vitæ geneas

*Per nos ista licent: liceat sine felle vicissim*
*Mî vigilare meis: nulla est decisio gustus.*
*Siqua argutiolis mendosè colligis, in te*
*Torta puta; nam penna procax: vindicta Poëtas*
*Destituet nunquam; quibus in dicteria vulgi,*
*Indefessa patent armamentaria Cæli.*
*Non ego, quæ pluteum cædant, unguesque fatigent,*
*Affecto studia, aut mihi quæ malesana capillos*
*Præcipitent canos: fugio tantùm otia; solus*

neas implesse. Rho. l. 19. c. 22. *La Cerda* in 8. Æn.

34. SINE FELLE] Sine tuis cavillis, invidia, maledicentia. Fel sermonis amarulentiam signat. Mart. l. 7. Epig. 24. in malum poëtam. ℣. 3.

*Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis*
*Gutta sit, ô demens! vis tamen illa legi.*

Unde sales felle suffusi, & apud Plautum Truc. 1. 2. 77. corda felle lita. *Raderus* in Mart.

35. NULLA EST DECISIO GUSTUS.] Non abludit à triviali illo, & quibusdam frequenter in ore, *De gustibus non est disputandum.* Quo innuere volunt, non esse ultrà inquirendas dicti aut facti rationes; quemque suo sensu duci, aliisque alia placere, ducta similitudine à re cibaria. Cibus enim uni sapidus, alteri insipidus est. Horat. Epl. 2. l. 2. ℣. 58.

*Denique non omnes eadem mirantur, amantque.*
*Carmine tu gaudes: hic delectatur jambis:*
*Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.*
*Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,*
*Poscentes vario multùm diversa palato.*

36. ARGUTIOLIS] Falsis complexionibus, sophismatis, & longè accersitis ratiunculis. *Argutiola hæc*, inquit, A. Gellius l. 2. c. 3. *frivola & inanis est.* Sic argutiæ dicuntur arguté vel subtiliter dicta. MENDOSE COLLIGIS] Malè deducis ex poëmatis meis. Persius Sat. 5. ℣. 85.

*-----Mendosè colligis, inquit*
*Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.*

37. PROCAX] Petulans & mordax. Eodem epitheto Musam ornat Flaccus libr. 2. Od. 1. ℣. 37.

*Sed ne relictis Musa procax jocis*
*Ceæ retractes munera næniæ.*

38. DESTITUET POETAS NUNQUAM] Non deërunt unquam arma Poëtis, quibus se de conviciis aut injuriis ulciscantur: quare ex Minoe Platonis desumpta parœmia rectè monet: *Poëtam sibi nemo offensum reddat.* Poëtæ apibus similes, quæ, ut notat Muretus Var. Lect. l. 8. c. 1. *nisi irritentur, innocuæ sunt; irritatæ figunt aculeos.* Subjecta ultionis exempla lege loco citato. IN DICTERIA] Maledicta & criminationes. Mart. l. 6. Epig. 44. in Calliod. ℣. 3.

*Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes.*

Sic *dicta* apud Ciceronem & Plautum in eodem significatu reperias. *Palmerius* in Spicil.

39. INDEFESSA] Indefessè, continenter. ARMAMENTARIA] Armorum cælestium repositoria: unde Poëtis, quia genus divinum sunt, accersere liceat omne genus telorum, ad retorquendas vindicandasque injurias. Cælo Deorum arma recondita esse innuit Juven. Sat. 13. ℣. 83.

*Quidquid habent telorum armamentaria cæli.*

40. PLUTEUM CÆDANT] Quibus multâ ac intensâ curâ, & operoso cogitatu necesse sit incumbere. Actiones quippe operosè studentium & cogitantium sunt, caput scabere, ungues arrodere, pluteum seu librorum armarium cædere, excandescendo quòd vena, aut non, aut gravatè fluat. Persius Sat. 1. ℣. 106.

*Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.*

Sidon. Apoll. Carm. 2. ℣. 170.

*----Arroso quidquid sapit ungue Cleanthes.*

Et lib. 9. Epl. 9. *Cleanthem propter utrumque corrosis.* Vide Lips. Manud. ad Stoic. Phil. l. 1. c. 11. & Autum. in Pers.

41. MALESANA] Parum salubria, ingenium & valetudinem torquentia.

42. PRÆCIPITENT] Accelerent canos: id est senium ante tempus accersant. Mart. l. 11. Epig. 23. ℣. 6. *Præcipitantque virum.* Id est ante tempus accelerent virilem ætatem.

*Ne cogar numerare meos, per mœnia, passus.*
*Suades ut stertam? Num Drusus pandiculabor,*
*Cùm superest tempus? Cùm te vesanior ardor*
*Prostibulæ, ad cyathos cùm te rapit improba Siren;*
*Posse obturatis secedere sensibus, ánne*
*Esse putas parvi, securæ ad ludrica Musæ?*

43. Numerare passus] Pro more ignavè otiantium, qui inter ambulandum, ut mentem curis solutam occupent, passus suos numerare creduntur. Per mœnia] Urbis scil. Antverpiæ, civium ambulationi admodum opportuna: utpote non tantùm robore, ac propugnaculis ex quadrato lapide constructis, sed etiam amœnitate, miranda. Quinis siquidem quaternisque tiliarum ordinibus passim consita sunt, ut jure merito Belgica tempe dici queant. *Gevart.* De illis non abs re ad ipsam Urbem nostram lusit olim J. Lipsius Cent. Misc. 5. Epl. 4.

*Quàm volupe mi te luminibus istis fuit*
*Vidisse nuper, atque amœna mœnia,*
*Lente perambulasse identidem pede.*

44. Ut stertam] Dormiam, otio diffluam. Stertere est ronchos edere, quod altè dormientium. Horat. l. 1. Sat. 3. ℣. 17.

*-----Noctes vigilabat ad ipsum*
*Mane: diem totum stertebat.------*

Drusus] Ceu Drusus, qui fuit homo somniculosus, obiter notatus à Juven. Sat 3 ℣. 236.

*------ Rhedarum transitus arcto*
*Vicorum inflexu, & stantis convitia Mandra*
*Eripient somnum Druso.-------*

Pandiculabor.] Nihil agam, otier, desideam? Solemus à somno excitati pedes aut alia corporis membra extendere, & variè contrahere, quod latinè dicunt pandiculari: uti commovere os, totumque aperire seu diducere, oscitare est. Utrumque per translationem de otiosis, somniculosis, & pigris dicitur.

45. Superest tempus] A curis & negotiis vacuum: horis scil. subcisivis. Vesanior ardor] Libido, seu furor venereus.

46. Prostibulæ] Mœchæ semitariæ, seu meretricis vilissimæ. Olim ante stabula seu hospitia, propter advenarum concursum solebant se scorta prostituere. Indè à meretricularum statione prostibula dicta sunt, quasi ante-stabula. Aliqui à prostituendo id nomen deducunt. Meretrix & prostibula differunt, quòd meretrix, quæ & quæstuaria, honestiùs quæstum capiat, copiam sui secretiùs, & noctu tantùm faciens: prostibula verò, quæ se publicè & ubivis prostituit, quæstus diurni ac nocturni gratiâ. Plaut. in frag. Cistellariæ. ℣. 18.

*Intro ad bonam meretricem: adstat ea in via*
*Sola: prostibula sanè est----*

Ad cyathos] Ad potandum, ad pocula. Cyathus duodecima pars sextarii, nomen Græcum est. Ejus meminit Varro lib. 4. de Ling. Latin. *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, à guttis guttum appellarunt; & quo sumebant minutatim, à sumendo simpulum nominavere: in hujusce locum in conviviis, è Græcia successit epichysis, & cyathus.* Respondet vasis vitreis ævi nostri. Veteribus dimetiebatur modum & numerum bibendi. Mart. l. 1. Ep. 72 ad Somnum.

*Nævia sex cyathis, septem Iustina bibatur,*
*Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.*

Solebant quippe tot cyathos haurire, quot in absentis amicæ vel amici nomine, reperiebant litteras. Plura vide apud Raderum in Mart. Improba Siren] Bacchi illecebra. Hor. l. 2. Sat. 3. ℣. 14.

*-----Vitanda est improba Siren.*

Nota Ulyssis & Sirenum fabula. Ille cùm ex Circe didicisset, has prænavigantibus cantus dulcedine insidiari: sociis cerâ aures obturavit, sibi pedes & manus vinciendos curavit; vetuitque se solvi, si fortè earum cantu delectatus ad eas navigare vellet. Ovid. lib. 3. de art. ℣. 311.

*Monstra maris sirenes erant, quæ voce canora*
*Quaslibet admissas detinuere rates.*

Volunt autem Sirenes, Achelai & Musæ Calliopes, vel, ut alii malunt, Terpsichores filias fuisse numero tres, scil. Parthenopen, Leucosiam, & Ligiam: quarum una, voce; altera, cytharâ; tertia, tibiis utebatur. Plerumque pro voluptatibus, aut earum illectamentis, apud veteres accipiuntur. Vid. Lamb. in Horat. l. 1. Epl. 2. ℣. 23.

47. Obturatis sensibus] Immotis, ut sociorum Ulyssis aures cerâ obstructę. Secedere] A loco vel cœtu, ubi ab ea sirene periculum.

48. Ludicra Musæ.] Ad lusus, & amœnitates

*Nunc sacra, & alternâ nunc volvere mente profana,*
*Formatura animum rebus majoribus ortum?*
*Blandiculis rapior studiis; pernicia libris,*
*Ut caput infirmem, ut nephritidi acuta podagra,*
*Aut phthisis exanimet corpus conjuncta pusillum,*
*Nequidquam inculces. His tu nisi mitior agnâ,*
*Strictiùs insurgam; vel te memorabo recenti*
*Codice cum multis quorum triscurria norunt*

tates Musarum, seu Poëticæ; quibus liberor ab omni peccandi illecebra. Ac si dicat, cum tu, & alii tui similes, otium nacti à rebus agendis, ad lupanaria Veneri, vel ad cauponas Baccho litaturi seceditis; parvúmne vobis videtur, quod ego domum ad otia poëtica? SECURE] Ab omni animæ, & peccandi periculo.

50. FORMATURA ANIMUM] Ad tranquillitatem, rectum vitæ usum, & cultum compositura. ORTUM] A Deo creatum. RectèSeneca Ep. 79. de homine. *Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic... cum vitia disjecerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit.*

51. BLANDICULIS] Elegantioribus, amœnioribus, haud operosis. Cum eo Lipsius Epl. Quæst. l. 3. c. 24. *Di, deæque*, inquit, *omnes Musas, si reperta ea sunt cruciandis animis, & non oblectandis.* PERNICIA LIBRIS] Pernitentia, seu pertinaciter intenta evolvendis libris. *Pernix* à pernitendo tractum esse, auctor est Servius in ℣. 230. Maronis Georg. 3.

*Dura jacet pernix, instrato saxa cubili.*

Ubi meliùs legas *pernox*. Horat. Epod. 2. ℣. 42.

*Perniciis uxor Apuli.*

Id est laboriosi, pernitentis. *Torrent.* Pernicia libris dicit, uti Cicero lib. 1. de Leg. *Obtemperatio scriptis legibus, institutisque populorum.* Ubi volunt Archaismum esse, quo nomen verbale adsciscit casum verbi. Sic & in Topicis idem: *Traditio alteri.* Et passim apud illum & alios: *Domum itio, domum reditio.* Et apud Plautum: *Istam aditio, tactio, curatio* &c.

52. UT CAPUT INFIRMEM] Fatigem, debilitem. NEPHRITIDI] Renum doloribus. Nephritis est quivis renum affectus, tametsi propriè calculum in renibus hoc vocabulo notari velint. *Junius.* ACUTA] Acutissimi Doloris. PODAGRA] Morbo articulari propriè pedum; nam genuum *gonagra*, manuum *cheiragra est*. Nephritidem & podagram, morbos sibi familiares innuit Poëta.

53. AUT PHTHISIS]. Tabes seu pulmonum exulceratio, corpus universum colliquans. *Had. Iun.* Ordo est: frustra mihi persuaseris morosa studia, quæ vel capiti noceant, vel efficiant ut podagra cum nephritide conjuncta, aut phthisis, corpus tenerum ac pusillum exanimet. PUSILLUM] Pusilli corporis fuisse Scholirium, tum ipse in M. SS. tum alii tradidere.

54. INCULCES] Suaseris. Inculcare dicitur tralatitiè, easdem rationes iterando aliquid persuadere. Cic. de Fato. *Quid attinet inculcare fatum?* Quod est iisdem identidem rationibus ingerere. MITIOR AGNA] Parœmia tracta ab innocentissimi animalis lenitate. Sic apud Suidam auct. Schotto: πραοὶ τοὺς τρόπους. Agninis moribus homines. Et apud Mart. inflexo nonnihil significatu lib. 5. Epig. 38. de Erotio ℣. 2.

*Agnâ Galesi mollior Phalantini.*

Et ut ex Luciano in Append. Erasmi: *Vervece mitiorem efficere.* Quare quemadmodum atrocia lenibus mulcentur: ita agnâ olim tempestates placabant. Horat. Epod. 10. ℣. 23.

*Libidinosus immolabitur caper,*
*Et agna tempestatibus.*

Et apud Virg. l. 5. Æneid. ℣. 772.

*Tres Eryci vitulos, & tempestatibus agnam*
*Cædere deinde jubet.------*

Lege Turn. lib. 4. c. 22. & l. 14. c. 4.

55. STRICTIÙS] Acerbioribus cavillis. RECENTI CODICE] Conscripto novo poëmate, vel integro libro. MEMORABO] Describam, deferam cum viris aliis famosis, & mali commatis.

56. TRISCURRIA] Maximè scurrilia. Vox videtur à Juvenale conficta, nam alibi eam non temere invenias. Sat. 8. ℣. 190.

*Qui sedet, & spectat triscurria patriciorum.*

Ubi volunt particulam *tris*, pro superlativo poni, more Græcis & Latinis familiari. Sic *trifur, trifur-*

*Conducti vigiles, caupones, pharmacopolæ,*
*Et genus hoc hominum; cùm se simulando Cleanthi*
*Affectant similes, & moribus immaculatos:*
*Sobria qui crepitant, sed Bacchanalia vivunt.*
*Castigant alios, audent abnormia; verbis*
*Sunt admirandi, nulla at reverentia factis.*
*Exteriora colunt, animus cœnosior ipso*
*Augiæ stabulo. Si me reprehendis, ut ipsum*
*Momorum Momum, rationibus argue apertis;*
*Respondebo palàm. Sed quid? Si convenit apris*

*elfer, trivenefica, Trismegistus* &c. Sic Diogenes Cynicus Oratores atque omnes in dicendo gloriam quærentes τρισανθρώπους, id est *ter homines*, pro eo quod est, *ter infelices* appellabat. *Laert.* lib. 6. Inquibus omnibus vehementer augetur simplicis significatio.

57. CONDUCTI VIGILES] Vilissimi, nullius pretii vel census homines, qui victus gratiâ, Antverpiç operą elocant locupletioribus civibus, in obeundo eorum stationes aut excubias, quando pro ordine sui vici, ad urbis custodiam, lege tenentur excubare. CAUPONES, PHARMACOPOLÆ] Homines item plebei, sed omnium fere rumorum & nunciorum conscii: nam uti in excubiis referuntur ea quæ vel publicè vel privatim innotuerunt; ita & in cauponis ac pharmacopoliis, non minùs: quòd loca illa ab omnis generis & sortis hominibus frequentari solent.

58. ET GENUS HOC &c. ] Ac si dicat: te describam cum iis, quorum triscurria nemini non nota sunt. CLEANTHI ] Continentissimo philosopho Stoïco, qui rerum egestate pressus, interdiu studiis, noctu verò ut vitam aleret, mercenariâ operâ rigandis hortis, & hauriendæ aquæ vacabat. Inde proverbialiter *ad Cleanthis lucernam lucubrare*, pro eo quod est, exquisitâ diligentiâ studere, vel alicui rei seriò incumbere. *Erasm.*

60. SOBRIA QUI CREPITANT. ] Sobriam vel frugalem vitam assiduè jactant. *Crepare* tralatitiâ phrasi, est sæpius eadem iterando, de aliqua re nunquam non sermonem facere. Lucret. lib. 2. ℣. 1166.

*Et crepat antiquum genus---*

Horat. l. 1. Epl. 7. ℣. 84.

*Sulcos & vineta crepat mera---*

Et alibi frequenter, Significantius autem hîc est, frequentativum *crepitat*. BACCHANALIA VIVUNT. ] Bacchanaliter & intemperanter genio indulgent, pergræcantur. *Bacchanalia* olim erant nocturna festa, quæ clàm in urbibus à maritis & fœminis fiebant, in quibus inter vina & epulas, promiscua stupra. Juven. Sat. 2. ℣. 3.

*Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.*

Vide infra Serm. 5. ℣. 272.

61. ABNORMIA. ] Devia à normâ sapientiæ aut honestatis. Horat. lib. 2. Serm. 2. ℣. 3.

*Rusticus abnormis sapiens, crassâque Minervâ.*

62. REVERENTIA FACTIS] Nullus eis accedit honor & reverentia ab operibus, quando non verentur ea ipsa facere, quorum censurâ plectunt alios

63. EXTERIORA COLUNT ] Externis moribus virtutem præferunt, ut videantur, & non sint boni; de illorum utique numero, uti est in Proverbiis, qui *malunt personam quàm faciem.*

64. AUGIÆ STABULO ] Quod tantum congesti fimi habuit, quantum tria boum millia, triginta continuatis annis reddere potuerunt. Unde proverbiali allegoriâ dicitur de homine, aut re maiorem in modum inquinatâ. Augiæ stabulum repurgatum, inter Herculis labores recensetur: nam immisso flumine, Hercules pactâ mercede, omnem fimum eluit. Vid. Del Rio in Sen. *Augias* Eleorum Rex ab Hercule interfectus.

66. SED QUID? Repentina dubitatio, quâ lepidè ad correctionem ironicam transit. SI CONVENIT APRIS ] Cum succincta venustate desumptum ex Sat. 15. Juvenal. ℣. 160.

*------Quando Leoni*
*Fortior eripuit vitam Leo? Quo nemore unquam*
*Exspiravit aper maioris dentibus apri?*

*In-*

*Inter se, sævis & tigribus, ac leopardis;*
*Quin pacem æternam exercemus, fœdere tali:*
*Te ponam anticâ, posticâ me; sino, sculpas,*
*Idque numisma locet capsæ antiquarius aureæ:*
*Utque novum, est dextrum, minùs hoc flocci valiturum.*
*Riseris hæc sodes, promissos versibus atris*
*Innectam laqueos, & agam te in fata Lycambæ.*

*Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem*
*Perpetuam: sævis inter se convenit ursis:*
*Ast homini &c.------*

67. QUIN PACEM ÆTERNAM] Imò pacem inter nos perpetuam ineamus. Virg. Æneid. 4. ℣. 99.

*Quin potiùs pacem æternam, pactosque Hymenæos*
*Exercemus? -----*

68. FŒDERE TALI] Hac lege, vel conditione.

69. TE ANTICA, POSTICA ME] Te priori parte ponam in numismate, me à tergo seu posteriori. Aut, si mavis, te collocabo anticâ seu anteriore parte domus, me verò posteriore, ut absit pugnæ vel plagæ periculum. *Anticum* & *posticum* ostia: *Antica* & *postica* fœminei generis, augutalia sunt. SINO SCULPAS] Per me licet, ut cures nos hac ratione in æs incidi, ac numismate repræsentari. Jocatur non sine sale & aculeis.

70. IDQUE NUMISMA LOCET] Tradat, credat aureæ capsulæ, in qua magnâ cum reverentiâ, veteres, aliosque non minoris æstimationis, aut raritatis numos reconditos servat. ANTIQUARIUS] Cultor & admirator rei antiquariæ, & qui ejusmodi cimelia, aliaque antiquitatem olentia, exquisitâ diligentiâ scrutatur & acervat. AUREÆ.] Versus hic hexameter desinit in Dactylum, vel in Spondeum crasi adhibitâ; quales multi apud Virgilium & alios. Virg. Æneid. 6. ℣. 33.

*Vix Patria cecidere manus, quin protinus omnia*
*Perlegerent oculis.-----*

71. UTQUE NOVUM] Et quamvis novum. EST DEXTRUM] Archetypon: nam in archetypo dextra sunt, quæ in exemplari sunt sinistra. Sic hominis oculus dexter speculo objectus, repræsentatur sinister. Quare Quintilianus lib. 11. c. 3. de Demosthene in speculo se declamantem intuente: *adeo*, inquit, *quamvis fulgor ille sinistras imagines reddat, suis demum oculis credidit*. Sensus est: & quamvis numisma futurum, est novum; archetypum tamen est (vulgus dixerit originale) ideoq; minùs rejicietur ab antiquario.

72. SODES] Si audes. Alibi blandè precantis particula est; hic quasi minantis aut deterrentis, non tamen à suo propriissimo significatu alienum. VERSIBUS ATRIS] Virulentis & mordacibus. Virg. Georg. 1. ℣. 129. vocat serpentes atros, id est noxios. & lib. 2. ℣. 130. venena.

*Auxilium venit, & membris agit atra venena.*

73. LAQUEOS] Quibus te præfoces. ] ET AGAM] Adigam te. IN FATA LYCAMBÆ] Ut manus tibi ipse inferas, imitaturus Lycamben. Nota Archilochi Poëtæ mordacitas, qui Lycamben socerum, à quo repudiatus fuerat, ejusque filiam sibi desponsam, adeò virulentis versibus insectatus est, ut uterque laqueo vitam sibi ademerit. Eâdem comminatione utitur Horat. ad Cassium Severum Poëtam maledicum. Epod. 6. ℣. 11.

*Cave, cave: namque in malos asperrimus*
*Parata tollo cornua:*
*Qualis Lycambæ spretus infido gener.*

Archilochi numeros animosque non maledicentiam Flaccus secutus est. Lib. 1. Epl. 19. ℣. 24.

*-----Numeros animosque secutus*
*Archilochi, non res, & agentia verba Lycamben.*

Id est, in crucem agentia.



SER-

*Conducti vigiles, caupones, pharmacopolæ,*
*Et genus hoc hominum; cùm se simulando Cleanthi*
*Affectant similes, & moribus immaculatos:*
*Sobria qui crepitant, sed Bacchanalia vivunt.*
*Castigant alios, audent abnormia; verbis*
*Sunt admirandi, nulla at reverentia factis.*
*Exteriora colunt; animus cœnosior ipso*
*Augiæ stabulo. Si me reprehendis, ut ipsum*
*Momorum Momum, rationibus argue apertis;*
*Respondebo palàm. Sed quid? Si convenit apris*

*tifer, trivenefica, Trismegistus* &c. Sic Diogenes Cynicus Oratores atque omnes in dicendo gloriam quærentes τρισανθρώπους, id est *ter homines*, pro eo quod est, *ter infelices* appellabat. *Laert.* lib. 6. Inquibus omnibus vehementer augetur simplicis significatio.

57. CONDUCTI VIGILES] Vilissimi, nullius pretii vel census homines, qui victus gratiâ, Antverpiç operā elocant locupletioribus civibus, in obeundo eorum stationes aut excubias, quando pro ordine sui vici, ad urbis custodiam, lege tenentur excubare. CAUPONES, PHARMACOPOLÆ] Homines item plebei, sed omnium fere tumorum & nunciorum conscii: nam uti in excubiis referuntur ea quæ vel publicè vel privatim innotuerunt; ita & in cauponis ac pharmacopoliis, non minùs: quòd loca illa ab omnis generis & sortis hominibus frequentari solent.

58. ET GENUS HOC &c.] Ac si dicat: te describam cum iis, quorum triscurria nemini non nota sunt. CLEANTHI] Continentissimo philosopho Stoïco, qui rerum egestate pressus, interdiu studiis, noctu verò ut vitam aleret, mercenariâ operâ rigandis hortis, & hauriendæ aquæ vacabat. Inde proverbialiter *ad Cleanthis lucernam lucubrare*, pro eo quod est, exquisitâ diligentiâ studere, vel alicui rei seriò incumbere. *Erasm.*

60. SOBRIA QUI CREPITANT.] Sobriam vel frugalem vitam assiduè jactant. *Crepare* tralatitiâ phrasi, est sæpius eadem iterando, de aliqua re nunquam non sermonem facere. Lucret. lib. 2. ỿ. 1166.

*Et crepat antiquum genus---*

Horat. l. 1. Epl. 7. ỿ. 84.

*Sulcos & vineta crepat mera---*

Et alibi frequenter. Significantius autem hic est, frequentativum *crepitat*. BACCHANALIA VIVUNT.] Bacchanaliter & intemperanter genio indulgeon, pergræcantur. *Bacchanalia* olim erant nocturna festa, quæ clàm in urbibus à maritis & fœminis fiebant, in quibus inter vina & epulas, promiscua stupra. Juven. Sat. 2. ỿ. 3.

*Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.*

Vide infra Serm. 5. ỿ. 272.

61. ABNORMIA.] Devia à normâ sapientiæ aut honestatis. Horat. lib. 2. Serm. 2. ỿ. 3.

*Rusticus abnormis sapiens, crassâque Minervâ.*

62. REVERENTIA FACTIS] Nullus eis accedit honor & reverentia ab operibus, quando non verentur ea ipsa facere, quorum censurâ plectunt alios

63. EXTERIORA COLUNT] Externis moribus virtutem præferunt, ut videantur, & non sint boni; de illorum utique numero, uti est in Proverbiis, qui *malunt personam quàm faciem.*

64. AUGIÆ STABULO] Quod tantum congesti fimi habuit, quantum tria boum millia, triginta continuatis annis reddere potuerunt. Unde proverbiali allegoriâ dicitur de homine, aut re maiorem in modum inquinatâ. Augiæ stabulum repurgatum, inter Herculis labores recensetur: nam immisso flumine, Hercules pactâ mercede, omnem fimum eluit. Vid. Del Rio in Sen. *Augias* Eleorum Rex ab Hercule interfectus.

66. SED QUID? Repentina dubitatio, quâ lepidè ad correctionem ironicam transit. SI CONVENIT APRIS] Cum succinctâ venustate desumptum ex Sat. 15. Juvenal. ỿ. 160.

*------Quando Leoni*
*Fortior eripuit vitam Leo? Quo nemore unquam*
*Exspiravit aper maioris dentibus apri?*

In-

*Inter se, saevis & tigribus, ac leopardis;*
*Quin pacem aeternam exercemus, foedere tali:*
*Te ponam anticâ, posticâ me; sino, sculpas,*
*Idque numisma locet capsae antiquarius aureae:*
*Utque novum, est dextrum, minùs hoc flocci valiturum.*
*Riseris haec sodes, promissos versibus atris*
*Innectam laqueos, & agam te in fata Lycambae.*

*Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem*
*Perpetuam: saevis inter se convenit ursis:*
*Ast homini &c.------*

67. QUIN PACEM AETERNAM] Imò pacem inter nos perpetuam ineamus. Virg. Æneid. 4. ℣. 99.

*Quin potiùs pacem aeternam, pactosque Hymenaeos*
*Exercemus?-----*

68. FOEDERE TALI] Hac lege, vel conditione.

69. TE ANTICA, POSTICA ME] Te priori parte ponam in numismate, me à tergo seu posteriori. Aut, si mavis, te collocabo anticâ seu anteriore parte domus, me verò posteriore, ut absit pugnae vel plagae periculum. *Anticum* & *posticum* ostia: *Antica* & *postica* foeminei generis, auguralia sunt. SINO SCULPAS] Per me licet, ut cures nos hac ratione in aes incidi, ac numismate repraesentari. Jocatur non sine sale & aculeis.

70. IDQUE NUMISMA LOCET] Tradat, credat aureae capsulae, in qua magnâ cum reverentiâ, veteres, aliosque non minoris aestimationis, aut raritatis numos reconditos servat. ANTIQUARIUS] Cultor & admirator rei antiquariae, & qui ejusmodi cimelia, aliaque antiquitatem olentia, exquisitâ diligentiâ scrutatur & acervat. AUREAE.] Versus hic hexameter desinit in Dactylum, vel in Spondeum crasi adhibitâ; quales multi apud Virgilium & alios. Virg. Æneid. 6. ℣. 33.

*Vix Patria cecidere manus, quin protinus omnia*
*Perlegerent oculis.-----*

71. UTQUE NOVUM] Et quamvis novum. EST DEXTRUM] Archetypon: nam in archetypo dextra sunt, quae in exemplari sunt sinistra. Sic hominis oculus dexter speculo objectus, repraesentatur sinister. Quare Quintilianus lib. 11. c. 3. de Demosthene in speculo se declamantem intuente: *adeo*, inquit, *quamvis fulgor ille sinistras imagines reddat, suis demum oculis credidit.* Sensus est: & quamvis numisma futurum, est novum; archetypum tamen est (vulgus dixerit originale) ideoq; minùs rejicietur ab antiquario.

72. SODES] Si audes. Alibi blandè precantis particula est, hic quasi minantis aut deterrentis, non tamen à suo propriissimo significatu alienum. VERSIBUS ATRIS] Virulentis & mordacibus. Virg. Georg. 1. ℣. 129. vocat serpentes atros, id est noxios. & lib. 2. ℣. 130. venena.

*Auxilium venit, & membris agit atra venena.*

73. LAQUEOS] Quibus te praefoces.] ET AGAM] Adigam te. IN FATA LYCAMBAE] Ut manus tibi ipse inferas, imitaturus Lycamben. Nota Archilochi Poëtae mordacitas, qui Lycamben socerum, à quo repudiatus fuerat, ejusque filiam sibi desponsam, adeò virulentis versibus insectatus est, ut uterque laqueo vitam sibi ademerit. Eâdem comminatione utitur Horat. ad Cassium Severum Poëtam maledicum. Epod. 6. ℣. 11.

*Cave, cave: namque in malos asperrimus*
*Parata tollo cornua:*
*Qualis Lycambae spretus infido gener.*

Archilochi numeros animosque non maledicentiam Flaccus secutus est. Lib. 1. Epl. 19. ℣. 24.

*------Numeros animosque secutus*
*Archilochi, non res, & agentia verba Lycamben.*

Id est, in crucem agentia.

# SERMO III.

## AD PHILIPPUM HAPPARTIUM

### CORBECÆ DOMINUM.

### IN ANTIBRABANTUM.

ARgument. In Patriam pius insectatur aretalogum quemdam, qui Brabantos temere sugillaverat. Quatuor proinde urbes Brabantiæ principes, earumque mores; ac in primis Academiam Lovaniensem & Antverpiam, luculenter deprædicat: convictumque calumniæ Antibrabantum hortatur, ut posthac prudentior, à maledicendo linguam imprudentem contineat.

*NOn feram in æternum concivibus improperari*
*Sordes: dissimulet, qui vult, dignissimus urbe*
*Bergomo adulator, proprio discrimine; ego non.*
*Ergo Brabantinos, multorum scandalo, ineptè*
*Qui oppugnas, nugis armatus, despicis urbes,*
*Pondere multorum quas primas credimus orbis;*

1. CONCIVIBUS] Popularibus meis Brabantinis.

2. SORDES] Avaritiã, quam usitatissimo epitheto sordidã appellant veteres. Juven. Sat. 1. ℣. 139.

*-----Quis feret istas*
*Luxuriæ sordes?-----*

Id est avaritiam: ita enim ejus sententiæ ratio postulat. Horat. lib. 1. Sat. 6. ℣. 68.

*Si neque avaritiam, neque sordes, nec mala lustra*
*Objiciet verè quisquam mihi.-------*

3. BERGOMO DIGNISSIMUS.] Ignavus aut stolidus, & qui non audeat se, aut patriam vindicare: quem dixerint Itali *Coglione* e apud quos Bergomates populi Transpadanæ Italiæ, vulgari sarcasmo, audiunt *Coglioni di Bergomo*. Eos hoc Epigrammate notat magnus Jul. C. Scaliger in urbibus, inter quas de Bergomo.

*Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,*
*Tecta, cibus, gressus, gustura, sermo, sonus.*
*Omnia crassa modis insignibus; omnia dura:*
*Sic valeant silices ut superare suos.*
*Ista Domi: sed vicinus si aspergat acetum;*
*Artibus atque dolis vincitur ipsa suis.*

Non defuere tamen viri Cl.mi, qui Solum hoc ortu suo illustrarunt, inter quos Ambrosius Calepinus Ord. Erem. S. Augustini eximium jubar: cui quantum debeant litteræ & posteri, docet Index ille latinarum vocum, omnium usu & fructu comprobatus; quem toties recusum, & à viris doctissimis auctum (uti inventis aliquid adjicere non est arduum) auctoris nomine mulctare, nullus hactenus livor sustinuit. Ut verum sit, quod dixit Juven. Sat. 10. ℣. 49.

*Summos posse viros & magna exempla daturos,*
*Vervecum in patria, crassoque sub aëre nasci.*

4. BRABANTINOS] Qui provinciarum XVII. Inferioris Germaniæ, primam constituunt; urbium pulcherrimarum numero, agri amœnitate fertilitateque, morum comitate, ingeniis popularium, ac Ducatus, quod aiunt, titulo insignem. MULTORUM SCANDALO.] Multis offensis, & indignantibus.

5. NUGIS ARMATUS] Nugatoriis rationibus, & futilibus argumentis subnixus.

6. PONDERE MULTORUM] Numero, multitudine, præstantiâ & affluentiâ rerum, à quibus laudetur Brabantia. Pondus nonnumquam pro numero, & copiâ usurpatum reperias. Varroni certè

*Inter præcipuas saltem mihi nemo negarit.*
*Concute monstrosum pectus: tua dicta retracta,*
*Actutum aut defende: illisis cornibus omne*
*Eruitur verum, & mendacia convincuntur.*
*Viles, abjectos dicis nos esse Brabantos:*
*Subnectis causas; quoniam quamplurima nobis*
*Ventosâ in linguâ, non responsemus agendis:*
*Pauci cordati, pauci afficiantur amicis,*
*Pauci inopinatò jubeant accumbere mensis:*
*Ampullæ, jaculatores, multique Thrasones,*
*Si bene Mercurius quis fortunaverit horam:*
*Hinc neque qui dederint, nec magna exempla daturos,*

certè dicere libuit: *Magnum pondus omnium artificum.*

8. CONCUTE.] Examina, excute, considera, diligenter exquire. Ita Horat. lib. 1. Sat. 3. ℣. 34.

*-----Denique te ipsum*
*Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim*
*Natura.-----*

Et Virgil. lib. 7. Æneid. ℣. 338.

*-------Fœcundum concute pectus.*

Id est, ita exagita, ut omne noxium & venenum foras prodeat. Et Seneca in Herc. fur. ℣. 105.

*Hoc agite, pœnas petite violatæ Stygis,*
*Concutite pectus.-----*

MONSTROSUM PECTUS] Squallens monstris falsarum opinionum.

9. ACTUTUM.] Statim defende. ILLISIS CORNIBUS.] Argumentis utrimque commissis, & ab alterutra parte consiactis. *Cornua* in prælio, sunt prominentes utrimque aciei partes: in disceptatione verò, seu vocali acie, dicuntur argumenta, seu potiùs certæ argumentorum ordinationes.

13. VENTOSA IN LINGUA.] Gloriosa & jactabunda. In ore aut lingua esse dicuntur, de quibus nobis est frequens sermo. *Ventosi* item dicuntur leves & inconstantes. Horat. l. 1. Epl. 8. ℣. 12.

*Romæ Tibur amem ventosus-----*

NON RESPONSEMUS] Non præstemus ea quæ jactamus, aut de quibus gloriamur.

15. INOPINATO ACCUMBERE MENSIS.] Qui ex improviso, ipsâ horâ prandii invitent ad mensam familiarem, quâ non liceat, alios extra ordinem cibos adjicere, vel apparare.

16. AMPULLÆ] Inflati seu superbi. *Ampulla* vasculum rotundum, ac quasi inflato ventre turgidum, à sui similitudine tam hominum, quàm verborum tumorem denotat. Horat. de Arte poëtica. ℣. 97.

*Projicit ampullas & sesquipedalia verba.*

JACULATORES] Dialectici, Sophistæ, vel argutatores, qui omnia quæ in caussam suam faciunt, diligenter accumulant. Juven. Sat. 7. ℣. 193.

*----Orator quoque maximus, & jaculator.*

MULTIQUE THRASONES] Ostentatores, insolentes, arrogantes, sibi magnarum rerum gloriam tribuentes: qualis Thraso, qui Terentianæ fabulæ nomen fecit Militis gloriosi.

17. MERCURIUS FORTUNAVERIT] Ubi nacti fuerint occasionem. Hor. lib. 1. Epl. 11. ℣. 22.

*Tu quamcumque Deus tibi fortunaverit horam,*
*Gratâ sume manu.-----*

Id est, quamcumque occasionem, aut tempus opportunum lucris, honoribus &c. nactus fueris. *Mercurium* autem sortium, eventuum aut casuum quorumcumque auspicem fuisse vel præsidem, indicat Horat. l. 2. Sat. 3. ℣. 68.

*Rejectâ prædâ quam præsens Mercurius fert.*

Veteres in jactu quodam solebant præfari Mercurium ominis gratiâ, ut est apud Hesychium; inde adag. *Dextro Mercurio.* Nam omnis sors & sortitio Mercurio olim attributa est. *Erasm. Iun.*

18. EXEMPLA] Liberalitatis, Hospitalitatis, fortitudinis, comitatis &c. Juven. Sat. 10. ℣. 49.

*Summos posse viros, & magna exempla daturos,*

19. In-

*Inter eos numero reperiri colligis: addis,*
*Omnibus hoc lippis notum & tonsoribus esse,*
*Plurimaque incauto convitia prodigis ore.*
*Quis se contineat, quem nunc piget esse Poëtam?*
*Num fundamenti, num quid rationis in istis?*
*Num verosimile est quidquam? Ridenda negabit*
*Omnibus hæc terris quæ sunt à Gadibus usque*
*Auroram & Gangem quisquam, cui caussa repressa*
*Jure Brabantino; vel, qui natus velut extrà,*
*Munere præcipuo, Patriâ insurgente, remotus?*
*Non certabo odiis; non ullam pressero gentem,*
*Committam aut trutinæ; quævis collatio torquet.*
*Oppressam liceat Matrem defendere, quovis*

19. INTER EOS NUMERO] In numero, aut copiâ seu multitudine: id est paucos reperiri, non multos.

20. LIPPIS ET TONSORIBUS] Omnibus è vulgo. Horat. l. 1. Sat. 7. ✝. 2.

-------*Opinor*
*Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.*

Quod dicitur de illa re, quæ jam in ora vulgi abiit. Nam in tonstrinarum consessibus, omnes rumores referri solent: & lippi, aut illic pro remedio oculorum desidere, aut loquaces ad se allicere consueverunt, ut tempus fallant, rebus agendis inidonei. *Erasmus.*

21. INCAUTO] Imprudenti, temerario. PRODIGIS] Sine ulla fruge, ratione, utilitate jacis.

22. QUIS SE CONTINEAT &c.] Erotesis hæc & sequentes, majoris asseverationis gratiâ adhibentur: quasi dicat, nemo se contineat: neminem pigeat esse poëtam: nihil fundamenti in istis, &c. ESSE POETAM] Ut vindicet scripto carmine patriam à calumniis. Nota poëtarum virulentia in ulciscendo se de adversariis, ex sermonis præcedentis ✝✝. 18. & 73.

25. A GADIBUS] Ab extremo occidente. Gades insula ultra fretum Herculeum sita, ubi ad finem quasi orbis nostri, Herculeæ expeditionis limes consecratus est, elogio columnis insculpto: NE ULTRA. Vid. Serm. 7. ad ✝. 448.

26. AURORAM ET GANGEM] Primum exorientem solem; id est, ad ultimam orbis orientalis plagam. *Ganges* Indiæ orientalis notissimum flumen. Juven. Sat. 10. ✝. 1.

*Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usque*
*Auroram & Gangem*-.---

CUI CAUSSA REPRESSA] Rejecta aut repulsa lege Brabantinâ. Sensus est: non negabit hæc esse ridicula, etiam is, qui per leges Brabantinas frustratus est voto suo, aut rejectus à magistratu aliquo magis honorifico aut principali; ob quam repulsam Brabantinis, fortè non injuriâ, succenseat.

27. NATUS VELUT EXTRA.] Tanquam, vel quia exterus, & natus extra Brabantiam. In Brabantia enim ad nullos magistratus admittuntur exteri, aut illegitimâ venere procreati.

28. PATRIA INSURGENTE] Ut sæpe usu venit. Etenim si, errore fortasse vel incogitantiâ Principis, aliquo magistratu sit auctus quispiam peregrinus, statim reclamatur à popularibus. Omnes enim Brabantiæ populi, hoc suum jus & privilegium acerrimè defendunt. *Lœti Introit. Ducum.* Rationes legis vide apud Loyens Concil. Brab. Cap. 11.

29. NON CERTABO ODIIS] Non altercabor cum aliis nationibus, de re ista. PRESSERO] Depressero, aut nostræ posthabuero.

30. COMMITTAM AUT TRUTINÆ] Examinabo aut expendam. Trutinæ committuntur, quorum pondus ad trutinam seu libellam exploratur. QUAVIS COLLATIO TORQUET.] Omnis comparatio, ut vulgariter dicimus, odiosa.

31. OPPRESSAM] Calumniis læsam. MATREM] Provinciam seu terram patriam, quæ me instar matris luce donavit & aluit.

32. Ju-

*Judice Tiresiâ; pius est qui vindicat illam.*
*Quattuor, ut primas, Provincia computat urbes:*
*Lovanium, Bruxella, Antuerpia, Silvaducalis,*
*Præsidia hæ reliquis. Videamus partibus illis,*
*Quid reprehendetur, vel quid laudabitur æquè.*
*Lovanium antiquâ quàm relligione fideque*
*Principibus devota suis: quibus artibus olim*
*Floruit, & pannis (nunc gloria lauta Britannis)*
*Nequidquam memorem. Paucis: pietatis amore*
*Tempora continuat; sacris textoribus aucta*
*Fulget, & ingenuæ cessit ditissima praxi.*

32. JUDICE TIRESIA] Quovis veridico, aut sincero judice. Talis enim fuit Tiresias, qui æquam pro Jove contra Junonem tulit sententiam. Eumdem, ut est apud Callimachum, mota lacrymis Chariclus nymphæ, Minerva; vatem, & longævum, & post obitum quoque prudentem sapientemque præstitit. *Politianus.* Ulysses ad Tiresiam apud Horat. lib. 2. Sat. 5. ℣. 5.

-----*O nulli quidquam mentite!*-----

Extat in M. S. codice Poëtæ: *Judice Tiresia sincerior*, non sine specie proverbii.

34. LOVANIUM &c.] Ordine consueto recenset quatuor capitales urbes Brabantiæ, sub quarum præsidio, divisis in hanc rem agris, reliqua provinciæ ejusdem oppida, municipia, vici & pagi, aliaque loca continentur, & gubernantur.

37. QUAM] Id est valde. Cic. 1. de Orat. *Operâ quàm tenui & levi.* Et in Epist. lib. 9. *Liberis dare operam, quàm honestè dicitur.* Utrobique valet *valde* RELLIGIONE] Divorum cultu ac reverentiâ. Indicat Lipsius Lovan. libr. 2. cap. 7. FIDEQUE] Fidelitate in suos Comites & Duces, quibus præsto fuere Lovanienses, in gravissimis bellis, & plerumque victores. Lips. Lov. l. 2. c. 8.

38 DEVOTA] Valde obsequiosa & dicata servitiis Principum. Nec te offendat constructio *Lovanium devota.* Sic enim apud Nasonem legas Metam. 14. ℣. 466.

-----*Postquam alta cremata est*
*Ilion*-------

Et Sidon. Apoll. Carm. 5 ℣. 582.

*Lugdunumque tuam dum præteris aspice victor.*

Et iterum Ovid Epl. Penelop. ℣. 47.

*Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis*
*Ilion? Et murus quod fuit ante solum?*

Alii perperam legunt *Ilios.* Ubi nomina propria urbium, terminatione neutra, fiunt generis muliebris, vel per regulam generalem, vel per synthesin subaudito nomine *urbs.*

39. QUIBUS ARTIBUS FLORUIT &c.] Militaribus in primis: nam & Cives olim castra sequebantur. Et in hoc instituta exercitia armorum, & collegia militaria; designata in urbe loca, quibus exercerentur. Accessere artes pannificii, & nundinæ: adeo ut urbs Lovaniensis ad summam opulentiam olim increverit. Lipsius Lovan. l. 2. cap. 5. & 6. NUNC GLORIA LAUTA BRITANNIS] Dives & opulenta panni gloria penes Anglos hodie. Audi Lipsium cap. 5. cit. *Quæ gloria aut frequentia panni nunc Britannica tribuitur, ea Lovaniensi fuit: & hinc* (Lovanio) *ad illos ivit.*

40. PAUCIS] Supple rem totam expediam, aut complectar recentiora. PIETATIS AMORE] Studio Religionis quo laudabilis olim extitit.

41. TEMPORA CONTINUAT] Pergit & nunc nusquam non inclarescere. SACRIS TEXTORIBUS] Mentium formatoribus, artium liberalium omniumque disciplinarum doctoribus, à tempore institutæ isthic Academiæ per JOANNEM IV. Brabantiæ Ducem, impetratâ potestate à MARTINO V. Pont. Max. Anno Dei hominis CIↃ. CCCCXXVI. & deinceps gloriâ ejus Gymnasii, per orbem Christianum se quàm latissimè diffundente.

42. INGENUÆ PRAXI] Liberalibus & ingenuis omnium scientiarum disciplinis; aliò jam distractis commerciis, & sublatâ textrinæ, pannificiique mechanicâ arte.

*Ergo per extremas Academia cognita terras.*
*Cognita; nec satis est: doctum caput extulit inter*
*Oxonium, Aurelias, Italas, reliquasque Sorores.*
*Haud ignota loquor: non ulla est læsio Gallis;*
*Nulla vel Hesperiæ, vel sanctæ injuria Romæ.*
*Non ago de sacris, penetrant qui dogmata, Mystis,*
*Quos sub Apostolico concordes credimus axe,*
*Et teneo esse pares, sicut Deus omnibus idem.*
*Fas mihi ferre Viros, studiisque insistere Juris;*
*Juris, tot spatiis quæ tam celeberrima vidi,*
*Et quorum pars parva fui. Contendere quisquam*
*Audeat, aut levibus rationem inflectere curis?*
*Sex inter reliquos ex ordine pono Legentes,*

43. EXTREMAS] Regiones maximè distantes, & ultimas mundi. ACADEMIA] Gymnasium Lovaniense. *Academia* locus fuit nemorosus prope Athenas, ubi Plato philosophiam docuit: unde discipuli ejus dicti Academici. Modò Academia dicitur de omni loco, ubi scientiarum gymnasia vigent: maximè verò ubi omnium litterarum artiumque præcepta publicitus traduntur. COGNITA.] Clara & nominata; nulla enim secundùm Parisiacam numerosior & ornatior. *Barland.*

44. CAPUT EXTULIT] Doctrinæ nominisque celebritate, alia per orbem Gymnasia longè prævertit. Virg Ecl 1. ✠ 25. de Urbe Roma.

*-----Tantùm alias inter caput extulit Vrbes,*
*Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.*

45. OXONIUM] Britanniæ civitatem, ubi instituta schola Anno Christi DCCCLXXIII. quæ à studiorum excellentiâ, litterarum & sapientiæ officina olim appellata est. AURELIAS] Galliæ urbem, cui Gymnasium obtigit circa annum Domini CIↃ. CCCXII. à Philippo Pulchro Galliarum Rege; ubi ferunt S. Ivonem Juri ac Theologiæ operam dedisse. ITALAS] Romanam scil. Bononiensem, Ferrariensem, Patavinam, Senensem, Neapolitanam, Salernitanam, Ticinensem, Perusinam, Pisanam, Taurinensem, Maceratensem &c. RELIQUASQUE SORORES] In Germaniâ, Hispaniâ, Galliâ, Angliâ, Siciliâ, litterarum artiumque studiis celeberrimas Academias, ideoque Lovaniensis germanas & sorores.

46. NON ULLA EST LÆSIO] Nihil honoris detraho Academiis Galliæ & Hesperiæ, aut etiam Romanæ, quia vera prædico.

48. DE SACRIS MYSTIS] Theologiæ Doctoribus, subtilissima quæquæ fidei & mysteriorum dogmata penetrantibus: inter quos olim emicuere Viri summi: Adrianus VI. P. M. Guilielm. Lindanus, Corn. Janssenius Gandenses Episcopi, Franc. Sonnius, Joan. Malderus, Ambrosius Capello Ord. FF. Prædic. Eleemosynarius, Antverpienses; Henr. Cuyckius Ruræmond. aliique Antistites & optimæ notæ Scriptores: quos inter Vorago antiquitatis Christianæ, Christianus Lupus Professor Regius, multorum votis nuper ad Purpuram destinatus: sed heu! Invida Fata hanc gloriam Augustiniano Sodalitio, & facem Academico Pulpito invidère.

49. SUB APOSTOLICO AXE] Sub arbitrio Pontificis Romani, qui supremus Theologicarum controversiarum Judex.

51. FERRE VIROS] Efferre, extollere clarissimos Jurisprudentiæ Magistros. STUDIISQUE INSISTERE] Laudandis, & versu exornandis.

52. TOT SPATIIS] Tot annis & studiorum curriculis. Cic. Orat. 12. *Fateor me Oratorem, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academia spatiis extitisse.* TAM CELEBERRIMA] Sic Cicero dixit Philip. 12. c. 115. *Tam gravissimis tamque multis judiciis, ignominiisque concisus.*

53. PARS PARVA FUI] Dum Jurisprudentiæ dedi operam, & decurso stadio laureatus excessi.

55. INTER RELIQUOS] Doctores Juris. Ex ORDI-

*Antèque-cessores binos. Quis scripta virorum*
*Explicet, aut mores valeat cantare serenos?*
*Regia subsequitur series non invida primis:*
*Ordo vetustatis fundamentalis honoris.*
*Sunt alii arte pares multi, quibus æmula virtus*
*Sæpe perexiguam interrumpit nocte quietem.*
*Pars solet assiduis juvenes (res prompta) diebus*
*Exercere domi: convictibus altera præsunt.*
*Tertia, dum vacat à studiis, æstate lacunas*
*Supplet, & in primis viget exspectata cathedris,*
*Ne quis ab officio cesset calor. Ultima, fixo*
*Quos doctoralis recreat sine munere abolla;*
*Et beat incessus, citra, gravis, omina lucri.*
*Horum fama vagum latè dispersa per orbem,*

ORDINE] Quos nominant Legentes ordinarios.

56. ANTEQUE-CESSORES &c.] Duos quos vulgo dicunt Antecessores, sub quorum auspiciis, ii qui honores Academicos ambiunt, palàm eruditionis suæ periculum faciunt, institutâ publicitus Thesium propugnatione.

57. MORES SERENOS] Quorum suavitate, comitate, & amœnitate, juventutem ducunt ad seria studia, & lauream finito curriculo.

58. REGIA SERIES] Regiorum, ut vocant Professorum, quotidie docentium, qui perhibentur tres. Dicti Regii, quia à Philippo II. Rege Catholico Belgarum Principe an. CIↃ. IↃ. LVII. instituti. *Val. And.*

59. ORDO VETUSTATIS &c.] Institutionis. FUNDAMENTALIS] Est ratio prærogativæ, aut fundamentum præcessionis. Id est: Professores Regii, non invident prioribus honorem antecessionis, cum iis sint institutione posteriores.

60. ARTE PARES] Doctrinâ & ingenio non inferiores. ÆMULA VIRTUS] Æmulatio, ut assequantur eos, qui publicarum lectionum auctoritate præfulgent, iisque procedente tempore succedant.

61. PEREXIGUAM] Exigui temporis quietem, quam defesso corpusculo indulgent. INTERRUMPIT] Tollit aut turbat. Id est qui studio æmulationis, diu noctuque incumbunt litteris, vix indultâ sibi aliquot horarum requie, sine interruptione.

63. CONVICTIBUS] Domibus in quibus studiosi adolescentes convivunt, & cohabitant; quorum numerus non exiguus Lovanii. Id est, sunt moderatores seu præfecti Convictuum: Præsides illi, & Collegia nominant.

64. LACUNAS] Defectus aut hiatus, qui fiunt æstate, aliis Doctoribus à docendo vacantibus. *Lacuna* hic sumitur pro hiatu aut fossa: quo sensu dixit Cic. Act. 4. In Verr. cap. 138. *Vt illam lacunam rei familiaris explerent.*

65. PRIMIS CATHEDRIS] Ad primarias lectiones, seu docendi dignitates exspectantur. *Cathedra* non rarò pro munere, aut docendi spartâ usurpatur. Juven. Sat. 7. ỽ. 203.

*Pænituit multos vana, sterilisque cathedra.*

66. NEQUIS AB OFFICIO &c.] Ne dum primi Doctores à docendo vacant, discipuli remissiùs chartis incumbant.

67. QUOS DOCTORALIS RECREAT &c.] Delectat, juvat: id est qui sine munere palàm docendi, solo Doctoris titulo gaudent. *Abolla* vestimenti species duplex, una sordidior, quæ & militaris; altera Senatoria & philosophica. Posterior hîc intelligitur, uti & apud Juven. Sat. 3. ỽ. 115.

*---Audi facinus majoris Abollæ.*
*Stoicus occidit Baream, delator amicum.*

68. ET BEAT INCESSUS &c.] Ordo est: quos beat, seu quibus placet lentus & gravis incessus, citra lucrum, aut lucri spem. Id est qui gaudent

*Ex omni florem corrasit parte juventæ.*
*Nam variis bacchata locis, & in extima vasit*
*Littora Dalmatiæ: nusquam cita virgo pepercit*
*Remigio alarum, aut urbis celavit honorem.*
*Jamque volat, rigidasque gelu cita transiit Alpes,*
*Rursum Apenninum; tum quæ juga sacra Calabrûm*
*OEnotriæ coluere Deæ: inde Typhoidos Ætnæ,*
*Faunis ac Satyris, fumosa cacumina, sedes:*
*Puteolos, juxtaque lacus graveolentis Averni;*

Epomide, aliisque doctoralibus insignibus, ac gravi passu, sine lucro.

70. FLOREM JUVENTÆ ] Præstantissimam & selectissimam juventutis partem. Quod enim in quacumque re purissimum & præstantissimum est, floris nomine decoratur. Plaut. Casin. prolog. ℣. 18.

*Eâ tempestate flos poëtarum fuit.*

Sic Ciceroni est: *Flos Italiæ, flos populi, flos equitum, flos nobilitatis & juventutis.* CORRASIT] Congregavit, aut congregari fecit. Lipsius Lovan. l. 3. c. 1. Ad Athenas Lovanienses.

*Te Gallus & Germanus, & te Sarmata*
*Invisit, & Britannus, & te duplicis*
*Hesperiæ alumnus.----*

71. BACCHATA ] Sacro quodam furore percita, Baccharum instar, nunc huc, nunc illuc, cursitans.

72. LITTORA DALMATIÆ] Ultra mare Hadriaticum, ubi sita Dalmatia Illyrici regio, contermina Liburniæ.

73. REMIGIO ALARUM.] Non destitit volare, & alarum remis aërem quassare. Usitatissima poëtis metaphora.

74. GELU RIGIDAS ALPES.] Quæ sunt montes altissimi, ubi acre frigus. Dirimunt Italiam à Galliâ & Germaniâ.

75. APENNINUM] Montes qui universam Italiam, quà patet in longum, per medium secant; & ab urbe Januensi ferme, ad fretum usque Siculum protenduntur. JUGA SACRA] Montes Nympharum habitationi consecratos.

76. OENOTRIÆ] Calabriæ Juga, adjectæque illis peninsulæ, in extremâ Italiæ regione, quæ à Tarento ad Brundusium Mari Ausonio Ionioque jungitur; ab Oenotro Peucetii fratre, sociisque infessa, Oenotriæ nomen toti tribuit Italiæ.

TYPHOIDOS ÆTNÆ ] In Siciliam excurrit, ubi Ætna Mons, incendiis & ignibus quos eructat, uti olim, ita & modò nemini non cognitus. Sub eo tumulatum, à fulmine Jovis adhuc ardentem, Typhœum sive Enceladum fabulantur poëtæ; à quo Ætna Typhois dicitur, & ignes ejicere credita est. Virg. lib. 3. Æneid. ℣. 578.

*Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus*
*Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam*
*Impositam, ruptis flammam expirare Caminis.*

77. FAUNIS ET SATYRIS SEDES ] Ubi habitant Fauni & Satyri montium & silvarum Semidei. Ovid. Metam. 6. ℣. 392.

*--- Ruricolæ silvarum numina Fauni,*
*Et Satyri fratres.-----*

FUMOSA] Fumos & saxa eructantia.

78. PUTEOLOS ] In Campaniam transit, fertilissimam, & maximè mirandam Italiæ plagam, ubi *Puteoli* oppidum à Cumanis conditum: quod Græcis Dicæarchia; à puteis aquæ frigidæ calidæque, ac odoribus sulphureis & aluminosis celeberrimum. De his plurima Serm. 7. LACUS AVERNI] Haud procul Lucrino, Baiis & Puteolis vicinus. Hic Inferorum limen esse, vetustas commenta est; quòd aves supervolantes, vel graveolentiâ necarentur, vel aër sulphuteis exhalationibus nimis extenuatus, eas non posset sustinere. Lucretius indicat l.6. ℣.740.

*---Quòd Averna vocantur, nomen id abs re*
*Impositū est, quia sunt avibus contraria cunctis.*
*-------Pennarum vela remittunt*
*Præcipitesque cadunt.-----*

Virg. lib. 6. Æneid. ℣ 201.

*Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,*
*Tollunt se celeres-------*

Lethalem fœtorem cessasse volunt, excisis ibidem ab Augusto Cæsare arboretis, & silvis.

79. CRYP-

*Cryptica Pausilypi, æternique sepulchra Maronis,*
*Et Sannazarii divina palatia Vatis;*
*Ad tua Parthenope, ad sacraria sana Salerni;*
*Romuleos colles, Papiam, atque Antenoris urbem.*
*Occupat Italiam: tendit Rubiconis ad oras,*
*Et Rhodani dubias undas, & Sequana rura,*

79. CRYPTICA PAUSILYPI.] Cavernam, seu viam testudineatam sub monte Pausilypo, à vario amœnitatis genere, decantato. Hic eum arduus ascensu, & transitu difficilis esset, iterque Neapolim inter & Puteolos ad mille fere passus molestum redderet & impediret: cuniculo perforatus est, eâ amplitudine, ut duo currus invicem occurrentes, liberè possint sine mutua læsione, pertransire. MARONIS] Virgilii Poëtarum principis, nominis gloriâ nunquam interituri: quem alii in ipsâ cryptâ, alii in hortis Monasterii supra monsem, alii prope ædiculam Marianam, alii denique ad alteram urbis Neapolitanæ plagam, littorali viâ, quà itur ad Vesuvium montem, tumulatum existimant. D. Hieronymus In Euseb. Chron. lib. 2. *Virgilius*, inquit, *Brundusii moritur Sentio Saturnino, & Lucretio Cinna Coss. Ossa ejus Neapolim translata, in secundo ab urbe milliario sepeliuntur, titulo istiusmodi suprascripto, quem moriens ipse dictaverat.*

*Mantua me genuit; Calabri rapuere, tenet nunc*
*Parthenope. Cecini Pascua, Rura, Duces.*

80. SANNAZARII PALATIA] Splendidissimum juxta pedem Pausilypi, extat ædificium seu villa Actii Synceri Sannazarii, quam *Mergilinas* voeant: ubi ille cum amicis doctis versari & rusticari quandoque solebat. Scripsit Hetrusca & Latina carmina, pari lepore utrobique & sale, sacro poëmate de partu Virginis, & piscatoriis Eclogis apud posteros immortalis. Virum natalium animique nobilitate illustrem, commendat Paulus Jovius, apud quem extat Epitaphium quod marmoreo tumulo inscripsit Bembus.

*Da sacro cineri flores: hic ille Maroni*
*Syncerus Musâ proximus, ut tumulo.*

Proximum Virgilio etiam scripsit M. Ant. Flaminius; imo & majorem gloriam Neapoli attulisse quàm Papinius, censet La Cerda in 7. Æn. Laudes ejus lege apud Alex ab Alex. Gen. Dier. lib. 2. cap. 1.

81. PARTHENOPE] Neapolis, quæ Parthenope dicta ab unâ Sirenum. Silius lib. 12. ℣. 33.

*Sirenum dedit una suum memorabile nomen*
*Parthenope muris Acheloias; æquore cujus*
*Regnavere diu cantus, cum dulce per undas,*
*Exitium miseris caneret non prospera nautis.*

Plura quæres infrà Ser. 7. SACRARIA SALERNI] Lararia, domos, civitatem Salernitanam, ubi celebris Academia, excellentissimorum Medicorum gloriâ per orbem famosa. Testatur aureus libellus, quem scholam Salernitanam inscribunt, de tuenda scil. valetudine; qui olim fuit versuum 1239. at in vulgato reperies hodie tantùm 373. Quamquam aliqui habeant versus 664. aliqui 1096. Scriptus traditur à Joanne Mediolanensi ad Robertum Normanniæ, cui Anglorum regnum debebatur. Lege Swertii Athen. Belg. & Ger Joan. vossium de Phil. c. 12. SANA] Mortalium sanitati studentia, ob florem Medicorum qui illic viguerunt.

82. ROMULEOS COLLES] Romam, à septem collibus quibus superstructa, Septimontiam. Prop. lib. 3. Eleg. 11. ℣. 57.

*Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.*

PAPIAM] Urbem Insubrum Mediolano vicinam, quam ab amne quo alluitur, *Ticinum* etiam nuncupant. Civitas est à sacris Lipsanis Doctorum Principis Augustini, & Gallorum clade, quâ superiori seculo Franciscus I. Francorum Rex, cum exercitu prostratus, captus, ac inde in Hispaniam ad Carolum V. Aug. abductus, nulli per Europam incognita. ANTENORIS URBEM] Patavium sive Paduam, ab Antenore Troiano conditam. Virg. lib. 1. Æneid. ℣. 251.

*Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit*
*Teucrorum-------*

Urbs hodie est ditionis Venetæ, scholâ Academicâ & litteris inclyta.

83. RUBICONIS AD ORAM] Ad Flaminium Italiæ tractum, ubi hodie Bononia, Cæsena, Forum Livii &c. quibus vicinus *Rubicon* flumen, qui olim Italiam à Galliâ Cisalpinâ discriminabat, C. Julii Cæsaris perduellione famosus. Nascitur in Apennino, interque Ariminum & Ravenam, mare Hadriaticum influit. De Bononia vide infra Serm. 7. ad ℣. 186.

84. RHODANI UNDAS] Lugdunum & regiones

*Gallorum eripiens Gallis ardore palæstras.*
*Hæc quoque Sarmaticas pridem pervasit ad urbes,*
*Teutonicosque sinus, passimque incendit amore*
*Præcipuos Regni pueros; venerabile vicit*
*Gymnasium, & patrum & pavidûm retinacula matrum.*
*Hanc ut continuo generosa Hispania tractu*
*Suscipit, Austrasiæ & regnum sociabile Musis*
*Belligeroque Deo; primùm ludibria ventis*
*Tradit, & ad Procerum recitatur fabula mensas,*
*Non audita priùs; sed testificantur abunde,*

nes vicinas, quas alluit Rhodanus amnis: qui saliens ex Alpibus Rhæticis, haud procul Rheni fontibus, per Lemanum lacum versùs plagam occiduam fertur in Galliam: unde admisso prope Lugdnnum Arari, in mare Massilioticum devolvitur. DUBIAS] Periculosas, ancipites. Rhodanus enim mæandris sinuosus & præceps, & ut Baudrandio placet, fluvius est totius Galliæ rapidissimus. SEQUANA RURA] Burgundiam & Franciam, maximèque Academias Dolanam & Lutetianam. *Sequana* flumen in Burgundia oritur, inde per Franciam, Lutetiam Parisiorum, ac Rhotomagum interfluit, moxque in Oceanum Britaunicum effunditur. Duos Principes fluvios, pro Galliarum regno usurpat.

85. ARDORE] Amore Musarum Grudiarum. PALÆSTRAS] Juventutem palæstris seu Gymnasiis Gallicanis destinatam.

86. SARMATICAS] Polonas. *Sarmatia* Europæa, hodie à Polonis, Ruthenis, & Tartaris habitatnr.

87. TEUTONIOSQUE SINUS] Interiora Germaniæ, quam à Teutone, aut ut Tacitus, Tuiscone, prisco Germanorum Deo, Teutoniam dixere.

88. REGNI] Imperii Romani, regnorumque & principatuum ei subjectorum. PRÆCIPUOS PUEROS] Principum, Comitum, Procerumqne aliorum filios, priscis majorum ceris illustrissimos: quorum non minimus plerumque numerus, in Athenæo Lovaniensi Legibus, Historiis & Politicæ operam navat.

89. PAVIDUM MATRUM] Pavidarum vel anxiarum, ut solent matres, dum peregrè ablegantur filii. Sic præter patronymicorum syncopen, dixit D. Paullinus Nat. 9. de S. Felice ℣. 119.

---*Apostolici chorus agminis & patriarchûm.*

RETINACULA] Vincula tenerrimi affectus, quibus liberis matres astringuntur, ut eas sibi præsentes retineant.

90. HANC] Famam, nbi eò scil. devenerit, & Hispaniarum nobilissima regna pervaserit.

91. AUSTRASIÆ] Austriæ, ubi Vienna sedes, & Augustale Cæsarum Austriacorum. *Austria*, si Goropio credimus, alibi transivit in *Austrasiam*, vel *Austryciam*. Hispan. lib. 3. Etenim cum hîc Poëta loquatur de longinquis, vero simile fit; non intelligi priscum hîc Austrasiæ regnum, quod olim Lotharingiam, Brabantiam, omnemque, Rheno, Mosâ, Sealde fluminibus, interjectam terram complectebatur.

92. MUSIS BELLIGEROQUE DEO] Præcla rè: non enim Austriaci, aliique Germaniæ populi segniùs incumbunt litteris, quam armis; Nario docta juxtà & bellicosa, tam Marti quàm Musis dedita. LUDIBRIA VENTIS] Despicit famam, ut mendacem & vaniloquam. virg. l. 6. Æn. ℣. 74.

-----*Foliis tantùm ne carmina manda,*
*Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.*

93. RECITATUR FABULA] Narratur pro fabellâ, aut re quapiam quæ fidem non mereatur: quod usu venisse prodit in M. SS. Poëta lib. 1. Heroic. de quo in Proecthesi ad Serm. 1. Dum Illustrissimi DD. Comites Fuggeri adhuc deliberabant, vellént ne virtute testamenti Myliani convictum erigere Lutzemburgi, Treviris, an Lovanii? Eorum enim arbitratui relicta electio. Sed vicit Lovanium nostrum, ubi modò viget Collegium opulentissimè dotatum. De illo Consule Fastos Acad. *Valerii And.*

95. RE-

*Parnaſſi reduces qui Lovanienſis alumni.*
*Hinc citò Londinum, quo vento neſcio, ſeſe*
*Fert numen pelago: & quamvis, à pluribus annis,*
*Non bene Belgarum cum Muſis convenit Anglis:*
*Inclinant tamen, & famæ gravitate feruntur*
*Lovanium; Laribuſque, Petri crevere Penates.*
*Per Batavûm velox tandem Dea diditur ora:*
*Extemplò (lapidans audit malè Gallia nummos)*
*Expediunt tenui aſſuetos per flumina natos:*
*Nuntia Dux juvenum, communi inſtructa caniſtro,*
*Maternas repetit, rauca, inter prandia leges.*

95. REDUCES ] Domum ex palæſtrâ noſtrâ Brabanticâ, acto ibidem ſcientiarum curriculo,

96. LONDINUM ] Angliæ metropolim, ampliſſimam Regis ſedem, emporium orbis nobiliſſimum. VENTO ] Indice, delatore.

97. PELAGO ] Rectè, nam ab omni continente diſcreta Britannia. Virg. Ecl. 1. ỷ. 67.

*Et penitus toto diviſos orbe Britannos.*

Transfretandum itaque famæ, vel ejus nuntio.

97. A PLURIBUS ANNIS ] Ex quo Henricus VIII. Angliæ Rex, Defenſor Fidei, à Fide Romano-Catholicâ deſcivit.

98. BELGARUM MUSIS ] Eorum qui perſtiterunt in Fide Eccleſiæ, & Regis Catholici Principis ſui. NON CONVENIT ] Ob Sacrorum diſparitatem.

100. LARIBUS CREVERE PENATES ] Lovanium peregrinis incolis auctum. Lares domorum ſingularium, Penates ſunt Dii publici, quos urbs tota, vel communi conſenſu populus veneratur. Lares itaque privati, exterorum convictu, domibus illati; auxiſſe cenſentur Penates Grudios. Id eſt, incolis crevit Lovanium. PETRI ] D. PETRI Apoſtolorum Principis, qui Lovanio præſidet, & primariam urbis Baſilicam ſibi conſecraram habet. Inde PETRONANNI, quos hoc nomine nobilitavit Henricus I. Lotharingiæ Dux, & Comes Lovanii; quòd ſe in pugna Stippenſi contra Hugonem Leodicenſem Antiſtitem, equo delapſum, vel ut alii, captum, Lovanienſium operâ ereptum ſciret, noſceretque. Omnes proinde, qui ſub vexillo D. PETRI (id inſigne Lovanienſium erat) militaſſent, prærogativis donavit. *Lipſius* Lovan. l. 2. c. 4.

101. PER BATAVÛM ORA ] Per Hollandiam ſpargitur, ac in omnium, Orthodoxorum inprimis, ore verſatur. Hollandi hodie terram incolunt, à priſcis Batavis inſeſſam. Conſule Ortelium, Cluverium & alios. Et infra ad ỷ. 159. DIDITUR ] Divulgatur. Virg. l. 7. Æneid. ỷ. 144.

*Diditur hic ſubitò Troiana per æquora rumor.*

102. LAPIDANS NUMMOS ] Rerum & nummorum compendio attendunt Hollandi, frugi plerumque œconomi. Hinc bene premit noſter, annonam apud Gallos, Lutetianos ſcil. impendio cariorem; ut periculum ſit juventuti, deliciolas ſuas ſectaturæ, parentum nummos accidendi; & temere fortaſſe decoquendi.

103. EXPEDIUNT ] Mittunt. TENUI ASSUETOS ] Victui tenuiori & ſordidiori, quàm in Brabantia. PER FLUMINA ] Aquâ, & navigio. Notat Hollandorum parcimoniam; qui dato exiguo naulo, modicoque victus ſumptu, in Brabantiam navigare malunt; quàm terreſtri & curuli itinere eòdem contendere; ſecurius & commodius iter, incerto & importuno poſthabentes, compendii gratiâ.

104. COMMUNI CANISTRO ] Vulgari commeatu, ut ſunt: panis cibarius, butyrum, caſeus, caro infumata, ova cocta, panis dulciarius &c. quibus ſe alant in via, ſine ſumptu. *Caniſtrum* ſporta viminea, quâ panem menſis inferunt, & reliquias excipiunt, hic pro cophino, aut annonâ viaticâ capitur.

105. RAUCA, INTER PRANDIA ] Obſcurum hyperbaton, ſic in ordinem refer: fama nuntia rauca, dux juvenum, repetit leges maternas, inter prandia inſtructa communi caniſtro. Hoc eſt,

*Commoda quanta simul! Si non Romana moretur*
*Relligio; tantas nequaquam cespite naves,*
*Præteritis annis, (rarò his quia ligna vetamus)*
*Viderimus, pueris quot suppeditaret onustas*
*Lassatus bello populus. Quid cetera narrem?*
*Æolus amoto varios quàm dividit antro,*
*Diversósque vagis immittit fluctibus Euros,*
*Tam variâ variis concurrunt parte loquelis*
*Illustres juvenes, Patriæ quos moribus ornat*
*Patria nobilitas, & spes maturior annis.*
*Impedit introitus, hæc auditoria pubes*
*Angustis reddit spatiis, acuitque Magistros*
*Sibila præpediant, occurrant pulsibus æquis:*
*Disputat externis, si quando meta, stupori;*

est, fama longo præconio rauca. Horat. lib. 1. Epl. 17. ℣. ult.

*-----Vicinia rauca reclamat.*

Seu ad raucedinem usque, inculcat filiis novissima matrum monita, quæ abiturientibus dederunt. Jocatur & notat anxietatem matrum Batavarum, quæ filiis abeuntibus cibaria per viam comportanda, & præcepta valetudinis tuendæ solicitè tradentes, ægrè ab illis avelluntur.

106. COMMODA QUANTA SIMUL] Iter aquarium, compendium viatici, victus parvo mercandus Lovanii &c. ROMANA] Catholica & orthodoxa, à quâ Hollandorum plerique alieni. MORETUR] Impediat, aut retardet.

107. CESPITE] Cespitibus, glebis fossibilibus, combustioni & foco exstruendo aptis. Plurimæ apud Batavos paludes bituminosæ, unde cespites eiusmodi effodiuntur, pascendo igni meliores, quàm in Brabantia.

108. LIGNA VETAMUS] Ratò cavent leges Brabanticæ, efferri ligna, cum iis abundet Brabantia, eorumque parte magnâ, carere possit non gravatè. Secus Batavi de cespite.

109. PUERIS] Ad scholam Lovaniensem mittendis, ut illic instituantur.

110. BELLO] Quod gessit contra Religionem, & Principem suum Regem Catholicum, tantis impensis, tot annos &c.

111. ÆOLUS AMOTO &c.] Comparatio Sicut ventorum rex Æolus, recluso specu, ex diversis mundi regionibus laxat ventos in mare: ita ex omni plaga Europæ, patres emittunt filios suos, ad disciplinam Lovaniensem.

112. EUROS] Ventos. Species pro genere. De ventorum carcere, Æolique in eos imperio Virg. lib. 1. Æneid. ℣. 56.

*--------Vasto Rex Æolus antro*
*Luctantes ventos, tempestatesque sonoras*
*Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.*

114. MORIBUS] Benignis, animi candorem redolentibus, generosis; & universim, nobilitatem decentibus.

115. SPES MATURIOR ANNIS] Major quàm promittat, aut ferat ætas primæ adolescentiæ.

116. IMPEDIT INTROITUS] Frequentiâ & multitudine suâ, difficilem ingressum facit. AUDITORIA] Loca institutionis, scholas, palæstras. Suet. in Tib. c. 11. *Cum circa scholas & auditoria professorum assiduus esset.*

117 ANGUSTIS SPATIIS] Angusta reddunt. ACUITQUE] Exercet, polit, usu perficit Doctores publicæ disputationi præfectos, ne disputantes extra propositum salire, vel argumentum nimis fusè, vel tædiosè protrahere sinant: aut ipsi expositi, evagentur sermone. Hoc enim ubi fieri animadvertitur, omnes sibilis & pulsu indicant, ad alia progrediendum fore.

118. SIBILA, PULSIBUS &c.] Ut jam diximus.

119 SI QUANDO META] Ubi ad metam cursus seu studiorum deventum fuerit. EXTERNIS STUPO-

*Et repetit vires ultra ſortemque juventæ.*
*Quid mage prætendas? Externa encomia dicas?*
*Debita ſed noſtris: terráque marique vehuntur,*
*Deveniuntque locos tot Prælectoribus amplos,*
*Magnanimi juvenes. Si partibus urget egeſtas*
*Conſpicuis, præſtat dominos Academia Legum,*
*Qui doceant, ſtringant, ſolvant ænigmata Juris,*
*Verbaque diſcutiant, ars quæ confundit in arte.*
*Par eſt de reliquis, quos non complector eodem*
*Verſiculo; ſacris divina volumina nobis*
*Qui reſerant ſtudiis: qui reſtaurare medelis*
*Experti ante alios, languentia corpora tabo;*

STUPORI.] Supple *eſt*. Senſus eſt: peracto ſtudio palàm diſputant, tam promptè ac doctè, ut peregrinis & exteris ſint admirationi.

120. DISPUTAT, REPETIT] Alluſum ad morem Academicum candidatorum juris: qui antequam donentur Laureâ, duo jubentur inire certamina litteraria, ſeu Theſium propugnationes: quarum prior *Diſputatio*, poſterior *Repetitio* vulgariter nuncupatur. ULTRA VIRES SORTEMQUE &c.] Majori eruditione & rationum pondere, quàm patiatur ætas & imbecillitas juventutis. Virg. l. 6. Æneid. ℣. 114.

*-----Vires ultra, ſortemque ſenectæ.*

121. EXTERNA ENCOMIA] Utpote, cum tanta exterorum copia ad hanc ſcholam concurrat; ut eorum potiſſima laus videri queat.

122 DEBITA SED NOSTRIS] Doctoribus, eorumque in docendo ſedulitati ac induſtriæ, queis formant exterorum ingenia.

123. DEVENIUNTQUE LOCOS] Ellipſis præpoſitionis *ad*, ut in eo Virg. l 6. Æneid. ℣ 638.

*Devenere locos lætos, & amæna vireta.*

124. PARTIBUS CONSPICUIS] Provinciis quibuſdam illuſtribus. URGET EGESTAS] Sit inopia, aut penuria Jure conſultorum, qui vel doceant, vel Senatui aſſideant, aut certè Principibus ſint à conſilio.

125. DOMINOS LEGUM] Suppeditat viros eruditiſſimos & Legum Doctores.

126. ÆNIGMATA] Abſtruſas ſententias, & quaſi conjecturis quibuſdam indagandas, quæ OEdipo vel Delio quopiam opus habeant. Juven. Sat. 8. ℣. 50.

*Qui juris nodos & legum ænigmata ſolvat.*

αἴνιγμα eſt oratio obſcura, & verborum involucris tecta, inde δι' αἰνιγμάτων, quod eſt obſcurè, & per ænigmata.

127. ARS QUÆ CONFUNDIT IN ARTE] Ex nimiâ enim prudentiâ, & cautelâ, naſcuntur plerumque nebulæ, dubia, obſcura; & quæ claritatis gratiâ non rarò adjiciuntur, in amphibolias abeunt, & majorem caliginem. Quot enim quantoſque viros non vidimus in propriis tabulis deliraſſe? Ut verum ſit iſthoc Ovid. Met. 10. ℣. 252.

*Ars adeò latet arte ſua.------*

128. RELIQUIS] Reliquarum Facultatum Doctoribus. EODEM VERSICULO] Quos non licet tam ſtricto poëmate, prolixè ſatis, & pro merito illuſtrare.

129. DIVINA VOLUMINA] S. Paginam, & arcana Theologiæ Scholaſticæ, quod aiunt; quibus inſtituendi, qui ad Hierarchiam Eccleſiæ deſtinantur.

130. RESERANT STUDIIS] Exponunt, elucidant magno cum ſtudio & eruditione. Accuravit enim Schola hæc, jam indè ab inſtitutâ Theologicâ profeſſione, ad Cathedras accerſiri, viros eximiæ eruditionis & probitatis, qui juventutem ſacris litteris ſeriò imbuerent: inter quos primus eluxit Antonius Recinetanus, Ordinis FF. Erem. S. Auguſtini ornamentum ſingulare, Italus ex nobili Columbellarum Gente: qui ex Sorbonâ Pariſienſi huc evocatus, pulpitum Academicum ſuâ facundiâ, & ſacrâ eruditione plurimùm illuſtravit: dignus proinde, qui poſtea Senogallienſi Eccleſiæ in Italia, Epiſcopus præficeretur. *Faſt. Val. And.*

131. EXPERTI ANTE ALIOS &c] Medici, tam

*Quique Mathematicâ egregii; qui posteritati*
*Gnaviter historiis commendant prælia Regum.*
*His cole Lovanium. Sit & hoc mirabile dictu:*
*Æthera doctrinam, ceu mella fragrantia, spirat.*
*Hîc ancillarum Romanis cantio verbis*
*Pensa trahit. Famuli studiis datur hora. Latinè*
*Quæ didicit virgo, non tuta à matre, procari.*
*Et puer infanti vagit Latialia voce.*
*Psittacus antiqui* χαῖρε *obliviscitur. Altùm*
*Facundis reboare modis armenta videntur.*
*Quid Bruxella potens & fonte & colle feraci,*

tam à scriptis & doctrinâ, quàm ab usu & factitatâ medicinâ clarissimi: ut fuere Gemma Frisius ejusque Filius Cornelius, Nicolaus Biesius, Thomas Fienus, Joan. Sturmius, Petrus Castellanus, Fortunatus Plempius, &c.

132. QUIQUE MATHEMATICA &c.] Ut fere jam inde ab initio institutionis suæ, Gymnasium hoc viros tulit Mathematicâ professione celeberrimos, Reinerum & Cornelium Gemmas verè gemmas, Petrum Beausardum, Adrianum Romanum, Joannem Sturmium, Gerardum Gutschovium &c.

133. HISTORIIS COMMENDANT &c.] Rhetores Academici, & publici Historiarum ac linguæ Græcæ professores, in auditorio Buslidiano: in quorum numero reperias viros nominatissimos & stylo excellentes: Adrianum Barlandum, Joannem Baptistam Grammaium, Petrum Nannium, Cornelium Valerium, J. Lipsium, Erycium Puteanum, Nicolaum Vernulæum, Bernardum Heimbachium &c. Qui omnes tam scriptis quam professione, de litteris & posteritate Historiarum studiosâ, optimè meruerunt.

135. ÆTHERA] Cælum, aër, æther. Latinis enim etiam fœmininum in usu, non secus quàm æthra. Sic in Sacris rectè canitur

*Quèm terra, pontus, æthera,*
*Colunt, adorant, prædicant.*

Quin & eodem in genere, apud Græcos usi sunt Homerus & Pindarus. *Scapula.* DOCTRINAM SPIRANT] Hyperbolicè.

136. HIC ANCILLARUM] Nen[illegible] ancillæ Lovanii, Latina carmina decantant, [illegible]dii inter operandum levandi gratiâ.

137. FAMULI DATUR HORA] Ab heris otium conceditur studendi, & vacandi litteris, ut ope doctrinæ, è forte servili ad ingenuam emergat famulus.

138. QUÆ DIDICIT &c.] Ordo est: virgo quæ latinè procari didicit, non est tuta à matre. Id est: Mater & filia etiam latinè sciunt. Non est *tuta*, quia Latinè fabulando cum procis, matrem fallere non potest filiæ pudori invigilantem.

139. INFANTI VOCE] Nondum fante. VAGIT LATIALIA] Id est in cunis infantes Latinis sonis vagiunt. Hyperbole paradoxa.

140. PSITTACUS] Avis ex Indiis notissima, in Belgio frequens ab Indicâ Batavorum navigatione: mirâ dexteritate humanas voces, uti modò, ita & olim exulit: hinc Claudiano avis nuncupatur *gnara loquendi*. Olim docebatur Imperatores salutare. Mart. lib. 14. ℣. 73.

*Psittacus à vobis aliorum nomina disco,*
*Hoc per me didici dicere: Cæsar ave.*

ANTIQUI χαῖρε] Psittaco proprium fuisse Græcum χαῖρε, id est *ave*, innuit Pers. Prolog. ℣. 8.

*Quis expedivit psittaco suum χαῖρε.*

OBLIVISCITUR] Utpote qui Lovanii non Græcè, sed Latinè dumtaxat differentes audit.

141. FACUNDIS REBOARE &c.] Boves, equi, asini, nescio quid Latinæ facundiæ sonare videntur. Ludit festivè.

142. QUID BRUXELLA] Transit ad secundam, & verè nobilissimam Brabantiæ urbem Bruxellam, ubi natura cum arte de præstantiâ certat, seu situm, seu palatia, seu domorum amplissimarum, seu fontium & viarum publicarum copiam, & elegantiam consideres. Impensè illam

*Aëre præpuro, Ducibus placidissima sedes?*
*Quam Pius Albertus, Carolo cum Cæsare quondam,*
*Prætulit Imperio? Quid habet diversi-que-linguis*
*Incola? Nobilitas, quæ tantâ aut nascitur Aulâ,*
*In quo displiceat? Kin' me numerare Dynastas*
*Temporis antiqui? Carolosque, Ducesque Philippos,*
*Patriciorum armis populos superasse feroces,*
*Et serie Annales multarum evolvere rerum?*
*Nunc varios, Regis, missosque ad Cæsaris hostes,*
*Res quibus incolumis stetit, & victoria læta?*
*Nunc, qui præsideant, Legati nomine, rebus*

lam laudāt Erycius Puteanus, Barlandus, Guiciardinus &c. COLLE FERACE] Collibus frugiferis.

143. AERE PRÆPURO] Purissimo cælo inclyta: DUCUM] Brabantiæ, ac Principum Belgicarum Provinciarum.

144. PIUS ALBERTUS] Archidux Austriæ, Belgicæ Princeps; à Religione Clementiâque Pius nuncupatus. Eum hoc carminis sui epiphonemate, decoravit olim Nicasius Baxius poeta Augustinianus, vir in utrâque litteraturâ maximus.

*A solis ortu, Atlantis usque verticem,*
*Dicetur* ALBERTUS PIUS.

Hic duodecim Imperatorum sanguis, ductâ Isabellâ Philippi II. Hispan. Regis filiâ, dotali jure apud Belgas rerum potitus, sedem palatinam Bruxellæ fixit. Imperii Romani Diadema bis sibi à Septemviris electoribus delatum recusavit; provinciasque hereditario jure ad se devolutas Austriam, Silesiam &c. in Ferdinandum II. Aug. patruelem suum, decumano munificentiæ exemplo transcripsit. Ad quod allusit seculi nostri delicium Casp. Gevartius.

*Albertus Cultor virtutum, spretor honorum,*
*Archiducum superans fortia facta Patrum:*
*Continuas unâ toties in stirpe Coronas,*
*Et bis delatum respuis Imperium.*

CAROLO CUM CÆSARE] Carolo V. Imperatore invictissimo, Hispaniarum Rege, Belgarum Principe; qui terras hereditarias in Germaniâ ultro cessit fratri suo Ferdinando I. Aug.

145 PRÆTULIT IMPERIO] Hic Viennæ Austriaco-Romani Imperii solio, ille Diademati. Uterque enim Bruxellensem habitationem sibi in deliciis habuit; licèt Carolus Cæsar, rerum strenuè ubique per dissita regna gerundarum studio, incerti propemodum laris vixerit. DIVERSIQUE LINGUIS] Propter exterorum Principum, Oratorumque concursum, diversa callens idiomata,

147. DYNASTAS] Principes, Brabantiæ Duces. *Dynastæ*, principes vel potentes ἀπὸ τοῦ δύναμαι, quod est *possum*: sic & δύναμις, potentia.

148. CAROLOSQUE] Carolum Pugnacem patrem Mariæ, quæ Burgundiæ provinciarumque Belgicarum Principatum, & Gentem suam Burgundicam, per nuptias cum Maximiliano Frederici Imperatoris Filio, in Augustissimam Austriacorum Familiam traduxit. PHILIPPOS] Philippum Bonum Caroli Patrem, qui adito, per mortem Patruelis sui Philippi primi, Brabantiæ Ducatu; Belgicæ amplissimum dominatum invexit primus.

149 PATRICIORUM] Procerum & nobilium Bruxellensium. POPULOS FEROCES] Contra quos gessere bellum, ut fuere Galli, Lotharingi, Leodicenses &c.

150. ANNALES] Quos leges apud Barlandum, Heuterum, Haræum, Loyens & alios.

151. REGIS] Catholici, cui paret Belgium. CÆSARIS] Ferdinandi II. Aug. HOSTES] Perduelles Bohemos, reliquosque Germaniæ Principes heterodoxos, quos Protestantes dicunt. Missi autem fuere cum militaribus copiis Bruxellâ, Marchio Ambrosius Spinula, Comes Bucquoius, aliique, quorum virtus in illo bello feliciter emicuit, ut tangemus infra Serm. 5. 7. 9.

152. VICTORIA LÆTA] Quam docuit exitus Belli Germano-Bohemici, nullo ejus temporis historiographo non illustratus.

153. LEGATI NOMINE] Proreges seu Belgii



Guber-

*Principis, & patriæ; quorum virtutibus omnes*
*Belgæ & consilio multum debemus ad unum?*
*Unde mihi calami? Pro me toto orbe loquantur,*
*Qui semel externâ terram hanc tetigere carinâ,*
*Italus, Hispanus, Thrax, Sarmata, Maurus, Achaius,*
*Anglus, & insignes Bruxellæ more Batavi,*
*Tempore ab Induciis. Pro me stent atria Regum,*
*Aulæis instructa suis, quæ plurima magno,*
*Grande lucraturus, mercator comparat auro*
*Urbe istâ, nihil efficiens si aliunde petantur.*
*Blandiri indocilis, majorum transeo laudes.*
*Numquid & à pueris famam trahit? Ecce, videntur*
*De meliore luto formati, quàm reliqui sint*

Gubernatores, qui se legatos, seu ut vulgo, Locum-tenentes generales inscribunt.

156. UNDE CALAMI] Queîs pro merito describam laudes Bruxellæ.

157. TERRAM HANC TETIGERE] Huc appulere. CARINA] Navi: pars pro toto. Alvus scil. & imfima trabs, cui tota navis innititur, carinæ nomine censentur. Virgil. l. 1. Georg. ℣. 303.

*-----Cum jam portum tetigere carina.*

Aptam navigationibus Bruxellam insinuat, quæ per nilum suum seu fossam navigabilem, in Rupelam flumen, & inde per Scaldem mittit in Oceanum.

158. THRAX] Turcæ. Thraciæ siquidem metropolis Byzantium seu Constantinopolis; ubi modò Thronus Imperii Turcicani. SARMATA] Polonus. MAURUS] Æthiops Africanus. ACHAIUS] Græcus.

159. BRUXELLÆ MORE] Ad morem & normam Bruxellensium. INSIGNES] Comes, urbani, generosi & aulicarum artium gnari. BATAVI] Hollandi. Batavia enim vetus inter duo Rheni cornua & Oceano Germanico perstricta; hodie ab Hollandis, & parte Geldrorum habitatur. Lucan. l. 1. ℣. 431.

*Vangiones, Bataviq́ue truces, quos ære recurvo*
*Stridentes acuêre tuba--------*

Feroces enim & bellicosos fuisse Batavos, tum locus citatus, tum Martialis indicat lib. 14. Lem. 176. ubi de Personâ Germanicâ, puerorum terriculamento.

*Sum figuli lusus rufi persona Batavi:*
*Quæ tu derides, hæc timet ora puer.*

Hæc igitur larva, rufum Batavum, id est hominem militarem & atrocem exprimebat, terrori puerorum. Nos modò Turcæ, vel Sarmatæ cujuspiam faciem supponamus.

160. TEMPORE AB INDUCIIS] Ex quo aulam Principis Alberti Pii, & urbem Bruxellensem frequentarunt: id est à tempore quod fluxit ab induciis Duodecennalibus. Nam grassante Bello, pauci Hollandi eò commeabant. Induciarum autem initium nobis dedit annus X. supra CIϽ. IϽC. à nato Servatore

161. AULÆIS] Tapetiis, & peristromatis, quæ totius mundi præstantissima texuntur Bruxellæ.

163. NIHIL EFFICIENS] Quæstus, lucri, vel emolumenti. Alibi enim tetrarum confecta, cum non expetantur avidè, tardiùs extruduntur.

164. BLANDIRI INDOCILIS] Suprà Serm. 1. ℣. 64. ab immodicis laudibus se alienum profitetur.

*Laudibus assuevi non prodigialiter ullis.*

MAJORUM] Rerum, à quibus supra omnes laudari possit Bruxella.

166. MELIORE LUTO] Præstantiores. *E meliore luto* facti dicuntur quibus melior nobiliorq́ue est indoles. Allusum ad Prometheum, qui primus hominem è glebâ terræ finxisse perhibetur. Juven. Sat. 14. ℣. 35.

*E meliore luto finxit præcordia Titan.*

167.

*Belgarum geniti; vivaces, atque dicaces*
*Cum sale: maturi, quâ adferre ætate sinapi*
*Matre jubente solent alibi panemque juvenci.*
*Quippe studet soboli, sobolem Bruxella parentum*
*Nequidquam inclinat studiis. Lex summa Lycurgi.*
*Ad strictum examen ducenda Antuerpia, dives*
*Ære, situ, fabricâ, famâ, populoque benigno;*
*Qui colit externos, si quis colit: &, brevis ut sim,*

167. VIVACES] Alacres, agiles, prompti, expediti ad res peragendas, & ex arte versandum cum hominibus. DICACES] Arguti, facundi, & cum sale ac gratiis affari quosvis, periti.

168. MATURI] Idonei ad officia adultioris ætatis. ADFERRE SINAPI] Ut solent, in Brabantiâ & vicinis Provinciis, pueri à matribus ad furnariam vel pinguiariam officinam mitti, panem vel sinapi (notissimum condimentum) domum allaturi, ad usum mensæ. QUA ÆTATE] Eo tempore, quo nondum pudore prohibentur, vile istud & servile obsequiũ parentibus deferre.

169. [JUVENCI] Pueri: phrasi metaphoricâ ductâ à bobus, qui jam desierunt esse vituli, nondum tamen bovis magnitudinem assecutis. Horat. l. 2. Carm. Od. 8. ỷ. 21.

*Te suis matres metuunt juvencis.*

170. SOBOLI] Amplioribus fortunis beandæ, in quas eam educat & instituit, ut procedente tempore, Principis & Summatum favore, ad honores & munia publica evehatur.

171. NEQUIDQUAM] Minimè, nullâ ratione. STUDIIS PARENTUM] Quibus vitam alunt. Sensus est: semper ad altiora stimulat, satagitque, ut filii parentibus digniores evadant, sintque fortunatiores. SUMMA] Maxima est, summo in pretio & observantiâ habetur. LEX LYCURGI] De instituenda juventute. Consule Plutar. in Lycurg. *Lycurgus* Philosophus famosus & Legislator apud Lacedæmonios. Sidon. Apoll. C. 2. ỷ. 166.

*Quidquid legifero profecit Sparta Lycurgo.*

Cautum autem à Lycurgo, inquit Rhodig. l. 11. c. 3. *Ne quis omnino quidquam vulgarium artium attingeret.* Ælianus var. Hist. l. 4. c. 6. *Artem mechanicam, aut quamvis illiberalem nosse, nulli viro Lacedæmonio licebat.*

172. STRICTUM EXAMEN] Accuratum, & quod non summatim, sed articulatè membratimque cognoscat. ANTUERPIA] Terra parens & altrix mea; ideoque præ aliis accuratiùs describenda. Meritis urbis Patriæ jungit affectum suum; qui cuilibet in solum natale nequit esse non honestus. Cicer. 2. de Leg. c. 5. de Patria: *Dulcis non multò secus est ea, quæ genuit, quàm illa quæ excepit, pro quâ mori, & cui nos totos dedere, & in quâ omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus.* Æquus igitur nemo mihi succenseat, si & ego hic in partem scenæ veniam, & Patriam carissimã hoc brevi elogio interpellẽ.

*Aura, situs, flumen, vicinia fertilis agri,*
*Ingenium populi, lex, politia, Patres.*
*Mœnia, claustra, via, prætoria, templa, domusque,*
*Aptaque longinquas littora ferre rates.*
*Hermetis studium, lucri non sordidus ardor,*
*Et manus artificum prodigiosa virûm.*
*Relligio, pietas, miserorum publica cura;*
*Clerus, & assiduè Numinis ara calens.*
*Hospitium humanum, mensæ communia jura;*
*Rusticus haud ulli vel peregrinus amor.*
*Merces, divitiæ, manuum scitissima opella;*
*Æraque Bistoniis pascere prompta tubas.*
*Hæc faciũt collecta simul te, ANTVERPIA, magnã:*
*Divisum reliquæ; Tu decus omne tenes.*

Vide quæ infrà præsenti, & Serm. 7. ad ỷ. 84. deducuntur.

173. ÆRE] Opulentiâ Civium. SITU] In soli planitie, ad Scaldem flumen: objecta Flandriæ portum habet exonerandis, & ex Oceano admittendis omnium mercium navibus opportunum: amœnitate agri suburbani ad oram Brabantiæ, fertilitate, & villarum hortorumque deliciis affluit. FABRICA] Ædificiis publicis & prætoriis, domibus privatis & foris, templis & asceteriis, turribus & nosocomiis &c. FAMA] Per orbem clarissima, utpote ab omnium nationum mercatoribus frequentata, infessa, culta.

*Vis dicam prope vera? Fave; virtute priorem,*
*Te neque me, credo terram vidisse, nec esse.*
*Invenies mores hac urbe utrimque reductos,*
*Si bene sedatus trutines: si non mihi credens*
*Consulis externos, plenis damnere cachinnis:*
*Hoc Italus sapit, hoc gladio defendet Iberus,*
*Et quos immunes amplectimur urbis honore,*
*Nullius exemplo, quavis paritate, vel infra,*
*Civibus externos præponimus. Ilicet ullis*
*Partibus invenias. Te nemo accumbere jussit*
*Secum inopinatò? Quid possum? Injuria casus;*
*Casus ubique valet. Paucis aperire licebit*
*Delicias nostras. Nil tam proclive, fatendum,*
*Nobis quàm dictum hoc: Hodie prandebimus unà.*
*At sumptu exiguo: consueta diaria nemo*

175. PROPE VERA] Mitigat dicti sui insolentiam. VIRTUTE PRIOREM] Meliorem, præstantiorem, nobiliorem.

177. UTRIMQUE REDUCTOS] Sedatos, temperatos. Reductum est medium, seu id quod ab utroque extremo excessus & defectus remotum est. Horat. l. 1. Epl. 18. ℣. 9.

*Virtus est medium vitiorum, & utrimque reductũ.*

178. SEDATUS] Liber à perturbatione, vel præjudicio.

179. PLENIS DAMNERE CACHINNIS] Deridebere palàm, quod audes dubitare de te lucidâ, & manifestè verâ. *Cachinnus* est risus solutior, & quasi totum corpus quatiens. Pers. Sat. 3. ℣. 87.

*Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.*

180. ITALUS SAPIT] Pro judicii sui acrimoniâ, quâ reliquas vincit nationes, sapienter censet. GLADIO] Magnis animis, etiam cum vitæ periculo. IBERUS] Hispanus. *Iberi* ab Ibero notissimo Hispaniæ flumine.

181. IMMUNES] Externi, quos non modò civitate, sed etiam immunitate, prærogativis, & privilegiis donamus, idem defendent.

182. QUAVIS PARITATE] Cum civibus. VEL INFRA] Imò infra paritatem. Hoc est: exteros in civitatem admissos sæpè etiam civibus anteferimus.

183. ILICET] Ire licet. Terent. Eun. 1. 1. 9. *Actum est! ilicet!* Signum est ferè peractæ rei; quo per præconem pronuntiato, Judices de concilio dimittebantur. Ac si dicat Noster Antibrabanto: vade alias in regiones, & explora, num hæc usquam invenias.

184. PARTIBUS] Regionibus. Cic. lib. 1[illegible] fam. Epl. 5. *Nunc autem opto, ut ab istis Orientis partibus, virtutis tua lumen eluceat.* Tib. l. 4. c. 1. ℣. 165.

*Nulla nec exustas habitant animalia partes.*

185. SECUM INOPINATO] ut suprà ℣. 15.

186. CASUS UBIQUE] Parœmiæ speciem refert, plurimis hodie in ore, cum aliquid secundi forte fortunâ, vel lævi mero casu, cuipiam obtigit. Ex Ovid. de arte. l. 3. ℣. 425.

*Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus.*

189. DIARIA] Cibaria diurna, in diem parari solita: *Diaria*, propria servorum sunt vel operarum. Horat. l. 1. Epl. 14. ℣. 40.

*Cum servis urbana diaria rodere mavis.*

Et apud Mart. etiam puerorum. lib. 11. Epig. 109. Ad Lector. ℣. 3.

*Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.*

190. IN-

*Despicit; invehimur, quæ nullum pauperet, escæ:*
*Felicem se quisque putat cui contigit esse*
*Convivatorem. Moderamina zelotypiæ*
*Inventa; & crebrò patinam decernimus uni-*
*Cuique suam, & modicum proprio de vase Falernum;*
*Quo neque cerritos videas, Bromióve revulsos,*
*Sumptibus immodicis nec quis prætexat agendum.*
*Copia fabellis, non detrectando, facetis:*
*Nunc sale conspersi risus, nunc seria ludis*
*Nectimus, atque animos multâ virtute ciemus:*

190. INVEHIMUR] Præcipites, cum impetu, & proritato appetitu manducare incipimus. ESCÆ QUÆ NULLUM PAUPERET] Diariæ, non cupediis vel magno impendio accersitis eduliis, sed parabilibus, quæ convivatorem nihilo pauperiorem reddant, aut sumptibus gravent. *Pauperare* hîc est fraudare, damnum accersere, quæstum interpellare. Horat. lib. 2 Sat. 5. ℣. 35.

*Excipiet quivis oculos citiùs mihi, quàm te*
*Contemptum cassâ nuce pauperet.-----*

Plaut. Mil. Glor. 3. 1. 131.

*Pro mercis vitio dominum pretio pauperet.*

Idem Pseud. 4. 7. 27. voce lenonis.

*Boni viri me pauperant, improbi alunt.*

192. CONVIVATOREM.] Cui concessum, ejusmodi non sumptuosæ mensæ amicos adhibere. MODERAMINA] Remedia.] ZELOTYPIÆ] Invidiæ & ambitus: nequis sibi præscribat imitandam, vincendamque fortasse alterius luxuriam & prodigalitatem.

193. PATINAM] Lancem escariam obsonio gravem. *Patina* Had. Junio, à patendo dicta, quod sit amplum & repandum vasis genus, quo dapes elixæ ac jurulentæ mensis inferuntur. DECERNIMUS] Stipulamur, statuimus, ut quisque pro symbolâ conferat suam patinam; in morem veterum eranistarum. UNI-CUIQUE] Tmesis ad imitationem. Horat. l. 1. Sat. 9. ℣. 50.

*------Nil mî officit unquam,*
*Ditior hic, aut est quia doctior: est locus unicuique suus.-----*

194. PROPRIO DE VASE] De cupâ domesticâ, seu cellâ familiari. FALERNUM] Vinum, à Falerno Campaniæ agro, ubi generosa vina olim nascebantur.

195. CERRITOS] Escis saburratos, emotæ vel impeditæ mentis. *Cerritum* dictum volunt, quasi Cereritum, seu à Cerere percussum. Horat. l. 2. Sat. 3. ℣. 277.

*Hellade percussâ Marius tùm præcipitat se*
*Cerritus fuit?------*

Plaut. Menæch. 5. 4. 2.

*Num larvatus aut Cerritus? fac sciam.*

Nonius, *Cerriti & Larvati*, inquit, *malesani, aut Cereris irâ & larvarum incursione, animo vexati.* Plaut. Amph. 2. 2. 143. *Iubes isthanc pro cerritâ circumferri.* Intelligit Noster hoc loco, Cerere, seu pane & obsoniis infartos, & distentos, rebus eâ die sanè agendis ineptos. BROMIOVE REVULSOS] Temulentos, ebrios, & à ratione revulsos. Vide suprà quæ de Bromio diximus ad ℣. 3. Serm. 1.

196. SUMPTIBUS &c.] Nec quo quis agat, seu mensam comparet immodicis sumptibus, quocumque demum sub obtentu, vel prætextu. Id est cum quisque conferat symbolam, non est occasio cuiquam, sumptuosiùs instruendi triclinii.

197. COPIA] Supple, *est*. Ut sensus sit, datur vel est facultas facetis fabulis. NON DETRECTANDO] Detrahendo, aut famam ullius denigrando.

198. SALE CONSPERSI] Urbanis jocis & salsè dictis mixti. *Sal* argutiam & lepôrem Latinis designat: quandoque etiam amarulentiam & dicacitatem. Sic in proverbiis, *Sale, injuriâve conspersi.* Had. Jun. LUDIS] Ludicris, joculatibus, acroamatis. MULTA VIRTUTE] Multâ elegantiâ, præstantiâ & eruditione sermonis. CIEMUS] Revocamus, recreamus, & instauramus.

*Sorte locus, nec cura, cui aut quâ parte ministres.*
*Ordo bibendo, sitis: famuli communiter adstant.*
*Præstò aqua fert rarò cyathos turgere puellis.*
*Cras valeas, strepitet socrus nec murmuret uxor.*
*Est qui, sed nitidis, fuerit gratissimus hillis;*
*Aut vervecinâ, paulò antè superstite, ofellâ;*
*Aut facili cremio, selino, bulbove salito,*

200. SORTE LOCUS] Ut cadit, sine ordine, aut dignitatis ratione. CUI AUT QUA PARTE &c.] Omnia familiariter, sine disquisitione, cui aptiùs vel congruentiùs ante alios ministretur.

201. ORDO BIBENDO SITIS] Non cogitur quisquam respondere alteri præbibenti, minùs ad æquales haustus invitanti; sed quisque bibit, ut sitit. COMMUNITER] Ad commune omnium & cujusque obsequium.

202. PRÆSTO AQUA] Diluendo vino; ad normam scil. Italorum, Hispanorum, Gallorum &c. cujus servantissimus fuit Poëta noster, unicè valetudinis suæ, plerumque ancipitis, solicitus. FERT RARO TURGERE] Ad summum scil. labrum; ut locus sit affundendæ aquæ. Id est junioribus parciùs funditur, ne oleum igni, quod aiunt, id est, intemperantiæ addatur.

203. CRAS VALEAS &c.] Ansa non datur, ut hîc socrus arguat, vel uxor obganniat. MURMURET] Tacitè, & quasi continenter intra dentes rodendo verba; ne maritus tam voces quàm sensum intelligat. Notat uxorem & socrum ejus matrem, virorum valetudinem anxiè curantes. MURMURARE, pro eo quod est, obloqui, obstrepere, aut animi indignantis notas efferre, etiam Ciceroni in usu. Sic de Harusp. resp. c. 17. *Vidi enim hesterno die quemdam murmurantem, quem aiebant negare ferre me posse.* Ovi. Met. 9. ℣. 419.

*Et cur non aliis eadem dare dona liceret*
*Murmur erat.-------*

204. EST QUI &c.] Censum agit familiarium quorumdam eduliorum, ut doceat quàm obvio & parabili obsonio, constent hæc convivia. Est itaque, inquit, quispiam eranista qui pro symbolâ, domo adfert patinam hillorum, & hoc munere sodalibus placet, & gratificatur. *Hilla* tomacula sunt, vel farcimina, quæ fiunt ex jecinore aut aliis intestinis suillis frustratim comminutis, & arvinâ: sic & *apexabones* fiunt ex ejusdem pecoris sanguine, intermixtâ etiam arvinâ. Vulgus nostrum dixerit *Beulingen*, alibi *pensen*. Horat. lib. 2. Sat. 4. ℣. 60.

*-----Pernâ magis & magis hillis*
*Flagitat in morsus refici.-----*

SED NITIDIS] Hillorum maxima commendatio, si nitidè, & à nitidis, in primis mulieribus [ut fert patriæ mos) facta sint.

205. AUT VERVECINA] Vervecino jure macerata. PAULO ANTE SUPERSTITE] Residuâ, cui paulò ante incoxit vervecina, ita ut adhuc à prima coctione ferveat. Hesternum enim jus, & secundo foco calens, minimè commendatur Apicianis proceribus. OFELLA] Pane jurulento. Ita hoc loco exponendum. Alibi aliter: vide infra Serm. 8. ad ℣. 35.

206. FACILI CREMIO] Carne vel quovis alio edulio, in sartagine confrixo. *Cremium* non temere apud locupletes reperias. Vulgatus interpres eo utitur Psalm. 101. ℣. 4. *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Et respondet voci φρύγιον apud Septuaginta: quod D. Gregorio aliisque exponitur cremium ἀπὸ τοῦ φρύγομαι, quod est *torree* vel *torresio* aut *friger*: Aliis verò est lignum tenue crematu facile. Augustinus in Ps. 101. legit: *Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.* Hieronymus ex Hebræo vertit: *Et ossa mea quasi frixa contabuerunt.* Rectè igitur hic intelliges cibum quemvis, qui ex tempore, & subitò frigi potest (id enim arguit epitheton *facile*) v.g. pullum aut capum gallinaceum, aves & aviculas, item carnes antè coctas minutim concisas, & alia quæ citò torrentur & percoquuntur. SELINO] Patinâ, de optimo selino inter bellaria, superbiente. *Selinum* Latini dicunt apium, Itali *seleni* aut *seleri*; cui respondet vox apud nos vulgaris *seler* seu *seleri*, ex Italicâ vel Græcâ σέλινον desumpta. Inde hyposelinum, petroselinum &c. BULBOVE SALITO] Pusillis albarum cæpularum conditaneis, condiendo vino opportunis: aut certè pisciculis in eumdem usum, quos trichides aut Encrasicholos ex apuarum genere, quidam nominant: Belgæ dixerint *Antsouwen* vel *Antsioves*, Itali *Anchovi* vel *aleci*. Juven. Sat. 7. ℣. 12.

*Aut*

*Ficubus, asparagis, aluit quos Tassius horto*
*Sollicito; aut vernâ, Jonâ indignante, placentâ.*
*Non ullum pretium pretio; sed mutuus usus.*
*Ventre nihil frugalius est, naturaque paucis*
*Contenta: est potior petasunculus inter amicos,*
*Quàm sunt mille dapes, si cogar rodere solus.*

----*Aut veteres Maurorum epimenia bulbi.*
Ubi commentatores intelligunt pisces exiguos, qui velut exilia munuscula ex Africâ singulis mensibus Romam deferebantur. Lips. Epist. QQ. lib. 4. Epl. 25. Prior tamen expositio bellariis hortensibus, de quibus hîc, congruentior est. *Bulbus* radix est rotunda & tunicata: veteribus fuit quædam illius species ad Venerem impensè provocans, quæ hodie incognita.

207. ASPARAGIS ] Qui etiam citò parantur, & percoquuntur. Nam ut Suet. c. 87. Augustus quædam quotidiano sermone usurpabat: inter quæ isthoc ad exprimendam festinatæ rei velocitatem: *velociùs quàm asparagi coquantur.* Quod imitatus Lipsius Saturn. 1. c. 1. *Abi puer,* inquit, *& redi citiùs quàm asparagi coquantur.* De asparagis plura infra ad ℣. 272. Serm. 7. TASSIUS ] V. N. cui nupserat Germana soror Poëtæ. Huic erat assidua cura colendi horti sui elegantissimi; qui ab omni genere olerum, fructuum, florumque, insanâ ejus temporis æstimatione rarissimorum, & gravissimi impendii, supra modum commendabatur. Erat & illi frater Carolus Tassius, cui dedicatus infrà sermo V. curâ colendi horti non multò inelegantioris, fratre nil inferior; ut nescias de utro interpretandus sit hic locus. Senatoriâ dignitate uterque eminuit: prior tamen demortuâ conjuge Scholiriâ, ne primam fidem sponsæ obstrictam irritaret, Deo se consecravit, in sacrum Canonicorum Collegium Ædis Cathedralis Antverpiensis adscriptus.

208. VERNA ] Domesticâ, seu domi à vernis factâ. Sic Martialis dixit apros vernas, equites vernas. l. 1. Epig. 50. ad Licin. ℣. 24.

*Mactabis & vernas apros.*

Ita legendum censet, non vernos Turn. lib. 23. c. 25. Item ibid. Epig. 85. De Quirinale multorum filiorum patre ex vagâ Venere.

*Domumque & agros implet equitibus vernis:*
*Paterfamilias verùs est Quirinalis.*

Id est indigenis, domi vel in fundo suo natis. Sic & lib. 13. Lem. 43.

*Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,*
*Et verna tuberes.*-----

Ubi volunt esse epithecen, sive appositionem, uti hîc in vernâ placentâ: nisi quispiam contendat hîc placentam ex oleribus vernis seu primæ accretionis, confectam intelligi; sed tunc pereat venustas antitheseos, quæ est inter domesticam, & alibi factam. JONA INDIGNANTE ] Invidente & ringente, hunc sibi honorem & quæstum præripi. *Ionas* fuit nobilissimus Antverpiæ placentarius pistor, à scitè condiendis artocreatis, & placentis omnis generis pinsendis, illo ævo notissimus: vulgo *Ionas den Pasteybacker.*

209. NON ULLUM PRETIUM PRETIO ] Nihil æstimatur, nullo in pretio est, pretium ciborum, seu profusio multi æris in opsonandum; pluris enim fiunt edulia minimè sumptuosa, quàm dapes multo pretio coëmptæ. MUTUUS USUS ] Consuetudo, familiaritas, & facetus convictus.

210. VENTRE NIHIL FRUGALIUS &c. ] Ea victus tenuitas maximè commendabilis, quâ venter & natura habent quod satis. Docilis enim venter est, etiam quàm minimis saturari. Juven. Sat. 5. ℣. 6.

*Ventre nihil novi frugalius.*------

Horat. l. 2. Od 16. ℣. 13.

*Vivitur parvo bene, cui paternum*
*Splendet in mensâ tenui salinum.*

NATURAQUE PAUCIS CONTENTA ] Ex Epicuro, qui ut ait Cic. l. 2. de fin. c. 21. *Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta.* Claud. in Ruf. l. 1. ℣ 216.

*Vivitur exiguo meliùs. Natura beatis*
*Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.*

211. PETASUNCULUS ] Coxa vel perna suilla fumo indurata. Juven. Sat. 7 ℣. 119.

-----*Siccus petasunculus, & vas*
*Pelamidum.*-----

Blandiuntur diminutiva, & nescio quid gratiæ vel illectamenti tribuant opsoniis, quod non præstant primitiva.

212. RODERE SOLUS ] Prandere sine sodali-

G bus

*Vivitur hoc alibi ritu? Te judice vincam.*
*Nîl mihi concedas; nulla ornamenta Poëtæ:*
*Jugiter in nostrâ, certum est, sic vivitur urbe.*
*Imò quod & magis est, Momi sunt temporis hujus,*
*Qui vertant vitio, nimiumque frequentia dicant*
*Prandia amicorum, sint dilutissima quamvis;*
*Moribus innixi, quos audivere parentum,*
*Atque suis; nullo distincto tempore & usu:*
*Vel, quia nîl rectum, nisi quod faciunt, sibi ducunt;*
*Vel, quia turpe sequi rentur laudando minores:*
*Semiviri, vilesque animi, queîs fœmina mas est.*
*Hos inquam insulso potes adnumerare popello,*
*Queîs per transennam cultis natura locavit*

bus & amicis. Amici enim præsentia, amicorum mensam dulcissimè condit.

213. ALIBI] Terrarum, ubi rarissima sunt convivia; vel aliàs ad luxum & fastum sumptuosissimè composita. TE JUDICE VINCAM] Te etiam arbitrante, si secundùm fas & æquum pronuntiabis. Horat. l. 1. Sat 2 ℣. ult.
------ *Fabio vel Iudice vincam.*

214. CONCEDAS] Non enim loquor hyperbolicè. NULLA] Supple, *sunt*.

216. MOMI] Censores, suggillatores, accusatores.

218. DILUTISSMA] Maximè tenuia, frugalia, temperata. Sic tenue vinum, quod dilutum.

219. MORIBUS PARENTUM ET SUIS] Avaritiâ sordidatis: id est, ideo culpant, quia à sordidis parentibus, quos audivere ejusmodi convivia reprobare, sordidè nutriti; & ab illiberalium morum & parcimoniæ genio, in hæc dicteria effusi.

220. NULLO TEMPORE ET USU] Sine ullo discrimine, delectu, judicio, aut consideratione temporis & consuetudinis.

221. NIL RECTUM] Nihil laude dignum ab aliis fieri existimant, nisi quod & ipsi faciunt. Simile quid legas apud Horat. l. 2. Epl. 1. ℣. 83.
*Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt;*
*Vel quia turpe putant parêre minoribus, & quæ*
*Imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

223. SEMIVIRI &c.] Ignavi, imbelles, sordidi ac illiberales, quibus vel muliebre ingenium, vel in quos mulier dominatur.

224. INSULSO POPELLO] Plebi insipidæ ac inurbanæ, quæ non tam ratione, quam affectu sordidissimo impellitur.

225. PER TRANSENNAM CULTIS] Obiter, in transcursu, & quasi prætereundo institutis. Hoc significatu hodie à doctis etiam usurpatur *transenna*. Meliùs tamen alii negant esse transitum, voluntque esse fenestram aut pergulam. Alii cancellos aut vitrum pellucidum intelligunt, quod mercibus venum expositis objicitur, ita ut eminus & summatim non propiùs eas inspicere, minùs manu cõtrectare liceat. Hoc sensu inter adagia retulit Erasmus, *per transennã inspicere*, quod est procul, & non singulatim. Al[illegible]nique funem extentum intelligunt, quo sensu Plau. Bac. 4. 6. 22.
*Nunc ab transennâ hic turdus lumbricum petit.*
Et Persæ 4. 3. 11. *Dolis in transennam ducere.* Vide Turn. l. 24. 11. & locum Cic. 1. de Orat. 162. *Nunc petes à Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam quasi per transennam strictim aspeximus, in lucem proferat:* mendosum contendunt, & malâ conjecturâ legunt, *quasi prætereuntes:* Ita Gas. Scioppius: sed hunc, uti hujus & superioris sæculi litterarum principibus convitium facere, ita & vetertimorum codicum fidem, priscis scriptoribus, pro libidine sua, abrogare non puduit. Sensus ergò poëtæ in primo significatu est: & *culti per transennam*

*Debile judicium: ſecus at pars optima paſſim*
*Suſtinet, & vitam extollit ratione beatam.*
*Ne tamen iſta notes, cenſor, ſpumantibus inter*
*Viſceribus juvenes: ſunt qui videre abeuntem*
*Principio Auraicum, violataque numina templis,*
*Et Male-contentos, lacrymabilis omina belli:*
*Quorum conſilio vir conſultiſſimus audet*
*Judicium frenare ſuum, veniamque miſellis,*
*Atque importuno damnum accelerare tyranno.*

*ſennam* dicuntur ii, qui ſummatim tantùm, & obiter docti ac inſtituti ſunt.

226. PARS OPTIMA] Viri ſapientes, culti, cordati, acri judicandi vi præditi.

227. RATIONE BEATAM] Id eſt, extollit vitam ad rectæ rationis præcepta, & honeſti regulas inſtitutam.

228. NE TAMEN &c.] Ptolepſis ſeu occupatio, quâ obloquendi anſam præripit Antibrabanto. Senſus eſt: ne tu excandeſcendo, aut viſceribus itâ ſpumantibus, iſta inter juvenes agitari damnes, & contumelioſè reprehendas. Juven. Sat. 13. ℣. 14.

*Particulam vix ferre potes, ſpumantibus ardens*
*Viſceribus.---------*

230. PRINCIPIO] Tumultuum Belgicorum. AURAICUM ABEUNTEM] Deſcribit ætatem ejuſmodi ſodalium, aut quorumdam ex iis, quos tacitè innuit eſſe ſexagenarios, aut eo majores. Siquidem Guilelmus Naſſavius Princeps Auraicus vel Arauſionenſis, anno ſalutis CIↃ. DLXVII. metu Ducis Albani, aut præſagitione imminentium malorum, abdicatis Hollandiæ Zeelandiæque Præfecturis, Belgicis Provinciis exceſſit. Undè factâ ſupputatione, ab eâ ætate, quâ firmandæ rerum geſtarum memoriæ pueri potes ſunt, uſque ad annum hujus ſeculi XXIII. quo editus hic ſermo: pro comperto eſt, non minùs quam ſexaginta annorum ſpatium interfluxiſſe. VIOLATAQUE NUMINA.] Simulacta Chriſti & Sanctorum. *Numen* uſurpari pro ſimulacro paſſim arguunt veterum ſcripta Virg. Æn. 1. ℣. 451.

*-----Donis opulentum & numine Diva.*

Et Æneid. 4. ℣. 204.

*---Ante aras media inter numina Divûm.*

Digitum intendit Poëta in abominandam iconomachiam anni CIↃ. IↃ. LXVI. quando hæretici Iconoclaſtæ, turbulenta nebulonum colluvies, in ſacras Divûm imagines graſſati, per univerſum fere Belgium, auſu ſacrilego templa diripuerunt: ubique fere ſub idem tempus: Antverpiæ XII. Cal Sept. Quam rem illic tam in æde Marianâ urbis principe, quàm in aliis nefariè geſtam, graphicè deſcribit Famianus Dec. 1. l. 5.

231 MALE-CONTENTOS] Factionem eorum, qui ab utrâque, Hiſpanorum ſcil. Ordinumque diſcreti, quod neutram probarent, *Male-contentos* ſe appellavere, anno CIↃ. IↃ. LXXVIII. Significat ex convivis, de quibus ſermo, quoſdam eſſe quinquagenarios. OMINA BELLI] Signa, præſagia & initia ejus calamitoſi belli, quod quadraginta pæne annos, ſine intervallo, univerſum Belgium miſerrimè convulſit. De *omine* vid. infra Serm. 10. ad ℣. 7. & de auſpicio Serm. 7. ad ℣. 316.

232. CONSULTISSIMUS] Advocatus, Jureconſultus, Senator, Judex. Commendat prudentiam, & judicandi dexteritatem horum ſodalium.

233. JUDICIUM FRENARE] Severiora in reos judicia comprimere. MISELLIS] Injuſtè delatis aut oppreſſis.

234. DAMNUM] Condemnationem in litis impenſas, pœnam talionis, rei, ejuſque famæ reſtitutionem, damni compenſationem &c. TYRANNO] Injuſto & potenti oppreſſori, vel actori. Tyrannus licèt propriè Regem aut Principem, vel quemvis dominatorem denotet, uſu tamen apud priſcos Romanos etiam obtinente; pro immiti, ſubjectos opprimente, aut injuſto invaſore accipitur. Imò quidam etymon nominis derivant ἀπὸ τοῦ τρύω vexo, quaſi τρύανος. *Scapula*. Hoc loco itaque intellige quemvis injuſtè alterum ad pœnam in judicio depoſcentem; & fori ſtrophis vexantem.

*Quippe ſenes animo juvenes, juveneſque ſeniles*
*Conveniunt, citra maculam, ſine crimine vitæ.*
*Quorſum hæc? Ut laxes animos, ut grandia præſtes*
*Succeſſivâ horâ. Cur non? Ut cuique libido,*
*Poſcit inæquales calices; citò, tardiùs; album,*
*Nigrum; exile, potens; lymphatum, vel ſine fonte;*
*Seu glacie rigidum, ſeu naturale Falernum.*
*Aurea libertas: communia ſymbola nobis*
*Sunt cum Luccanis. Trullas quiſquam imperet amplas?*
*Gaudeo, quòd ſapiant. Oblatas Galba recuſet?*

235.] SENES ANIMO JUVENES] Non decrepiti aut depontani ſenes, ſed quibus animi & vires adhuc conſtant, eatenus juvenes. JUVENESQUE SENILES] *Juvenes mente ſenes*, ut eſt in Proverbiis, vel ut Nazianzeno, *cani ante canos*. Id eſt juvenes viribus & animis, ſenes prudentiâ & frugalitate.

236. CONVENIUNT] Ad convivia extemporaria. CITRA MACULAM &c.] Citra culpam incontinentiæ, vel læſæ honeſtatis: utpote qui ita vitam inſtituunt ubique, ut ſe intra limites mediocritatis, citra defectum vel exceſſum contineant.

237. QUORSUM HÆC] Roget fortè quiſpiam. GRANDIA PRÆSTES] Excitis ſpiritibus acuatur ingenium, apteturque ad res grandiores promptiùs & feliciùs peragendas.

231. UT CUIQUE LIBIDO] Ut lubet. Horat. l.2. Sat.6. ℣.67.

*------Prout cuique libido*
*Siccat inæquales calices.------*

239. INÆQUALES] Capaciores vel incapaciores; plenos vel ſemiplenos; nunc album, nunc nigrum vinum, nunc generoſum, nunc tenue &c.

240. LYMPHATUM] Lymphâ ſeu aquâ dilutum. Exiſtimant quidam dumtaxat *lymphatum* dici, quod furore correptum eſt; ait tamen Franc. Modius Novantiq. Lect. Epl. 33. in M.S. Martialis codice lib. 1. Epig. 107. ad Rufum, non *diluti*, ut in aliis reperitur, ſed legiſſe ſe

*Lymphati bibis unciam falerni.*

Reſpondet Horat. l.2. Od. 11. ℣.18.

*-----Quis puer ocyus*
*Reſtinguet ardentis falerni*
*Pocula, prætereunte Lymphâ.*

Et tum ipſe, (neſcit à quo) audiviſſe ſe meminit, tum Lipſius Antiq. Lect. lib. 3. cap. 1. refert. *Lymphatum vinum lymphatam mentem efficere.* SINE FONTE] Meracum, non dilutum aquâ. Fons pro aquâ è fonte hauſtâ: ut triviale iſthoc:

*Vina bibant homines, animantia cetera fontes.*

241. SEU GLACIE RIGIDUM] Nivatum, ſeu glaciei contagio frigefactum. NATURALE] Sine nive vel glacie; ſed à cupâ & cellâ recens.

242. LIBERTAS CUM LUCCANIS] Luccani Hetruriæ populus, præ reliquis Italiæ libertatem ſuam amant, habent, tuentur: ac pro ſcuto ſuo gentilitio circumferunt aream cæruleam, quam ab angulo dextro in ſiniſtrum delabens, transverſè ſecat tænia argentea, cui aureis elementis inſcriptum LIBERTAS. Ut hoc ritu jubeant Cives tuendæ, exteros non impugnandæ libertatis meminiſſe. De Lucca canit inter reliquas urbes Muſa J. Cæſ. Scaligeri:

*Lucca potens opibus, felix concordibus armis,*
*Cui veneranda fides, mens pia, pura manus.*
*Iratis igitur dum ſervit Hetruria faſis,*
*Virtutis merito libera ſola fuit.*

Significat ergo Poëta, cuivis convivarum, eamdem in edendo bibendoque libertatem propoſitam eſſe, quàm ſibi præferunt Luccani.

243. TRULLAS AMPLAS] Calices multi vini capaces. Varroni *trulla* dicitur à ſimilitudine *truæ* (vas aquarium eſt) hæc magna, iſta puſilla. Horat. l. 2. Sat. 3. ℣. 143.

*Qui Veientanum feſtis potare diebus*
*Campanâ ſolitus trullâ -----*

Et Mart. l. 9. Epig. 97. de Herode

*Clinicus Herodes trullam ſubduxerat agro:*
*Deprenſus dixit; ſtulte quid ergo bibis?*

244. GALBA] Valetudinarius aut frugalis quiſpiam, & parcioris potus. *Galba* homo valetudina-

*Gaudeo, quòd propriis dignetur legibus uti,*
*Ad placitum non alterius conviva rogatus.*
*Nullius expectes cyathos, sine lege propines.*
*Hîc neque formides surgentes nocte vapores,*
*Nec stomachi ructus, capitísve gravedinem: abimus*
*Quisque domum, ceu quisque domo sese extulit, apti*
*Quisque suis studiis, vel saltem ad carmina proni.*
*Si gravis autumnus, timet & quis febriculosus*
*Sumere* QUID PRO QUO, *curabitur arte sodalis:*

dinarius sed ingeniosus, de quo in proverbiis: *animus Galba malè habitat.* Frugalitas etiam Imperatoris Galbæ celebratur à Plutarcho: *Vtilitas*, inquit, *victus & sumptuum parcimonia & frugalitas, fuit in caussa, ut potius imperio avarior haberetur. Quam quidem vanam de se opinionem modestiâ temperantiâque pepererat.*

246. AD PLACITUM NON ALTERIUS] Ad commodum & oblectamentum suum, non ad importuna modiperatoris convivarúmve imperia. Amici enim, quibus bene volueris, suæ libertati relinquendi; ne tam tibi, quàm sibi vocati videantur.

247. NULLIUS EXSPECTES CYATHOS] Postula tibi cyathos expediri pro libitu, non expectando, donec alter quispiam tibi præbiberit. SINE LEGE] Sine ordine aut debito singulis propinandi, aut uni præ altero; nam & hîc aurea libertas.

249. VAPORES, RUCTUS, GRAVEDINEM] Pravam corporis affectionem à ciborum & vini intemperie, quam plerumque mulctat postridiana pœnitentia.

250. DOMUM CEU QUISQUE &c.] Mentis compotes non secus quàm impransi.

251. STUDIIS] Rebus agendis, aut lucubrationibus. AD CARMINA] Ut multis usu venit, & fortè solebat Nostro, alios suo pede hîc metienti. Quibusdam tamen magis favet Aurora. Cæterùm post potationem aptiùs venam fluere existimarunt veteres. Bacchum enim inter Musas versari finxère: & in Parnasso non minùs Baccho quam Phœbo vel Musis litarum. Inde & vates hederâ coronati, & sub Bacchi tutelâ. Docet Tibul. lib. 3. Eleg. 4. ỷ. 43.

*Salve cura Deum: casto nam rite poëta*
*Phœbusque & Bacchus, Pieridesque favent.*

Vinum enim mentem suscitat, vires animi accendit, quæ jejunis non rarò torpent: phantasias agitat, addit impetus, subministrat fiduciam; ut scitè adagium: *Vinum equus Poëta.* Quod ex Cratino vertit Lipsius

*Vinum est instar equi: gestat tollitque poëtam.*

Imo & ingenium facere creditur. Ovid. Met. 7. ỷ. 432.

*----Nec non & carmina, vino*
*Ingenium faciente, canunt.-----*

Ut mirum non sit quod canit Horat. lib. 1. Epl. 19. ỷ. 5.

*Vina ferè dulces oluerunt manè Camœnæ:*
*Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.*
*Ennius ipse Pater nunquam nisi potus ad arma*
*Prosiluit dicenda.-----*

Plura vide Serm. 5. ỷ 119.

252. GRAVIS AUTUMNUS] Quia morbis gravat. Inde & Seneca. 6. de Ben. c. 38. *Medicis gravis annus in quæstu est.* Horat. l. 2. Sat. 6. ỷ. 19.

*Autumnusque gravis Libitinæ quæstus acerbæ.*

Autumno enim grassatur aëris inæqualitas, quia auctore Avicenna, dies tunc sunt quodammodò æstivi, noctes brumales, quod corporibus impensè noxium. Ovid. l. 2. de art. ỷ. 317.

*Cum modò frigoribus premimur, modò solvimur æstu;*
*Aëre non certo corpora languor habet.*

Indè & Lethifer audit, & multos opprimit. Juven. Sat. 4. ỷ. 56.

*---Jam lethifero cedente pruinis*
*Autumno, jam quartanam sperantibus ægris.*

Celsus lib. 2. c. 1. *Saluberrimum ver est, proxima ab hoc hiems, periculosior æstas, autumnus longè periculosissimus, quo fit, ut plurimos opprimat.* Ex cæli scil. incertitudine: *qua ratio*, ut placet Rhodigino libr. 30. c. 23. *Efficere creditur, Autumno inprimis, ut scaturiant ægritudinum agmina.*

253. QUID PRO QUO] Pharmacum seu potionem

*Vin' hodie mecum? Placet. Heus puer, indica Achati*
*Vivere nos unà: veniat: ſimul adſore Codrum,*
*Quem videt obliquo inſtantem. Præſagus at ille*
*Expedit adjunctos, & congreditur. Via præbet*
*Pamphilum inoffenſum: queritur minùs ille vocatum*
*Iri ſe. Aſt veniam mox, inquit. Portio nuda eſt.*
*Si qua domi, acccerſam. Ridentes cernit ab alto*
*Ante ædes Croalus: nihil hîc: jubet ocyùs offam,*
*Et quod habet privi, patinæ immiſcerier amplæ:*

tionem inſipidam. Medicamentum inſignit hoc nomine, quòd pharmacopæis familiare ſit, deficiente in ſuâ officinâ, id quod à Medico præſcribitur, miſcere aliquid illi affine, aut ſimilis fere virtutis; quod ipſum dicunt *quid pro quo*. ARTE] Hâc ſcil. quam ſequenti hypotypoſi ſubjicio.

254. VIN HODIE MECUM?] Rogat quiſpiam ſcil. A. *mecum?* Supple prandere, accubare, convivere? PLACET] Reſpondet B. HEUS PUER] Famule. Iterum A. ad famulum ſuum. Cic. l. 1. ad Att. Epl. 9. *Puer feſtivus anagnoſtes noſter Soſitheus deceſſerat, meque plùs quàm ſervi mors debere videbatur, commoverat.* Et Orat. pro Sext. Roſc. c. 77. *Omnes ejus ſervos habetis. Vnus puer victus quotidiani, adminiſter ex tantâ familiâ Sext. Roſcio relictus non eſt.* INDICA ACHATI] Achates, Codrus, Pamphilus, Croalus &c. de quibus in ſequentibus, nomina ſunt conficta; ſignantque eos, ut veroſimile, quibuſcum Scholirius convivere ſolebat.

255. VIVERE NOS UNA] Eſſe congregatos, & unà diſcubituros. VENIAT] Ad nos. SIMUL AD FORE] Nobis etiam adfuturum.

256. OBLIQUO INSTANTEM] Ex obliquo ſtantem, & in aliorum coronâ fabulantem; converſis ſcil. oculis ad ipſum, & nictu invitando. Graphica morum & hominum noſtratium deſcriptio, quos qui noverit, non tam legere, quàm oculis intueri ſibi ipſe videatur hoc ludicrum: quod factum procul dubio in ampliſſimo urbis foro, (*Meram* nuncupant) quò ſub meridiem opulentiores cives conveniunt. PRÆSAGUS AT ILLE] Ex nictu vel ſigno ab A. eminus dato, ſubolens aliquem lepidorum homunculorum cœtum coiturum, & id quod res erat.

257. EXPEDIT ADJUNCTOS] Semet cum comitate, & ſolitâ veniæ præfatione, abdicat ſocietate illorum, quibuſcum fabulabatur. CONGREDITUR] Cum A. & B. VIA] Quâ jam ibant ad ædes vel triclinium vocantis A. aut certè ad cauponam.

258. INOFFENSUM] Ludit in ambiguo: ſcil. offenſum in viâ vel obvium, non offenſum vel invitum, id eſt ſpontaneum, & voluntarium. QUERITUR] Jocosè, non ſeriò. VOCATUM] Non temere negabat vocatum iri ſe, qui jam familiari uſurus libertate, non rogatus condicebat.

259 PORTIO NUDA EST] Ait A. Hâc loquendi formulâ, ciborum parcitatem excuſamus, innuendo præter familiaris diarii dimenſum, nihil menſæ illatum iri.

260. SI QUA DOMI &c.] Inquit Pamphilus. ACCERSAM] Adferendam curabo portionem mihi domi paratam, ſi quid exquiſiti, aut dignum veſtro palato. RIDENTES] Infernè hos ſodales. AB ALTO] Ex podio, vel cœnaculi feneſtrâ.

261. ANTE ÆDES] Pro foribus domus ſuæ. CROALUS] Carolus, ex quo anagrammatiſmus *Croalus*. NIHIL HIC] Supple, quod exſpectem, deſideam, & ſolitarium me curis affligam.

262. PRIVI] Exquiſiti. Privos enim & privas antiqui dicebant pro ſingulis; hinc privata dicuntur, quæ ſunt cujuſque, uti & privilegia. Portò quia quæ ſingulorum cariora cenſentur, quàm quæ in uſu publico, ſicut ſingulare & unicum: ita etiam privum, pro eo quod eſt exquiſitum aut rarum, vel minimè gregarium, uſurpatur. Ita fere *Torrentius* exponit Hor. l 2 Sat. 5. ℣. 10.

*---------Turdus*
*Sive aliud privum dabitur tibi---*

IMMISCERIER] Confundi & expediri in unâ patinâ; ut opportuniùs à bajulo portetur. Hæc omnia; ut doceat quàm inopinatò, & ex tempore

vel

*Pergit eò rectà, quò conspicit ire sodales.*
*Intrat, præmisso famulo. Bene veneritis, qui*
*Hæc portaveritis, conclamat tota caterva.*
*Heus lympham, pueri, sumus omnes: nec mora; fusi*
*In cute curandâ, paullum ultra tendimus horam.*
*Garrimus, canimus, gelasinum ducimus, omnis*
*Corrugata procùl frons, & sarcasma; jocundè,*
*Quò decet, & parvo, fratres habitamus in unum.*
*Mittuntur famuli actutùm, si sub rosâ, ad usus*

vel invitent Brabanti; vel condicant: contra Antibrabantum scil. ejusque calumniam. Nec ab hâc familiaritate abludit genius Poëtæ, qui de se ut in vitâ ejus vidimus, testatur alicubi in M.SS.

*-----Me ad macra diaria sæpe ex*
*Abrupte invites, coràm quem quæritis adsum.*
*Nec perdas: venias hâc libertate, placebis.*

264 PRÆMISSO FAMULO] Patinæ bajulo. BENE VENERITIS &c.] Acclamatio rhythmica hoc ævo non infrequens, ad eos extolli solita, qui amicorum conventui supervenientes, aliquid sodalibus non injucundum unà secum apportant.

266. LYMPHAM] Supple ministrate, seu ex gutto fundite, lavandis manibus: ex usu scil. cultorum & prisco. Virg. l. 1. Æneid. ℣. 705.

*Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris*
*Expediunt.-----*

SUMUS OMNES] Adsumus quoquot desideramur. FUSI] Impetu quodam præcipitis & rabientis appetitus in accubitum prolapsi. Virg. Æneid. 1. ℣. 218.

*Tum victu revocant vires: fusique per herbam*
*Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.*

267. CUTE CURANDA] In manducando & bibendo. Horat. l. 2. Sat. 5. ℣. 38.

*Pelliculam curare jube.-----*

Et l. 1. Epl. 2. ℣. 29.

*In cute curanda, plùs æquo operata juventus.*

Curare cutem allegoricè dicuntur, qui toti sunt in eo, ut summa cutis niteat. Ejus rei gratiâ olim lautioribus epulis, balneis, unguentis, somno, & id genus deliciis utebantur.

268. GELASINUM DUCIMUS] Ridemus: seu ridendo rugam in vultu contrahimus. Ita & Democritus à risu Gelasinus dictus est: & Mart. l. 7. Epig. 24. In mal. Poët. ℣. 6.

*Nec grata est facies cui gelasinus abest.*

Sic & dentes gelasinos dicimus, anteriores scil. quos ridentes ostentamus; ἀπὸ τοῦ γελάω, quod est rideo.

269. CORRUGATA FRONS] Tristitia, cura, severitas. His enim qui affectibus tenentur, frontem contrahere solent aut corrugare; uti contra hilaritatis est frontem exporrigere. SARCASMA] Acerbior quævis, aut amarulenta irrisio. ἀπὸ τοῦ σαρκάζω, quod est diducto rictu, extensisque labris irrideo.

270. PARVO] Sumptu, victu. FRATRES HABITAMUS] Convivimus fraterno inter nos amore conjuncti. Flos enim Liberi, gluten animorum. Phrasis sacra ex Psalm. 132. ℣. 1. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* Sed aliò hîc profanè detorta.

271. MITTUNTUR] Dimittuntur ex triclinio. SI SUB ROSA FABULA] Si quando sermo instituitur foris tacendus, & quem nolimus alibi temere referri. Inter ceteras coronas, quibus olim sub finem epularum caput redimibant antiqui, rosearum erat frequentissimus usus: quòd aliquantulum refrigerandi capitis, mitigandique doloris vim habere creduntur rosæ; quo tempore licentiùs quævis agebantur, dicebanturque. Unde Propert. l. 3. Eleg. 5. ℣. 21.

*Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,*
*Et caput in vernâ semper habere rosâ.*

Tunc enim, ut & modò in conviviis liberioribus, cantillabant, ludebant, jocabantur, lasciviebant; in omnem hilaritatis licentiam effusi; ac *regnare rosam* dicebant: cupiebantque eo tempore librum suum à Plinio legi Martialis, lib. 10. Epig. 19. ad librum suum ℣. 19.

*Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,*
*Cum regnat ROSA, cum madent capilli:*
*Tunc me, vel rigidi legant Catones.*

Et ideo antequam recederent contestabantur, sub

*Fabula quando hominum, ne verbum eliminet ullus.*
*Vivimus ex animo, ut lepidissimi homunculi. Habésne*
*Quid contrà? Invideas, credo, si lividulus sis.*
*Bilis amara perit; deserta taberna magistri*
*Joannis; vanæ ridentur Pæonis artes.*
*Quæ tanti gravitas? Quæ vita beatior? Aut non*
*Plus aloës quàm mellis habet, si mutua desit*
*Gratia, cultus, amor, seu conversatio læta?*
*Extra hanc urbem talis vita? Audacter in illam*
*Conspirare solet, cui non patuere recessus.*

*sub rosâ* transacta esse omnia; quo licentiùs dicta jubebant tradi oblivioni. Extat xv. lex convivii apud Lips. Antiq. lect. 3. c. 1. *Dicta indicta, facta infecta, in vino inscribuntor.* Quò spectat & tritum istud: *Odi memorem compotorem.* Et inde forrasse mos profluxit, tam in superiori, quàm nostrâ inferiori Germaniâ; ut in lacunaribus cœnaculorum supra mensæ verticem rosam præmagnam sculptam videamus, quò convictu-ti, moneamur silentii. Et ideò finxerunt Poëtæ, rosam Veneris florem à Cupidine, dono datam Harpocrati silentii Deo. Huc spectat istud apud Guil. Stuckium l. 3. Antiq. Convival. c. 16. quod La Cerda in. 1. Æneid. ait reperiri in marmore:

*Est rosa flos Veneris, cujus quò furta laterent,*
*Harpocrati matris dona dicavit amor.*
*Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,*
*Conviva ut sub eâ dicta, tacenda sciant.*

Optimè proinde hoc loco eliminantur, ne quid liberiùs aut imprudentiùs dictum ab heris, perperam traducatur à famulis.

272. Ad usus HOMINUM ] Si quid fortè dicatur, quod auctoribus, vel aliis frandi sit, dictorum cognitionem hominibus in rem & usus suos vertentibus. NE VERBUM ELIMINET ] Extra limina triclinii ad alios efferat. Apud Spartanos publica intrantibus convivia, quæ Phiditia appellabant, aliquis natu grandior fores ostendens, *per has*, inquit, *verbum nullum egreditur.* Horat. l. 1. Epl 5 ℣ 25.

*-----Ne fidos inter amicos*
*Sit, qui dicta foras eliminet.-----*

273. VIVIMUS &c. ] Honestè obsequimur genio. HABESNE] Tu Antibrabante, qui paucos in Brabantia blateras ex improviso amicos ad mensam compellere?

274. INVIDEAS &c.] Si te rodat invidia. Juven. Sat. 11. ℣. 110.

*-----Quibus invideas si lividulus sis.*

275. BILIS AMARA PERIT] Febris materia & fomes, hoc dulcissimo & medico convictu decoquitur, aut depellitur. Ut opus minimè futurum sit, sumere *quid pro quo.* Rectè bilis amara, quia omnes alios corporis succos vincit amaritudine. Hinc in Adagiis *Bile amariora.* DESERTA TABERNA ] Officina emptoribus pharmacorum destituta.

276. MAGISTRI JOANNIS] Parmacopæi ad id ævum celeberrimi. PÆONIS ARTES ] Ars medica. *Paon* Medicorum principibus accensus, qui Homero fingitur Plutona dirissimè ab Hercule sauciatum persanasse.

277. QUÆ TANTI ] Ut te arceat à convictibus tam bellis. GRAVITAS] Morum severitas. Juven. Sat. 6. ℣. 177.

*Quæ tanti gravitas? Quæ forma, ut se tibi semper imputet?------*

278. PLUS ALOES QUAM MELLIS ] Vita hæc humana plus habet amari, quàm dulcis, miseriarum, quàm gaudiorum. *Aloë* herba est amarissimi succi. Juven, Sat. 6. ℣. 180. De uxore.

*Plus aloës quàm mellis habet.------*

279. GRATIA ] Amicitia. Ovid. Met. 1. ℣. 145.

*----Fratrum quoque gratia rara est.*

Et Horat. l. 1. Epl. 18. ℣. 41.

*Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque Zethi dissiluit.------*

Sic dicimus *redire in gratiam*, & *inire ab aliquo gratiam.* CULTUS ] Officium & observantia mutua. LÆTA] Festiva, lepida, jucunda.

280. AUDACTER IN ILLAM &c. ] Ac si dicat: nemo solet tam audacter urbem hanc lacessere, quàm is

281. CUI NON &c. ] Cui nulla cum civibus in ter-

*Progredior. Silvæ de virginitate Ducalis,*
*Et populi genio, vigilanti industriâ, abundè*
*Ex tabulis novitatis Hagâ tunc collige missis:*
*Quæ licet effari, temeraria quando libido,*
*Ad stuprum velut (at frustrà) stimulaverat hostem*
*Urbis ad insidias. Quis aperto Marte? Fidelis*
*Consul ubi Cicero, cives ubi Scævola, Cocles,*
*Scauri; suppetias fert Satrapa nobilis armis?*
*Campani antiqui Belgæ, fideique tenaces*
*Et veteris ritus; gaudent abacoque minuto,*

intercessit consuctudo, non Intimiùs ab iis in amicitiam admisso.

282. PROGREDIOR] Jam postremò ad quartam Brabantiæ urbem: quæ quibusdam *Silva-Ducis*, quibusdam *Ducissilvia*; aliis autem *Buscum-Ducis*, Gallis *Bolduc*. VIRGINITATE] Integrâ fide in Principem, quâ nulli alteri semet subjecit: scilicet eo tempore, quo sermo hic scriptus. Postea enim, nempe anno CIↃ.CIↃ.XXIX. quadrimestrem obsidionem perpessa, mense Septembri, Batavorum armis succubuit: quibus etiamnum paret.

284. TABULIS NOVITATIS] Diariis, seu libellis novorum nuntiis. Vide infra Serm. 8. ad ℣.13. HAGA] Comitis scil. Hollandiæ oppido, Comitum antiquâ sede; nunc Principis Auraici, & curiarum fœderati Belgii. Vide infra Serm.9. ad ℣.29. TUNC] Anno primo & tertio hujus seculi; quando Mauritius Princeps Arausionensis hanc urbem ad deditionem tentavit: sed civium fide, militum præsidio, anni inclementiâ, recedere compulsus.

285. EFFARI] Commemorare & extollere. LIBIDO] Cupiditas eam incurrendi; quam temerariam fuisse arguit sequior eventus.

286. STUPRUM ET INSIDIAS] Ad furtivam & dolosam deditionem.

287. QUIS APERTO MARTE] Supple eam ausit impugnare?

288. CONSUL UBI CICERO] Civium ac patriæ fidei, & libertatis amantissimus: qualem fuisse Romanæ eloquentiæ parentem M. Tullium Ciceronem, nemo etiam in Romanâ historiâ hospes ignorat. CIVES UBI SCÆVOLA] Fortissimi, quales fuere Mutius Scævola & Horatius Cocles; quorum virtus bello Hetrusco emicuit. Vid. *Livium* lib. 1. *Valer. Max.* l. 3. c. 2. & 3.

289. SCAURI] Quorum meminit Horat. l. 1. Od. 12. ℣.37.

*Regulum & Scauros, animæque magnæ*
*Prodigum Paullum.------*

Scaurorum cognomen in gente Æmiliâ & Aureliâ celebratur. In Æmiliâ eminuit M. Scauri fides, constantia, fortitudo, virtusque in republicâ administrandâ, quas disces apud Lamb. in Hor. Cos. factus Ligures & Cantiscos domuit. In Aureliâ, verò Aur. Scaurus Legatus, qui pro salute, & gloriâ populi Romani, à Cimbris, vulneribus confixus est.

SATRAPA NOBILIS ARMIS] Antonius Schetz Baro Grobbendoncquius, vir militari peritiâ, & belli gloriâ clarissimus, urbis Ducissilviæ Præfectus. Satrapæ Persis erant provinciarum præfecti, quorum munus non absimile præfecturis provinciarum, urbiúmve hujus temporis.

290. CAMPANI ANTIQUI BELGÆ] Indigenæ Campaniæ Belgicæ, quæ tractus Brabantiæ vastus, non tam oppidis, quàm pagis frequens; plano solo, sabuloso, & alibi fungoso, ac palustri, & ericetis, magnam partem desertis, incultus. Ceterùm industriâ & hominum labore sic emendatus, ut fruges fructúsque exuberent, quibus & accolæ cibantur. Non exiguam portionem agri Silvæducensis complectitur. FIDEIQUE] In Principes suos, ac instituta majorum.

291. VETERIS RITUS] Romano-Catholici; licèt frequens illis sit commercium, cum vicinis novatoribus acatholicis. ABACOQUE MINUTO] Tenui & parvo penu, macrâ mensâ. *Abacus* hoc loco tabula est, seu mensa, in quâ ciborum fercula expediuntur; à quo significatu transfertur ad escas, quæ in eâ exponuntur.

*Atque focis brevibus; patriis idiomate, victu,*
*Velleribusque graves: quales argentea proles*
*Temporibus primis, nondum cùm sæva cupido*
*Miscuerat linguas hominum, nec byssina crura*
*Atratis dederat plantis, nec sarcina ponto*
*Vina, Venafrano nec salmo natarat olivo*
*Battavicus. Tractu hoc, quin Silvis natus iisdem*

292. FOCIS BREVIBUS ] Non magnis, angustis; quales eorum, qui perparum habent, quod coquant. Juven. Sat. 11. ℣. 78.

*----Curius parvo quæ legerat horto,*
*Ipse focis brevibus ponebat olusculæ.---*

Sic & reperias *breve poculum*, *longa dos*, & apud Ovid. Epl. Didus ℣ 188.

*Instruis impensâ nostra sepulchra brevi*

IDIOMATE ] Idiotismo rudi, impolito, seu agresti dialecto, quam à patribus didicere. VICTU ] Rancido, duro & vilissimo. Cum priscis enim Romanis pultiphagi sunt villani, & non opsonantur, si suillam & bubalam fumo induratas, aut fruges terræ excipias.

293. VELLERIBUSQUE ] Amicti ovium tergoribus, vel villosis & gausapinis vestibus. GRAVES ] Constantes, alieni à vario more urbium. ARGENTEA PROLES ] Ætas, supple usitabat. Commenta Poëtarum de argenteâ ætate illustrat Ovid. Met. 1 ℣. 114.

*Sub jove mundus erat, subiit argentea proles.*
*Tunc primùm subiere domos. Domus antra fuerũt.*
*Et densi frutices, & junctæ cortice virgæ.*
*Semina tunc primùm longis Cerealia sulcis*
*Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.*

294. SÆVA CUPIDO ] Bellandi, regnandi, alienas terras armis & cædibus incurrendi &c.

295. MISCUERAT LINGUAS HOMINUM ] Commercio nationum, & diversarum linguarum inter se: ut solet fieri dum nationes bellatrices, unà cum armis, inferunt mores & linguam. BYSSINA CRURA ] Caligas purpureas, aut ex bysso textas crurum operimento. *Byssus* tenuissimi lini genus est, quod hâc tempestate haud facile reperias. Summo olim in pretio fuisse, arguunt varia S. Paginæ loca. Plin. l. 19. c. 1. postquam principatum tribuit Asbestino, quod rarum inventu, difficile textu, assuescit ardendo vivere, æquans margaritarum pretia, ex quo funebres Regum tunicæ corporis favillam à reliquo separant cinere &c. *Proximus*, inquit, *byssino* (locus scil.) *mulierum maximè deliciis, circa Elim in Achaia genito, quaternis denariis scriptula ejus permutata quondam, ut auri.* Latini veteres de illo vix meminere. Alex. ab Alex. l. 4. c. 9. *Byssum*, inquit, *apud Indos frequentem gigni tradunt, ex arbore populo haud dissimili, foliis verò salici, quem in Græcia etiam nasci Pausanias prodit.* Quia igitur byssinæ vestes erant pretiosissimæ, & mulierum luxui destinatæ; purpurâ plerumque tegebantur. Quæ res veteres Grammaticos in errorem induxit, ut byssinas pro purpureis dici crediderint: quod optimè animadvertit Oct. Ferrarius de Re vest. P. 2. l. 4. c. 12.

296. ATRATIS PLANTIS ] Pedibus attritu luridis, pulvere & luto sordidis, cælo & sole infuscatis. Sensus est: antequam homines superbè vestiebantur. SARCINA PONTO VINA ] Supple fuerant: id est, antequam vina transvectarentur per maria, aut vigeret mercatura. Naves sarcina ponto sunt, à quo scil. feruntur; vina verò aliaque mercium genera, & homines, navibus. Ovid. Epl. Briseidis ℣. 68.

*Non ego sim classi sarcina magna tuæ.*

297. VENAFRANO ] Oleo Venafri comparato. Juven. Sat. 5. ℣. 86.

*Ipse Venafrano piscem perfundit.-----*

*Venafrum* Campaniæ in Italia oppidum, olivetis præstantissimis olim celebre. SALMO BATTAVICUS ] Notus piscis quo abundat Hollandia, amnium beneficio, ac inprimis Mosæ eam perfluentis, qui ejus generis piscium admodum ferax est. Auson. Mosellæ ℣. 97.

*Nec te puniceo rutilantem viscere Salmo*
*Transierim: latæ cujus vaga verbera caudæ,*
*Gurgite de medio summas referũtur in undas,*
*Occultus placido cum proditur æquore pulsus.*
*Tu loricato squamosus pectore frontem*
*Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ.*
*Tempora longarum fers incorrupte morarum,*
*Præsignis maculis capitis: cui prodiga nutat*
*Alvus, opimatoque fluens abdomine venter.*

298. SILVIS IISDEM ] In eâdem urbe Buscoducensi,

299.

*Romanæ Synodi Cardo Enquevoortius olim*
*Eximius; lux Berchemio non parva Nepoti,*
*Atque tuo, Happarti. Cælo hoc Vladeraccius ortus,*
*Et Macropedius; quorum virtutibus audet,*
*Si quisquam & meritis crocitare, insæviat Euro*
*Barbarus, & nocuis sibi verberet æthera telis.*
*Felices nimiùm Silvæ, verèque Ducales,*
*Carpophoro frutice illustres: queîs Daunia cedit,*

299. Romanæ Synodi Cardo] Romani cœtus seu Ecclesiæ Cardinalis. *Ecclesia cardo*, inquit Lupus in Can. VI. Chalced. *Aliud non est, quàm Ecclesiæ Clerus, quod in ipso tanquam cardine omnis fidelis populus pendeat & volvatur.* Soli autem Diaconiarum Primates, Cardinales inde dicti sunt, & quidem solius ferè Ecclesiæ Romanæ, cui, ut ibidem inquit idem auctor, Gregorius VII. nomen *Papæ*; populorum consensus, reservavit titulum *Cardinalis.* Enquevoortius] Guilelmus S. R. E. Cardinalis Presbyter SS. Joannis & Pauli; ex Canonico Antverpiensi Derthusensis Episcopus; ab Adriano VI. P. M. unicus creatus Cardinalis. Auctus deinde Trajectinâ infulâ, à Clemente VII. Decessit Romæ anno Salutis CIϽ. IϽ. XXXIV. Tumulatus in æde Marianâ Teutonum, quam *de Anima* nuncupant: ubi extat ejus Epitaphium, quod videas in Athenis Sweertii. Fuit vir integerrimus, in omnes beneficus; Præsulum sui ævi decus.

300. Lux Berchemio] Joanni Canonico Ædis Cathed. Antverp. cui, dum vivebat, censum auxit dives Sacerdotium, quod olim Vechelii in agro Buscoducensi, laudatus Cardinalis gentilium suorum proximis fundavit: tum & Patri ejusdem Antonio Berchemio Equiti & Cos. Antverpiensi; cujus illustris, & à priscis Mechliniensium Dynastis vetustissima familia, Enquevoortianæ coaluit, per nuptias Joannis Equitis & Cos. Antverpiensis cum Jacquelina Enquevoortia, Godefridi Ranstensis Toparchæ (hic Cardinalis ex Sorore nepos amplæ rei, armorum & nominis Enquevoortii heres) & Agnetis Halmaliæ filiâ, ex quo toro Antonius, qui suprà.

301. Atque tuo Happarti] Gregor. Maxæmil. Happartio Eccl. Cathed. Antverp. Canonico, ac S. Jurisdictioni per Diœcesim Præfecto, qui eodem Sacerdotio, aliquamdiu gavisus est. Hic ex Equestri, annos ante quadringentos, in Hannoniâ domo, ac dein majorum in Brabantiâ gentium necessitudinibus, & apud Antverpienses Consularibus ac Senatoriis imaginibus inclytâ; nepos fuit Philippi Happartii reguli Corbecani, Dieghem, & Rymenant, viri docti ac multis ingenii monumentis, licèt non editis, clari, ad quem hic Sermo. Meritò igitur Cardinalis utrique lux magna fuisse perhibetur, quos hoc Sacerdotio beaverat. Cælo hoc] Hâc regione agri Silvæducensis. Vladeraccius] Cui nomen Christophoro, Gessensis, altero ab hac urbe lapide natus: vir de juventute litterariâ, quà scribendo quà docendo bene meritus: Latinè, Græcè, Hebraicè doctissimus, dignus Macropedio successor.

302. Macropedius] Georgius ille Gemeranus Ord. FF S. Hieronymi, Grammaticus scriptis & discipulis celeberrimus. Comica poësi excelluit: quaternæ linguæ, Latinæ scilicet Græcæ, Hebrææ, Chaldaicæ, item & Mathesios peritissimus. Ultrajectinæ primùm, dein Buscoducensis Scholæ optimus moderator, ubi trium linguarum doctor, nomen suum immortalitati consecravit.

303. Crocitare] Obgannire, obstrepere, detrahere gloriam. *Crocitare* corvorum est.

304. Verberet æthera] Frustra laboret, & damnum capiti suo accersat. Cælum sagittis torquere, aut in cælum jaculari dicuntur proverbialiter, qui audent lacessere, quos nequeant lædere. Ventos enim & cælum quis feriat? Nisi quis fortean videri velit Divos petere: at jaculum non raró in ipsum mittentem recidit. Unde aptè hîc nocuis telis] Mittenti scil. nocuis: qui enim viris doctis & jam famosis obtrectant, quid aliud faciunt, quàm propriæ existimationi detrahere? Vide infra Serm. 10. ad ℣. 224. & seq.

305. Vereque Ducale] Dignæ quæ Dynastæ aut Principis sui nomine gaudeat; id est Ducis Brabantiæ.

306. Carpophoro frutice] Frugifero. Allusum ad Carpophorum qui à fortitudine ita

*Et Nemee Arcadiæ, ſpiranſque oracula quercu*
*Dodona, & quâ ſe Gryneus jactat Apollo.*
*Quippe profanatis diverſâ parte columbis,*
*Numinibuſque Deûm, celebrat vos purior Ales,*
*Spiritus ille Jovis veri: ſincerior, inquam,*
*Delius, & Superûm certus commendat Haruſpex.*
*Municipes urbis, viventes rure tacebo,*
*Qui ſaturant latè pretii tolerabilis orbem*

commendatur à Martiale, ut eum Herculi, Meleagro, Jasoni, Perseo, Bellerophonti antetulerit. Fuit autem Carpophorus θηριομάχος, id eſt, beſtiarius, ſeu qui cum feris & belluis pugnat, olim celeberrimus; utpote qui prope adoleſcens eodem ſpectaculo vicenas feras, eaſque immaniſſimas confecit. Eum celebrat Martialis de Spectaculis Epig. 15. 23. & 27. Ludit ergo hic noſter ex ambiguo in Silvam hanc, quaſi fruticem habeat καρποφόρον ſeu fructiferum, id eſt virorum fortium feracem. Quò ſpectat illud quod ad tempora tentatæ hujus urbis, luſiſſe traditur Poëta quidam trivialis de civium fortitudine:

*Arma, viros profert Silva hæc: non carpophora ergo eſt?*
*Carpophoroſque dedit, carpophoroſque dabit.*

DAUNIA] Apuliæ ſilva, à Daunio Turni patre, vel Dauno ejus avo dicta. Accipitur non rarò pro totâ Apuliâ, aut certè ejus parte. Extulit autem Daunia viros olim fortes, bellicoſos & ad militiam aptos: hinc Horatius illam militarem dixit l. 1. Od. 22. ℣. 13.

*Quale portentum neque militaris*
*Daunia in latis alit eſculetis.*

307. NEMEE ARCADIÆ] Silva celebris in Arcadiâ, inter quam & Mycenas, Hercules primo ſuo labore defuncturus, vaſtum leonem proſtravit. De illo Mart. Spect. Epig. 6. ℣. 3.

*Proſtratum Nemees & vaſtâ in valle leonem.*

Unde & Hercules Nemeæus, & ipſe leo Nemeæus, & ſacra Herculis Nemea dicta ſunt. Silvæ meminit Martialis Spect. Epig. 27. ℣. 3.

*Non Marathon taurum, Nemee frondoſa leonem,*
*Arcas Mænalium non timuiſſet aprum.*

308. DODONA] Chaoniæ urbs Jovi cum vicino nemore dicata: ubi oraculum vetuſtiſſimum, columbis duabus ex fatidicâ quercu reſponſa dantibus. Ovid. l. 3. Amor. Eleg. 10. ℣. 9.

*--- Quercus oracula prima ferebant.*

QUA] Silvâ ſcil. SE GRYNEUS &c.] Nemus Gryneum intelligit, in quo Apollo colebatur. Virg. Ecl. 6. ℣. 72.

*His tibi Grynei nemoris dicatur origo,*
*Nequis ſit lucus quo plùs ſe jactet Apollo.*

Inde Apollini nomen Gryneo: cui omnia olim nemora in genere ſacra fuiſſe, atque inde Temenitem ἀπὸ τοῦ τεμένους, id eſt à luco, dictum obſervat in loc. cit. *La Cerda*. Ferunt hîc Calchanta & Mopſum de peritiâ divinandi certaſſe. Comparat ubique cum celeberrimis ſilvis, urbem Duciſſilviam.

309. PROFANATIS] Dejectis ab hominum cultu, abrogatis, antiquatis. DIVERSA PARTE] Mundi regione. COLUMBIS] Oraculis ſeu idolis; id eſt dæmoniis per materialia ſimulacra divinantibus, ſeu vaticinia edentibus.

310. PURIOR ALES] Spiritus Dei veri, Spiritus S. qui ſub ſchemate columbæ, non ſemel ſe mundo ſpectabilem præbuit, ut prodit Euangelium.

312. DELIUS] Apollo quem à natali inſulâ Delo, Delium dicunt: ſincerior ſcil. ille ac veracior, quàm profanatus ille Gryneus. CERTUS HARUSPEX] Divinator idem ille, quem nec præſentia, nec præterita, nec futura fugiunt; tam minimè ipſe fallax, quàm falli neſcius. Deſpicit memoratas ſilvas à Deorum ſimulacris & larvis, ac ethnicâ ſuperſtitione; laudat verò Silvam Ducis noſtri, à religione Dei veri, & Catholicæ fidei tenacitate, quâ inter novatores cum laude haſtenus perſtitit. *Haruſpex* vel extiſpex, qui ex hoſtiarum inſpectione futura divinat, apud Latinos olim ab harugâ, vel harâ dictus eſt.

313. MUNICIPES] Ruricolas, aut indigenas agri ejuſdem, civium juribus & privilegiis gaudentes. Varia enim ejus ſunt municipia & pagi civitatum æmula.

314. SATURANT] Annonâ & commeatu locupletant, moderato pretio venum ea inferendo.

315.

*Circumvicinum venatu, lacte, farinâ,*
*Pullo Brugensi nil concedente spadoni;*
*Aut quos pollicitis deserta Valentia magnis*
*Allicit agricolas? His experientia rerum,*
*Nec tremere adversis, nec luxuriare secundis,*
*Multa dedit: medio tellus his vertitur hoste,*
*Accinctis animo & gladiis, in utrumque paratis,*
*Aut servare suos, aut certæ occumbere morti.*
*Si tamen indomito spolientur milite, quondam*
*Defensore suo, (digito quoque noster adunco)*
*Aut veriti pejora, fugæ si terga dedere;*
*Nil, here, desperes: popularit cetera Mavors;*

315. ORBEM CIRCUMVICINUM] Populos in orbem adsitos, ut sunt: Silvæducenses, Mosæ-Trajectini, Ruræmundani, Bredani, Lirani, Antverpienses, Mechlinienses, Lovanienses, Bruxellenses &c. VENATU] Feris venatu captis, vel aucupio: ut sunt lepores, cuniculi, damæ, perdices, turdi, merulæ, anates, gallinagines, seu scolopaces utriusque generis, aquatici & silvestris, fringillæ &c.

316. PULLO] Gallinaceo. NIL CONCEDENTE] Non minùs exquisito, æquè lauto. SPADONE BRUGENSI] Capo impensè obeso, quales Brugis urbe Flandrorum celeberrimâ, ad portentosam magnitudinem saginari solent.

317. AUT QUOS] Taccbòne etiam agricolas eorumdemque sedulitatem indefatigabilem ac industriam? POLLICITIS] Promissâ immunitate ab omni tributo, agri divisione &c. DESERTA] Colonis & indigenis destituta. VALENTIA] Regnum Valentiæ in Hispania. Jam enim tum nuper decreto Philippi III anno scil. CIƆ. IƆC. IX. mense decembri exacti erant totâ Hispaniâ Mauri (Moriscos illi vocant) tum quòd malâ fide Christianis sacris initiati, dum licebat impunè, Mahumetano ritu vivebant; tum quod Africanos Mauros & Turcas in perniciem Hispaniæ sollicitare dicebantur. Quidam referunt exportatorum capita, ad sexies centena millia censa fuisse. Quæ res magnam vastitatem & solitudinem in Regnum Valentiæ inprimis induxerat; quòd illud unum pluribus Mauris infessum fuisse credebatur, quàm reliqua Hispaniæ regna. Unde ut jactura Maurorum, qui optimi erant ibidem agricolæ, tolerabilior esset, amplissimis promissis allecti sunt exteri, qui pecuariam ibi, agriculturàmque exercerent: ac inter ceteros, qui hâc arte præstant insigniter, Campani nostri Brabantini.

318. EXPERIENTIA] Longus usus, variis fortunæ casibus & eventis, inter tumultus bellicos comparatus.

320. MEDIO VERTITUR HOSTE] Inter tympana & tubas, moventibus hinc inde se armatorum copiis, arant, seminant, occant &c.

321. ACCINCTIS &c.] Ferro & mascula generositate armatis. IN UTRUMQUE &c.] Certis aut mori, aut sua defendere & servare. Virg. l. 2. Æneid. ℣ 61.

*----- In utrumque paratus*
*Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.*

323. INDOMITO MILITE] Seditioso, & qui à sacramento & obedientiâ Archiducis Alberti desciverat. Agit de tumultuantibus turmis eorum, qui anno CIƆ. IƆC. III. arcem Hoochstraranam occupaverant, auctique Batavorum manipulis, omnibus accolis vim inferebant, nullo non injuriarum genere Campaniam nostram populantes. *Loyens Duc. Brab.*

324. DEFENSORE SUO] Dum adhuc sub auspiciis Archiducis merebat. DIGITO NOSTER ADUNCO] Æquè furax quàm agmen hostile. Non abludit proverbium: *γαμψώνυχα μὴ τρέφειν.* Id est, *quæ sunt unguibus uncis ne nutrias.* Erasm.

325. FUGÆ SI TERGA &c.] Si aufugerint & villam tuam deseruerint.

326. NIL DESPERES] Ex pretio elocationis fundi

*Restet in ædiculâ bos unicus, una superstes*
*Gallina ærumnis, gallo mordenda marito*
*Vicini, potis est aversum Numen aratro*
*Flectere, turbatos & conciliare penates.*
*His bona pars hominum, quos urbibus occupat Hermes,*
*Filiolos magni heredes committit alendos*
*Formandosque loci genio; sincera petuntur*
*Pectora servorum hinc, sudatricesque culinâ*
*Ancillæ; quin accurata & sedula conjux.*
*OEconomiæ etenim se dedit ephebia totam*
*Campana, & corti supereminet Ilia lauti*

fundi tui. MAVORS] Militaris rapacitas & insolentia.

327. IN ÆDICULA] Modò restet in tugurio unus tantummodo bos.

328. GALLINA] Viva unica, supple, ceteris omnibus ablatis vel occisis. GALLO MORDENDA] Ineunda ad generis propagationem. Juven. Sat. 3. ℣. 91.

*Ille sonat quo mordetur gallina marito.*

329. VICINI] Gallo gallinaceo, in hunc usum commodando à vicino villico. NUMEN] Novercantis fortunæ.

330. FLECTERE] Improbo labore agricolationis ad suas res convertere. CONCILIARE PENATES] Instaurare damnum, colligere dispersam familiam, & brevem supellectilem.

331. HOMINUM] In urbibus degentium. OCCUPAT HERMES] Cura lucri vel negotiandi, seu merces extrudendi. Hermes seu Mercurius mercatorum & lucri Deus, hìc pro quæstu vel mercaturâ usurpatur. Vid. Serm. 4. ad ℣. 53.

332. MAGNI HEREDES] Divitum liberos, magnam hereditatem aliquando adituros. Notat usum Antverpiensium, qui solent liberos suos educandos committere institutoribus Campiniensibus: tum ut victu simpliciore robustiores evadant; tum ut domesticis remoris expediti, pleniùs primæ litteraturæ incumbant.

333. LOCI GENIO] Ut moribus minimè mollibus, laboribus, cibis minùs exquisitis, magis salubribus, & rerum compendiis assuescant: ne per omnem vitam mollicelli rebus arduis impares sint. SINCERA PECTORA] Servi sinceri, fideles, laboriosi. Virg. l. 2. Æn. ℣. 438. *Juvenes fortissima pectora.* Vide serm. 9. ad ℣. 73.

334. SUDATRICESQUE] Quas non pigeat, focum succendere, ac cibis continenter coquendis ad ignem insudare.

335. ANCILLÆ] Notæ significationis vocabulum. Designat tamen, quod non omnibus notum, ministerii sedulitatem & laborē. Nam priscis dicebatur *ancula*, *anclari* & *anculari*, quod est operam dare ac inservire. Inde *exanclo*, & *exancler* pro conficio, quod aliqui temere mutantes, dixerunt *exantlo*. *Camerarius.* Notat multas Campinienses Antuerpiæ ancillari. SEDULA CONJUX] Nava & rei œconomicæ perita, quam vir quispiam etiam sagacior, non pœnitendam ducat conjugem.

336. OECONOMIÆ] Rationibus Oeconomicis, seu rebus familiaribus rectè administrandis. DEDIT] Animum appellit, se totam addicit. EPHEBIA] Omnes puellæ, ut jam annos pubertatis attigère. Ephebiam volunt esse ætatem primam adolescentiæ, extremam pueritiæ: vel ut Cælius: ab initio pubertatis usque ad annum ferè decimum septimum. Inde *ephebus* ejusdem ætatis adolescens. Ab Hebe nomen habet; nam ut Gyraldus syntag. 10. *Hebe pubertatis & adolescentia Dea, & ejus quæ flos ætatis dicitur.*

337. CAMPANA] Per Campiniam. CORTI SUPEREMINET] Incumbit vel invigilat cortis avibus, nimirum: pullis, gallinis, caponibus, columbis, pavonibus, anatis, anseribus &c. *Chors* aut *cors* Festo est genus ædificii rotundi, mapaliis persimile, in quo volucres jam dictæ pascebantur. Mart. l. 7. Epig. 30. ad Regulum.

*Rauca cortis aves, & ova matrum.*

ILIA

*Filia, & illustris proavorum sanguine gaudet*
*Girgillo & calathis: quin despumare lebetes,*
*Et farcire capos, & perfumare suillam,*
*Et mulsum linere, & tuceta, & salgama, ruris*
*Gaudia, saxifragas solita & condire genistas,*

ILIA] Nomen confictum nobilis puellæ. Nobilibus enim nostratibus frequens est, turi proprias arces aut villas habitare, maximè Jano clauso. LAUTI] Opulenti, potentis, nobilis. Terent. Heaut. Act. 4. scen. 5. ℣. 50.

*Omnes te in lautâ & bene parte auctâ putant.* Pers. Sat. 6. ℣. 23.

*Nec rhombos ideo libertis ponere lautus.*

Quòd interpretatur Plautius: Generosus, honestus, liberalis, splendidus. Vide infra serm. 8. ad ℣. 171.

338. ILLUSTRIS] Claris natalibus inclyta, nobilis, & nobili conjugio digna.

339. GIRGILLO ET CALATHIS] Nentium & suentium instrumentis: id est non piget illam nere & suere. *Girgillus* ligneum instrumentum, quo fila revolvuntur, quod & *rhombus* apud Græcos. Hoc loco intellige id, quod vulgus nostrum indigitat *Haspel*. *Calathus*, aliis *qualus* vel *quasillus*, corbis est, in quâ mulieres pensum & fusos componunt, sicque refertur inter nentium adminicula. Ceterùm etiam calathi usus est in suendo: corbis scil. in quâ materiam & arma farciendis linteis componunt. Hadrianus Junius, & Kilianus interpretantur *Naymandeken*. Et sic designetur hic duplex exercitium sedularum puellarum Campiniensium lautę fortis, nendi scil. & consarciendi, apprimè rei œconomicæ necessarium: sine en enim, ut infra noster Serm. 6. ℣. 106. *Progrediens pereat res* QUIN DESPUMARE] Transit ad alia familiæ ministeria, ut sunt, cibos inprimis coquere ac condire: ex uno enim, quod est, ollas elixandæ carnis purgamentis, seu spumâ & sordibus repurgare; cetera intelligis. *Lebetes* vasa sunt ænea in usum culinę ad elixandos cibos. Virg. Æneid. 5. ℣. 266.

*Tertia dona facit geminos ex ære lebetes.*

340. FARCIRE CAPOS] Saginare secundùm artem, quod fit farciendo caporum ingluviem turundis, seu farinæ massis. PERFUMARE] Succidias, sumina, petasones & lucanica suilla fumo imbuere, ad longioris temporis usus, & ad instruendum penu.

341. MULSUM] Ex aquâ & melle confectum, quod in agro Buscoducensi, uti & in urbe præstantissimum habetur. LINERE] Vasis condere, & probè occludere. Horat. lib. 1. Od. 20. ℣. 2.

*-----Græca quod ego ipse testâ*
*Conditum levi.-----*

Inde relinere, quod est aperire. Terent. Heaut. Act. 3. Scen. 1. ℣. 51.

*Relevi dolia omnia, omnes serias*
*Omnes sollicitos habui. ----*

Hoc ævo rectè dixeris lagenas relinere, cum operculum earum è cortice vel subere picatum, vel resinâ obturatum dimoveris. Olim verò cados vel amphoras linebant cerâ vel pice, vel crassiore gummi, ad diligentem & longam vini asservationem. Quod maximè usu venire consuevit in mulso, quod conservatur in annos, & pretium habet à vetustate. TUCETA] Isicia, seu farcimina ex micis carnium cum arvinâ. Quorum palma est penes Bononienses in Italiâ; quæ avidè à Transalpinis expetuntur, & passim ad eorum imitationem conficiuntur: Belgis *saucijs*, Gallis *saucisse*, Italis *salsiza*; quasi salsicium, seu salsum isicium. Ita interpretandum auguror. Sed veteribus Grammaticis *tucetum* nunc esca regia, nunc jus crassum est. Sic Arnob lib. 2. *Glaciali conditione tuceta.* Et Pers. Sat. 2. ℣. 42.

*Esto age, sed grandes patinæ, tucetaque crassa*
*Annuere his superos vetuere. ----*

Ubi Autumnus ex Callimacho exponit *escas regias*: Claverius succum caponis aut perdicis, respiciendo locum Arnobii citatum; verùm Ascensius, Britannicus, Murmellius farciminis genus intelligunt, ex carnibus suillis minutim concisis, uti & nos jam antè; procul dubio à Nostro etiam intentum. SALGAMA] Conditanea quævis, quæ in doliolis aut testis ad usum mensæ diu conservantur. Ut sunt, olivæ, cucumeres, cæpæ, pyra, baccæ vel flores cappareos, aliaque id genus. Columella apud Rhodig. l. 13. c. 10.

*Tempore non alio vili quoque salgama merce*
*Capparis & tristes inula, ferulaque minaces*
*plantantur.-----*

Inde *Salgamarii*, qui vendunt vel condunt salgama.

342. GAUDIA] Delicias, id est fructus terræ. SAXIFRAGAS] In arido & saxoso fundo nasci soli-

*Audet callosas famulis protendere palmas.*
*Quas veneres habeat, didicisti aretaloge ad unguem,*
*Patria nostrorum: quàm candida vita Brabantis,*
*Et mite ingenium; quàm multi ex asse periti,*
*Quàm validi, & calidi; quâ libertate, lepore,*
*Degitur & studio; quàm sint communia amicis*
*Prandia; quæ pueris, quæ sit natura puellis:*
*Acribus exemplis te clusi: desine posthac*
*Concives lacerare meos; plures vel habebis*
*Juratos in te calamos, quàm Porsena tela.*

solitas; frugibus enim servatur solum fœcundum. Proprietas tamen hæc magis cappari quadrat, utpote, quæ plerumque in parietibus aut parietinis nascitur, apud Italos & Hispanos. GENISTAS] Genistarum vernantium calyculos, unde flores lutei excrescunt. *Genista* frutex humilis est, minuta fronde, luteo flore, semine lenticulis haud absimili. Hujus calyculi apud nostrates, ac inprimis in Campania sale condiuntur, conditaque in doliolis, ad usum mensæ conservantur; non secus quam cappares alibi terrarum, à quarum similitudine, cum notâ distinctionis, Belgis nominantur *Bremcappers.*

343. CALLOSAS PALMAS] Manus callo obductas ostentare famulis & ancillis, ut eos exemplo suo ad laborem cohortetur. Nam callosæ manus laboris indicium.

344. VENERES] Venustates, lepôres, delicias. Venus uti amoris, ita & gratiarum & venustatis dea. Catul. de Paf. Lesb ℣ 1.

*Lugete ô Veneres, cupidinesque,*
*Et quantùm est hominum venustiorum*

Juven. Sat. 13 ℣ 34.

*Quas habeat veneres aliena pecunia.-----*

ARETALOGE] Garrule, loquacule, nugator, quales aretalogi, qui fabellas & mendacia, ut placerent auditoribus, loquebantur. Suet. in Aug. cap 74. *Acroamata. & histriones, aut etiam triviales ex circo ludies interponebat, ac frequentissimè aretaloges.* Juven. Sat. 15. ℣. 15.

*-----Bilem aut risum fortasse quibusdam*
*Moverat, ut mendax aretalogus.-----*

Quod exponit Britannicus: qui ab arte verborum movet auditores fingendis mendaciis. Inde Crispinum Philosophum quemdam loquacissimum, aretalogum fuisse appellatum, auctor est Porphirio. Hoc nomine aptè insigniri posse, censet doctissimus Jos. Scaliger, circulatores illos Italiæ, qui in compitis mira de suis pharmacis promittunt. Eos audias Romæ sub vesperam, suâ loquacitate Agonis forum perstrepentes. AD UNGUEM] Accuratè ac plenè tibi à me descriptas. ***Ad unguem*** dicitur pro eo, quod est exquisitâ diligentiâ & curâ; valetque ferè idem quod, ***ad amussim*** vel ***examussim***; à marmorariis sumptâ metaphorâ, qui superinducto ungui commissuras explorant.

345. CANDIDA] Sincera, non fucata, aut ad malos astus composita.

346. MITE] Urbanum, come, civile. EX ASSE] Ex toto & integrè, id est penitus. *As* libra, aliquod perfectum denotat; constat enim duodecim unciis; quasi cui nulla pars ad perfectionem deest. Inde *heres ex asse, amicus ex asse, doctus ex asse* &c. PERITI] Litterarum cujuscumque generis, & comitatis, artisque versandi inter homines cum venustate.

350. TE CLUSI] Convici; te ita cinxi, ut locus non sit, quà fugias vim argutationis meæ. *Cludere* pro claudere usitatum est. Juven. Sat. 14. ℣. 322.

*Acribus exemplis videor te cludere. ----*

Papin. l. a Theb. ℣. 6.

*Hinc objecta vias torrentum incendia cludunt.*

352. CALAMOS] Scriptores, Poëtas, futuros Patriæ suæ vindices. PORSENA TELA] Quam habuit rex Hetruscorum Romam obsidens, mucrones, & sagittas, quibus caderet. Livius lib. 1. apud quem: *Trecenti conjuravimus*, inquit mutius Scævola ad Porsenam, *Principes juventutis Romanæ, ut in te hâc viâ grassaremur. Mea prima sors fuit. Ceteri utcumque ceciderit primum,*

*Hæc satis ad juvenem, nobis quem fama dolentem*
*Tradidit erroris. Tibi si fortasse videbor*
*Mitior offensis, Happarti, ignosce benigno.*
*Gloria non minor est, quàm ulcisci, parcere, si sit*
*Debilitas error, seu veri inscitia fratris.*

*mum, quoad te opportunum Fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt.*

353. JUVENEM] Antibrabantum, quem sui dicti pœnitere refert fama. Juven. Sat. 8. ℣. 71. *Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum Tradit & inflatum.-----*

355. BENIGNO] Facili ad condonandum, qui obviâ & generosâ benevolentiâ soleo excipere illos, quos propriâ confessione peccasse pœnitet.

356. GLORIA NON &c.] Ordo est: non est minor gloria parcere, quam ulcisci: potissimùm si sit

357. DEBILITAS &c.] Ingenii imbecillitas. Id est: si error fratris originem duxerit, ex ingenii debilitate, aut veri ignorantiâ.

# SERMO IV.

## AD PHILIPPUM BOSCHIUM MAESDAMI DOMINUM.

### ÆVI NOSTRI INFELICITAS.

ARgum. Agriculturæ desiderio æstuans, in montibus Spadanis terræ Leodicensis, somniat se degere variis agri colendi studiis distractum. Inde ductâ occasione, urbis patriæ fastum, fraudes, luxum, annonæ caritatem detestatus; in decoctores potissimùm invehitur, qui conturbatis rationibus fori privilegio se tuentur, & aliena injustè detinent, Deum vindicem vario sub obtentu sperantes fallere. Proinde secundùm vitam rusticam variis de caussis decernens, eam sibi parvis contento, apud fontes Spadanos quandoque deligendam præscribit.

*SIve, quòd amoto te Consule, chare Philippe,*
*Sæpè suburbanum considero rusticum, inemptis*

1. AMOTO CONSULE] Abdicato consulatu oppidi Alostani. Id est, te defunctum eo magistratu, considero rusticum &c. Philippus Boschius ex prænobili & antiquâ gente Boschiorum, & cum primis stemmata miscente, originem duxit. Studiosissimus fuit agrorum cultor, & solers in quavis fundi parte fœcundandâ, paterfamilias. Hunc Alosti in Flandriâ, ex fastis ejusdem oppidi, consulem fuisse accepimus, anno hujus seculi XIX. inito magistratu XIV. Cal. Junii. Magna illi cum Poëtâ nostro intercedebat consuetudo, & consiliorum communio, hinc eidem inscribitur hæc de vitâ rusticâ deliberatio.

2. SUBURBANUM RUSTICUM] Te in agro suburbano agricolationi vacantem. INEMPTIS] Non emptis, sed domi vel fundo tuo natis. Horat. Epod. 2. ℣. 48.

*Dapes inemptas apparet.*

Virg. l. 4. Georg. ℣. 132.

*----- Serâque revertens*
*Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.*

Habent enim inempti cibi, nescio quid deliciarum apud fundi dominos. Quò spectat illud Catonis: *Patremfamilias vendacem, & non emacem esse oportet.* Et isthoc Claud. In Ruff. l. 1. ℣. 207.

*Vivere deliciis, & luxuriare spadone*
*Corte tuâ nato; hîc tendentem retia, marrâ hîc*
*Tundentem; hîc lupuli intentum salientis acervis;*
*Mox oculatori, messoribus, atque bubulcis*
*A sulco & prato redeuntibus: areolis nunc*
*Discernentem olus à medicis, & olentibus herbis:*
*Sive quòd in strepitu genus hoc miserabile vitæ*
*Ulteriùs nequeam non fastidire, quietis*

---*Terra dapes mihi donat inemptas.*

3. LUXURIARE] Abundare. SPADONE] Caponibus, seu gallis castratis.

4. CORTE TUA NATO] In Corte villæ tuæ suburbanæ. Quid *cors*, diximus Ser. 3. ad ℣. 337. TENDENTEM RETIA] Aucupantem, venantem.

5. TUNDENTEM] Agros, aut horti foros vel porcas complanantem, & zizania exstirpantem. *Marra* instrumentum ferreum zizaniis exscindendis, & complanandis agris comparatum. Plinio l. 7. c. 21. ferramentum est quaternûm pedum. Juven. Sat. 3. ℣. 311.

*Vomer deficiat, ne marra, & sarcula desint.*

LUPULI SALIENTIS] Lupi salictarii quo zythum condimus; jam gemmantis, & in altum salientis. *Salictarius* dictus est, quòd in salictis semet implicet salicibus, non potis aliàs se sustinere, instar vitis & hederæ. ACERVIS] Tumulis. Solent agricolæ, lupi salictarii radices contra hiemis rigorem tumulo, vel aggestâ humo munire ac contegere, quam veris tempore refringunt; ut ex molliori humo faciliùs radix emittat stolones & coliculos suos, qui vice asparagorum mandi, & in mensæ usum converti solent. Eorum incultorum & silvestrium magna apud Italos copia, uti & apud nos; sed præferimus plerique in agro Alostano (ubi luporum ejusmodi amplissimus proventus) cultos illos, & vicinas in urbes exportari solitos. Ex decoro meminit se de cultu agri Alostani, & quidem suburbani agere; ubi lupulus, exactâ curâ Boschii cultissimus.

6. OCULATORI] Olitori, qui libro seu cortici sterilium arborum feracis ligni oculos imponit: quod quidam dicunt *inoculare*, alii *oculare*, Virgilius *oculos imponere*. Georg. 2. ℣. 73.

*Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex.*

Est autem oculus hoc loco gemma, vel primùm erumpentis germinis coliculus. Plin. l. 17. c. 21. *Oculi in arborum surculis propriè vocantur, unde germinant.*

7. A SULCO REDEUNTIBUS] Messoribus, qui succidunt segetem. *Sulcus* fossa oblonga est, à vomere inter arandum relicta. Quandoque pro ipsâ aratione, quandoque pro terrâ vomere proscissâ usurpari videas. Juven. Sat. 14. ℣. 169.

-----*Sed magnis fratribus horum*
*A scrobe vel sulco redeuntibus.*-----

Hîc autem pro terrâ, in quâ matura jam seges & messioni idonea flavescit. A PRATO] Bubulcis, id est boum pastoribus, à pascuo redeuntibus. De pratis vide infra Ser. 7. ad ℣. 311. sensus est: considero te intentum messoribus, & bubulcis ab opere redeuntibus: ut tempori prandeant, nec supervacuâ morâ tempus fallant, ab iis exigendo pensi diurni rationes, præscribendo hoc aut istud opus &c. quod est hominis frugi, & probi patrisfamilias. AREOLIS] Hortorum spatiis editioribus, quæ porcas etiam nuncupamus, estque terra subacta, bene æquata, & nonnihil extans inter foros hortorum. Vulgus Belgicum, à mollitudine soli, lectulos nominat *Beddekens*. Earum usus est, herbarum olerumque species suo quasque loco scitè discriminare.

8. DISCERNENTEM] Discriminantem, separantem, distinguentem. OLUS] Herbam sativam in usu cibario. *Olera* quòd homines ante repertas fruges alerent, vel ut. Varro l. 4. de l. lat. *Ab ollâ*, inquit, *olera dicta*. MEDICIS ET OLENTIBUS] Quæ aliam curam & cultum exigunt. Olentes enim locum in mensis non inveniunt, nisi ad condiendum, aut ciendos odores, medicæ ad valetudinarios ablegantur.

9. GENUS HOC VITÆ] Quod jam dego Antverpiæ, inter hominum strepitus, iniquitates & turbas fori; quales in urbibus populosis & emporiis esse solent.

10. QUIETIS] Otii, & vitæ ab omni publicâ curâ liberæ. Sibi enim & amicis vixit Poëta eleganter, opulentè, liberaliter, exosus magistratus publi-

*Sectator solidus; quia quidquid in urbe vel orbe*
*Futile comperiam, vanumque, & vilius algâ;*
*Egressum patriâ me somnio montibus istis*
*Degere, sanificos quibus obvallavit aquarum*
*Spadanos fontes cum Patre Asclepius, atram &*
*Ascensu superare quibus bilem obtinet æger*
*Strenuè ab alterutrâ potus primi ordinis undâ.*

publicos, familiæ suæ dictator perpetuus.

11. SECTATOR SOLIDUS] Integer & absolutus quietis æstimator, nullâ prorsus animi parte, turbis aut foro concessâ.

12. FUTILE] Inane, nugatorium, nullius pretii. *Futile*. verbum aquarium Festo, quod facilè funditur. Usurpatur pro fragili à Virg. libr. 12. Æneid. ℣. 740.

*Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu*
*Dissiluit.*-------

Cic. de Fin. l. 3. c. 38. *Quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles?* At propriè *futiles* dicimus eos, qui commissa non retinent; à similitudine vasis, quod futile nominant, quo utebantur in sacris deæ Vestæ, ore lato, fundo angusto, quod positum in terrâ statim effundebatur. Quare ne piaculum ejusmodi effusionis fieret, id Vestales vel suspendere, vel manu tenere cogebantur. Inde & *effutire*, quod est quælibet sibi commissa, ore pleno & parulo diffundere. VILIUS ALGA] Herbâ nullius usus, quam mare ad littus rejicit. Virg. Ecl. 7. ℣ 42.

*Horridior rusco, projectâ vilior algâ.*

Horat. l. 2. Sat 5. ℣. 8.

*Et genus & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.* Proverbialiter dicitur de re quavis abjectâ & vilissimâ.

13 PATRIA] Antverpiâ, ubi jam tunc domicilium habebat Poëta, eò Lovanio translatâ habitatione. SOMNIO] Ob frequentes & pertinaces de hâc re meditationes, quas foveo interdiu.

14 OBVALLAVIT] Cinxit & communivit.

15 SPADANOS FONTES] In oppido, aut prope id scaturientes. *Spa* Latinis *Spada*, agri Leodicensis oppidum est, haud procul Limburgo, altissimis montibus undique clausum, à fontibus saluberrimis acidulas fundentibus, provinciis vicinis notissimum, & æstate potissimùm exteris frequentatum. Principales fontes sunt quatuor, inter quos primus in ipso loci foro erumpit, patrioque sermone dicitur *Pohón*. Alii tres, quibus hæc sunt nomina; *Savenier*, *Tonnelet*, *Geronster*, ex radicibus vicinorum montium prosiliunt. De primo, Spadocrene Henr. ab Heer c. 4. *Pouhontius mediastinus pagi, forique meditullio eleganti clausus marmore, plusquam quatuor orcarum capax, quotidiana sitis explenda, etiam æstuante Syrio sufficit: & tamen infinita indies lagena ex eo implentur, in vicina Eburonum loca, Britanniam, Hollandiam, Galliam, Germaniam, Italiam ipsam mittenda.* Tum de eodem ac Savenirio: *Uterque*, inquit, *insigni sed grato acore commendabilis, cùm miracula qua in medicinâ fieri dixit Celsus, plurima ediderit. Multos ex Æsculapii Lyceo in spadana fenticeta pellexit, qui tot supernaturalium effectuum caussas acri ingenio scrutarentur.* Singulorum virtutes & efficientias disce ex eodem libello. CUM PATRE] Machaone Æsculapii filio, medico insigni. ASCLEPIUS] Machaonis filius pronepos Apollinis, cui & patruus Podalirius, qui omnes ab Apolline medicæ artis inventore, originem duxere, & artis ejusdem gloriâ claruerunt. Situm fontium commendat, quasi dicat: medicorum principes, si in hos fontes collocandos suam quisque operam contulissent: non alio loco illos posuissent, quàm inter montes illos, unde cæli clementia, agri amœnitas, umbra, victus, &c. in valetudinem aquantium vel instaurandam, vel servandam concurrunt.

16. ASCENSU SUPERARE] Scandendo montes, & lentâ ambulatione corpus exercendo. Ita aquæ potæ celeriùs in vesicam defluunt, & in viscera vires exerunt.

17. ALTERUTRA PRIMI ORDINIS] Pouhontio, aut Savenirio, de quibus jam suprà ℣ 15. Medentur autem vulgaribus morbis: utrique bili flavæ ac atræ, nephritidi, hydropisi, cephalalgiæ, ictero, melancholiæ flatulentæ & hypochondriacæ, hepatis ac renum intemperiei, omnibus denique meatuum, ureterieorum in-

 pri-

*Distinguo latis, te multa probante, jocosum*
*Arbitrium spatiis: habitare cuniculus antris*
*Hîc valet incisis. Hîc pascam armenta, capellas.*
*Hîc spatientur oves curtæ; myrtoque, thymoque,*
*Mille & odoratis distendant floribus armos.*
*Phasidis hoc saltu latet exquisitior ales*
*Innumerus volucri. Trutta isto & gobio rivo,*

primis, ac viscerum obstructionibus. POTUS] Appotus probè vel madens: nam ut aquæ prosint, affatim ex iis hauriendum.

18. DISTINGUO] Videor mihi somniando, vastos agros devidere, & destinare ad frugem, cui quisque fundus maximè idoneus. TE MULTA PROBANTE] Tuque ô Boschi, videris mihi multa, quæ statuo, comptobare. JOCOSUM] Ridiculum judicium, ex somnio natum.

19. CUNICULUS ANTRIS INCISIS] In hunc finem pertusis, aut saltem naturaliter cavernosis, ut in iis stabulentur cuniculi. Nam ut rectè Mart. lib. 13. Epig. 60.

*Gaudet in effossis habitare cuniculus antris.*

*Cuniculus* notum animal, mensarum deliciæ: dictus quasi *caniculus*, inquit Isidorus, quòd canum indagine capiatur. ARMENTA] Equos, boves &c. Armenta volunt esse greges majorum animalium, ad arma gestanda, arandámve terram idoneorum; quod nominis etymon indicat: Virgilius tamen ad cervorum greges transtulit. l. 1. Æneid. ℣. 189.

*----- Hos tota armenta sequuntur.*

CAPELLAS] Parvas capras.

21. OVES CURTÆ] Etiam parvæ & contractæ, quales solent esse Arduennates, seu ex silvâ Arduennâ. Hæc olim auctore I. Cæsare, à finibus Trevirorum & Rheni, ad Nervios usque extendebatur. Undè & hodie montes Spadanos complectitur; ubi oves illæ admodum breves, sed salubres, teneræ, optimi nutrimenti, & aquantium victui diætetico, inprimis opportunæ. MYRTOQUE THYMOQUE] Herbis notis & isthic obviis, quéis pascuntur oves, & gratissimo earumdem sapore, carnes suas, vescentium oblectamento, condiunt.

22. DISTENDANT] Augeant, impleant. ARMOS] Totum corpus; armos tamen inprimis, quòd Apicianis eorum caro assa, præ reliquis partibus, placet & exquiritur. Id est: crescant. Quod impletur, latinè distendi dicitur, sumptâ metaphorâ ab utre, qui plenus tenditur, vacuus relaxatur. Virg. l. 4. Georg. ℣. 163. & Æneid. 1. ℣. 437. de favis apum.

*------ Distendunt nectare cellas.*

Sensus est: Oves myrto, thymo, & floribus odoratis saginantur.

23. PHASIDIS VOLUCRI EXQUISITIOR] Nobilior Phasiano. Papin. lib. 4. Carm. 6. ℣. 8.

*Ah miseri quos nosse juvat, quid Phasidis ales*
*Distet ab hybernâ Rhodopes grue. -----*

Phasiani gallinis magnitudine pares, suavitate superiores, nomen invenerunt à Phaside Colchorum fluvio, ad cujus ostia frequentes olim conveniebant. Ab Argonautis in Græciam primùm advectos, mensarum luxum auxisse volunt. Apud Martial. lib. 13. Epigram. 72. sic Phasianus loquitur:

*Argivâ primùm sum transportata carinâ,*
*Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.*

24. INNUMERUS] Multus & in copiâ. Alitem illum Spadani & Arduennates, linguâ suâ vernaculâ dixerint *cocq de bruier*, nos *gallum montanū*, qui magnitudine proximè ad phasianum accedit. Alterum genus minus est, & perdici simile, quod vocant *corret*, seu *correttam*, exquisitissimi saporis, & montano par, quod avidè ab omnibus expetitur. Utrumque enim volucris genus, aquantium deliciis & medicinæ cedit. Vide Plemp. de tuend. Val. c. 4. n. 56. TRUTTA] Seu Trocta piscis notus, quem eumdem esse putant, cum Ausonii Salare, parvi salmonis figuram imitante: de quo ille. In Mosell. ℣. 88.

*Purpureisque Salar stellatus tergora guttis.*

Vide Jos. Scal. Auson. Lect. libr. 1. c. 3. & Savar, in Sid. Epl. 2. libr. 2. *Truttarum* ferax est Mosa, aliique circùm amnes & rivi in agro Spadano, & terrâ Eburonum. GOBIO] Pisciculus vulgo notissimus, Italis eodem nomine censetur, nostratibus *Govie*. Juven. Sat. 11. ℣. 37.

*Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantùm*
*In loculis. -------*

25. Lu-

*Lucius hoc stagno, concessa alimenta bibenti.*
*Hæc facilè emendes vivâ tria jugera calce.*
*Hæc saturanda fimo, vel adusto cespite, margâ,*
*Aut aliis. Aliquid tu interdum practicus addis,*
*Diminuis quidquam. Placuit generatio equorum,*
*Si à Batavis coëmantur equæ, coëantque caballi*
*Arduennæ validi; si providus inveniatur*
*Mangoque sollicitus. Tu exactè præcipis arva*
*Pauca coli. Tria vis rapis, siliquis, staphylinis*
*Conseri ab horticolis, sed jugera versa ligone,*
*Lautitias reputans dominis, & cortis alumnis.*
*Hæc licèt exagitent multâ caligine mentem*
*Somnia; missa tamen per limina cornea credam,*

25. LUCIUS] Piscis cujus in Mosella meminit Ausonius ỳ. 120.

*Hic etiam Latio visus prænomine cultor*
*Stagnorum, querulis vis infestissima ranis*
*Lucius, obscuras ulvâ, cœnoque lacunas*
*Obsidet.-------*

In stagnis & amnibus nostris frequens, audit plerisque lupus piscis: verùm Had. Junius lupum ad mare ablegat, marinum esse dictitans, lucium verò fluviatilem. CONCESSA] Tuta & à medicis indulta esui aquatrium; tanquam minimè noxia, imo & valetudinem juvantia.

26. VIVA CALCE] Quæ agrorum sterilium velut medicamentum est. Plin. l. 17. c. 8. *Hedui & Pictones calce uberrimos fecere agros.*

27. FIMO, ADUSTO CESPITE, MARGA] Fimus, cineres cespititii, marga, lætamina agrorum sunt, de quibus consule Plin. lib. 17. c. 6. 7. 8. Est autem marga, ut placet Plinio ibid. c. 6. *Quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguedinis nucleo.*

28. PRACTICUS] Experiens, usu doctus, exercitatus. ADDIS] Plura præter jam memorata, quæ longo usu comprobasti.

30. A BATAVIS EQUÆ] Commixtio proba, si equa Hollandica à caballo Arduennate ineatur.

31. ARDUENNA] Silvæ ut suprà ad ỳ. 21.

32. MANGO.] Equorum alumnus & curator. Mangones olim prius jumentorum κτηνοτρόφοι & ἱπποκόμοι seu equorum curatores dicti sunt: posteà tamen eo nomine etiam appellati, qui res venales ad cariorem venditionem poliebant. Inde & mangones puerorum. Sueton. In Domit. c. 7. *Castrari mares vetuit: Spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est.* Mart. l. 1. Epig. 59.

*Millia pro puero centum me mango poposcit.*
*Risi ego: sed Phœbus protinus illa dedit.*

33. TRIA VIS] Ordo est: vis tria jugera, non vomere sed ligone versa, ab horticolis conseri, rapis, siliquis, staphylinis. SILIQUIS] Leguminibus. Siliqua folliculus seu integumentum est, cui grana leguminum includuntur, synechdochicè pro legumine. Horat. lib. 2. Epl. 1. ỳ. 123.

*-----Vivit siliquis, & pane secundo.*

Vide Lambinum in hunc locum.
STAPHYLINIS] Pastinacis. Græcis σταφυλῖνος; pastinaca Latinorum est, agrestis scil. & erratica. De qua Plin. l. 20. c. 5. *Alterum genus est staphylinos, quod pastinacam erraticam vocant.*

35. LAUTITIAS &c.] Cessuras esui & deliciis curatorum cortis, & avium alumnarum. Id est tam horticolis & villanis quibus cura cortis, quàm avibus. Vide dicta Serm. 3. ad ỳ. 336; Intellige hîc aves majores: pavones gallinas, phasianos, anseres, anates &c. quæ oleribus, radicibus & siliquis vescuntur.

36. EXAGITENT] Afficiant, vexent, turbent. MULTA CALIGINE] Incertitudine consilii & anxietate, quid hâc in re acturus sim, vel decernam. Suspendit decretum in tempus futurum.

37. LIMINA CORNEA] Per quæ vera & ra-

I 3 ra

*Eventura semel, si justo fila Sorores*
*Æqua trahant penso. Nam ut ruri plurima desint,*
*Quorum longa domi scateat vicinia: malo,*
*Malo Frepontino descendere flumine ad urbem,*
*Tempore oportuno, Brontis Steropisque nepotum;*
*Si sit opus libri (Bon abivit) siccus asellus,*

ra somnia dimittuntur. Veris umbris enim exitus inferorum patet per portam corneam. Virg. Æneid. 6. ℣.893.

*Sunt geminæ somni portæ: quarum altera fertur*
*Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris:*
*Altera candenti perfecta nitens elephanto,*
*Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.*

Plato in Charmide: *Audi igitur, inquit, meum somnium, utrum per cornu, an per ebur venerit.* Falsa per portam eburneam fugere innuit Horat. lib. 3. Od. 27. ℣.40.

*Ludit imago*
*Vana? Quæ portâ fugiens eburnâ*
*Somnium ducit?-----*

Uti vera per corneam. Lips. Sat. Men. init. *Sub Auroram somnium ad me venit, longum, firmum, certum: nam rectâ advolare mihi visum è corneâ portâ.* Papin. Sil. 5. Car. 3. ℣ 288.

*Inde tamen venias, melior quà porta malignum*
*Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra.*

39. ÆQUA PENSA TRAHANT] Eò vitam meam protendant, quò videor per vires naturæ, & corporis constitutionem pertenturus; attentâ communi hominum sorte, & ætatis ratione. SORORES] Parcæ sorores lanificæ, vitæ humanæ dispensatrices, quarum nomina *Clotho, Lachesis, Atropos* poëtarum lectoribus passim occurrunt. UT RURI] Quamvis ruri.

40. DOMI] In urbe patriâ. LONGA] In longum tempus VICINIA] Familiæ mihi vicinæ, affines, pares. QUARUM SCATEAT] Quibus abundet. Scateo construitur hîc cum genitivo, tanquam verbum copiæ. Lucret. lib. 5. ℣. 50.

*-----Ita ad satiatem terra ferarum*
*Nunc etiam scatit, at trepide terrore repleta est.*

Ubi *scatit* pro scatet. Vid. Ind. Giffan. A. Gellius l. 1. c. 17. *Xantippe irarum & molestiarum muliebrium scatebat.*

41. MALO, MALO] Geminatio hæc addit robur & energiam asseverationi. Sic & Juven. Sat. 6. ℣. 165.

*------Malo,*
*Malo Venusinam quàm te Cornelia-----*

FREPONTINO FLUMINE] Wesâ qui alluit Frepontem Leodicensis provinciæ pagum, influitque Mosam, haud procul Leodico, piscibus, ac inprimis truttis prodigiosæ magnitudinis abundans. Hinc opportunè ad urbem navigatur. Lips. Cent. 3. ad Belgas Epl. 23. *Ad montana confugimus, inde ad silvestria, & denique Frepontem, ubi navigatio & flumen.* AD URBEM] Principem Eburonum Leodicum, Legiam, urbem sanè maximam, à frequentiâ Cleri & populi, loci & situs amœnitate, fluminis nobilitate, civium opulentiâ, & mercaturâ, per orbem celebratissimam. Paret Antistiti suo, & latissimam in accolas ditionem exercet; quibus non secus quàm ipsi metropoli Princeps Episcopus imperat. Ager illius XXIV. oppida & ultra ɪɔcc. pagos complectitur. Populus illi est religioni inprimis, nec minùs animi quàm corporis studiis deditus.

42. BRONTIS STEROPISQUE] Ministrorum Vulcani, Papin. Sil. 1. Carm. 1 ℣.3.

*-----Siculis an conformata caminis*
*Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit.*

Et Sil 3. Carm. 1. ℣. 130.

*Non tam grande sonat motis incudibus Ætna,*
*Cùm Brontes Steropesque ferit.-----*

NEPOTUM] Scilicet insignium fabrorum, qui urbem hanc incolunt, quorum ars ferrum, quod optimum ex vicinis montibus illic eruitur, iam dextrè subigit, ut cudendi peritiâ alios per Belgium antecellant.

43. OPUS LIBRI &c.] Sic ordina: si sit opus ut libri, siccus asellus, saccarum, oliva &c. ea scil. quæ copiosè, sed statis temporibus in urbe prostant, ut vel anni tempestivitas, vel eorum advectio ex locis maritimis, ferunt. BON ABIVIT] Opificii sui institutum deseruit; jam factus locupletior. Fuit autem *Bon* librorum institor circumforaneus, qui quæstus gratiâ frequens Spadam commeabat, mensibus potissimùm æstivis, quando summa illic hominum frequentia, aquæ potu sibi medetur. Hic singulas merces suas librarias, licèt vilissimas, sine modo *bonas* prædicare solitus, vulgari derididiculo à voce *bon*, quam

*Saccarum, oliva, piper, sal, vinum, pannus, emautur;*
*Copiæ abundanti & tenues extendere nummos:*
*(Cùm penes inveniam reliquum me quo benè vivam,*
*Liber & à fastu, quo animæ & corpusculo habebo*
*Quod satis est, oculis paucis imitabilis) ultra*
*Jura facultatis quàm, sic præeunte sodale,*
*(Si cupio esse aliquis) cogi limare paternas*
*Res, tandem natis pretio bellare coactis*
*Urbe meâ; rerum sive incrementa mearum*
*A Maiâ genito spectare, marique vagari*
*Multis nominibus, versuris cautus iniquis,*

quam numquam non in ore habebat, *Rex* nuncupatus est. Hunc ergo Poëta innuit aliò jam abivisse ampliori sorte auctum, ut eâdem sibi obsequente, majus alibi lucrum faciat, inter mercatores magnarios relatus.

45. COPIÆ ABUNDANTI] Id est tempore abundanti copiâ mercimoniorum ejusmodi; quando scil. omnia minoris veniunt. TENUES] Exiguos. Extenuat sortem & facultates suas, ut non rarò faciunt declinandæ invidiæ caussâ illi, quorum census amplissimus omnibus innotescit. Poëtam enim nostrum affatim opulentum extitisse, alibi monuimus.

46. INVENIAM RELIQUUM] Quod mihi ad bene beatèque vivendum necessum est; præter jam memoratum penu, ex urbe petendum.

47. LIBER ET A FASTU] Splendido illo & verè superbo corporum, ædium, & mensarum cultu, qui à nobilibus & locupletibus in urbe ostentari solet, ut se aliis præferant.

48. PAUCIS IMITABILIS] Cùm ruri tuæ sortis homines rarissimi sint, qui velint & possint imitari splendorem & fastum tibi congruentem.

49. JURA FACULTATIS] Ultra id quod ferant fortunæ, ac census mei.

50. ESSE ALIQUIS] Si velim apud alios esse alicujus notæ aut æstimationis. Juv. Sat. 1. ℣. 73.
*Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,*
*Si vis esse aliquis.-----*

LIMARE PATERNAS RES] Atterere ac minuere patrimonium, vel vendendo vel oppignerando fundos à patre legatos. Ferrum teritur & minuitur, dum limatur.

51. TANDEM] Cùm aliud consilium non suppetit. NATIS] Quos avitis censibus fraudavero. PRETIO BELLARE COACTIS] Stipendiis regiis vitam alere.

52. URBE MEA] Antverpiæ. Id est quàm urbe meâ sic præeunte sodale &c.

53. A MAIA GENITO] A Mercurio seu mercaturâ. Mercurium Maiæ filium mercaturæ Deum suprà docuimus. RERUM INCREMENTA] Lucra, quæ olim petebantur à Mercurio. Ovid. ad Mercurium Fast. 5. ℣. 671.

*Te quicumque suas profitentur vendere merces,*
*Thure dato, tribuas ut sibi lucra rogant.*

Sententia horum quinque versuum est: Quàm redigi in eam fortunæ tenuitatem; ut vel nati mei cogantur militando victum sibi comparare, vel ego cum jacturâ & infamiâ nobilitatis meæ, mercaturam exercere.

54. MULTIS NOMINIBUS] Rationum capitibus. Nomen, ut hìc usurpatur, est omne id quod in accepti & expensi tabulas relatum est. Alioquin & debitum non rarò, imo & debitorem designat. Priori sensu dixit Cic. Top. 16. *Non si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset: idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multùm enim differt in arcâne positum sit argentum, an in tabulis debeatur.* Unde fit hæc sententia: quàm merces per mare ad externas regiones mittendo, vel inde accersendo, aut etiam alienis periculis cavendo, præstandoque indemnitatem mercimoniis, multa in meas tabulas nomina referre, aut in alienis notari debitorem. VERSURIS CAUTIS] Mutandis creditoribus, ut solent decoctores. *Versuram* facere dicuntur, qui nomina dissolvunt ex ære alieno; id est, vel mercibus

*Colluvie aut mercis multâ æruscare, & edaci*
*Collybo, & assiduo discrimine vivere famæ:*
*Ceu nos quotidie docet experientia, nuper*
*Et vidisse potes. Non sunt secura lucello*
*Tempora Rossemii, cùm verbis verba ligaret*
*Simplicitas hominum, signaret nota colore*
*Tibia ephemeridas; Hymenæus nescius auri;*

cibus vel nummis alienis sibi creditis. Unde versura nomen invenit, teste Festo, quod nihil aliud sit, quàm vertere creditorem, quod vulgari parœmiâ dicunt: *nudato Petro, Paulum tegere.* INIQUIS] Iniquè fallentibus, quia tam diu vertuntur creditores, donec decoctores abrogatâ sibi omni fide apud alios, novissimos creditores solutione defraudant, cedendo foro; ejus justissimo privilegio injustissimè abutentes.

55. COLLUVIE MERCIS] Copiâ, venditione, aut quavis aliâ permutatione mercium. Notat item hic artem & nefarios astus, eorum qui decoctis facultatibus, jamjam meditantur argentariam dissolvere. Hi enim solent magnam mercium copiam, suâ fide emere ac corradere, quantumcumque magno, sed non repræsentato pretio; moxque easdem quàm minimo, sed præsentario aliis vendere. Hâc fraude pecunias sibi coacervant, quibus jam eluso foro per omnem vitam, vel commodè sustententur; vel denuo negotientur. ÆRUSCARE] Quâcumque arte æra colligere: nam ab *ære ruspando* dictum volunt. Est autem *æruscare* fallaciis & præstigiis pecunias colligere. A. Gellius l. 14. c. 1. *Id præstigiarum & offuciarum genus*, ait, *commentos esse homines æruscatores, & cibum quæstumque ex mendaciis captantes.*

56. EDACI] Optimè: nam collybistæ permutantis aut mutuantis mercedi, semper cedit aliqua comesi capitis portio. Sic apud Lucanum l. 1. ℣. 181. *voracem usuram* legas: & apud Prop. l. 3. Eleg. 23. ℣. 20. *duras ephemeridas.* Cato apud Cic. 3 Off. 82. rogatus quid esset fœnerari? *Quid hominem*, inquit, *occidere*? Et apud eumdem pro Cæl. 42. reperias, *fœnere trucidare.* COLLYBO] Permutandis pecuniis, seu collybisticam exercendo. Κόλλυβος Polluci est nummi permutatio, Latinis non ratò etiam pro pecuniæ permutatæ detrimento accipitur. Cic. 12. Att. 6. *De Cælio, vide quæso, ne qua lacuna sit in auro. Ego ista non novi, sed certè in collybo est detrimentum satis.* Inde Collybistæ, seu nummularii, qui capitis permutati rosione, quæstum sibi faciunt. ASSIDUO DISCRIMINE FAMÆ] Quotidie periclitari, ne vel fœnerator audiam, aut re meâ irato Mercurio accisâ, rationes conturbem, & famam meam elidam.

57. EXPERIENTIA] Exempla mercatuum indies obvia. Uti enim mercatores opulenti, quandoque tantam jacturam faciunt, ut solvendo non sint, & foro excedere cogantur: ita & alii, rebus non à fortunâ, sed ab ingluvie ac fastu contractis, iniquissimè defraudant.

58. VIDISSE POTES] Fortasse videris noverisque, Philippe, illos qui nuper in urbe meâ creditoribus suis decoxerunt. SECURA] Sine periculo & formidine fraudis ac damni.

59. TEMPORA ROSSEMII] Unde Antverpienses ævi felicitatem deducunt. Martinus Rossemius nobilis Geldrius, strenuus miles, & nominatissimus strategus, à Marcano Cliviæ duce copiis ejusdem Præfectus; quo tempore Princeps noster invictissimus Carolus V. Aug. Barbaros, in Africam trajectus, debellabat; infesto ac temerario gradu in Brabantiam irrupit, omnia quâ ferro, quâ flammâ populando: & jam promoto exercitu Antverpiam ad deditionem sollicitabat. Sed civium fide, strenuitate, ac potentiâ retusus, irritis votis & dolis inde castra movit VI. Cal. Aug. CIↃ. IↃ. XLII. quo tempore, uti est apud Pont. Heut. 11. Austr. 16. Antverpia universæ ferè Europæ opulentissima erat. Et hinc tempora Rossemiana, tanquam aurea secula, in ore vulgi versantur. VERBIS VERBA LIGARET] Promissa vel pacta solo verbo rata erant, tantaque illis fides habebatur, quanta modò chirographis, cautionibus, vadimoniis, pignoribus &c.

60. SIMPLICITAS] Sinceritas, bona fides. SIGNARET] Notis vel signis depingeret. Sic dicimus *epistolam signatam*, item *æra signata* &c. Virg. lib. 3. Georg. ℣. 171.

... *Sum-*

*Cæsaribus vitulus, repetitâ pelle, dabatur,*
*Aut manicæ Tyriæ bombycis, ad urbis honorem.*
*Tunc centum dos clara; dato super asse quadrante,*
65. *Belgica prandebat tunc luxuriosa juventus.*
*Nunc quò te vertas? Carò stant omnia; frugi*
*Vita gravis: vendas cheirographa: gaudia natæ*

-----*Summo vestigia pulveri signent.*
Ovid. Met. 1. ℣.136.
*Cautus humum longo signavit limite mensor.*

61. TIBIA] Caliga certi ac noti coloris, quales festis diebus operiendis tibiis assumebant. Alium cultum etiam priscos diebus festis adhibuisse, arguit id Nasonis lib. 8. Met. ℣.657.
*Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo*
*Sternere consuêrant.*-----
Tibiale itaque signum à certo colore notum, in ephemeride designabat lucem festam. EPHEMERIDAS] Diaria, calendaria, fastos, lunaria, quæ Arabibus significantur, uti & nostratibus ferè, per vocem *Almanac.* Ephemeris à die nomen habet, & significat non tantùm commentarium, in quem acta quotidiana, verùm etiam in quem agenda referimus; quales sunt ephemerides, quas mathematicas appellant, cæli constitutionem quolibet descriptam die continentes. Hoc sensu Juven. Sat.6. ℣.572.
*In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas*
*Cernis ephemeridas.*-----
HYMENÆUS] Nuptiæ, conjugium. Hymen nuptiarum Deus. Virg lib. 1. Æneid. ℣.655.
*Pergama cùm peteret, inconcessosque Hymenæos.*
NESCIUS AURI] Supple, *erat*, sine opibus & amplâ dote: id est nuptiæ fiebant, non avaritiæ stimulo: sed mentis & ingenii bonitas, virtus, forma, duces erant ad amorem & tædam.

62. CÆSARIBUS VITULUS &c.] Pro auro coronario, seu munere publico, donabatur Imperatori vitulus obesus, hâc lege tamen, ut mactati pecoris corium ad donatores rediret: quod volunt in Brabantiâ usu venisse. Vulgariter fabulatur & ridet.

63. MANICÆ TYRIÆ BOMBYCIS] Par Manicarum ex bombyce vel serico purpureo. De serico & bombyce vide Serm. 8. infrà ad ℣.212. *Tyrii* ab imbuendis purpurâ pannis olim celebrati. Vide infra Ser. 5. ad ℣.204. Ex hoc conjicere licet ejus ævi simplicitatem singularem, vel nummûm penuriam, modò vulgaris fabella, quæ tradit id Antverpiæ accidisse, fidem apud posteros inveniat.

64. CENTUM] Floreni Brabantici, aut libræ Flandricæ: nam utràque numismatis specie, rationes ærariæ subducuntur in Belgio. Valet autem libra Flandrica duos Scutatos Romanos, quorum quisque ferè valet tres florenos Brabanticos. DOS CLARA] Insignis, opulenta, & quâ ditiores parentes filiam elocent. I nunc, & mirare temporum varietatem, quando vix aliquot Flandriearum librarum millia, filiabus honestè dotandis patia sunt. ASSE] Stufeto nostrate, quem volunt probatiores, minoris valere, quàm duobus assibus priscæ, apud Romanos, monetæ. Noster tamen ex usu vulgari & malo, assem accipit pro stufero. QUADRANTE] Quarta parte stuferi. Sensus est, datis quinque quadrantibus, vulgò *Oorden.* Extat nummus apud nos quem vocant *Brasdenarium*, id est *Braspenninck*, & notat hîc Poeta; constatque quinque quadrantibus stuferi, sed is vocatur ab Had. Junio *tressis*, quasi ferè valens tres asses Romanos.

65. PRANDEBAT LUXURIOSA] Epulabatur splendidè. Id enim nomen traxit tressis seu Brasdenarius noster, ab epulando, quasi nummus epularis; quòd in diversoriis dato hoc pretio splendidè convivebant. Comperio Caroli V. Aug. Decreto, anno CIƆ. IƆ. XLIV. pretium refectioni cujusque militis, excepto potu, in oppidorum diversoriis brasdenarium, in rusticis seu paganis, stuferum taxatum fuisse apud nos.

66. QUÒ TE VERTAS] Rei compendia quæsiturus? Ævum suum comparat, cum priori seculo; & narrare instituit, quàm omnia à se sint diversa. NAM CARO STANT OMNIA] Ad victum vel cultum necessaria.

67. FRUGI] Compendiosa, parca, & utilitati studens. GRAVIS] Molesta, difficilis, quia justo tenuiore victu, quàm ferat fors aut dignitas tua, sustentanda; ne altiùs crescant impensæ ultra rationem census. VENDAS CHIROGRAPHA] Tanta ubique tenetur chirographorum copia, quorum

*Millibus accelerat genitrix, ne palleat ægrè*
*Deformis, natique rotis sufflamina suffert.*
*Sit placidus Cæsar, ridebit parvula Mavors.*
*Undique fraus, dolus, & fallax injuria; homo nunc*
*Est homini lupus. Ignoras quæ causa malorum?*
*Ditari volumus sine tempore, sorte, labore.*
*Intereà, quò firma fides, habitatio grandis,*

rum nomina non dissolvuntur; ut liceat ex illorum venditione, & pretio papyri quæstum facere; aut saltem ingenti damno creditoris, vendere necesse sit molestioribus appellatoribus. *Chirographum*, tabula est, quâ creditoribus nomen profitentur debitores. GAUDIA ] Nuptias, connubium.

68. MILLIBUS ] Florenorum vel librarum. ACCELERAT ] Procos incendendo amore amplissimæ dotis, quam matres bene desponsandis filiabus, nusquam non cessant crepare, & extollere; ut solent institores merces suas, quò citiùs & quæstuosiùs extrudantur. NE PALLEAT ÆGRE DEFORMIS ] Ne ægrotet, vel palleat valetudinaria, ab amore nuptiarum, & formam amittat, vel vitiet.

69. SUFFLAMINA ] Retinacula, quibus continentur intra officia honestatis, nec permittuntur in vitam solutiorem prolabi. Id est, genitrix nimiâ indulgentiâ corrumpit filios, subministrando etiam ea, quæ insanè postulant ad gulam & venerem; & eos quasi quodam luxuriantis naturæ impetu cadere sinit in omnem licentiam. *Sufflamen* catena, funis, aut quodvis aliud retinaculum, quo rotæ prolabentis impetus sistitur aut impeditur. Ejus usus olim etiam in Circo. Juven. Sat. 8. ℣. 148.

*Ipse rotam astringit multo sufflamine consul.*

Translatum pro quâlibet remorâ reperias apud eumdem Sat. 16. ℣. 50.

*Nec res atteritur longo sufflamine litis.*

73. SIT PLACIDUS CÆSAR ] Filius jurisprudentiæ studens, sen legibus Cæsareis. RIDEBIT PARVULA MAVORS ] Filius miles, ferocior fratre, non contentus parvo, extorquens magna, ferociter comminando, clamando &c. Sententia est: quamvis filius legum studiosus, sumptu & nummo exiguo contentus vivat; filius tamen militans, contemnit parva, & gravioribus impensis parentes mactat. De parentum curâ in ejusmodi liberos Naso de remed. 2. ℣. 175.

*Filius hunc miles, te filia nubilis angant.*

Expositionem hanc volunt ab Auctore ipso profectam esse; eam inquirente, ac referente Cl.mo Gevartio.

71. FRAUS, DOLUS &c. Omnia fraudibus, furtis, & offuciis obstipata sunt adeò, ut à nulla parte tutus sies.

37. HOMINI HOMO LUPUS ] Ex adag. Græco ἄνθρωπος ἀνθρώπου λύκος. Quo usus Plaut. Asin. Act. 2. Sc. 4. ℣. 88.

*Lupus est homo homini, non homo.------*

Rectè: nam ut Seneca Epl. 103. *Ab homine homini quotidianum periculum.* Huic contrarium est, quod inter Zenobii proverb. Cent. 1. n. 91. refert And. Schotus ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον Homo homini Deus.

73. DITARI SINE TEMPORE ] Præmaturè, ante tempus, vix institutâ negotiatione. SORTE ] Pecuniâ fœnori, vel mercatui exponendâ: Græcis dicitur κεφάλαιον, Latinis caput seu pecunia capitalis. Plaut. Mostel. 3. 1. 34.

*Qui mihi neq; fœnus, neq; sortē argenti danunt.*

Et paulò infra ℣. 64. Servus ad Danistam: *Sortem accipe.* Dan. *Imò fœnus, id primum volo.* Mart. lib. 5. Epig. 43. ℣. 3.

*Debitor usuram pariter sortemque negabit.*

Inde quidam deducunt Adag. *Sortem & usuram persolvere.* Quod dictum volunt de iis, qui seriùs quidem, sed graviùs plectunt. *Taubm.* Sors itaque est omnis pecunia, cui accedunt usuræ, reditus, vel lucra. Notantur ii, qui pauperes cùm sint, divites tamen se mentiuntur, merces mercantur, aut pecunias fœnori accipiunt, quæ assiduis versuris tantùm cum menstruâ capitis arrosione trahuntur, donec foro cedere necesse sit. Ita alieno corio ludunt, & creditorum sorte periclitantur. LABORE ] Malè otiando, tabulis non invigilando, momenta temporis negligendo &c.

74. QUO FIRMA FIDES ] Ut reperiant faciles creditores. HABITATIO GRANDIS ] Magnifica & superba domus conducitur.

75.

*Rheda in vestibulis, titulis insignia clarent;*
*Et splendens abaco argenti numerosa supellex.*
*Byssina Bruxellæ contexta tapetia; & inter,*
*Rubbenii pretiosa manus, pulcherrima Flori.*
*Ac velut exhaustâ scaturiret nummulus arcâ,*
*Ceu Fortunati loculis, fundusque quotannis*
*Accideret censu, vita est sine suspicione*
*Instantis post terga mali. Indignatio nulla*

75. RHEDA] Vehiculum illud leve, ac pensile; quod nobilioribus hodie vectandis subservit. IN VESTIBULIS] In ipso aditu domus, ubi abjunctis equis solent rhedæ vel cisia constitui. Id est, crescunt sumptus, servitia, aurigæ rhedarii &c. TITULIS] Seu veris seu ementitis. *Titulus* hoc loco monumentum laudis, vel dignitatis est. Ovid. Epl. Deian. ỷ.1.

*Gratulor Oechaliam titulis accedere vestris.*

76. SUPELLEX] Abacum ornans, & domini fastum ac opulentiam ostentans; ut sunt patinæ, lances, calices, gutti, polubra, pateræ, aliaque id genus vasa argentea.

77. BYSSINA] Ex serico, seu tenui filo contexta. BRUXELLÆ] Ubi tapetes præstantissimi. Vide quæ diximus Serm. 3. ad ỷ. 161. ET INTER] Supple, inter hæc tapetia.

78. RUBBENII] Pictoris excellentissimi, Steini Toparchæ, qui Joannis Senatoris Antverpiani filius, inter ceteras quibus ad miraculum excelluit, doctrinæ, facundiæ, historiæ priscæ, omniumque bonarum artium & elegantiarum dotes, non sui tantùm, sed omnis ævi Apelles dici meruit. Opera virum celeberrimum posteritati commendant. MANUS] Tabula artifice manu Rubenii picta, & summo pretio comparata. *Manus*, pro opere manu elaborato, non rarò reperias. Ovid. Fast. 3. ỷ. 825.

*Et licèt antiquo manibus collatus Epeo*
*Sit prior, iratâ Pallade mancus eris.*

Id est, licèt operibus manu factis vincat Epeum, equi duratei fabricatorem. Prop. l. 3. El. 19. ỷ. 29.

*Aut certè tabulæ capient mea lumina pictæ,*
*Sive ebore exactæ, seu magis ære manus.*

Id est, opera ex ebore aut ære cælato affabre facta. Mart. l. 8. Epig. 51. ỷ. 1.

*Quis labor in phialâ? Docti Myos, anne Myronis?*
*Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?*

FLORI] Francisci pictorum in Belgio principis, de quo Bauhusius lib. 2. Epigrammaton.

*Apellis ille, & æmulator Zeuxidis*
FLORUS, *superba nomen ingens Belgica.*

79. EXHAUSTA SCATURIRET ARCA] Expositis & jam consumptis nummis, novus eorum fons succurreret. Similitudo desumpta à fontibus, vel puteis, quibus ad temporis pauxillum exhaustis, nova aquarum scaturigo subsilit. Simili ferè phrasi usus Juven. Sat. 6. ỷ. 362.

*At velut exhaustâ redivivus pullulet arcâ*
*Nummus, & à pleno semper tollatur acervo.*

80. FORTUNATI LOCULIS] Celebris & fabulosi istius Fortunati, quem vulgares quædam fabellæ in insula Cypro à loculis continenter nummo fartis, beatum prædicant. Fabula muliercularum puerorumque oblectamento, sæpius recusa, passim olim pro historiâ venibat. Inde triviali parœmiâ, *Fortunati loculos* tribuimus illis, qui opera faciunt portentosi sumptus, aut quibus immensæ opes, quæ nullis expensis minuantur. FUNDUSQUE QUOTANNIS] Possessio novi ruris vel arvi. Prædium Perotto est quælibet possessio, tam in urbe quàm ruri: quæ tamen ruri est, fundus speciatim dicitur.

81. ACCIDERET] Accederet, adderetur. CENSU] Censui veteri. *Censu* pro *censui* dixit, quod idoneis scriptoribus non inusitatum. Virg. 4. Georg. ỷ. 197.

*Quod nec concubitu indulgent.--------*

Et Æneid. l. 6. ỷ. 466.

*---Teque aspectu ne subtrahe nostro.*

Et alibi *parce metu*. A. Gellius: *honori erant & ornatu*. Lib. 4. c. 16. Census hic est proventus seu reditus annui caput vel sors: id est fortunæ omnes, unde homini fœnus accedit. VITA EST] Modus vivendi, & alendi familiam, tam opulentus, & ad opum ostentationem compositus; ut vix secuturum propediem malum, à quoquam, nisi nasutissimo, observari ac suboleri possit.

82. INSTANTIS] Jamjam usu venturi. Scil. quan-

*Incurrenda mihi; nam res est clara. Quid ad te?*
*Fortè tamen dicet quisquam cervice retortâ;*
*Sutor non ultra crepidam. Tu cedere possis*
*Ergo foro; tacitusque crepem? Respondeo: Perdo;*
*Indignor meritò: si perdere nolo, quid ad te?*
*Decoque, conturba, fac nomina, solve, resolve,*

quando severè ac pervicaciter appellabunt creditores; illis enim jure cogentibus, nec ultra procedente versurâ, dissolvendis nominibus se imparem contestabitur, & forum deseret.

83. QUID AD TE?] Alius quispiam conturbatorum patronus; & qui hæc fori schemata tuetur.

84. CERVICE RETORTA] Ore severo, & habitu corporis ad indignationem composito. Succensentes enim reliquo corpore contemptim averso, caput tantummodo convertunt ad eum quem compellant & arguunt. Hoc autem fit retortâ cervice. Gestum hunc vulgus nostrum appellat, *over de schouder sien.*

85. SUTOR NON ULTRA &c.] Adagium in eos jactatum, qui judicare audent, de re ab eorum arte vel professione aliena. Sic Apelles nobilissimus pictor sutori de tabulâ temerè judicanti; postquam ad ejusdem censuram vitium crepidarum correxerat, & ille postridie quid de crure cavillaretur; prospiciens è loco quo latebat post tabulam, indignabundus denuntiavit, *ne sutor ultra crepidam* judicaret. Plin. l. 35. c. 10. Scitè proinde arguit se poëta voce alienâ, quod judicet de rebus mercatum attinentibus, cum ipse mercator non sit. CREPIDA] Calceamenti genus corrigiis ligari solitum. A crepitu pedum, quem solea calcancum feriens excitat, dictum putant. Vocem Græcam esse existimat A. Gellius l. 13. c. 21. & soleis accenset, quas ait fuisse id genus calceamenta, quibus plantarum calces tantùm infimæ teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis vincta. Discrimen tamen fuisse vult Balduinus de Calceo antiq. c. 11. quòd soleæ simpliciores, crepidæ verò crassiores, in quibus nimirum duæ saltem simplices soleæ simul essent compactæ, unde & crepitum majorem inter incedendum ederent. De his Catull. ad Mall. ℣. 71.

*------Fulgentem in limine plantam*
*Innixa argutâ constitit in soleâ.*

Hoc est in stridulâ vel crepitante soleâ. Vide infra Serm. 8. ad ℣. 55. Sed omne id accipi velim pro calceamentis Romanorum, qui suras & crura non tegebant. Hoc loco autem intelligi possit generatim quodvis calceamenti genus. TU CEDERE &c.] Indignantis Poëtæ vox est.

86. FORO?] Fraudare me ære quòd debeo. Foro cedere dicuntur qui fori privilegio utentes, creditores suos summâ debitâ, ejusve parte, sub obtentu jacturæ quam fecerint, defraudant. Quod ipsum explicat Turnebus libr. 16. cap. 5. *Foro cedere non aliud esse videtur, quam æris alieni caussâ in forum non ventitare, & creditoribus non solvere, quod genus cessionis erat. Itaque inter creditores bona dividebantur.* Id tamen proprium eorum qui argentariam Romæ exercebant. TACITUSQUE CREPEM?] Sine planctu, questu, & expostulatione apud alios, tacitè concoquam dolorem meum, cum damno valetudinis, & periculo contabescendi? Curam enim & luctum, & quosvis alios animi affectus leniri, & levari amicâ cum amicis communicatione, & comploratione homines persentiscunt. *Crepem* hic est rumpar, quasi malorum & dolorum veneno distentis visceribus. Respondet phrasi nostræ Belgicæ *bersten.* Sic enim de vehementer irato, vel mœrente dicimus: *hy berst.* Imò de concipiente immodicam iram dicimus: intumescit bufonis instar. RESPONDEO] Scil. hæc quæ jam dixi, & dicam. PERDO] Res aut pecunias meas.

87. QUID AD TE] Verba sua reddit adversario. Nam ille supra ℣. 83. dixerat, *quid ad te?*

88. DECOQUE] Absume & stringe rem tuam familiarem. CONTURBA] Ære alieno ita temet obrue, ut cogaris rationes tuas conturbare. Id autem fit, quando adeo se ære alieno implicant, ut nomina expedire non valeant, convolutis & confusis inter se rationibus. Juven. Sat. 7. ℣. 129.

*Si pedo conturbat, Matho deficit.-----*

FAC NOMINA] Debita, contrahe æs alienum. SOLVE, RESOLVE] Fac versuram, nomina nominibus dissolvendo, ab altero fœnori accipe, ut in alterius ære esse desinas: ita ære secundi creditoris solves primo, & tertii secundo. Sententia est: age ut libuerit, æquè vel iniquè, nihil moror, modò

*Dummodò de proprio, nihil ad me; rideo. Si me*
*Sive meos deceperis; exclamabo: nec ipse*
*Muteat Harpocrates magnâ indignante Lavernâ.*
*Abstulerint octo, plectentur morte misselli;*
*Vix reprehendetur, qui centum millia? Dispar*
*Est ratio, titulis distinctio. Jupiter audin'?*
*Te ludunt homines: tuque optime forsitan aies,*
*Humanum est labi. Fateor, miseranda parumper*
*Sors nonnullorum, qui tempestate coacti,*
*Non fallunt animo, exhibitis justo ordine libris;*

modò mihi meisque damnum non inferas.

89. Dummodo de proprio] Modò tuo non alieno periculo id facias. Video] Insaniam tuam sine indignatione; securus rerum, quarum nihil meâ interfit.

90. Meos] Familiares, liberos meos vel necessarios, & amicos. Deceperis] Ære suo fraudaveris. Exclamabo] Summâ vehementiâ & fervore, iniquitatem tuam palàm denuntiabo.

91. Harpocrates] Deus silentii habitus, quòd ejus simulacrum in sacris Isidis & Serapidis digito labiis appresso, omnibus tacendi officium indicebat. *Vt homines*, inquit Augustinus, l. 18. de Civit. c. 5. *eos fuisse taceretur.* Alii Harpocratem Philosophum fuisse existimant, qui rebus omnibus taciturnitatem anteponebat. Transfertur hîc ad quemvis aliàs mutum, & silentii observantissimum. Sic Catull. Carm. 75. in Gellium. ℣. 4. --- *Patruum reddidit Harpocratem.* Hoc est, ne illum objurgaret, excisâ linguâ mutum reddidit. Magna] Quia à magnis colitur, & opulentis, qui furto & quidem tacito, ad amplissimas fortunas devenere. Sic de Mercurio Prud. 1. cont. Sym. ℣. 86. ----- *Magnus habetur Ille Deus*, &c. ut mox ad ℣. 106.

Laverna] Furum deâ de qua Serm. 1. ad ℣. 99. quæ meritò indignatur & succenset iis, qui fures manifestant & deferunt, aut contra eos vehementiùs exclamant.

92. Octo] Exiguam nummi, vel rei quantitatem, ut videre est in vilibus & pauperibus hominibus, qui de furto quantumvis parvo appellati, judicum sententiis ad mortem rapiuntur.

93. Vix reprehendetur &c.] Impunè transit, & quidem sine ulla ferè censura, qui maxima furta patraverit. Rectè Juven. Sat. 2. ℣. 63.

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Scil. inter magnos & parvos hoc interest fures, quod his nulla videatur ratio posse suffragari; illis autem species honestatis obtenditur, dum privilegio fori, aut æquitatis verosimilis mantello, peccati enormitatem obtegere nituntur. Ut verum sit illud Juvenal. Sat. 13. ℣. 103.

-------*Multi*
*Committunt eadem diverso crimina fato.*

94. Dispar ratio &c.] Loquitur decoctorum advocatus. Sed reverà par est ratio: nihil enim distant injusti conturbatores à furibus; nam iniqua rei alienæ possessione seu detentione, omnino pares sunt; in modo acquisitionis fortè diversi. Jupiter audin?] Poëta Jovem interpellat.

95. Te] Cui nihil opertum. Ludunt homines] Ludere vel fallere te sperant. Optime] Clementissime.

96. Humanum est labi] Proverbium priscis juxta & recentioribus tritum, quo facti alicujus improbitatem elevamus, maximè si non tam à malitia quam ab errore dimanaverit. Eo significamus hominum naturam ad labendum, errandum, peccandumve comparatam esse. Cic. Phil. 12. *Cujusvis hominis errare.* Et pro M. Celio: *Est humanum peccare, & collabi aliquando.* Et Dæmonax apud Lucianum: *Hominis est peccare.* Erasm.

97. Tempestate] Fortunæ aut maris, factâ scil. ingenti mercium, aut æris, & quæ hinc sequitur fidei jacturâ. Sors enim mercatorum frequenter admodum à mari, & fide periclitatur.

98. Non fallunt animo] Suis ingratiis & inviti coguntur creditores ære suo fraudare. Animo enim ita comparati sunt, ut si liceret, vel ad novissimum trientem æs alienum dependerent.

*Et mediâ aut quartâ decidere debita nixi,*
*Nil sibi, præterquam concessa alimenta, reservant.*
*Furta decem meditata annis numerarier istis*
*Sustineas? Pariat manifesta rapina triumphos?*
*Cede loco; regno succedat filius Hermes:*
*Sume patris posito falcem diademate agrestem.*

JUSTO ORDINE] Bona fide, ac ex lege mercatoribus receptâ, notatis. LIBRIS] Tabulis accepti & dati, quæ doceant quàm justo ordine negotia processerint; quantam jacturam fecerint, & quàm rectè cogantur foro cedere, jam ademptâ solvendi potestate. Alii mali territi, conscientiâ tabulas vel omnes, vel saltem illas, ex quabus liqueat nequitia, supprimunt, vel è medio tollunt.

99. ET MEDIA AUT QUARTA] Semisse aut quadrante æris debiti. Id est ut vulgari phrasi nunc loquuntur; quinquaginta, aut viginti quinque in centum. Solent enim pacisci cum creditoribus, pro ratione facultatum, quas adhuc reliquas habent. Sententia est: conati dissolvere omne nomen, cum pacto numerandi semissem vel quadrantem æris debiti.

100. PRÆTERQUAM ALIMENTA] Exiguam nummorum aut mercium, aliarùmve possessionum portionem, quâ reliquum vitæ unà cum familia tenui victu exigant, ex usu scil. & privilegio fori.

101. FURTA DECEM ANNIS] Multis antè annis prævisa; imò & decreta post seriam deliberationem. Quibusdam enim propositum est multis versuris, & longa erusçatione splendidè ac lautè vivere, & si possint, amplissimas fortunas corradere, quocumque demum astu vel fraude. Ad extremum tamen, si nihil ultrà fraudis procedere queat, in solidum defraudant. Quorum ratio prorsus damnabilis est, nec conferenda cum iis, qui solius fortunæ invidiâ, citra culpam suam, in solvendi impotentiam detrusi sunt. MEDITATA] Excogitata, deliberata, agitata tacitè. Passivè ut Cic. l. 1. Off. *ea, quæ meditata inferuntur.* Et Terent. Phorm. 2. 1. 18.

*Meditata mihi sunt omnia mea incommoda.*--- Et multa huic similia, ut sunt *abominor, adipiscor, adminiculor, adorior, amplector, arbitror, aspernor, comitor, dignor, dominor, experior, fateor, confiteor, interpretor, vereor, ulciscor* & alia quàm plurima, quorum censum agit in sua Grammatica M. S. doctissimus Jo. Augustinus, Backerius, Augustiniani instituti Criticus & Grammaticus primæ notæ, qui & concludit: *falli magnopere, qui putant commune genus diversum esse à deponenti: cùm deponentia eadem sint quæ communia. Sed communia sunt, quatenus olim utramque habuerunt significationem, deponentia verò, quà alteram vel planè, vel pene deposuerunt.* Vide etiam A. Gell. l. 15. c. 13. Hæc dicta sint hoc loco, ne quis sciolus temerè arguat Scriptores recentiores, apud quos hæc & alia deponentia fortassis in passiva significatione reperiet; alioquin ipse damnet se, arguatque nihil extra grammatici ferulam se didicisse. NUMERARIER] Annumerari aut accenseri. Additur *er* per paragogen, ut pueris notum.

102. PARIAT TRIUMPHOS?] Vertatur raptoribus commodo & honori? Aut sic veteratores de justis & honestis creditoribus elusis triumphum agant?

103. CEDE LOCO] Loquitur ex persona illorum, qui Jovi obganniunt, quòd tolerando, seu non puniendo homines tam nefarios, videatur crimina fovere. Undè dicit; cede, id est abdica te mundi imperio, vel moderamine. HERMES] Filius tuus Mercurius furum patronus, de quo mox plura.

104. POSITO FALCEM DIADEMATE] Deposito sceptro, agriculturam exerce, ut pater tuus Saturnus. Juven. Sat. 13. ℣. 38.

-----*Priusquam*
*Sumeret agrestem posito diademate falcem*
*Saturnus fugiens.*------

Saturnus à filiis regno exactus, in Latio Italiæ latuit, hominesque vagos & agrestes collegit, urbes condidit, & agrorum colendorum rationem invexit. Inde illi insigne falx. Virg. Æneid. 8. ℣. 319.

*Primus ab æthereo venit Saturnus olympo,*
*Arma Iovis fugiens, & regnis exul ademptis.*
*Is genus indocile, ac dispersum montibus altis*
*Composuit, legesque dedit &c.*

105.

*Quis taurum, quis thura? Jovis quis numen adoret*
*Præterea? Meliùs, qui novit condere furta,*
*Lucrificâ bovis atrati me proteget arâ,*
*Molitorem agilem, contemptoremque profanæ*
*Justitiæ; timidè quàm mittens fulmina, queîs se*
*Contineant homines. Fallor. Subsistite Musæ:*
*Cur Jovis irritem clementia numina? Cujus,*
*Ut lenta, ira gravis: cùm spem, quam fovit, inanem*

105. QUIS TAURUM] Supple, cædat tibi & immolet? THURA] Tibi adoleat? ADORET] Honores divinos tibi deferat? Satius enim fuerit, cùm scelera impunè patrentur, adorare Mercurium, qui meliùs tuetur fures, quàm tu justos. Taurus Jovi mactari solitus. Virg. l. 3. Æneid. ℣. 21.

*Calicolûm regi mactabam in littore taurum.*

Ovid. Met. 4. ℣. 754.---*mactatur vacca Minervæ*
*Alipedi vitulus, taurus tibi summe deorum.*

106. CONDERE] Furta propriè conduntur, seu teguntur. Hinc & furari pro tegere. Senec. Agam. ℣. 908. aut 910.

*Germane vultus veste furabor tuos.*

Id est tegam, aut condam. Mercurius furum Deus, quia furti inventor. Prudentius lib. 1. cont. Sym. ℣. 85.

*Expertes furandi homines: hâc imbuit arte*
*Mercurius Maiâ genitus: nunc magnus habetur*
*Ille Deus, cujus dedit experientia fures.*

107. BOVIS ATRATI ARA] Plutonis aut Launæ, quibus de nigra pecude rem divinam & noctu, ut omnibus passim Dis inferis, faciebant. Virg. l. 6. Æneid. ℣. 243. de ingressu Æneæ ad inferos & sacris Sibyllæ.

*Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos*
*Constituit.------*

Et paullò infrà ℣. 249.

*-----Ipse atri velleris agnam*
*Æneas matri Eumenidûm, magnæque sorori*
*Ense ferit.* ---------- Et ℣. 252.
*Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras.*

Tibullus lib. 3. Eleg. 5. ℣. 33.

*Intereà nigras pecudes promittite Diti.*

Itaque per aram *atri bovis* hîc noctem & tenebras intelligimus, quò furta tegantur. Horat. l. 1. Epl. 16. ℣. 62.

*Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Hinc lucra: unde bene, *arâ lucrificâ*, ME PROTEGET] Abdendo latrocinia mea: quod Mercurio dignum. Ad illum mercator apud. Ovid. Fast. 5. ℣. 681.

*Ablue præteriti perjuria temporis, inquit,*
*Ablue præteritâ, perfide, verba fide.*
*Sive ego te feci testem, falsòque citavi*
*Non audituri Numina vana Jovis:*
*Sive Deum prudens alium, Divámve fefelli;*
*Abstulerint celeres improba verba noti.*
*Et pereant veniente die perjuria nobis,*
*Nec curent Superi siqua locutus ero.*
*Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro.*
*Et face ut emptori verba dedisse juvet.*

Hæc sunt vota decoctorum, qui furta sua aut prorsus celata cupiunt, aut quovis honesti schemate candida.

108. MOLITOREM AGILEM] Veteratorem, tegendis furtis suis apprimè idoneum. CONTEMPTOREM] Elusorem.

109. PROFANÆ JUSTITIÆ] Prætoris, vel magistratuum, seu laicæ potestatis, cui forum justitiæ vindicantis, & rerum criminalium. TIMIDE QUAM MITTENS &c.] Quàm tu Jupiter, qui vel serò, vel leviter puniendo, videris admodum timidè in hominum malefacta animadvertere.

110. CONTINEANT] A furtis, & aliis criminibus. Id est quibus non absterrentur à facinoribus suis iniquissimis. FALLOR] Correctio expostulationis suæ cum Jove. SUBSISTITE] Ne ultrà Jovem incusare.

112. UT LENTA, IRA GRAVIS] Quamvis tarda, tamen atrox & dirè crucians. Adagia prisca sunt: *Serò molunt Deorum molæ.* Item *Dii laneos habent pedes.* Sed ut differunt, non auferunt pœnam. Horat. l. 3. Od. 2. ℣. 31.

*Rarò antecedentem scelestum*
*Deseruit pede pœna claudo.*

Imò quò lentior, eo plerumque gravior vindicta Dei.

*Reddimus; emendandæ & spreta piacula vitæ.*
*Quod differtur, non aufertur: gratia cælo,*
*Dum tempus; rigidæ sed nulla oblivio culpæ:*
*De minimis dabitur ratio. Credisne? Quid ergo*
*Aurea Pactoli ramenta datura Tagique,*
*Divitiæque maris; cùm te Libitina Charontis*
*Constituet conto, Rhadamanti ad triste vehendum*
*Judicium, pretiis & inexorabile fatum?*

Dei. SPEM] Correctionis nostræ. INANEM] Irritam, sine fructu emendationis.

113. SPRETA PIACULA] Opera ut vocant pœnitentiæ, seu piacularia. Piaculum hîc non noxiam, sed notat opera quibus noxiæ expientur. Theologi cum SS. Patribus vocant opera, & fructus dignos Christianæ pœnitentiæ. De piaculis vide quæ diximus Serm. 1. ad ℣. 100. *spreta* id est neglecta.

114. QUOD DIFFERTUR &c.] Parœmia hoc ævo trita, in eos jactari solita; qui importunè & pervicaciter nimis promissum, aut rem quamvis debitam ante tempus præstari volunt, non consideratis, tempore, loco, rebus, personis &c. GRATIA] Clementia, misericordia, benignitas. Sic dicimus *facere gratiam*, pro clementer condonare.

115. NULLA OBLIVIO] Deus nihil sinet impunitum abire: ejus enim scitum est Deut. 32. ℣. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore.* Omne enim malum, expiandum aut in hac, aut in altera vita.

116. DABITUR RATIO] Postulabitur, reddenda erit: scil. horrendo illo die, quo Christus in nube cognoscet de actis singulorum, pœnas, vel præmia æterna cuivis decreturus. CREDISNE] Tu homo Christiane, qui nosti hæc esse certissima, Deo & fide te docentibus. Quid ergo proderunt

117. PACTOLI, TAGI] Fluminum, quorum hic Lusitaniæ, ille Lydiæ: uterque ab aureis arenis celebratus. Plin lib. 33. c. 4. *Aurum invenitur fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ: nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso trituque perpolitum.* RAMENTA] Tenuia fragmenta, seu particulæ, quæ fluxu avulsa, instar arenarum per fluviorum alveos devolvuntur.

118. DIVITIÆ MARIS] Uniones, margaritæ, aurum, aut quælibet pretiosa merx in mari demersa. LIBITINA] Mors. *Libitina* apud Romanos funerum Dea. Inde & Venus Libitina ejusque ærarium, cui lege Tulli Regis inferebantur nummi pro mortuis. Dion. Halic. l. 4. Antiq. c. 19. Sententia est; cum vitâ defunctus fueris, quid proderunt opes? CHARONTIS] Portitoris apud inferos, qui per Stygiam paludem animas transvectare fingitur. Virg. l. 6. Æneid. ℣. 298.

*Portitor has horrendus aquas, & flumina servat*
*Terribili squallore Charon.------*

119. CONTO] Cymbâ, quam subigit aut agit contus, qui est sudes vel hasta, quâ utuntur nautæ. Conti enim usus non est alius, quàm ad navigandum. Inde Græcum adag. Κόντῳ πλῶν quod est *conto navigare*, pro decenter vivere, aut sequi vitæ genus suo ingenio accommodatum. De conto Juven. Sat. 2. ℣. 150.

*Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras.*

De portitore autem Virg. Æneid. 6. ℣. 302.

*Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.*

Pius Annot. Post. cap. 19. existimat *cuntum* (ita scribit) esse hastam quâ nautæ gurgitis maritimi altitudinem solebant inquirere. Inde percuntari deflexum verbum, pro diligenter explorare. RHADAMANTI] Vindicis Dei. Sub cortice fabularum ethnicarum, nucleum veritatis Christianæ exponit. *Rhadamantus* aliis Rex, aliis judex severus, & rigidus justitiæ vindex; hinc à poëtis fingitur, de nocentium culpis apud inferos cognoscere. Virg. l. 6. Æneid. ℣. 566.

*Gnossius hæc Rhadamãtus habet durissima regna:*
*Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,*
*Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,*
*Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Minoë rege minorem facit Plato in Min. Rhadamantus *regi*, inquit, *tantùm ministrare in judiciis didicit. Vnde judex bonus appellatus est. Eo planè veluti legum custode per urbem usus est Minos.* Vide La Cerda in loc. Virg.

120. PRETIIS INEXORABILE] Quod auro cor-

*Quò te circumages producto codice pleno*
*Crimine caudato, & prostantibus orbe puellis;*
*Discinctis senibus, pupillis, matribus, orbis*
*Falso errore tuo? Quæ rosio vulturis atri*
125. *Justa renascenti poterit succedere cordi?*
*Quid rota, quid saxum? Attonitas committite frontes*

corrumpi aut flecti non potest, ut humana tribunalià. FATUM] Dei decretum.

121. QUÒ TE CIRCUMAGES?] Quo te vertes, animi dubius, nusquam effugio locum reperturus. Juven. Sat. 9. ỷ. 81.

*Quo te circumages? quæ prima aut ultima ponas?* PRODUCTO CODICE] Explicatis tabulis, queîs singulorum peccata descripta reperias, ac inprimis tua.

122. CRIMINE CAUDATO] Debitæ reparationi obnoxio. Solent Theologi peccata quædam appellare *caudata*, quę quantumcumque per pœnitentiam censeantur ablata, neutiquam tamen resarciendi damni officium evadunt. Ita disertè tritum istud S. Augustini Epl. 54. ad Maced. *Non dimittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Cujusmodi sunt peccata quælibet contra legem justitiæ, vel damnum alteri inferentia. Bauhusius l. 4. Epig. de vitandis peccatis.

*Caudata sunt ne nescias, post se peracta semper*
*Quæ noxiam caudam trahunt, detractio, injustitia.*
*Quæ cauda? restitutio.*-------

PROSTANTIBUS PUELLIS] Vulgati corporis quæstum facientibus, ob paupertatem tuo crimine illis accersitam. Juven. Sat. 1. ỷ. 46.

*Cum populũ gregibus comitũ premat hic spoliator*
*Pupilli prostantis.*-------

123. DISCINCTIS SENIBUS] Dissolutis, & in omnem vitæ nequitiam effusis; quia egestate rerum tuâ fraude illis ademptarum, coguntur lenocinium facere, & scortorum prostitutione vitam tolerare. Ab habitu corporis ad ingenium, Romanis tralaticiè *cincti* dicti sunt, navi & strenui, honestique sectatores: contra *discincti*, pravi, remissi, intemperantes, luxuriosi. Ovid. L. 1. Amor. Eleg. 9. ỷ. 41.

*Ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus.*
Horat. Epod. 1. ỷ. 32. -----*haud paravero,*
*Quod, aut, avarus ut Chremes, terrâ premam,*
*Discinctus aut perdam ut nepos.*

Ubi *nepos* præter vulgarem significationem, significat luxuriosum & perditum hominem; cui scil. non magis rei familiaris cura, quàm solet esse nepotibus, avo adhuc vivente. Inde *nepotari*, & *nepotini sumptus*. PUPILLIS] Patre orbatis. MATRIBUS] Pupillorum scil. id est viduis. ORBIS] Orphanis, seu utroque parente viduatis.

124. FALSO ERRORE TUO] Furto tuo fallace ac mendace. Sententia est: cum ad Dei tribunal steteris, & producto codice patuerint furta, doli mali, lucra injusta, &c. quibus exspoliasti senes, pupillos, viduas & orphanos, ut illi paupertate coacti, in omnem lasciviores vitæ licentiam semet effuderint: quid proderunt tunc opes, & aurum? ROSIO VULTURIS] Pœnas apud inferos, poëtarum commentis celebriores commemorat: ac primo supplicium Tityi gigantis, qui ausus Latonam de stupro interpellare, ad inferos detrusus, ibidemque humi exporrectus, terræ jugera novem occupare, iecurque continenter renascens, vulturi exedendum præbere creditur. Virg. l. 6. Æneid. ỷ. 595.

*Nec non & Tityon, terra omniparentis alumnũ*
*Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus*
*Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco*
*Immortale jecur tundens.*-------

Jecur libidinis sedes: inde ab eo torquetur Tityus, quem incontinentem nominat Horat. l. 3. Od. 4. ỷ. 77.--- *Incontinentis nec Tityi jecur*
*Relinquit ales.*----

Quibusdam creditur uno dumtaxat vulture, quibusdam verò duobus utrimque jecori assidentibus vulturibus cruciari. Quod postremum censet Homerus, cui institit Tibullus lib. 1. Eleg. 3. ỷ. 75.

*Porrectusque novem Tityus per jugera terra,*
*Assiduas atro viscere pascit aves.*

Et Seneca, qui atras, ut hîc Noster, aves depingit Thyest. ỷ 9.

*Aut pœna Tityi, qui specu vasto patens*
*Visceribus atras pascit effossis aves.*

125. JUSTA] Satis atrox & cruenta, quæ facinorum tuorum atrocitatem exæquet. Quo etiam spectant sequentia.

126. ROTA] Ixionis supplicium. Hic Deioneo

*O Quæsitores, atque insudate catastæ.*
*A diverticulo repetamus rustica: nemo*
*Inclinare hominum valuit deliria; cælum*
*Proditur utile proposito; silicesque jocosi*
*Aglauri, & Batti; vix subterranea terrent.*

neo socero suo per nefas violati hospitii cæso, cùm à nemine Deorum impetrare posset tanti criminis expiationem, à Jove deletâ maculâ, in cælum sublatus est: ubi cùm auderet Junonem de adulterio interpellare, dejectus ad inferos, rotæque arctissimis vinculis alligatus, continenter cum ea volvitur, monetque: *benè meritis gratiam esse referendam.* Notat id supplicii genus Virg. lib. 6. Æneid. ℣. 616.

*Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum*
*Districti pendent.-----*

Tibul. lib. 1. Eleg. 3. ℣. 73.

*Illic Junonem tentare Ixionis ausi,*
*Versantur celeri noxia membra rotâ.*

Quid saxum ] Sisyphi latrociniis in Attica famosi, quem volvendo ad montis verticem ingens saxum, continenter fatigari fabulantur Poëtæ, apud Inferos: ubi enim saxum ad fastigium elatum fuerit, repentè delapsum nullam facit laboris intercapedinem. De Ixione Sisyphoque Naso Met. 4. ℣. 459.

*Aut petit, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.*
*Volvitur Ixion, & se sequiturque fugitque.*

De illis & Tityo Juven. Sat. 13. ℣. 51.

*Nec rota nec furia, nec saxum aut vulturis atri Pœna.-----* Attonitas ] Atrocitate criminis. Committite frontes ] Coite, & in medium adferte sententias. *Committere* intelliguntur, qui partes in contentionem deducunt; desumptâ metaphorâ, ut vult Jos. Scaliger in Varr. à ludis circensibus, qui dicuntur committi, cùm factiones quadrigarum è carceribus emittuntur. Ita quæsitores inter se disceptantes frontem fronti obversant, quod est quodammodò frontes committere.

127. Quæsitores ] Judices quæstionis, seu de rebus capitalibus quærentes. *Quærere, quæstiones, & quæsitores* hoc loco notant rigidam ac severam inquisitionem, & per tormenta: quo sensu Cic. pro P. Sylla num. 78. *Quæstiones nobis servorum, & tormenta accusator minitatur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque, regit quæsitor* &c. Inde Virgil. lib. 6. Æneid. ℣. 432.

*Quæsitor Minos urnam movet.-----*

Insudate catastæ ] Exercete quæstionem, tormentis criminum confessionem eruite. Catasta uti locum significabat ubi venibant servi & pueri, ita & machinam ligneam in qua detinebantur. Hoc loco autem significat machinam extorquendæ veritati comparatam; quam Romanum Martyrologium non rarò equuleum appellat: sic dicit & Martyres in catastam impositos. S. Romanus de suo supplicio apud Prudent. ℣. 468.

*Emitto vocem de catasta celsior.*

Ab hac machina pendebant qui torquebantur. Indicat Prudent. paulò antè ℣. 452.

*Scindunt utrumque milites teterrimi*
*Mucrone hiulco pensilis latus viri.*

Fortasse non multum differat, à tormenti genere, quo reorum corpora ad exprimendam veri confessionem, è solo pollicum nexu pendentia, additis pedibus gravissimo pondere, distorquentur & cruciantur; nostratibus appellatum *paleye*. Undè insudare catastę nihil aliud est, quàm noxas anquirere, & supplicia decernere.

128. Diverticulo ] A digressione, quam à re rustica, ad urbanas fraudes; & ab his, ad parata illis supplicia fecimus. Juven. Sat. 15. ℣. 72.

*A diverticulo repetatur fabula.-----*

Inde & adagialiter apud Jun. *à diverticulo* fieri dicitur, quod obiter & perfunctoriè.

129. Inclinare ] Persanare, ad meliora consilia inflectere. Deliria ] Molimina scelerata, aut pravas cupiditates ex mentis cæcitate, & præposteris judiciis ortum ducentia.

130. Cælum utile proposito ] Res lætæ, earumdemque assequendarum spes, utiles sunt ad homines à deliriis avocandos, qualis inprimis promissa justis in cælo gloria. Ita ab hominibus proditur, uti & Silices jocosi ] Jucundi, ludicri, ridiculi, quibus rideant & non terreantur homines.

131. Aglauri et Batti ] Illa Cecropis Athenarum regis filia, hic pastor Pylius, uterque à Mercurio in lapides conversus: Aglaurus quidem, quod contra pactum, Deo limen ingredienti pertinaciter obsisteret: Battus verò quod furta ejus-

*Fortuna exultans virtutis buccina. Nempe,*
*Reddere cuique suum, humana & divina jubet lex;*
*Nequitiæ est reliquum: simul ac depressa sacrarum*
135. *Interpres legum. Cur non se præferat uxor?*
*Sinceram en dotem, creditricesque tabellas.*

ejusdem prodeter. Vide Met. Ovid. l. 2. VIX SUBTERRANEA TERRENT ] Supplicia apud inferos exolvenda à sootibus; non deterrent malefactores ab ausis sceleratis. Juven. Sat. 2. impieratem homioum oriri ait, ex eo quòd noo credant, impiis apud infetos pœnas esse constitutas. Canit enim ℣. 149.

*Esse aliques manes & subterranea regna*
*Nec pueri credunt, nisi qui nondum are lavantur.*

Loquitur hîc & in sequentibus ex sententia eorum, qui facinoribus suis parrocinanrur; & salutaria monita cootemnunt, ipsâ peccandi pervicaciâ planè obdurati.

132. FORTUNA EXULTANS ] Prospera, favens, læta. VIRTUTIS BUCCINA ] Incitatrix ad virtutem: desumpta metaphora à tuba vel buccina, quæ milites ad pugnam, & ad res fortiter gerendas incitat.

133. REDDERE CUIQUE SUUM ] Quod postulat ratio vitæ socialis, quæ rixis, pugnis, cædibus, perpetuisque dissidiis alioquin convelleretur. HUMANA ] Ab hominibus lata. Instit. l. 1. tit. de Justit. & Jure. *Iuris præcepta sunt hæc, honestè vivere, neminem lædere, unicuique quod suum est reddere.* DIVINA ] A Deo supremo legislatore dicta, sub qua & naturalis. Utramque disces Exod. 20. Deut. 5. Grat. dist. 1. *Ius naturale est & Euangelio continetur: quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod nolit fieri.*

134. NEQUITIÆ EST RELIQUUM ] Cetera improbitati, arbitriis & versutiis hominum relicta sunt; quatenus scil. pervicaciter dicuntur, seu delitigantur, non adversari jam memoratæ legi. Ita enim passim loquuntut discincti, & muodum disputationibus hominum relictum contendentes, ab opinionum varietate, sceletibus suis parrocinium quærirant, nihil pensi habentes, quid Deus & recta ratio faciendum, omittendumque præscribant. NEQUAM. Nullius frugis homo, prodigus, inutilis. Cic. 3. Tusc. 36. *Quid nequius effœminato viro?* Et *servus nequam* apud eumdem, & in Euangelio: cui opponitur frugi. Sic & *nequitia* improbitas est, quæ adversatur frugalitati. Cic. 3. Tusc. 17. *Frugalitatis videtur esse proprium, motus animi appetentis regere, & sedare, semperque adversantem libidini, moderatam in omni re servare constantiam: cui contrarium vitium nequitia dicitur.* Multi hoc ævo usurpant pro solertia & astutia; uti & olim dici cœptum. A. Gellius l. 7. c. 11. *Dici audio*, inquit, *& nequitiam pro solertia astutiaque.* Sed illud rejicit; & veram significationem mulris exponit. Coosule locum. Ab ultimo significatu tamen non abludit contextus Poëtæ.

135. DEPRESSA INTERPRES LEGUM ] Vetus illa & Christiana priscorum Patrum Theologia, & Canonum, Legumque innocens & simplex peritia, ab omni ingeniorum vafritie remota & incorrupta, nunc depressa est; tot inter se pugnantibus opinionibus, & in rem suam leges interpretantibus: ut nescias fermè, quid certò inter omnes cooveniat, præter hoc unum: *suum cuique reddendum esse.* Sed quando, à quo, ubi, & quibus reddendum: quid insuper, meum, tuum, alienum: hîc hæret aqua, undè tot litium flumina, & animarum naufragia. Ideò Horat. Jus vafrum appellavit, lib. 2. Sat. 2. ℣. 131.

*Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris*
*Postremum expellet.----*

PRÆFERAT UXOR ] Utique creditoribus, cùm illa noo minus dotem & paropherna sua marito crediderit, quàm alii merces vel æra. Id enim ex usu fori, in gratiam conjugum & filiorum licet, ac à Principibus indultum est. Hoc jus *prælationis*, seu *præferentiæ* vocant Antverpienses; ad quod ludit Poëta per verbum *præferat*; ut unà corripiat abusum, qui fieri solet, dum uxores ampliorem dotem, ceteraque omnia majoris pretii faciunt, quàm reverà æstimanda sint, tacitèque in elusionem creditorum cum maritis colludunt.

136. SINCERAM ] Non majoris æstimatam, quàm fas sit. Sed hanc sinceritatem obtendunt etiam pessimæ veteratrices. EN DOTEM ] Offert legendas tabulas, in quibus stipulata dos, quæ inter res uxorias prima: quò major scil. fides sit, & fraudis minor suspicio. Astum tamen facilè

*Quid potuit soboles? Qui fidit, schemata scivit*
*Ista fori, & lucris innexa pericula. Vivam*
*Irus & infamis? Quis suaserit? Integritatis*
*Solvere, quod superest, spectatæ, commoditati.*
*Aptantur leges, pauci se legibus aptant.*
*Hæc vafris quadrant animis; qui non habet unde,*
*Non dabit; amissi sine spe, sine viribus iræ.*
*His ego si refero mea somnia; credo beatum*
*Solum, cui modico dedit imperterrita censu*
*Liber & alma Ceres: sterili nunc vivit aristâ;*

cilè intelligunt illi, qui sciunt etiam in tabulis ejusmodi pleraque amplioribus notis describi, quàm vel pactum sit, vel valeant parapherna & patrimonium uxoris. CREDITRICESQUE] Conjugi tanquam creditrici traditas. TABELLAS] Autographas vel authenticas, quibus fidem facit maritus, quid & quantum à conjuge sibi obvenerit, & quorum se debitorem profitetur. *Creditrices* vocat, à creditoribus, quorum indemnitati expediuntur.

137. QUID POTUIT SOBOLES?] Supple efficere, ne pater conturbaret rationes? Aut quid peccavit, ut bonis maternis mulctetur? Congeries est argumentorum, quibus se decoctores, eorùmve patroni tuentur. FIDIT] Credidit merces suas vel argentum. SCHEMATA] Mantella seu velamina aut prætextus, quibus furta sua tegere & diluere solent, id genus latronum civilium.

138. FORI] Mercatus, emporii seu loci ubi negotiantur mercatores: qua ratione priscis *Forum livium, Forum julium* &c. civitates insignes. PERICULA] Jacturæ, fraudis, damni. Æstimatione enim periculi, crescunt usuræ & pretia mercium.

139. IRUS ET INFAMIS?] Pauper & sine honore, omni fortunæ spe dejectus. *Irus* extremæ inopiæ homo, scriptis Homeri notissimus, paupertatis exemplum, uti Crœsus divitiarum. Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 7. ℣. 41.

*Nempe dat id cuicumque libet fortuna, rapitque:*
*Irus & est subitò qui modo Crœsus erat.*

140. SOLVERE QUOD SUPEREST &c.] Ordo est: spectatæ integritatis est, solvere quod superest commoditati: ac si dicat solvendum id dumtaxat creditori, quo non incommodè careas. Hæc basis Lavernam sustinet, & tholum ejus Mercurialibus anathematis locupletat.

141. APTANTUR LEGES] Lesbiâ, ut aiunt, regulâ, moribus leges, non legibus mores aptantur. Verba sunt Poëtæ hanc iniquitatem deplorantis: quasi dicat: leges quisque sibi, seu in rem suam interpretatur; nemo verò causas vel actiones suas, ad libellam legis expendit.

142. VAFRIS ANIMIS] Hominibus perversis & fraudulentis, qui clàm aliena detinent ad vitæ suæ commoda, & palàm denuntiant creditoribus, sibi nihil reliquum unde nomina dissolvant. QUI NON HABET &c.] Totidem verbis non sine specie proverbii in vulgo jactatur hodie, pro eo quod est: nemo solvere potest, qui non habet unde solvat: cui consonat istud: *ubi nihil, Prætor jure frustratur.* Belgicè: *daer niet en is, verliest de Heer sijn recht.*

143. AMISSI SINE SPE] Unquam recuperandi id, cujus jacturam fecerint creditores. SINE VIRIBUS] Postulandi de repetundis, & lege agendi. Hîc enim cessant omnia jura. Unde rectè Noster tritum istud usurpat: *Vana est sine viribus ira.* Itaque creditoribus relicta est unica patientiæ gratia.

144. SI REFERO &c.] Si confero mea somnia, cum calamitatibus jam memoratis. CREDO &c.] Solum illum felicem fore.

145. IMPERTERRITA] A jacturæ periculo: id est quæ securè ac sine metu amissionis possidentur, licèt exigua & contracta.

146. LIBER] Bacchus, seu vinea, unde tibi & familiæ suppetat annuum vini demensum. Bacchus nunc *Liber*, nunc *Liber pater* audit, quod vinum curis mentem solvat & liberet, & loquendi libertatem bibentibus addat. Nam ut rectè Plutar. Quæst. Cent. *redditur per vinolentiam vulgus hominum audax, ac libertate linguæ impletur.*

Horat.

*Mox dilatabit fœcundis horrea spicis,*
*Messibus approprians mensas, lodicibus arcens*
*Si quid curarum voluit superesse Minerva.*
*Hic bene percussum textoris pectine pannum*
*Gestat, & incultâ campos percurrit alutâ,*
*Assiduus comes agricolis; stimulatus orexi,*
*Altis rure suo, & costis incumbit aprugnis,*
*Urbis ad invidiam. Si pro perdice columbus,*

Horat. l. 3. Od. 21. ℣. 17. ad Amphoram.

*Tu spem reducis mentibus anxiis,*
*Viresque & addis cornua pauperi,*
*Post te neque iratos trementi*
*Regum apices, neque militum arma.*

Alii *Liberum* dictum volunt à libamine, alii à libera Bœotia, alii, quod libertatis sit Deus; alii denique eumdem faciunt cum sole, ut Macrobius, & sic dictum, quòd liberè per aërem vagetur. Ut ut est, de nomine convenit inter omnes, non de ratione. ALMA CERES] Fundus frumenti ferax. Ceres enim frugum repertrix & Dea, quæ alma dicitur, quod omnes alat; quasi altrix. Virgil. Georg. 1. ℣. 7.

*Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus*
*Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ,*
*Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis.*

STERILI ARISTA] Anno minùs fœcundo, seu frugifero, cum parcior crevit seges. Arista hîc pro spica, spica pro granis. Est autem arista, acus subtilis & oblonga, è gluma se extollens. VIVIT] Tenuiùs, parciùs pro ratione & parcitate messis.

147. MOX DILATABIT] Anno sequenti, aut fertiliore vel magis frugifero.

148. MESSIBUS APPROPRIANS] Nunc crassiore nunc macriore mensâ victitans, ut ferunt messes; more scil. agricolarum, qui victum & sumptus annuos cujusque anni proventu metiuntur. Hoc ipsum monet Persius Sat. 6. ℣. 25.

*Messe tenus propriâ vive.-----*

LODICIBUS] Lecto vel somno, seu nocturnâ requie, quod non faciunt, quorum res vel in mari, vel in aliena manu, vel in fastu & gulâ familiæ periclitantur. *Lodices* lecti operimentum pro lecto, lectus pro somno hîc usurpantur.

149. SI QUID CURARUM] Præter memoratam anxietatem in urbibus, à tot periculis jacturæ, vel damno sumptuum &c. MINERVA] Sapientia & prudentia moderandæ familiæ, & fœcundandi agri. Id est quidquid adhuc curarum ruri habes, à moderandis illic rebus tuis, & alendâ familiâ.

150. BENE PERCUSSUM] Densum, firmum, benè textum, excipiendis tutò imbribus, & aliis cæli injuriis idoneum. Lacernas vocat Juven. Sat. 9. ℣. 30.

*Malè percussas textoris pectine.-----*

Id est, sordidas & malè contextas. Contrà bene percussæ vestes, *concutes* vel *concutia* dicebantur, quas Græci *κρουστὰς καὶ ἀναστατὰς* vocant.

151. CAMPOS PERCURRIT] Venaturus, vel inspecturus, quid desit, vel quoque loco factum oporteat, ad sedulam curam agrorum. INCULTA] Neglectâ, rudi, minùs politâ aut nitente. ALUTA] Vestibus ex aluta confectis. Aluta pellis est concinnata ad materiam vestiariam.

152. ASSIDUUS COMES] Continenter assistens operis, ac agrorum cultui oculo directore invigilans. OREXI] Fame, appetitu.

153. ALTIS RURE SUO] Nutritis vel saginatis in agro, villa, vel corte sua altilibus. COSTIS APRUGNIS] Venatu comparatis, apri scil. costis. Plin. l. 8. c. 51. *In tres partes divise apro, media ponebatur lumbus, aprugnus appellata.*

154. URBIS AD INVIDIAM?] Eorum qui in urbe habitant, & apud quos major rerum copia, & macellum opulentius. PRO PERDICE COLUMBUS] Similis enim fermè sunt formæ & magnitudinis coctæ perdices & columbi, imò & saporis, ut quandoque fallant edentes. Et Galenus ubique columbarum carnem gallinis & perdicibus proximam statuit. l. 3. de Alim. fac. cap. 18. *Volucrum tamen*, inquit, *caro ad concoquendum est facilior, præcipuè perdicis, atagenæ, columbæ, galli gallinacei & gallinæ.* Vide Nonnium de re cib. l. 2. c. 23.

*Mirificè sapit, & nutrit; gratumque minutal*
*Sana fames: velut experti nos vallibus istis,*
*Quas mihi delegi cum montibus, incipienti*
*Velle frui tandem naturæ dotibus, & Dîs.*
*Vita beata hæc est: certent Aquilonibus Austri,*
*Vix maris apprendit fluctus, vix somnia turbant.*
*Postulet hîc aliquis, Cur devia, & horrida saxis,*
*Præfero Campanis? Respondeo, Fontis ob usum.*
*Postulet ulteriùs; respondeo, Curre, videbis.*

155. MINUTAL] Condimentum vel edulium, ex rebus minutim concisis confectum. Juven. Sat. 14. ℣.129.

*Hesternum solitus medio servare minutal*
*Septembri.* ------

156. SANA FAMES] A bona corporis constitutione, & probè decoctis in ventriculo cibis profecta. Plut. de tuend. val. *Sano corpori sincerus & integer appetitus, omnia facit dulcia.* Et ut ex Socratis apophthegmatis adagium: *Optimum condimentum fames.* De quo vide infrà Serm. 5. ad ℣. 52. VALLIBUS ISTIS] Spadanis, seu spadanâ inter montes planitie.

157. MIHI DELEGI] Aliquando habitandas.

158. NATURÆ DOTIBUS ET DIS] Amœnitate, flore, fructu & deliciis agrorum. Item fontibus, silvis, pratis, montibus; quique hæc colût, Satyris, Faunis, nymphis, aliisque diis rusticis.

159. VITA BEATA HÆC EST] Verè felix: nam ut rectè Seneca in Hippolyt. ℣.482.

*Non alia magis est libera, & vitio carens,*
*Ritusque meliùs vita quæ priscos colat,*
*Quàm quæ relictis mœnibus silvas amat.*


CERTENT AQUILONIBUS AUSTRI] Metuendam mercatoribus, aliisque, in mari aut alibi tempestatem concitent pugnantes inter se ventorum turbines.

160. APPRENDIT] Capit aut timet, secura utpote, & rerum amittendarum periculo vacua. TURBANT] Inquietant sine cura & metu dormientem.

161. DEVIA ET HORRIDA] Ut sunt loca montosa, & saxa prærupta in tractu Spadano.

162. CAMPANIS] Agro plano & ericetis Campiniensibus, seu campanis in Brabantia, de quibus egimus Serm. 3. FONTIS OB USUM] Propter aquas medicas & saluberrimas fontium Spadanorum, ad instaurandam conservandámve affecti corpusculi mei valetudinem.

163. POSTULET ULTERIUS] Supple aliquis, pervicaciùs inquirendo alias & arcanas consilii mei rationes. CURRE, VIDEBIS] Stomachosum responsum Brabantis familiare, quâ altiùs rimanti, & jam allatis rationibus non auscultanti, qui rem non vidit, ferociùs respondent: *loop en siet het.* Quod est: abi id visurus.



SER-

# SERMO V.

## AD CAROLUM TASSIUM.

### MODUS CONVIVIORUM.

ARgum. Conviviorum luxum, convivarumque frequentiam ac disparilitatem reprehendit; varios ex iis abusus, molestias & incommoda perstringendo. Pares, intra Musarum Charitumque numeros, paribus jungendos, ac familiari mensâ (cujus rationes etiam instituit) frequenter accipiendos docet, sermone inprimis inter dapes, tempori personisque accommodato. His utique legibus Tassio, notisque sodalibus crastinum, si libuerit, semet convivatorem designat.

*NOn infra Charites, non ultra, provida, Musas,*
*Atque pares paribus, facili junxere vetustas*
*Mensâ: prototypo cur nos discedimus unguem?*
*Ut, qui deposito dant centum millia, grandes*
*Ostentent animos? Evitent inter amicos*
*Nomen avaritiæ? Res non succedet: apertum est*

1. CHARITES] Tres scil. totidem enim sunt *gratiæ*, id est *Charites*, apud plerosque veterum. Lacedæmonii *Gratias* dumtaxat duas colebant, *Clitam* nimirum & *Phænam*. Athenienses etiam totidem, *Auxo* scil. & *Heyemonem*. Ceterùm ab Homero, Hesiodo, Onomacrito aliisque tam Græcis quam Latinis, tres perhibentur, licèt de nominibus sit nonnulla varietas: vulgariter tamen nuncupantur *Aglaia*, *Euphrosyne*, quæ etiam *Pasithea*, & *Thalia*, Jovis & Eurynomes, vel ut alii Liberi patris & Veneris filiæ, quas blandas sorores appellat Papin. Theb. a. ℣. a86.

*Non hoc Pasithea blandarum prima sororum.*

2. PARES PARIBUS] Ex lege civilis prudentiæ, & institutione Horatii, cujus consilium est l. 1. Epl. 5. ℣. 25. ------- *ut coëat par,*
*Jungaturque pari.* -------

FACILI MENSA] Parabili, obviâ, familiari. JUNXERE] Junxit. Synthesis est, pro *veteres providi junxere*. De numero convivarum hîc descripto vide Erasm. Chil. & Athen. Deipnos. l. 1. c. 1. M. Varronis libellum ex Sat. Menippæis allegans A. Gellius l. 13. c. 11. censet *convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum; id est proficisci à tribus, consistere in novem: ut cum paucissimi conviva sunt, non sint pauciores tribus; cum plurimi, non plures quam novem. Nam multos esse non convenit, quòd turba plerumque est turbulenta.*

3. PROTOTYPO] Ab eorum exemplo. *Prototypon* propriè est primitivum exemplum. UNGUEM?] Minimùm. Sensus est, cur nos vel minimùm à veterum exemplo deflectimus. *Latum unguem*, vel *transversum digitum*, proverbiales hyperbolæ sunt, pro eo quod est, quàm minimo spatio. Cic. lib. 13. ad Att. Epl. 20. *Quemque à recta conscientia, transversum unguem non oportere discedere.*

4. DEPOSITO DANT] Qui deponunt, aut deponere se mentiuntur apud trapezitam quempiam, sine fruge aut lucro. CENTUM MILLIA] Florenûm Brabanticorum: otiatura scil. & ad solam custodiam. Hoc pacto enim ostentant opulentiam, quasi sibi aliunde liberaliter nummatis opus non sit, quotidiani luxus & fastus impensas, ex hoc acervo dependere. Notam inurit quibusdam sui ævi nobilibus, splendidè in annum, & continenter convivantibus.

5. GRANDES ANIMOS] Generositatem, magnificentiam. EVITENT NOMEN &c.] Caveant se inter amicos dici avaros.

6. NON SUCCEDET] Finem minimè lætum habe-

*Immoderata strui dicis convivia caussâ,*
*Non ratione sacri affectus. Nam queîs semel* ***uno***
*Angelus & toto servit Cornelius anno,*
*Ultra mensuram effusis; latitanter avari,*
*Et reliquo sicci spatio cùm sordidè alantur,*
*Alterutrum impingunt cornu: altercatio* ***nulla est,***
*In medio consistit virtus. Dixeris ergo,*
*Multiplicent ut cum personis gaudia: &* ***illud***
*Obtineat minimum; numero confusio nata.*
*Judicii credam multos languere veterno,*

**habebit; non bene terminabitur.**

7. **DICIS CAUSSA] Ad speciem & ostentationem.** ***Dicis caussâ,*** antiqua phrasis varroni memorata libr. 5. de ling. Lat. Ferè sonat Græcis *προφάσεως ἕνεκα*, prætextus ergo; vel *λόγου χάριν*, rumoris vel famæ gratiâ. Cic. Act. 6. in ver. 53. *Aliquid nummorum dicis caussâ daret.* Et lib. 1. ad Att. Epl. 15. uti ex veteri codice restituit Pithœus Advers. l. 2. c. 8. *Imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis caussâ promulgatum illud idem de Clodio.* Videtur *dicis* esse genitivus à *dex*, cujus vestigia etiam modo hærent in *judex* quasi jus dicens. Ideoque *dicis caussâ* fieri dicitur id, quod tantùm fit, ut factum esse dicatur; seu specie tenus, simulatè. & ut triviale isthoc, *pro forma.*

8. SACRI AFFECTUS] Sanctæ amicitiæ. UNO TOTO ANNO] Solidi anni decursu.

9. ANGELUS] Celeberrimus archimagirus vel coquus, ad illa tempora notissimus, quem vulgariter appellabant *Meester Enghel den kock.* CORNELIUS] Famosissimus architriclinus seu discophorus, vulgo *Meester Cornelis den Hofmeester.* Cujus ministerium in invitandis convivis, parandâ mensâ, ferculis inferendis, & generatim in omnibus quæ curam convivii attinent. Non solent autem tales adhiberi, nisi in basilicis & splendidis epulis ac nuptiis, ad quas frequentiores convivæ conveniunt.

10. ULTRA MENSURAM EFFUSIS] Prodigis, & in luxum citra modum effusis. LATITANTER] Clàm, dum soli prandent sine convivis.

11. RELIQUO SPATIO] Reliquo anni tempore. SICCI] Sobrii, abstemii. Plaut. Pseud. 1. 2. 51.

*Vos vestros pantices madefacitis, cum ego sim hic siccus.*

Cic. 4. Acad. 88. *vinolentorum visa imbecilliora esse dicebas, quàm siccorum.*

12. **ALTERUTRUM CORNU] Extremum vitii alterutrius, id est in alterutrum latus liberalitatis impingunt, vel sordidi vel profusi, vel avari vel** prodigi. De cornu supra meminimus Serm. 3. ad ℣. 9. & non rarò accipitur pro parte vel latere. Inde cornutus syllogismus pro dilemmate, quòd ex utroque cornu vel parte stringit adversarium. ALTERCATIO NULLA.] Certum est, sine dubio, sine controversiâ, omnibus in confesso est.

13. IN MEDIO VIRTUS] Adagium tritum: quò torqueas hæc Nasoniana Met. 2. ℣. 137. *Medio tutissimus ibis.* Et ℣. 140. *Inter utrumque tene.* Cic. de clar. Orat. 149. *Omnis virtus, ut vetus Academia dixit, mediocritas.* Et pro Mur. 63. *Illi à Platone & Aristotele moderati homines & temperati aiunt, omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas.* Hor. supra Ser. 3. ad ℣. 177. *Virtus est medium &c.* Et in rem nostram Damascius Syrus apud Erasm. *Mensa apparatus moderatus & frugalis, neque sordidior propter egestatem, neque dissolutior propter opulentiam, sed medius & musicus, in modum Doricorum modulorum concinnus.* DIXERIS ERGO] Patrocinando prodigis & luxuriosis, hæc convivia ab ipsis adornari, ut

14. MULTIPLICENT &c.] Ut numero crescente convivarum, crescant etiam gaudia. Verùm ut Horatius lib. 1. Epl. 5. ℣. 29.

*Sed nimis arcta premunt olida convivia capra.*

15. OBTINEAT MINIMUM] Minimè persuadeat, aut fidem faciat. NUMERO CONFUSIO] Strepitus, turbulentia, clamor ex multitudine. Aptè adag. *Septem convivium, novem convicium;* id est, ut quidam exponunt, *convocium*, & conclamatio, ut fieri amat in turbis.

16. VETERNO] Obstinato & insanabili judicii

*Qui celebraturi nisi magna repotia, compti*
*Veste Damascenâ, & crepidis crepitantibus, ullum*
*Non reputant epulum generoso nomine dignum.*
*Quantum deflectant à vero tramite, Tassi,*
*Ostendam liquidò. Rigidè sed postulet à me*
*Rhinoceros aliquis, cur hac farragine tantas*
*Implerim tabulas? Dicam. Si nascitur infans:*
*Si moritur quisquam: si fœdera: quando revertit*
*Quis peregrè, aut vadit: certum quò spondeat ullus*

cii vitio. *Veternus* morbus est, qui ab humoribus frigidis cerebrum infestantibus ortus, ratione memoriaque plerumque sublatâ, inevitabilem dormiendi necessitatem inducit: Græci lethargum appellant. Metaphoricè notat animi morbum, unde homo semet non patitur excitari. Horat. lib. 1. Epl. 8. ℣. 10.

*Cur me funesto properent arcere veterno.*

17. QUI CELEBRATURI &c.] Sic ordina: qui non reputant ullum epulum dignum nomine generoso, nisi celebraturi magna repotia, compti veste Damascenâ &c. REPOTIA] Convivia, speciee pro genere. *Repotia* olim significabant postridie nuptiarum, dum apud sponsum cœnabatur: aut ut Acron septimo die, dum apud parentes nuptæ: quia tunc repotabatur, vel instaurabatur pridiana, aut antegressa potatio. Horat. l. 2. Sat. 2. ℣. 60.

*Ille repotia, nataleis, aliósve dierum*
*Festos albatus celebret-----*

Repotia itaque apud nostrates sonare possint magnum aliquod & minimè vulgare epulum, quale exstrui solet, dum convivæ præsto esse jubentur, etiam secundo die, ita ut commessatio ad duos vel tres dies se protendat. COMPTI] Ornati, poliri, lautè ac epulariter vestiri.

18. VESTE DAMASCENA] Ex panno serico operis Damasceni contexto: id est veste scutulata, & quæ variis ac inprimis florum formis luxuriat. Designat vestimenti genus, quo nobiliores ditioresque ad istud ævum se amiciebant. CREPIDIS CREPITANTIBUS] Calceamentis novis, & à scalpro calceolarii adhuc tepentibus: argutis dixerit Martialis, ut supra Serm. 4. ad ℣. 85. vide quæ diximus ibidem de crepida: hic autem species pro specie ponitur; hoc est crepida vel solea Romana pro calceo hodierno.

20. DEFLECTANT] Recedant à vero, sive errent. TASSI] Cui inscriptus hic sermo, & de quo egimus Serm. 3. ad ℣. 207.

22. RHINOCEROS] Nasutus, & sagax; cui tantùm nasi quantùm rhinoceroti. Quo sensu Mart. lib. 1. Epig. 4. ℣. 6.

*Et pueri nasum rhinocerotis habent.*

Sicut dextra fidei, genua misericordiæ, supercilium gravitati, ita nasus irrisioni, judicio, ac censuræ dicatus. Vide Ser. 1. ad ℣. 88. CUR HAC FARRAGINE] Diversarum rerum vel argumentorum commissione. *Farrago* propriè fit pabuli caussâ, ex multis satis, puta hordeo, vel leguminibus &c. Juven. Sat. 1. ℣. 85.

*Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*
*Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.*

23. IMPLERIM TABULAS] Cur tam prolixè scribam de conviviis. Occupat dicteria adversariorum. SI NASCITUR INFANS] Commemorat caussas frequentium conviviorum apud populos Belgicæ. Et primo nata prole, parat amicos & susceptores prolis è sacro fonte, geniali cœnâ accipit, & hoc epulum Ausonius vocat repotia, teste Had. Junio.

24. SI MORITUR] In exequiis, ubi jam mortuo cuipiam parentatum: diciturque epulum ferale vel parentale. SI FŒDERA] Pacis, concordiæ, commercii, aut pacti cujuspiam, supple inita sint: dicique possit *ireneticum*, seu *synallagmaticum*.

25. QUIS PEREGRE] E longinquis regionibus regressus est, aut eò profecturus est. Prius dixeris *epibaterium*, posterius *apobaterium*. Quibus omnibus apud veteres respondent poëmata, quæ in ejusmodi conviviis canebantur. Ut videre licet apud J. Cæs. Scalig. 3. Poët. c. 105. SPONDEAT] Bonâ fide se staturum à convivatore, ubi coiverint Judices in diremptionem litis, aut ele-

*Suffragium; gravius quò componatur obortum*
*Diſſidium; demum, quò doctior inveniatur*
*Lovanii Fiſcus, menſis aſſuevimus. Inde*
*Tormentum ingenio: ſub cælo vivimus udo:*
*Indulget natura loci. Diſſuaſero tantùm,*
*Intempeſtivis quæ ſunt præpoſtera cœnis.*

ctores in delectum Magiſtratus cujuſpiam &c.

26. Suffragium] Punctum & calculum ſuum in ſuffragando: quod fieri ſolet, ubi res plurium ſententiis definienda. Secundam in *ſuffragium* contrahit Poëta cum S. Proſpero Aquit. Epig. ult.

*Calcarunt ſanctâ cælum ambitione petentes*
*Suffragiis Chriſti, & plauſibus angelicis.*

Componatur gravius dissidium] Ut inter ſe reconcilientur diſſidentes, quod opportunè in ſympoſio, & inter pocula.

27. Doctior] Aptior digniorque, ut eligatur. Scil. ex judicio eorum, qui hâc ratione inducuntur, ut ſuffragium ſecundùm illum ferant.

28. Lovanii Fiscus] Baccalaureorum Juris, ut vocant, celebre Lovanii Collegium D. Ivoni ſacrum; in quod cooptantur illi qui Lytarum honoribus ſunt inſigniti. Ex iis quoque ſemeſtri, collegarum calculis Decanus & Fiſcus ſeu Procurator fiſcalis deſignantur. Hic hodie ferè peracto ſex menſium magiſtratu, ad Decani munus admoveri ſolet. Decanus certamini & palæſtræ hebdomadariæ præeſt, & aſſiſtit propugnanti: Fiſcus theſes & propoſita impugnat. Utrumque munus magni fit, cùm in Academia, tum per univerſum Belgium: illoque defuncti ſunt, viri poſteà & magiſtratibus, & publicis honorum titulis eminentes: quos videas in Faſtis *And. Valer.* Certè eruditionis minimè trivialis argumentum eſt, ſoletque à multis certatim ambiri. Et in hanc rem non rarò tentantur, paranturque collegarum animi, colloquiis, convictibus, ſympoſiolis &c. Assuevimus] Belgæ, ut ingeniis addatur alacritas, & excitentur ſpiritus.

29. Tormentum ingenio] Exploratur, tentatur, cognoſcitur cujuſque ingenium. Uti enim quæſitores rerum capitalium tormentis verum eruunt, ita & amici vino, amicorum ingenia tentant. Celebratur Perſæ cujuſdam apophthegma apud Eraſmum, qui ad eruendum verum negabat tormentis opus eſſe, rectiùs enim vino elici. Inde nata proverbia: *In vino veritas.* Et *Vinum arguit ingenium.* Item *Vinum animi ſpeculum* &c. Diphilus inter excerpta Grotiana:

*Amicum liber numen, quàm multùm juvas!*
*Ingenio duro lene tormentum admoves.*

Quod imitatus Hor. l. 3. Od. 21. ad Amph. ℣. 13.

*Tu lene tormentum ingenio admoves*
*Plerumque duro: tu ſapientium*
*Curas, & arcanum jocoſo*
*Conſilium retegis Lyæo.*

Sub cælo udo] Humido, craſſo, nebuloſo, & hinc ad largiorem potum inclinante. Inde mos Belgarum cum vicinis Germaniæ populis aliquid affinitatis habet, apud quos Genio & Baccho liberaliùs litatur.

30. Natura loci] Recepta conſuetudo indigenarum; & cælum, quod ſine corporum nocumento pleniores hauſtus permittit, & convivia frequentiora: quæ alibi terrarum magis noceant.

31. Intempestivis cœnis] In multam noctem protractis: ut ſolent ſplendida & Saliaria quælibet convivia, non niſi ſub veſperum adornari. Intempeſtivum itaque hic ferme ſonat id quod nocturnum; cujuſmodi commeſſationem aptè deſcribit Propert. l. 4. Eleg 6. ℣ 85.

*Sic noctem paterâ, ſic ducam carmine, donec*
*Injiciat radios in mea vina dies.*

Plaut. Menech. Act 1. Sc. 2. ℣. 61.

*Mihi, tibi, atque illi jubebo jam apparari prandiū:*
*Inde uſque ad diurnā ſtellā craſtinam potabimus.*

Bene damnat hæc noſter, cum Curtio querente lib. 6. cap. 2. *Intempeſtiva convivia, & perpotandi pervigilandique inſana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapſa ſunt morem.* Menedemus conſultanti Antigono, an κῶμον, id eſt intempeſtivum convivium, adiret, renuntiari juſſit: *memento regis te eſſe filium.* Stuck. antiq. Conv. l. 1. c. 6. Præpostera] Perverſa; ea ſcil. quæ inverſo rationis ordine aguntur. Sen. Epl. 122. *Sunt qui officia lucis noctiſque pervertunt: nec ante diducunt oculos heſternâ graves crapulâ, quàm appetere nox cœpit.* Et paulo inferiùs: *Omnia vitia contra naturam pugnant: omnia debitum ordinem deſerunt. Hoc eſt luxuria propoſitum, gaudere perverſis.*

32.

*Copia materiæ versus distendit hiulcos.*
*Ad rhombum. Obscurâ premitur caligine, quisquis*
*Prandia vel cœnas numerosas soli Hymenæo*
*Appositas, vel quas admittit casibus ullis*
*Publica majestas, privatos torquet ad usus,*
*Cùm meliùs possit. Nam quid juvat agglomerare*
*Optima silvarum, pelagíque, ac rostra ferarum*
*Undique deauratis populo proponere crustis*

32. DISTENDIT] Distrahit nunc huc nunc illuc, confusè ac sine ordine; ut nesciam quid primo loco allaturus sim. HIULCOS] Argumento tenus, ejusque diversitate malè cohærentes, ac hiantes, nec aptè commissos. Alioquin versus hiulci apud grammaticos dicuntur frequentibus elisionibus, & pedibus sine cæsura malè nexis, patentes & malè cohærentes.

33. AD RHOMBUM] Ad opus institutum, ad rem: vox est Poëtæ semet exhortantis ad exordiendum: nam ab agitando rhombo netrices pensum suum auspicantur. Est enim *rhombus* hoc loco machina, quam vertentes tramam in circulum glomerant. Aliàs est instrumentum magicum, & figura geometrica quadrilatera, & quibusdam etiam rotula, quæ loris diverberata circumagitur. Horat. *turbinem* dixit. *Rhodig*. l. 9. c. 22. PREMITUR CALIGINE] Insigniter errat, ut solent gradientes crepero vel tenebroso cælo.

34. NUMEROSAS] A multitudine seu freqnentiâ convivarum. *Cœnas* hic cum prandiis sociat Poëta, more veterum Romanorum, apud quos rarissima erant prandia, imò fortè nulla si Servio credimus in expositione ℣. 77. lib. 4. Æneid.

*Nunc eadem labente die convivia quærit.*

Contra tamen pugnat Beroaldus in notis Servii, & alii cum illo. Hoc videtur certum, prandia fuisse admodum tenuia & sicca, & ferè sine convivis vel amicis, matutina, imò & quibusdam antelucana. Plut. l. 8. Symp. c. 6. *Romani soli parcè prandebant, sed largiùs cœnabant cum amicis.* Et innuit Seneca Epl. 123. *Quotidie sobrius prodis, sic cœnas, tanquam ephemeridem patri approbaturus.* Alex. ab Alex. lib. 5. c. 21. *Prandia prisci antelucana habere, meridianum cibum cœnam dicere solebant. Posteà illo more desito, servatum est, ut prandia in usu non essent: sed quâ horâ cœna apparabatur, eâ prandium fieret, quod tempus nona esse consuevit.* Hoc est tribus horis ante solis occasum. Plura vide apud Stuck. Ant. Conv. l. 1. c. 11. & Bulengerum de Conv. l. 1. c. 3. & seq. Utut est, veteres convivia sua adipata & epularia, plerumque *cœnas* appellarunt, quocumque demum diei tempore exstruebantur. SOLI HYMENÆO APPOSITAS] Nuptiales, & quæ nuptiarum gratiâ instituuntur. De Hymenæo nuptiarum præside vide quæ diximus supra Ser. 4. ad ℣. 61.

36. PUBLICA MAJESTAS] Popularia illa & basilica convivia Principum, Senatorum, Collegiorum civilium, quæ rectè nominaveris publica, seu publicæ magnificentiæ epulas. PRIVATOS AD USUS] Ad suum privati convivatoris usum. Instituendo scil. domi suæ convivia, non minori fastu & luxu, quàm si forent publica vel nuptialia.

37. CUM MELIUS POSSIT] Compendiosiùs, delectabiliùs, jucundiùs, & meliori famâ. AGGLOMERARE] Coacervare, conquirere, comparare multo labore ac pretio.

38. OPTIMA SILVARUM] Exquisitissima edulia ferarum, in silvis scil. stabulantium. PELAGIQUE] Piscium inprimis marinorum. ROSTRA FERARUM] Avium, maximè silvestrium & liberarum, non cicurum. *Rostra* non tantùm avium, quibus propriissimè conveniunt, sed etiam ceterorum animalium sine discrimine: sic canum, sic mugilum, sic & hominum rostra invenias apud locupletes. Plaut. Men. 1. 1. 13.

*Apud mensam plenam homini rostrum deliges.*

Versus hic sapit illud Juven. Sat. 1. ℣. 135.

*Optima silvarum interea, pelagique vorabit*
*Rex horum.-------*

39. POPULO PROPONERE] Specta[illegible] ad ostentationem, & artis miraculum, in officinis cupedinatiis. Sic enim in more nostratium, ut cupedinarii crustulata, vel artocreas suas aureis argenteisque notis variè depictas, aliquot, ante convivii solennia, diebus, publico spectaculo exponant.

*Ante diem luxus, missus variare quaternos,*
*Queîs constructor habet nîl quod pretiosius addat;*
*Si convivarum se primus & ultimus optet*
*Iri vel potiùs casulis, Hecalésve madere*
*Conche perexiguâ, cum libertate jocoque*
*Irreprehensibili; quàm turribus ambitiosi*
*Consobrini inter certamina divitiarum:*
*Quas etsi teneat, si tritâ veste, notetur,*
*Ad nutum opprobrii fortunæ sede locetur?*
*Ergo, quod est primum, sed inevitabile pænè,*

40. Luxus] Epuli. Missus quaternos] Quatuor missibus variare mensas, & inferre cibos elixos, assos, bellaria, & hypotrimmata seu tragemata, vel bellaria arida, qualia dici possint, illa facchato condita & oblita, quæ vulgo multiplicia sub finem epuli mensis inferuntur. Nostrates dixerint *Banchet*, vel *Banchet-suycker*. Numeranturque inter apophoreta, quæ honestè è conviviis domum auferuntur.

41. Constructor] Symposiarcha, rex seu pater convivii, modiperator, convivator, qui epulum struit.

42. Primus et ultimus] Omnes quotquot adsunt, De toto convivarum numero, aut saltem majore parte intellige. Simili phrasi usus Plaut. Pseud. 3. 1. 10.

*Interminatus est à minimo ad maximum.*

43. Iri casulis] In tugurio, casâ, & vili domuncula pauperrimi cujuspiam. *Iri* paupertas nota ex ℣. 139. Serm. 4. Hecalesve conche] Vilissimo opsonio quo victitabat Hecale paupercula. Est autem conchis fabæ genus vel leguminis, cujus meminit Juven. Sat. 3. ℣. 293.

*-----Cujus aceto,*
*Cujus conche tumes.-------*

Id est fabis non oleo unctis, sed aceto conspersis; quibus utebantur pauperes, uti Hecale, de qua extant adagia, *Iro & Hecale pauperior.* Item *Hecales cæna* pro frugali ac tenui apparatu. Item *numquam Hecale fies* &c. Naso lib. 2. de remed. a[illegible] ℣. 351.

*C[illegible] nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Irum?*
*Nempe quod alter egens, altera pauper erat.*

Sententia est: si omnes convivæ malint esse in domo pauperrima, ibidemque vesci vilissimis cibariis quàm &c.

45. Irreprehensibili joco] Qui à nullo observabitur, arguetur, notabitur. Maximum quippe ad convivarum gaudia momentum habet libertas quidlibet dicendi, agendi, jocandi, ridendique sine metu notæ, vel censuræ: quo spectant priscorum conviviorum leges de quibus suprà Serm. 3. ad ℣℣. 271. & 272. Turribus] Domo excelsâ, superbâ, turritâ, qualia Regum & Principum palatia. Horat. l. 1. Od. 4. ℣. 13.

*------Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,*
*Regumque turres.------*

46. Consobrini] Consanguinei, agnati aut affinis. *Consobrini* propriè dicuntur à duabus sororibus editi, quasi *consororini*. Ambitiosi] Honorem & laudem ab hac cœna regali ambientis. Certamina divitiarum] Aptissimè; quia convivator cum iis, à quibus antè fortean eodem mensæ splendore habitus est, de luxu & opulentia; & convivæ epularibus vestimentis induti, de cultu corporis, ejusque pretio certant inter se: vel ac si dicat: inter convivarum & mensæ apparatus tam sumptuosos, ut quodlibet eorum contendere videatur, quid quo sit opulentius. Horat. lib. 1. Epl. 5. ℣. 8.

*Mitte leves spes, & certamina divitiarum.*

47. Quas etsi teneat] Quas divitias licèt possideat: id est licèt dives & locuples sit, & magni census. Trita veste notetur] Vili, humili, non festâ vel superbâ veste amictus conspiciatur; & hinc à convivis, pro convivatoris consobrino vel cognato non agnoscatur.

48. Ad nutum fortunæ] Ut ceciderit, ut casus vel fortuna tulerit. Opprobrii sede] Loco inter convivas abjecto, probroso, suæ nobilitati aut dignitati non consentaneo.

49. Primum] Peccatum, & incommodum in mag-

*Læditur unusquisque loco: si ad jubila jungas*
*Ingenia ingeniis; perit usus, si secùs: ut si*
*Socratico assideat, stultus quia postulat ordo,*
*Saxonis aurigam qui vincat amystide: vel si*
*Obscurus crepitet tumidè qui millia centum,*
*Claro, qui proavos præ nummis jactet egenus:*
*Acco, quæ sapiat mulier; tibi rabula nugax;*
*Conferat hirsutus glabro, Davo OEdipus, aut si*

magnis epulis. INEVITABILE ] Nulla convivatoris prudentiâ vel cautelâ pote caveri.

50. LÆDITUR] Offenditur, indignatur, læsum se existimat. LOCO ] Quem caussantur sibi dignum, placitum, aut congruentem non obtigisse, tunc saltem SI AD JUBILA]Ad hilaritatem & risus dissolutos eos junxeris. *Iubilum* propriè gaudium est, non tam urbano sermone, quàm inconditâ voce profusum.

51. INGENIA INGENIIS ] Homines lepidos lepidis, tristes tristibus, graves gravibus, sobrios sobriis &c. Amant enim ejusmodi inter se. PERIT USUS SI SECUS] Finis & gratia epuli deperditur. Lætitia enim convivarum non succedit ad votum convivatoris, si secus epulones disposuerit. Exempla adducit confirmationis gratiâ.

52. SOCRATICO ] Temperanti, sobrio, aut severo cuipiam philosopho. Socratis philosophi temperantiam tantam fuisse produnt, *ut omnia ferè vitæ suæ tempora valetudine inoffensâ vixerit.* Apud A. Gellum l.2. c.1. Cic. l.2. de finibus 90. *Socratem*, inquit, *audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim.* STULTUS ORDO] Consanguinitatis, nobilitatis, dignitatis, opulentiæ &c. quarum scilicet ratio in designandis locis haberi solet. Optimè *stultus*, quia rectæ rationi dissentaneus.

53. SAX. AURIGAM QUI VINCAT &c.]Strenuus quispiam potator: quales apud Saxones Germaniæ populos bibacissimos, solent esse quadrigarii; quibus inter suos siccandis sine interspirando capacissimis poculis emincre, heroïcum. Vel qualis Novellius Tricongius, cui id cognomen, ut refert Plinius lib.14. c.22. *à tribus congiis uno impetu epotis, spectante miraculi gratiâ, Tiberio Principe.* Congius Had. Junio belgicè interpretatur *Ruym twee stoop.* Quæ reductio si obtinet, Novellium arguat hoc ritu epotasse duodecim cantharos Brabantinos. Dignus mehercule, cui nupserit Amphora. AMYSTIDE]Bibendi ratione, ( ἀμυστὶ vocant) quâ non sorbillando aut pitissando compressis labris, sed ore patulo, uno spiritu, aut pleno gutture poculum capacius epotabant. Inde & apud quosdam idem poculum *amystis* audit: & apud Græcos, haustim & sine respiratione bibere dicebatur ἀμυστὶ πίνειν, & uno verbo ἀμυστίζειν. Vide Janum Parrhasium Epl.26. & Torrent. in Horat. l.1. Od.36. ℣.13.

*Neu multi damalis meri*
*Bassum Threiciâ vincat amystide.*

Turneb. l.18. c.27. Existimat genus esse potandi, quo se magnis & meracis poculis mutuò invitabant. Sensus hìc est: si temperantissimo assideat intemperantissimus.

54. OBSCURUS] Ignobilis, plebeius. TUMIDE] Superbè, arroganter. MILLIA CENTUM] Opulentiam & divitias suas.

55. CLARO] Nobili, illustri, claro sanguine genito. PROAVOS] Gentis stemmatumque suorum vetustatem, heroïca majorum facta &c. jactet, alioquin pauper, dejectus jam fortunis.

56. ACCO QUÆ SAPIAT MULIER] Stolidæ, sapiens matrona. Fuit enim *Acco* professæ insaniæ mulier, ut placet Rhod. lib. 17. c.2. præcipuè mira inter omnes, & ejus delirii, ut cùm se contemplaretur in speculo, imaginem suam alloqueretur. De illa *Plut.* In Stoic. repugnantiis. Inde proverbialiter ἀκκίζεσθαι, id est accissare, ineptire, delirare *And. Schot. Adag.* TIBI] Tassi, qui jocis urbanis, & salibus delectaris. RABULA] Ineptus quispiam, multi & insulsi sermonis, & continuus declamator. *Rabulam* dici volunt, qui rabie quadam in agendis patrociniis, ac nimiâ verbositate, antes radit atque percellit. Quintil. l.12. c.9. *Perit modestia, si à viro bono in rabulam, latratoremque convertitur.* Ubi agit de oratoribus convitiantibus, & caninâ, ut ait Appius ibidem, eloquentiâ.

57. CONFERAT] Sermonem scil. id est colloquatur. HIRSUTUS] Asper, rigidus, intractabilis per-

*Prodigus attento nimiùm, crudusque recocto;*
*Ecquis erit fructus, quæ talis gratia mensæ?*
*Talibus extremis quid ages? Abacea celebres?*
*Te notat atque premit dominus cognatus: inepti*
*Cum reliquis. Interdum non possis; modulatur*
*Ulnâ vicinus sua verba, & pondere vendit.*
*E regione sedenti est magna libido tacendi.*
*Subridet tantùm. Nunc corrugata rotatur,*

per metaphoram scil. alioquin *Hirsutus* pilosum aut setis horridum designat. Ovid. lib. 2. Trist. Eleg. 1. ỳ. 259.

*Sumpserit annales, nihil est hirsutius illis.*

Id est, insuavius, austerius. GLABRO] Placido, blando, facili, comi. Etiam tropicè, cum *glaber* sit levis, aut pilis carens. DAVO OEDIPUS] Nil sapienti aut intelligenti, obscurè loquens. Terent. And. 1.2.23. Servus ad Herum, *Davus sum non Oedipus.* Id est servus, incultus, barbarus, simplex sum; non excultus, sapiens, aut recoctus ut *Oedipus.* Quod deinde cessit in proverbium, jaciturque in eos, qui de industria loquuntur obscurè, ut vate magis egeant, quàm simplice auditore. *Oedipus* Lai & Jocastæ filius, ob dissoluta Sphingis problemata notissimus, proponendis scitè solvendisque ænigmatum scrupis excelluit.

58. PRODIGUS ATTENTO] Nepos & ganeo quispiam, avaro. *Attentus* dicitur qui rei familiari conservandę affatim attēdit. Hor. l. 1. Epl. 7. ỳ. 91.

*Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris*
*Esse mihi.-------*

Et lib. 2. Epl. 1. ỳ. 172. *Ut patris attensi-----* Id est avari. CRUDUSQUE RECOCTO] Rudis, impolitus, nulla institutione reformatus; veteratori & multo usu exercitato; & qui jam rebus gestis, noverit quid distent æra lupinis. *Crudus* etiam non rarò dicitur de inhumano & duro. Sic Plaut Truc. 2.8.14. *dicat me crudum virum esse.* ὠμὸν enim id Gręcè hìc interpretantur: id est immitem, durum, inhumanum, crudelem. Recoctus autem de illo, qui multis negotiis peragendis exercitatus est. Horat. lib. 2. Sat. 5. ỳ. 55.

*-----Plerumque recoctus*
*Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem.*

59. QUIS FRUCTUS, QUÆ GRATIA?] Quasi dicat: nulla prorsus voluptas, gaudium, hilaritas, aut venustas in ejusmodi conviviis, ubi contra genium nacti fuerint sodales sui dissimiles.

60. EXTREMIS] Contrariis. ABACEA CELEBRES?] Obticeas quasi in Abazeis? Abazea sacra erant à Dionysio instituta, ut refert Cic. l. 3. De nat. Deor. 58. sic dicta à taciturnitate & silentio queis peragebantur: ἀπὸ τοῦ ἀβακέω, id est ignoto & taceo.

61. TE NOTAT ATQUE PREMIT] Arguit te silentii ac severitatis, & urget. INEPTI] Insáni, frontem exporrige, bellè vive. Nam sine ineptiis & joculari quadam & temporariâ insaniâ, non constant læta convivia.

62. INTERDUM NON POSSIS.] Quia proximè tibi accumbentes, vel genio tuo contrarii sunt, vel ad sermones tuos, nihil, parum, aut insulsi quid reponunt. MODULATUR] Quasi metitur, & ad modos musicos, effert vocem.

63. ULNA SUA VERBA] Severitate philosophicâ, gravi tarditate, in pondere & mensura. Totidem verbis latinis exprimit parœmiam Brabanticam: *hy mets' sijn woorden mester ellen.* Nec abludit Persiana phrasis, ab eo, quod est, PONDERE VENDIT. Nam Sat. 3. ỳ. 81. ita habet:

*Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,*
*Atque exporrecto trutinantur verba labello.*

64. LIBIDO TACENDI] Volupe illi est tacere, suomet ipse silentio delectatur. Juve. Sat. 2. ỳ. 14.

*Rarus sermo illis, & magna libido tacendi.*

65. SUBRIDET TANTÙM] Nutibus, signis, gestibus, ridet, & dictis tuis annuit. Propositum hìc fuisse existimo Poëtæ nostro, hominem quemdam sibi & Tassio cum sodalibus notum, ingenio debilem, insulsè gravem & severum, præ rerum dicendarum egestate, & sermonis cruditate mutum & taciturnum, vivis coloribus adumbrare. Fortè illum quandoque secundùm se accumbentem convivam habuerit, cum tædio, & condicti pœnitentiâ. ROTATUR] Attollitur elatis superciliis. Sic pavones se rotare dicuntur dum caudæ pinnas in orbem attollunt.

66.

*Nunc latis oculis frons; extussitque magistri*
*Instar Grammatici, quò contineantur alumni.*
*Nunc subtile caput scalpit, limoque notatur,*
*Quidquid agit juxtà positus. Respondet, Ita, aut Non,*
*Nescio, siqua roges de fœdere, pace, vel armis.*
*Singula quò meliùs: nullâ stimulatur orexi.*
*Riserit & Consul, propriâ gravitate stupescit*
*Ipse suâ. Da aliquem, si bellua tanta, colorem,*
*Miscuerit sese nostris sine pondere mensis.*
*Horis ista tribus, donec se proluat haustu*
*Undecimo, referetque pater vertigine pectus*

66. LATIS OCULIS FRONS] Exporrectis frontem versus, ut jam diximus, oculorum ciliis.

67. CONTINEANTUR] In officio attentionis & disciplina. ALUMNI] Pueri, tirones, discipuli. Nam dum hi exorbitant petulanter, tussi præceptoris, se id observare monentis, contineri solent.

68. SUBTILE] Ironicè, pro hebete vel obtuso, & crasso capite. LIMOQUE] Supple oculo, scil. obliquo, quando ex transverso quempiam aspicimus, & clàm notamus nutus, & gestus illius, id videri ab aliis caventes. Sic Plaut. Mil. 4 6. 2.

*Aspicito limis oculis, ne ille nos se videre sentiat.*

Item Horat. lib. 2. Sat. 5. ℣. 53.

*Sic tamen ut limus rapias.--------*

Id est oculis obliquis: quod hìc indignantis animi signum. Hinc proverbium, *oculis limis*, & *taurinè tueri*, pro torvè, ac taurinum in morem aspicere: quomodo Dido apud inferos Æneam. Virg. lib. 6. Æneid. ℣. 467.

*Talibus Æneas ardentem, & torva tuentem*
*Lenibat dictis animum.--------*

Accedente risu, placidâque oris compositione, videtur esse blandientium & amantium. Unde pætos oculos Veneri appingunt. Naso Amor. 3. Eleg. 1. ℣. 33. -----*Limis subrisit ocellis.*

69. JUXTA POSITUS] Tecum à latere accumbens. ITA AUT NON] Uti solent pueri vel puellæ, quibus adhuc parum linguę, multum verecundię.

70. NESCIO] Tentatus scil. & provocatus ab altero ad loquelam, respondet: *ita, non, nescio*: & sic terminat & succidit promptè omnem quæstionem, & eludit vota provocantis. Nam ut jactatum hoc ævo vulgare istud: *Per verbum nescio, absolvitur omnis quæstio.* Et abest periculum loquendi malè. Cic. de Orat. l. 1. 63. *Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes. Illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat.*

71. SINGULA &c.] Quo meliùs dicam, enarrem, exequar. OREXI] Desiderio, voluntate, vel appetitu consabulandi.

72. RISERIT] Inter festivos jocos, & mensæ elegantias. CONSUL] Vir quispiam gravis, ac primæ in urbe auctoritatis. STUPESCIT] Immotus sedet, sui admirator, & propriæ gravitatis serius cultor.

73. BELLUA TANTA] Homo belluinis moribus, incomptus, rudis, incivilis, intractabilis; tam rari sermonis, ut mutum vel belluam tibi assidere existimes. COLOREM] Speciem vel excusationem, quâ belluinum istud silentium diluas. *Dare colorem* videtur hìc idem esse, quod excusare verborum phrasi vel colore. Sic Juven. Sat. 6. ℣. 279.

*Dic aliquem sodes hic, Quintiliane, colorem*

Et Sat. 7. ℣. 155.

*Quis color, aut quod sit caussæ genus.-----*

74. SINE PONDERE] Rationis, gratiæ, aut venustatis. Horat. lib. 2. Epl. 2. ℣. 111.

---*Quæcumque parum splendoris habebunt,*
*Et sine pondere erunt.---------*

Id est levia, sine venustate, sine lepore. Et de Arte. ℣. 320.---*Nullius veneris, sine pondere & arte.*

75. HORIS ISTA TRIBUS] Supple tenent, vel durant: nempe initio epuli, tacent inculti & rudes, Bacco nondum addente cornua.

76. HAUSTU UNDECIMO] Donec liberaliùs potaverit. *Undecimus haustus* hìc est, sine nume-

*Lenæus, jubeatque ima effutire medullis,*
*Quæ magis afficiant quàm præcedentia. Pensa,*
*Atterit ignoto qui mollia lintea naso,*
*Quàm felix! Tu conscendisti, naviga. Habebis*
*Quò excuses aliàs, quò te simulaveris ægrum.*
*Alterum, & hoc, primo levius nîl: cuique videndum,*
*Quid, de quo, cum quo, quàm latè, quo ore loquatur;*
*Si bene consultum famæ vult manè sequenti:*
*Si non deferri, cribrari, pensiculari*

ro certo repetitus, siccatis jam pluribus cyathis. VERTIGINE] Inversione earum rerum quæ fundo cordis latitabant. Ita enim cum vertigine capitis, quo vini humores ex ventriculo commeant, sursum sublata mentis arcana, per fauces & os se diffundunt. Vertigo ergo nihil hic aliud est, quam temulentia, & cerebrum hujusmodi humoribus vinosis obsessum & perturbatum. Scitè Juven. Sat. 6. ℣. 303.

*Cum bibitur conchâ, cum jam vertigine tectum*
*Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.*

77. LENÆUS] Bacchus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, hoc est à torculari, vel lacu in quem ex prælo vinum defluit. Unde errat Donatus & alii, qui à leniendo deducunt. Virg. l. 2. Georg. ℣. 7.

*Huc pater ô Lenæe veni.*---Tib. l. 3. El. 6. ℣. 36.
*Odit Lenæus tristia verba pater.*

IMA] Abditissima, maximè latentia, & in imo cordis fundo abstrusa.

78 AFFICIANT] Molestent, vexent & turbent auditorem. *Afficere* sine ablativo vel adverbio, fere in malum accipitur. Ovid. l. 3. Trist. Eleg. 3. ℣. 14.

*Et subit affecto nunc mihi, quidquid abest.*

Propert. l. 2. Eleg. 28. ℣. 1.

*Iuppiter affectæ tandem miserere puellæ.*

Id est, male affectæ, ægrotanti, afflictæ. Sic & pars corporis dicitur affecta, pro afflicta. PRÆCEDENTIA] Belluina taciturnitas, asinina gravitas, & cetera jam memorata.

79. ATTERIT] Admovet. MOLLIA LINTEA] Strophiola vel muccinia (sudaria vulgus vocat) ex mollissimo linteo fieri solita: ac si proverbiali schemate dicat: *Infelix qui muccinium alienis naribus admovet.* Id tamen multò majorem nauseam, imò & bilem concitat, si nasus est incognitus, & impurus fortè à pure Lesbiano.

80. QUAM FELIX] Id est, admodum infelix, cum natura id aversetur, & pessimè oderit. Comparatio innuit, valde injucundum ac insuave illi accidere convivium, cui inficeti, dyscoli, crudi & incogniti sodales obtigêre. CONSCENDISTI] Navem scil. Nam absolutè positum *conscendere* de navi intelligitur. Naso lib. 1. Trist. Eleg. 2. ℣. 41.

*O bene, quòd non sum mecum conscendere passus:*
*Ne mihi mors misero bis patienda foret.*

Cic. l. 12. fam. Epl. 25. *Conscende nobiscum, & quidem ad puppim.* Sensus est: navigandum tibi cum iis, quibuscum navem conscendisti. Adagium vulgare Belgicum totidem verbis rem exponit: *Daer ghy me' ghescheept zijt, daer moet ghy me' over.* In eos jactatur, qui de sodalium aut moderatorum importunitate queruntur, cum ab iis non licet se separare. HABEBIS &c.] Rationem scil. vel ansam te excusandi, aut non condicendi inposterum.

81. SIMULAVERIS ÆGRUM] Valetudinem affectam causseris, ut prompriùs te excuset amicus convivator.

82. ALTERUM] Incommodum vel malum. LEVIUS, NIL] Æque molestum ac momentosum. VIDENDUM] Dispiciendum, & maturè examinandum, deliberandumque, quid & quomodo loquaris.

84. CONSULTUM FAMÆ] Cautum existimationi tuæ apud populum. MANE SEQUENTI] Postridie, aut secuturis diebus, quando imprudentior, & iniquior quispiam te deferet, & per vias & compita traducet, levitatis, intemperantiæ, maledicentiæ &c.

85. CRIBRARI, PENSICULARI] Aptæ metaphoræ. Solent enim obtrectatores, etiam minutissima quævis, in alienis dictis factisque rimari & expendere, ut inveniant quod reprehendant, & auctori noceant. Sic cribro farina percolatur, & ad libellam pensiculatur rei pondus. Unde *cribrare*

*Illico ab his cupiat, qui dexteritate nigrandos*
*Suscipiunt homines, & cæco vulnere lædunt,*
*Credito opus si sit, si conjuge, parte favoris.*
*Nam quamvis similis Curiis vivasque Camillis*
*Olim, nunc illis qui se arte politicâ adumbrant*
*Fœcundo studio, veræ virtutis imago:*
*Nî tua conformes illis, qui posse videntur*

*brare* & *pensiculare* dicitur pro eo, quod est exactissimâ diligentiâ rem quampiam discutere.

86. Dexteritate] Cum summa cautela, & tanquam aliud agentes, ac sub specie honestatis & sanctimoniæ, ut promptiorem fidem inveniant, & nocentiùs lædant. Nigrandos] Malitiæ insimulandos, damnandos, & atro carbone notandos, ut est in proverbiis: mala enim carbone, bona cretâ signabantur. De illis Pers. Sat. 5. ℣. 107.

*Quæque sequenda forent, quæq; evitãda vicissim,*
*Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notasti.*

87. Cæco vulnere] Quod non videtur aut percipitur, ab eo qui læditur. *Cæcum* hîc est denuo, ut suprà ostendimus Serm. 1. ad ℣. 93. non quod non videt, ut plerumque alibi, sed quod videri non potest: estque frequens epitheton vocis *vulnus* Sic Virg. lib. 4. Æneid. ℣. 2.

*Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.*

Pers. Sat. 4. ℣. 44. *Cæcum vulnus habes.* Quod cessit in proverbium: Lucret. lib. 4. ℣. 1113.

*Vsque adeo incerti tabescunt vulnere cæco.*

88. Credito opus si sit] Si merx quæpiam vel pecunia tibi comparanda est, quam non obtineas, nisi fide tuâ integrâ & illæsâ. Si conjuge] Si uxorem ducere meditetis. Parte favoris] Quo magistratus quispiam, vel dignitas tibi obtingat. Ab æmulis enim & competitoribus semper periculum est; qui solent alios quoscumque candidatos, maledictis & cavillis deturpare, ne voti compotes aditum obsideant, quo intercludant alios.

89. Curiis et Camillis] Æquè inculpatè, fortiter, moderatè, temperanter, quàm *Curius* & *camillus*. *Curius Dentatus* Romanus civis vir triumphalis, quem præ ceteris frugalitas & temperantia apud priscos commendarunt. Post varios maximosque triumphos, agrum coluit, repertusque torrendis repis ad ignem occupatus, vel ut alii, ligneo catillo cœnans, Samnitium legatus aurum offerentibus, repudiato dono, *narrate*, inquit, *civibus vestris Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem.* Vide *val. Max.* l. 4. c. 3. Juven. Sat. 2. ℣. 3.

*Qui curios simulant, & Bacchanalia vivunt.*

*Furius Camillus* dictator, à justitia, fide, fortitudine, animique moderatione clarissimus, alter Romulus apud suos audiit: quod cum esset ab ingratis civibus exilio mulctatus, captam tamen à Gallis Senonibus urbem, patriæ vindicaverit, & legibus asseruerit. Vide Livium, Valer. Max. & alios. Juven. Sat. 2. ℣. 153.

*-----Curius quid sentit & ambo*
*Scipiadæ? Quid fabricius, manesque Camilli.*

90. Olim] Scopticè contra hujus ævi politicos distinguit tempora, tacitè notando olim dumtaxat in pretio fuisse viros ex vero frugales & temperantes, Curio & Camillo similes: nunc verò simulatos illos & personatos, de quibus jam nunc. Qui se arte &c.] Arte illa scil. quæ hodie, simulatione, palpo, & fraude definitur, quâ qui imbuti sunt, umbram non virtutem sectantur, viri boni audire & videri, non esse, cupientes. Alioquin Politica, ars est laudatissima, quæ ad omnem civilem doctrinam, & rectam reipublicæ administrationem se extendit: hauriturque ut plurimum ex priscis historiis, & scriptorum gnomis, quòd res gestæ sunt certissima lex gerundarum. Quare meritò *adumbrant*, id est obscurè, & quasi primis coloribus *se politicos* exprimunt, id est apparentes tantùm & simulatos. Sic Seneca simulatam lætitiã vocat *adumbratam*.

91. Fœcundo studio] Minimè inutili, quia ferax bonorum, favorum, divitiarum &c. Virtutis imago] Tu scil. similis Curiis olim & Camillis, & nunc politicis, licèt vivas tanquam veræ virtutis imago.

92. Ni tua] Mores & vitæ tuæ rationem Conformes illis] Composueris ad placitum & exemplum eorum. Qui posse videntur multa] Qui existimant, crepantque magnam sibi esse auctoritatem in aulâ principis; eam sibi tribuen-

*Multa sibi; evadat ridendo verbulum, adulter,*
*Efferus, ignorans, larvatus, vappa, protervus,*
*Contemptor Divûm Mezentius es. Cave, dicunt,*
*Vir malus introrsum est. Unde hæc? ex disparitate*
*Et numero convivarum. Tropus excidit ore,*
*Uteris aut sermone figurato, cadit aptè:*
*Dicis apophthegma. Et mox, circumeunte culullo,*
*Magna salus urbis, cum prosperitate Senatus,*

buentes, & moribus externis ostentantes.

93. EVADAT RIDENDUM] Si excidat ex ore inter ridendum jocandumque. VERBULUM] Dictum aliquod quod minimùm ipsos offendat. ADULTER EFFERUS] Integra convitiorum plaustra in te conjiciunt. Dicendo *adulterum, efferum, ignorantem* &c.

94. LARVATUS] Personatus, fucatus, bilinguis, non serius aut sincerus. Similitudo ducitur à *larva*, seu *personâ*, quâ faciem contegentes, paremus alii quàm sumus. Nisi mavis *larvatum* hic dici pro furioso, cerrito, vel emotæ mentis homine, qui à larvis, id est noxiis inferorum umbris vel furiis se terreri existimat. VAPPA] Insulsus, insipidus, fatuus; Ductâ metaphorâ à vino corrupto, quod nec vinum nec acetum, nullum usum à sapore habet, & vile habetur. Pers. Sat. 5. ℣ 76. ----*Hic Dama est non tressis agaso,*
*Vappa, lippus, & in tenui farragine mendax.*
PROTERVUS] Petulans, audax, mordax.

95. MEZENTIUS] Virgilianum hemistichium ℣. 648. lib. 7. Æneid. *Mezentius* Tyrrhenorum tyrannus, à bello quod cum Turno contra Æneam gessit famosus: *contemptor divûm* dictus creditur, quòd sibi primitias offerri, divinosque honores tribui voluerit. Vide Macrob. l. 3. c. 5. & infra Serm. 7. ad ℣. 325.

96. VIR MALUS INTRORSUM] Quadrat id larvato juxta priorem expositionem suprà ℣. 94. Id est, sub specie probitatis, animum fovet perversum & flagitiosum. Horat. l. 1. Epl. 16. ℣. 44.
*Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota*
*Introrsum turpem, speciosum pelle decora.*
Et lib. 2. Sat. 1. ℣. 64.
*Detrahere & pellem, nitidus quâ quisque per ora*
*Cederet, introrsum turpis?-------*

97. NUMERO] Multitudine. TROPUS] Verbum vel oratio translata à propria ad impropriam notionem.

98. SERM. FIG. CADIT APTE] Schematis & ornamentis rhetoricis plausum tibi pares, & censearis acutè ac falsè locutus.

99. DICIS APOPHTHEGMA] Argueris tibi tribuere auctoritatem loquendi apophthegmata; quasi dicta tua pro sententiis & apophthegmatis haberi velis. *Apophthegma* est Principis, illustris, aut hominis cujuspiam insigniter docti, breve & argutum dictum, dignumque quod ab aliis celebretur. CULULLO] Cratere, paterâ, scypho capaciore. *Cululli* quidam diminutivum esse volunt à culleo, ut Turn. l. 9. c. 13. Acron putat fuisse fictiles pontificum aut vestalium calices, qui deinde ad mensas transierunt. Pocula fuisse potoria, & quidem ornata & pretiosa, & ceteris calicibus præstantiora, innuit Horat. lib. 1. Od. 31. ℣ 10. -------*Dives & aureis*
*Mercator exsiccet culullis*
*Vina Syra reparata merce.*
Et de Art. Poëtica ℣. 434.
*Reges dicuntur multis urgere culullis*
*Et torquere mero, quem perspexisse laborant,*
*An sit amicitiâ dignus.* ------
CIRCUMEUNTE] Circulum convivarum obeunte: id est, ut prisci dicturi fuerint, dum à *summo* bibitur, more scil. Græco, & capacioribus urceolis. *Græci* enim, ut est apud Alex. ab Alex. libr. 5. c. 21. *Postquam magnificè epulati fuerant, quasi refoto animo, de bellis decernunt largioribus poculis, quæ si quando circumferebant, à dextris incipiebant.* Dicebant autem κύκλῳ πίνειν, quod est in circulum bibere, cum ordine omnes à summo ad imum bibebant; quolibet siccatum, & mox refusum calicem alteri ad manus tradente. Lucil. l. 6. Sat. in reliq. Dousæ. n. 21. *Date bibere ab summo.*

100. MAGNA SALUS &c.] Saluti publicæ civium, & incolumitati Senatus libatur. Diis, heroibus, dæmonibus, principibus, magistratibus, necess-

*Potatur; refugis nephriticus, atque podagræ*
*Admonitus, pauca & de consuetudine subdis*
*Barbara, & allegas Italorum in culmine mores;*
*Elatum, & fatuum legio Semeleïa clamet*
*Consensu unanimi te, & fies fabula vulgi,*
*Ni vulgaris ames certare canalibus amplis.*
*Ergo pares paribus facili commiseris orbe*
*Divarum numero, cùm te accipiterque canesque,*
*Venatorquè tuus multâ perdice beârit;*

necessariis & amicis &c. id genus convivalis officii impensum fuisse, inter libationes & pocula, nemo tam peregrinus est in historiis, qui ignoret.

101. REFUGIS] Exhaurire pateram. NEPHRITICUS] Affectorum renum vitio ex consuetudine laborans. De nephritide vide supra Serm. 2. ad ℣. 52. PODAGRA] Morbi articularis pedes infestantis, *ἀπὸ τοῦ ποδὸς* & *ἄγρας*, quasi pedum captura.

102. DE CONSUETUDINE BARBARA] Incivili, incultâ, & bonis quibusvis detestandâ, quæ apud alias nationes, si Germanos demas, non obtinet; ut scil. cogantur æquales cyathos exsorbere.

103. ITALORUM IN CULMINE] Romæ seu in Latio & terris adsitis Hetruriæ, ubi est summum seu medium Italiæ: sic infra Serm. 7. ℣. 313. Romam *Italiæ culmen* appellat. MORES] Sobrios, frugales, à temulentia abhorrentes. Contenti siquidem, quo naturæ satis est, Itali, valetudini & diurnis negotiis student; indultâ hospitibus libertate; ut pro arbitrio & lubentia quisque bibat; & barbarâ lege proscriptâ de æqualium poculorum libamine.

104. LEGIO SEMELEIA] Cœtus bacchantium & pergræcantium, id est; temulenti; & qui amant multo Liberi patris flore aspergi, ac laudem à potandi strenuitate aucupantur. *Semele* Cadmi Thebarum regis filia, Bacchi mater, à consuetudine cum Jove, & ferali incendio quo periit, apud poëtas celebris.

105. FABULA VULGI] Deridebere, & in hominum ora pro ludibrio venies. Horat. l. 1. Epl. 13. ℣. 8. *-----asinaque paternum*
*Cognomen vertas in risum, & fabula fias.*
Persius 5. ℣. 152.--*Cinis, & manes, & fabula fies.*

106. VULGARIS] De vulgo temulentorum, Bacchantium, & quibus non est cura honoris aut honestatis. Cultioribus enim, & nobilibus, patriisque modus ac ritus ille bibendi non allubescit. CANALIBUS AMPLIS] Fistulis, ut vocant, scyphisque vitreis & crystallinis, fistularum formâ angustam & longam, sed turbinatam imitantibus. Aptè *Canales*, quia per scyphos ejusmodi vinum in os bibentis non secus delabitur, quàm aqua per fistulas seu canales viarum. De quibus Virg. lib. 3. Georg. ℣ 330:
*---- Greges ad stagna jubeto*
*Currentem ilignis potare canalibus undam.*

107. PARES PARIBUS] Æquales sorte, ætate, doctrinâ, genio, more. COMMISERIS] Collocaveris & conjunxeris, ut fabulis, jocis, salibus & argutiis, aliisque oblectamentis convivalibus inter se decertent. FACILI ORBE] Mensâ rotundâ seu Delphicâ, quæ parabili cibo & sumptu moderato instruatur. Mart lib. 2. Epig 43. ℣. 9.
*Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.*
Et libro 9 Epigram 60 ℣. 7.
*Inde satur, mensas, & opertos exuit orbes.*
Utrobique mensas cibarias intelligit, quæ dicuntur suspendi, id est fulciri, seu sustineri, quod fit, supposito pede, vel fulcro: & sic fulta pendere dicuntur. Ab hac autem forma commendantur mensæ ob varia commoda, cibos inferendi, dividendi, ministrandi, fabulandi, audiendi, videndi &c. ut taceam compendium œconomicum.

108. DIVARUM NUMERO] Musarum: adhibitis scil. novem convivis, ut suprà ex more prisco. ACCIPITER] Avium venator capax, Belgis *havick*, Italis *terzolo*. Ejus species sic enumerat Had. Junius: *æsalo, buteo, fringillarius, palumbarius, tinnunculus.* Terent. proverbiali schemate dixit Phorm. 2. 2. 16.
*---Non rete accipitri tenditur.------*
Inde & inter adagia sua retulit Junius, *mulierum accipitres.* CANESQUE] Venatici.

109. VENATORQUE] Quem venationi tuæ præ-

110. *Sole, nota, medio, non horâ Mercuriali:*
*Mappaque luxuriam compenset crebrior, adque*
*Normam antiquorum stent uno elixa catino,*
*Quo patruus vitulum, porcus confundat ovile,*

præfeceris, mercede in hoc conductus. PERDICE] Ave nobis notissima, & pro salberrimo ac exquisitissimo cibo in conviviis usitata. Non admodum frequentem in Italia reperiri, mirum non est, quando sic disertè canit Mart. lib. 13. Epig. 65. seu Lem. *Perdix:*

*Ponitur Ausoniis avis hac rarissima mensis:*
*Hanc in lautorum mandere sæpe soles.*

Ad ejus capturam, homines canesque juxta & accipitres adhibentur.

110. SOLE MEDIO] Meridie. Phœdrus lib. 3. Fab. 19. ℣. 8.

*Æsope medio sole quid tu cum lumine?*

Horam Diei duodecimam designat, quâ, hieme & æstate apud nos, & plerasque Europæ nationes solet esse meridies. Prandio sanè opportuna, licet prisci Romani non nisi horâ ipsis nonâ, quæ tertiæ nostræ à meridie respondet, post reditum ab agris, cibum capiebant: undè ferè hæc pastio cœna vocabatur, ut vidimus suprà ad ℣ 34. Inde Matt. lib. 4. Epig 8. ℣. 6.

*Imperat extructos frangere nona toros.*

HORA MERCURIALI] Mercatoriâ, quæ est prima, vel ut hodie ferè, secunda post meridiem. Solent enim mercatores non nisi post sonitum horæ duodecimæ, ad peristylium suum, seu Janum, vulgò *de Burse*, negotiorum ergo concedere, (nunc tardiùs) ibidemque vacant horam ferè solidam, & ultra; adeò ut integrum minimè sit pransuris, ante dictam horam domum redire. Et licèt hic mos prandendi seriùs vitis Mercurialibus sit quotidianus & solennis, alii tamen cives, ut puta Senatores, nobiles, jureconsulti, artifices & plebei, cum reliquis Belgarum, horam meridiei constanter observant.

111. MAPPAQUE FREQUENTIOR] Frequentius convivium. Mappas in usu mensario fuisse nemo ambigit. Doctissimus Junius mappâ mensam insterni existimat, probatiores tamen id mantili vel mantelio tribuunt. Docet clarissimè Mart. lib. 12. Epig. 29. ℣. 11.

*Attulerat mappam nemo dum furta timentur,*
*Mantele è mensa surripis Hermogenes.*

Mappæ scil. erant brevia lintea, quas secum quisque ad convivium ferebat. Dominus autem convivii mensam manteli insternebat. Hinc & mappæ breves ab eodem Martiale dicuntur, ut discas minimè insternendis mensis adhibitas fuisse. Vide infra Serm. 7. ad ℣. 289. *Mantile* tamen tergendis manibus usum præbuisse, & breviora lintea fuisse quæ jam descripsimus, quidam deducunt ex lib. 5. Varronis de ling. Lat. ubi sic auctor iste gravissimus: *Mantelium quasi manuterium, ubi manus terguntur.* Sed & mensas operire, & manus tergere potuit, quod non abludit ab inculto isto, & archaico mensatum ad prima Romanorum secula, apparatu. De iis pulcherrimè La Cerda in ℣. 377. l. 4. Georg. COMPENSET LUXURIAM] Quod impendas unico epulo solenni & dapsili, cum luxu, in plura conviviola frugalia, & minùs dapsilia citra luxum converte.

112. NORMAM ANTIQUORUM] Majorum nostrorum, quibus non erat cura onerandæ mensæ multis lancibus aut catinis. Sic enim innuit Juven. Sat. 11. ℣. 109.

*Ponebant igitur Tusco farrata catino*
*Omnia tunc: quibus invideat si lividulus sit.*

STENT UNO CATINO] Instituit rationes cibarias: omnes, inquit, cibi elixi, unico catino confundantur. *Catino*, aptissimè, eo enim capiuntur jurulenta, qualia sunt hic elixa unà cum carnium jure. Vox est Latina de qua Varro l. 4. de Ling. Lat. *Vasa immensa escaria, ubi pultem aut jurulenti quid ponebant, à capiendo catinum nominavere, nisi quod Siculi dicunt κάτινον, ubi assa ponebant.*

113. QUO PATRUUS VITULUM &c.] Describit hîc elegantissimè, ferculum quoddam apud nos celebre, quod vulgus Belgicum nomine Hispano insignit *olla potrida*, licèt non nihil corruptè efferat. Fortè ab Hispanis invectum, quibuscum jam duo pænè secula consuevimus, ejusdem Monarchiæ & Principatus suavissimo jugo colligati. Ex quibus autem componatur hic missus docet lepidè. *Patruus*, caro bovilla. Bos enim tauri frater, vituli patruus est. *Vitulum*, carnem vitulinam. *Porcus* caro pecoris suilli seu porcina. OVILE] Vervecinam seu carnem ovillam, quod pecus ex ovilibus ad lanienam & hominis pastum rapitur. Sensus est in uno catino misceantur quatuor genera carnium principaliora: pulli enim, columbi, capi, gallorum cristæ, crura boum medul-

*Tostaque mazonomo, bellaria fructibus hornis:*
115. *Mespila, castaneæ, moschatula, cum melimelis,*
*Et pyra sambuci ludentia flore saporem*
*Vincunt artificum exactissima crustula. Cura*
*Panem Cæciliæ heredum; rigeat maris expers*

medullata, lucanica, brassicæ, rapæ, pisa, piper &c. ad ornatum, varietatem, & quasi quædam parerga adijciuntur.

114. TOSTAQUE MAZONOMO ] Cibi assi seu tosti in unica prægrandi lance expediantur. *Mazonoma*, uti est apud Atheneum Deipn. 4. c. 13. dicuntur à *maza*, quam mensis inferebant, quasi canistra, vel lances *mazam* capientes. Mazam autem fuisse præstantioris edulii speciem probat Rhodig. l. 9. c. 12. ac inde fluxisse opinatur vocabulum *mazapanis*, quod vulgò nunc promiscui usus. *Mazonomum* fuisse magnæ lancis genus docet id Horat. lib. 2. Sat. 8. ℣. 86.

*Mazonomo pueri magno discerpta ferentes*
*Membra gruis.------*

BELLARIA ] Quasi bellæ res, aut, uti Plauto, res bellissimæ; Græcis tragemata, Latini omne genus mensæ secundæ intelligunt. Vide A. Gell. lib. 13. c. 11. FRUCTIBUS HORNIS ] Recentibus, & hujus anni, non melle vel saccharo conditis, non coctis, non siccatis, sed vel eodem vel paucis ante diebus ex arbore lectis. Alia enim à convivio suo removet Poëta, tanquam viris minùs sapida, & ventriculo noxia. Nam, ut Varro apud A. Gellium loco jam cit. *Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt.* *Fructibus* itaque *hornis*, hîc est, bellaria iis solis constantia, quæ horna sunt. *Hornum* propriè dicitur quod hoc anno natum. Sic Horat. l. 3. Od. 23. ℣. 3. *Horna fruges.* Et Epod. 2. ℣. 47. *Horna vina.* Plaut. Mostel. 1. 3. 3. ut legit Erasm. *Horna messis* Prop. l. 4. Eleg. 3. ℣. 61. *Hornis agnis.* Cic. 8. in Ver. 45. *Hornotinum frumentum.* Et Columel. *Annotini ungues.*

115. MOSCHATULA ] Pyra gratissimi saporis, sic dicta à moschi animalculi apostemate, cujus odorem præstantissimum referunt, & in pyrorum genere principatum obtinent. De illis Nonnius de re cibariâ l. 1. c. 35. *Nostro seculo celebrantur moschatula, bergomatia, gratiola, & bonchristiana* &c. CUM MELIMELIS ] Pomis mellei saporis, quæ ut placet Plinio lib. 15. c. 14. antea à celeritate mitescendi mustea dicta. Eorum meminit & Horat. l. 2. Sat. 8. ℣. 31.

*Post hoc me docuit, melimela rubere, minorem.*

116. PYRA SAMBUCI &c. ] Saporem floris sambucei referentia. *Sambucus* arbor nota, surculis arundinaceis & fungosâ medullâ plenis. Florem emittit condiendo aceto, aliisque opportunũ.

117. ARTIFICUM ] Dulciariorum. EXACTISSIMA ] Exactissimè, & ex arte facta. CRUSTULA ] Quælibet opere dulciario pista; sive dixeris placentulas, ut Lamb. ad ℣. 25. Hor. l. 1. Sat. 1.

*-----Ut pueris olim dant crustula blandi*
*Doctores, elementa velint ut discere prima.*

sive pemmatia è farina, melle &c. (genus placentularum) ut Lipsius ad illud Senecæ Epl. 56. *Crustularium & omnes popinarum institores* &c. sive aliud quodvis: nobis satis est quod dicit Varro, crustulum à crusta pultis dici, eò quod ut corium exuritur. Unde & *crusta* marmoreæ, in parietibus, & segmentis marmoreis coalitæ, & incrustare parietes. Quare non videbitur mihi arguendus, qui hunc locum Poëtæ nostri exposuerit, de tragematis aridis saccharo incrustatis, aut quibusvis aliis dulciariis, quæ saliaria ista & jam antè reprobata convivia, novissimo missu solent exornare, & pro apophoretis asportari, maximè à virginibus & matronis. Ut sic ab hac antithesi suam mensam commendet.

118. PANEM CÆCILIÆ &c. ] Optimum, & in prima urbis furnaria coctum. Hæc fuerat nuper Antverpiæ officina Cæciliæ, quæ vulgò innotuerat nomine *Celi backers*, quasi *Cæcilia pistoris*. Ei, ævo Scholiitiano, demortuæ successerunt hæredes seu liberi: undè hîc *Cæcilia Heredum*. RIGEAT ] A cella subterranea, vel æstate, à glacie vel nive frigeat insigniter. MARIS EXPERS ] Merum, aquâ non dilutum. Veteres enim vina, quæ ex Græcia Romam advehebantur, marinâ suffundebant, ut placet Atheneo lib. 1. Undè Plauti Jocus in Rud. 2. 7. 30.

*Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare.*

Chium verò ante purum transmittebatur, aut certè non adeo dilutum. Hinc Horat. l. 2. Sat. 8. ℣. 15.

*Cæcuba vina ferens: Alcon, Chium maris expers.*

Turnebus lib. 20. c. 34. & Lambinus in hunc locum existimant in ambiguo lusisse Horatium, ut qui-

*Vinum, quod natum ad caussas; & citrea abundent:*
120. *Nec tria, quæ quartis circùm des, poma secundâ*
*Hesperidum mensâ, tostorum porgat ad esum*
*Lanx scobe perlucens. Embamma, & fæcula Coa,*

quidem marinâ mixtum pro more Chii,& simul neget mari advectum,ut vernaculum vinum non Græcum. Quam expositionem huic loco admodum opportunam censeo, ut scil. noster etiam ludat in veteri epitheto *maris expers*, & simul intelligi velit de vinis præstantioribus apud nos; qualia sunt Rhenana inprimis, Mosellana, & rubella Gallicana,Rhemensia,Bibractensia,Parisiaca &c.quæ plaustris & carris ad nos advehuntur, non viso mari, ut Gallicana illa, quæ jam memoratis multo minori sunt in pretio, & viâ marinâ ad nos transmittuntur.

119. AD CAUSSAS] Pertractandas, seu serias, seu jocosas; seu graves, seu convivales. Optimè ad Amphoram Horat. lib. 3. Od. 21. ✠. 2.

*Seu tu querelas, sive geris jocos,*
*Seu rixam, & insanos amores,*
*Seu facilem pia testa somnum:*
*Quocumque lectum nomine Massicum*
*Servas, moveri digna bono die.*

Vinum enim linguas animat, & convivarum fabulas accendit,cum jam ut canit Venusinus l. 5. Sat.4. ✠ 89. ---*verax aperit præcordia Liber.* Et Lib. 1. Epl. 5. ✠. 19

*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*

Et ut ex incertâ comœdiâ apud Grotium in excerptis:

*Bibentibus hæc à vino præberi solent,*
*Risus, docilitas, consilium, sapientia.*

CITREA ABUNDENT] Mala Persica, Medica, Assyria priscis dicta. Quæ depingit Virgil. lib.2. Georg. ✠. 126.

*Media fert tristes succos, tardumque saporem*
*Felicis mali, quo non præsentius &c.*

Tardè venerunt in Europam, sed mox Citreorum nomen invenerunt, à cedri, ut placet Isidoro, quem referunt,odore. Unicum tantum malum priscis innotuerat: progressu tamen temporis, sive cultu, sive per insitionis industriam, in plures species evasere: quas inter hoc ævo Aurantia & limonia in usu mensarum maximè celebrantur. Vide Nonnium de re Cib. l. 1. c. 38. & Goropium in suo Vertumno.

120. HÆC TRIA] Pauca nimiùm,& sordem redolentia. QUÆ QUARTIS CIRCUM DES] Secta in quatuor partes,distribuas amicis in orbem accumbentibus; ut saltem quisque partem referat, cum non possit totum. Id est: adsit citreorum copia, ne honestæ ac liberali distributioni, necesse sit integra mala cultro dividere. Consonat hic *Circùm dare* idiotismo nostro Brabantico, *omgheven*, pro eo quod est ab summo dare, vel singulis in orbem sedentibus offerre, carpendi potestatem facere. Nec abhorret Plautina phrasis Most. 5. 4. 33.

*Interim da ab Delphio citò cantharum circùm.*

121. POMA HESPERIDUM] Filiarum Hesperi, quas poëtæ fabulantur hortos habuisse aurifero nemore pretiosos,& à dracone pervigili custoditos: Herculem autem cæso dracone, poma aurea ad vitricum Euristheum retulisse. Multi credunt citrea nostra,significari per hæc aurea. Hinc Martial. lib. 13.Lem.de Citreis. 37.

*Aut Corcyræi sunt hæc de frondibus horti,*
*Aut hæc Massyli poma draconis erant.*

Deipnosophistæ apud Athen. dicunt, auctore Nonnio l. 5. c. 32. vocari apud Libyas Hesperidum mala. Verùm quia citrea non venerunt ex Africa, sed Media, optimè repugnant doctissimi medici nostrates Goropius & Nonnius,locis jam cit. SECUNDA MENSA] Supple. poni solita ex usu prisco in mensis secundis. Cœna priscis in tres partes dividebatur. Primum missum antecœnam,seu gustationem dicebant: unde etiamnum hæret in Italia vox *antipasto*: secundum, in quo lautissimi & principales cibi, propriè cœnam: Tertium in quo bellaria,mensam pomorum, seu mensas secundas. Ovid. Met. 9. ✠. 91.

*-----Totumque tulit prædivite cornu*
*Autumnum,& mensas felicia poma secundas.*

122. LANX SCOBE PERLUCENS] Probè mundata, ut ipso nitore luceat, aut splendicet; ut solent scutulæ argenteæ vel stanneæ, quam jam scobs polivit. *Scobs* materia, quam adhibemus purgandis metallis potissimùm, aliisque, quæ detritione nitescunt. Ut sunt arena durior, ramenta, aut minutissima quælibet, quæ vim deterendi habent. Juven. Sat. 14. ✠. 66.

*Ne perfusa luto sit porticus; & tamen uno*
*Semodio scobis hæc emendet servulus unus.*

EMBAMMA] Liquaminis genus. Plinio intinctus,Columellæ acetum intingendis opsoniis côditum.

*Et mala Assyria, & pulmenta in copiâ, habentur*
*Gloria tota epuli. Congerro supervenit ullus*
*Soli pransuro cum socru, conjuge, prole?*
*Mensa sit unius patinæ adjicialis, amici*
*Gratiâ, & è medio vasis committe trabatur.*
*Nulla apotheca domi: si desint plurima. Pollen,*

ditum. Alex. ab Alex. l. 5. c. 11. *Nos embamma censuimus contritos sapores dici, acido vino infusos, asperrimi gustus, ad acuendum excitandumque stomachum.* Quales sunt omnes illi intinctus, qui in Italia ex aceto, medulla panis, herbis, allio, seminibus aliisve probè contusis in mortario, & commixtis fiunt, & vulgariter audiunt *Mostarda.* FÆCULA COA] Condimentum ex sedimento seu crassiore fæce vini. In usu veterum fuisse indicat Horat. l. 2. Sat. 8. ℣. 9.

*Pervellunt stomachum, siser, alec, fæcula coa.*

Credo tamen fæcem illam vini, benè coctam fuisse, ad saporem & crassiorem usum intingentium. Quemadmodum vidimus in Italia, tempore vindemiæ, mustum rubens, & à torculari adhuc spumans in capacissimo lebete, ab igne submisso ebullire, & percoqui. Gratissimum sanè scitè transmittendis per gulam carnibus condimentum. Et id fortè solum, à voce *Mosto*, quæ mustum significat, propriè vocatur *mostarda*, cetera per similitudinem.

123. MALA ASSYRIA] Citrea jam antè commemorata; scil. ad intinctum, & carnis assæ condimentum. PULMENTA] Liquamina quævis crassiora, quando de liquidioribus sermo factus est. *Pulmentum* & *Pulmentarium* dicitur quidem, ut inquit Varro l. 4 de Ling. Lat *quod edebant cum pulte*, unde non rarò pro opsoniis usurpari videas. Horat l. 1. Epl 18. ℣ 48

*Cœnes ut pariter pulmenta laboribus empta.*

Sæpe tamen strictiùs sumitur, pro edulio quovis ad modum pultis facto. Sic jussulenta nostra olera, quæ solemus aliis cibis præmittere, Kilianus non malè interpretatur, *potage*, Italis *la menestra*. Nec abnuunt Lambinus, Perottus, Calepinus, Had. Junius & alii. Sed quia hîc non tam de escis, quàm escarum condimentis sermo est; suspicor Poëtam elegantissimum, de illo embammate intelligendum fore, quod pultem densiore coagulatione imitatur, quale in artocreatis nostris, & quæ siccioribus opsoniis, perdicibus, leporibus, anatis &c. adhiberi solent. Suspicioni meæ favet Had. Junius, qui pulmentum piperatum Brabanticè interpretatur, *een bruyn sauce.*

124. GLORIA] Laus & commendatio. EPULI] Inde enim maximam laudem & gratiam inєat convivator à convivis, auctore Poëta nostro, quem artis Apicianæ non ignarum fuisse, arguit libellus, cui nomen *M. Ant. Magiro*, Lovanii editus sermone vernaculo, ubì lautæ culinæ disciplinam, mirasque gulæ illecebras tradit. CONGERRO] Sodalis quispiam quo uteris familiariter in colloquiis, consiliis &c. & qui tecum frequenter garrit. SUPERVENIT] Sub meridiem & horam prandii, inexspectatus, & ex improviso.

125. SOLI PRANSURO] Qui alioquin solus cum familiâ pransurus fueras.

126. UNIUS PATINÆ ADJICIALIS] Adjiciatur amici gratiâ una patina, exquisitioris edulii, quam aliàs tibi nec familiæ appositurus eras. Pulchrè allusum ad cœnas adjiciales veterum, in quibus multa extra ordinem & justa fercula adjiciebantur. Aditiales ab adito Sacerdotio vult dici Junius, & Just. Lipsius in Senec. Epl. 123. ubi pro *adjiciali* emendat aditiali; & favet ratio.

127. E MEDIO VASIS &c.] Præcipe ut siphunculo in mediam cupam immisso, vinum minùs fæculentum, aut enerve, sed purius & generosius depromatur. *Quis* enim, ut Plut. ait Symp. l. 7. Q. 3. *Ignorat vini medium, olei summum, mellis infimum esse optimum?* Quod totidem verbis Plempius de tuend. Val. cap. 5. Rationem addit Plutarchus, quòd in medio vini calor conservetur, in fundo à fæce, in summo à vicino aëre vitietur.

128. NULLA APOTHECA DOMI] Dic (sic suader poëta) nihil exquisiti, aut tuo palato dignum habet cella, seu penu nostrum, quò scil. excuses mensæ tenuitatem. *Apotheca* locus est, ubi quidpiam conditur: ἀποθήκη enim latinè sonat, repositorium, seu reconditorium. Ulysses apud Horat. l. 2. Sat. 5. ℣. 6.

*Nudus inopsque domū redeam te vate: neque illic*
*Aut apotheca procis intacta est, aut pecus.---*

*Pollen* farina à furfuribus expurgatissima, quæ puri-

*Caseus, ova adsunt, herbosum injunge moretum,*
*Prætereaque nihil: toto gaudebimus anno*
*Hoc vitæ studio; nec quid rationibus addes*
*Distribuens epulis epulum. Sed renuit uxor*
*Assiduas curas. Primis ducenda diebus;*
*Nil facile est æquè. Dicetur culpa mariti*
*Rustica si conjux: polietur, linxeris ursam.*
*Felici obtigerit facie reverenda suavi,*
*Conjugis excipiens votumque umbrasque sagacis;*

puritate vincit similaginem: vernaculo sermone dixeris *blom*, ut Latini florem farinæ. Quatuor enim molitum triticum partes habet, pollinem, similam, secundarium & furfures.

129. INIUNGE] Demanda, vel cura ut conficiatur motetum, id est placenta seu testuaceum ex herbis, puta ex anthrisco seu chærephyllo, primæ, ut vocant, accretionis vel cæsuræ, & aliis. *Moretum* priscis fuit libi genus, quod ex lacte, vino, caseo, & herbis conficiebant. Extat ejus nominis poema, quod Virgilio quidam tribuunt, unde plenam *Moreti* notitiam haurias. Ovid. 4. Fast. ℣. 367.

*Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum*
*In domina mensis? An sua caussa subest?*

Græci dicunt μυττωτὸν: estque nomen *Moretum* latinis generale, & omne fere quod tritum est significat.

130. GAUDEBIMUS] Hâc mensâ parabili, & suavissimo convictu delectabimur.

131. HOC VITÆ STUDIO] Hoc convivandi instituto, ut dixi. RATIONIBUS] Tabulis vel libris impensæ annuæ. Id est vertente anno, non senties te plus impendii fecisse, frequentiùs convivando, quam si semel iterumve dumtaxat, magnificum aliquod epulum exstruxisses.

132. DISTRIBUENS EPULIS EPULUM] Unicum lautissimum epulum, seu potius impensas, quas in hoc facturus eras, dividens in plura conviviola. SED RENNUIT UXOR] Cui cura penoris & culinæ. Quasi ex alienâ personâ contra se argutatur Poëta.

133. ASSIDUAS CURAS] Labores, sumptus, & attentionem in culinam, & mensam. Hæc enim muliebria apud nos ministeria: nam uxoribus negotia quævis œconomica relinquuntur à maritis, sola sua, unde victus suppetit, accurantibus. PRIMIS DIEBUS] Nuptiarum. DUCENDA] Leni & commodo sermone flectenda, ut reliquo vitæ tempore præsto sit domino marito, convivium quodvis adornaturo. Tunc enim tempus aptissimum ejusmodi maritorum hortamentis, quando fervet novus adhuc, integerque sibi constat amor conjugalis.

134. DICETUR CULPA MARITI] Rectissimè ac jure meritò. Socrates enim apud Xenophontem de admin. domest. *Si pecus malè affectum sit, plerumque pastorem accusamus: si equus lædat aliquem, plerumque crimen in equitem confertur. Vxor à marito si rectè instituta malè se gerit, meritò culpam ipsa sustinet: at si vir, ea quæ honesta & laudabilia sunt non docuerit illam, atque ita horum ignarâ utatur, an non in virum meritò ea culpa conferri debeat?*

135. RUSTICA SI CONJUX] Inurbana, barbara, agrestis, parum commoda. POLIETUR] Formabitur, & mores meliores docebitur. LINXERIS URSAM] Blandimentis, lenitate, prudentiâ & arte tua, si eam permovere studeas. Desumit metaphoram ab *ursa*, quàm ferunt rudem & indigestam carnis particulam primùm eniti, deinde lambendo eam formare. Ovid. Met. 15. ℣. 379.

*Nec catulus partu, quem reddidit ursa recenti,*
*Sed malè viva caro est. Lambendo mater in artus*
*Fingit: & in formam, quantam capit ipsa, reducit.*

136. FELICI OBTIGERIT] Felix fueris, hâc si ratione amabilem tibi & suavem, à blando ac leni vultu reddideris.

137. CONJUGIS &c.] Promptissimè curans mariti placita. Imò ultro explorare satagens, nutus, gestus, sermonem & umbram, aut denique quidvis aliud, quo maritus votum innuit. SAGACIS] Quælibet mensæ & hospitalitatis momenta expendentis, moxque subolentis, sicubi quid desit, aut redundet, hiet aut protuberet.

*Excusans brevibus, tenui si portio casu;*
*Insinuans oculis, quòd gratus amiculus adsit.*
*Sed quid? non cuivis hodie datur ire Corinthum.*
*Si tua sit capitosa, tenax, plus impediatur,*
*Ut tres excipiat, quàm præfica funeris ulla*
*Lovanii, si Petriviri discesserit uxor;*
*Sicque semel meliùs committeret archimagiro,*
*Quàm sibi quotidie, curæque focariæ inertis:*
*Nolo desperes in pœnâ habiture sodales.*

138. Brevibus] Paucis verbis, non prolixo sermone, aut nimis affectatâ loquacitate. Tenui si portio] Si fortè mensa nimis tenuiter instructa fuerit, ut facilè accidit, superveniente hospite quodam inexspectato.

139. Insinuans oculis &c.] Blando, & ad lætitiam composito vultu, significans hospitem sibi gratum & amabilem obtigisse. Amiculus] Suavissimus. Et hîc gratia capitur à diminutivo, quod vim maximam habere solet in proprietatibus laude dignis. Sic & Horat. de se ad Scevam lib. 1. Epl. 17. ℣. 3.

*Disce docendus adhuc, quæ censet amiculus.---*

140. Sed quid?] Iterum quasi aliis argutantibus. Non cuivis &c.] Non cuilibet tam beato esse licet, ut benevolam, comem ac prudentem conjugem obtineat, aut formet. Proverbium isthoc recentioribus perinde ac veteribus usitatum, diciturque de rebus arduis, raris, & aditu periculosis; uti & de iis, quas non affectantes facilè consequuntur. Originem disces ex Chil. Erasmi. Eo usus Venusinus lib. 1. Epl. 17. ℣. 36.

*Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

141. Si tua sit capitosa] Contumax, duri seu inflexilis animi. Tenax] Avara & sordida. Plus impediatur] Magis operosè rebus minimis occupetur. Invenias enim quæ tanto strepitu, apparatu, & commotione omnia faciunt, ac si res quàm plurimas & maximas effectas darent; at sub finem dum exploras singula, nihil actum deprehendes, voto & spe tuâ turpiter elusus.

143. Tres excipiat] Mensam instruat accipiendis tribus dumtaxat convivis opportunam. Quam præfica] Dux comploraiionis, & curatrix epuli parentalis, quod olim ex prisco Lovaniensium ritu, apparabant mulieribus & matronis, quæ elatum funus in templum constipabant, complorabant, & sacram stipem ad altare, unà cum viris, sub Missæ, ut vocant, offertorio, deponebant. Verùm mos ille deducendi funera jam pridem Brabantinis mulieribus obsoluit; solis viris relicto hoc verè Christiano novissimæ in amicos pietatis officio. Præfica olim erat mulier pretio conducta, ut voce, lacrymis, planctu & gestu, ad luctum & lacrymas provocaret adstantes. Quo spectat istud Horat. de arte ℣. 431.

*Ut qui conducti plorant in funere, dicunt*
*Et faciunt prope plura dolentibus ex animo---*

143. Si Petriviri] Nobilis & civis Lovaniensis. Quâ sorte & ratione Lovanienses dicti sunt *Petromanni* aut *Petriviri*, docuimus suprà Serm. 3. ad ℣. 100.

144. Semel] Generatim & in quemvis casum, simul & semel, sine nova commissione. Committeret] Demandaret totum culinæ officium. Archimagiro] Coquo primario, vel magistro, cujus opera pretio conducitur epulis lautioribus. Μάγειρος, coquus: sic & μαγειρεύω, coquinariam factito. Hinc ἀρχιμάγειρος, magister vel coquorum præfectus. Sensus est: si tua sit tam imperita culinæ, ut, quò tres convivas honestè accipiat, opus illi sit foris accito, conductoque coquo.

145. Sibi quotidie] Sibi, vel focariæ suæ ancillæ æquè imperitæ. Focaria propriè à foco nomen habet, veteribus tamen passim pro concubinâ fuit.

146. Nolo desperes] Correctionem, aut remedium. In pœna habiture sodales] Quibus negotium facessitur ab inscitiis uxoribus. Consolatur hominem pari aliorum fortunâ: nam ut tritum istud:

*Socius doloris sæpè pœnam mitigat.*

Vel ut triviale: *habere socium in pœna solatium*

*Ut fert, invita, refugit matrona, taceto.*
*Finge domi, sociis, incommoda justa lavandi;*
*Et moneas mediâ, priùs ac discumbitur, horâ*
*Snyderum; invenies, quâ contentabere, mensam.*
*Exemplis, ratione cadet, vel tempore, non vi,*
*Nupta, viro: peccat pars magna inscitiâ earum,*
*Simplicibus dominis quas credimus esse molestas.*
*Argueris meritò: Virro mihi sanguine junctus,*
*Vir rudis, at dives; multis incommodus unus,*
*Cognatus tamen, & dives. Vin' semper omittam?*

*est.* Quod iis occinitur, qui in pari, vel in eadem sorte seu damnatione versantur.

147. UT FERT] Occasio vel fortuna. INVITA] Sodalem ad prandendum tecum. REFUGIT MATRONA] Si officium recusat patùm morigera conjux. TACETO.] Indignationem & consilium tuum dissimula.

148. FINGE DOMI SOCIIS] Ad celandas molestias uxorias: viro enim grave fit, audire se imparem perdomandæ conjugi. Consilium ejusmodi tradit: dic amicis jam ad mensam invitatis, domi tuæ justa fore impedimenta; domestica servitia lavandis linteis occupari, proinde secum ad cauponam properent. Id enim maximum apud nostrates excusationis pondus habet: nam eo tempore vel solent uxores domo maritos abigere, aut illi ultro, ejusmodi impedimentorum & sordium pertæsi, aliò commigrare.

149. MEDIA HORA PRIÙS] Paulò ante horam prandii. MONEAS] Indica te scil. cum amicis pransuris adfuturum. DISCUMBITUR] Prandetur. Veteres non assidebant, sed accumbebant mensis. Indè *accumbere, contumbere, discumbere* &c.

150. SNYDERUM] Cauponem notissimum, cujus pandocheion olim in via curta, quæ à nosocomio nomen habet, præferebat insigne floris calthæ, vulgò *de goutblom*. CONTENTABERE] Bene habeberis, vel ad placitum tuum tractaberis, unà cum amicis, quos hâc mensâ contentos affatim experiere.

151. EXEMPLIS] Ubi cognoverit sæpius hoc actitasse maritum, vel alios, insigni cum dispendio. RATIONE] Leni & moderatâ inductione, quâ rationi locum concedat. TEMPORE] Ubi defervuerit prima ferocia. CADET VIRO] Flectetur in obsequium mariti. NON VI] Jurgiis, convitiis, litibus, cavillationibus, aut iræ impotentiâ: quæ non solent nisi amorem & pacem sacrosancti conjugii interturbare; nihilque ad correctionem conducere.

152. PARS MAGNA] Plurimæ conjuges ideò peccant, quia jam memorata ignorant, quantum scil. sibi rei ac famæ pereat, non obsequendo, & semet viris non accommodando: quod non faciant benè à viris cultæ ac institutæ.

153. SIMPLICIBUS] Minus sagacibus, callidis aut prudentibus. DOMINIS] Maritis. Dominos à mulieribus vocari maritos, & dominas à viris vocari conjuges vel amatas, usus prisci est Virgil. l. 4. Æneid. ℣. 214. De Didone.

---- *Dominumque Æneam in regna vocavit.*

Et quidem Pasiphae scelerato tauri amore insana apud Ovid. de art. 1. ℣. 314.

----- *Dixit, Domino cur placet ista meo?*

154. ARGUERIS] Occupatio. Argues, inquit, fortasse, & jure adferes hæc quæ sequuntur. VIRRO] Nomen fictum viri simplicis & inculti, sed opulenti, cujus ingenium & mores hîc graphicè describere instituit. Eo utitur Juven. Sat. 5. ℣. 99.

*Virroni Muræna datur, quæ maxima venit*
*Gurgite de Siculo*----

Id est, lauto patrono, ut volunt hujus loci interpretes. Et Sat. 9. ℣. 35.

*Quamvis te nudum spumanti Virro labello*
*Viderit, & blanda assidua* &c.

Ubi de scelerato, sed divite cynædo sermo. SANGUINE JUNCTUS] Consanguineus, affinis, agnatus, necessarius &c.

155. MULTIS INCOMMODUS UNUS] Solus omnibus aliis cultis exosus, ob mores incultos: id est, quem culti ægrè ferant secum convivam.

156. COGNATUS ET DIVES] Utroque nomine mihi observandus, cognationis scil. & fortunarum.

*Me vocat interdum. Invites, at nemine juncto.*
*Hunc semel Archaicâ poteris compellere mensâ*
*Tempore oportuno, cathedrâque locare supremâ,*
*Et patriis farcire cibis. Bibat, ebibat, ultro*
*Pressus; cordatæ concurrat dextera dextræ.*
*Stringe manum digitis, patrinum te prior offer*

narum. Premit ex mente adversarii hîc loquentis, divitias Virronis, ot magis appareat, præposterum plurimorum studium, qui magis fortuoæ, quàm animi dona in homine suspiciunt, ideoque geminat *τὸ dives*. OMITTAM?] Non invitando, quando alios ad symposium compellavero.

157. VOCAT] Ad mensam suam. INVITES] Respondet poeta, & jam certam legem præscribit: ne in normam civilitatis impingas, eum mensæ tuæ accumbere facias. NEMINE JUNCTO] Non adhibitis aliis convivis, quibus mores illius invisi. Ita par pari referes, & convivium convivio compensabis.

158. ARCHAICA] Incultâ, agresti, tenui & minimè sumptuosâ, qualis antiquorum. Ἀρχαῖον & ἀρχαϊκὸν Græcis antiqoom, simplex, rusticum. Sic apud Synes. ἔθος ἀρχαῖον καὶ πάτριον, mos antiquus, & patrius. Inde *lecti Archaici*, scil. discubitorii de quibus hîc sermo, suntque, ut inquit Nannius, Misc. 4. c. 18. antiquæ consuetudinis, non recentis luxuriæ. Auctor accedit Budæus apud Brodæom Misc. 2. c. 19. Quare malim hanc lectionem apud Horat. lib. 1. Epl. 5. ỳ. 1.

*Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.*

quàm Turnebi legentis *Archiacis* lib. 1. cap. 18. quasi à rudi & impolito artifice, qui lectos ejusmodi fabricabat, & cui nomen *Archia*, Archiaci dicti sint. Et tres optimi codices Torrentiani, disertè habent *Archaicis*. Sed qnid hîc de voce, quando de re convenit? Alex. ab Alex. l. 5. c. 21. *Romanis antea lecti erant Archaici & Bœotici, humiles & breves* COMPELLERE] Seriâ invitatione quasi cogere, sub unnm tecum cœnaculum concedere. Plaut. Bacchid. 4. 10. 10.

---- *Ad virtutem aut ad frugem compulerit.*

159 CATHEDRA SUPREMA] Primâ seu dignissimâ sede, ut tuum in se studium perspiciat, qui aliàs non nisi existimationis tuæ damno, frendentibusque cordatis, id facturus fueras in cœtu plurimorum.

160. FARCIRE] Insigniter pascere & saginare. PATRIIS CIBIS] Quibus mandendis in domo paternâ, & jam in propriâ assuevit. BIBAT, EBIBAT] Urge, insta ut potet, & repotet insigniter, ut nihil in fundo cyathi hæreat. ULTRO PRESSUS] Insoper seu præterea, te stimulante, incitatus. Virgil. lib. 2. Æneid. ỳ. 145.

*His lacrymis vitam damus, & miserescimus ultro.*

162. STRINGE MANUM DIGITIS] Manum alicoam arctè digitis stringere, signum amoris est. CONCURRAT] Jungatur, innectatur. DEXTERA DEXTRÆ] In signum benevolentiæ; cordis enim index est *dextra*, hinc rectè *cordata*. Hâc prehensâ etiam prisci obsecrabant. Plaut. Capt 2 3 82.

*Hæc per dexteram tuam te dexterâ retinens manu*
*Obsecro* ------

Comitatis etiam olim insigne. Virg. l. 3. Æneid. ỳ. 83.

*Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.*

Et Ovid. Met. l. 6. ỳ 447. De Tereo ac Pandione, ad colloquendum coëuntibus: *dextraque dextra jungitur* Concordiæ etiam signum. Papin. Theb. 1. ỳ. 470.

*Iam pariter coëant animorum in pignora dextræ.*

Unde & fidei pignus. Virg lib 3 Æneid ỳ 610.

*Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus*
*Dat juveni, atque animũ præsenti pignore firmat.*

Darius apud Justin. l. 12 c. 15. *Alexandro hoc fidei regia unicum dextra pignus, pro me dabis.* Certè fidei sedes olim habita est dextra, & hinc, dum alteri innexa, symbolum ejus est, addito lemmate Maronis lib 8. Æneid ỳ. 150. *Accipe, daque fidem.* -----Hinc meritò apud Nasonem premit Phyllis Epl. Heroid. 2. ỳ 31.

*Iura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextræ?*

PATRINUM] Sponsorem ac fidejussorem prolis nasciturae, dum sacro fonte expiabitur. Hoc enim amici & necessarii deferunt sibi invicem, quò arctiori necessitudine inter se colligentur. Nam ex vetustissima Catholicæ Ecclesiæ consuetudine, spiritalis, quod aiunt, cognationis vinculum injicitur, tam baptizato, quàm ejus parentibus, cum sponsore ejusmodi & baptizante, ot notissimum est. Hinc adinventæ voces, *patrinus, matrinus*, & qoibus se mutuò compellant, *compatres, commatres* &c. quas licèt haud temere apud ido-

*Conceptæ soboli, tractes connubia pullis.*
*Verba viro assimiles; sint seria, frivola; quæras*
*Quantum præteritis, hoc quantum expenditur anno.*
*Res pretio crescunt, simul & sunt deteriores.*
*Quanta ancillarum viget hoc incuria tractu!*
*Difficiles servi inventu queis fidere possis.*
*Provida quot modios tritici persuaserit uxor.*
*Quot candelarum, quot smegmatis atque butyri,*
*Quot piperis libras, quot ligni millia, vini*
*Quot Bibractensis, Rhenani, & dolia zythi.*

neos inveniat, necessitas tamen & usus Ecclesiæ Romanæ, meritò has Romanâ civitate donavit.

163. CONCEPTÆ SOBOLI ]Quâ jam gravida Virronis uxor. Venustè sermonem aptat Poëta, quo vult capi Virronem, aliis colloquiis ineptum: quod cum hîc, tum in sequentibus cum sale ac venustate exequitur. TRACTES] Differendo quasi seriò & maturè, de suis ejusque liberis inter se per nuptias copulandis. PULLIS] Pueris & puellis: pulli enim nomine censetur cujusvis animantis fœtus. Juven. Sat. 13. ✱. 142.

*Nos viles pulli nati infelicibus ovis.*

Hinc & *pullipremo*, compressor puerorum apud Turn. lib. 3. cap. 19.

164. VIRO ASSIMILES] Ingenio & moribus illius, & in quibus disertus esse possit, ac multùm loqui, sermonem tuum accomoda. SINT SERIA &c ] Id est, sive sint seria, sive frivola quæ profers, nihil pensi habe.

165. QUANTUM PRÆTERITIS ] De rebus itaque familiaribus, & œconomicis percontare, quanti nuper, quanti modo familiam alat.

166. RES PRETIO CRESCUNT ] Insuper adde, & ultrò querere, de rerum venalium pretio; dicendo merces improbas jam pluris venire, quàm solebant probæ. Et perge in argumento sordido, & muliebri, quale scil. agitari solet inter mulieres, & idiotas.

167. QUANTA ANCILLARUM &c. ] Quantæ incuriæ, & nullius frugis sint ancillæ.

168. DIFFICILES SERVI ] Servi fideles rarissimi. Nota hic artem & venustatem salis Scholiriani, qui cùm alibi, tum hic non scribere, sed pingere videtur, & naturam vivaciter adumbrare; quæ uti pictorum, ita & princeps laus est Poëtarum.

169. QUOT MODIOS &c.]In annonam familiæ. PERSUASERIT UXOR ] Id enim apud uxorium obtinet, ut consilio dominæ suæ in penore instruendo acquiescat.

170. CANDELARUM ] Vulgarium, & ex sevo. SMEGMATIS ]Ad usum linteorum. Σμῆγμα Græcis est id, quo emaculantur & abstergentur omnis generis sordes, maximè ex pannis laneis linteisque: Latinè dixeris saponem, Belgicè *seepe*. Causticam ejus vim indicat Mart. l. 14. Lem. 26. quod inscribitur *Sapo*:

*Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.*

Id est, ustulat & ruffat; ut solebant olim Germani capillos rutilare. Quod idem Plin. l. 28. c. 1. dicit inventum Gallorum esse.

171. LIGNI MILLIA ] Fascium ex virgultis coactorum, sive stirpium quernarum, & per medium sectarum, quæ Antverpiæ vulgò nuncupantur *ligna dimidiata*, Belgicè *halfhout*. Et sic numero constant rationes lignariæ: quamquam majora ligna, strue per restim dimetiendâ, venire soleant.

172. BIBRACTENSIS ] Burgundici: Gallicè *vin de Beaulne*. Bibracte Heduorum oppidum, vinis generosis nobile, quod mòdò intra limites Burgundiæ. RHENANI ]Maximè apud nos usitati & æstimati, sic dicti ab ora Rheni fluminis nobilissimi, & per totam pænè Germaniam porrecti, in quâ crescit. Ejus præstantiam non est quod Germanis, vicinisque provinciis, maximèque nostratibus Belgis commendemus: virtutem enim, & famam novimus. ZYTHI ] Potus nostri ex hordeo & lupulo decocti: cerevisiam dicimus, vulgo Belgico *bier*, Italis *la birra*, Gallis *la bierre*.

173.

*Quis merus, aut mango; carus, vendátve minoris.*
*Quis mercatorum instructâ mox antè tabernâ*
*Allicit emptorem; quis contrà dives abegit.*
*Hoc recreaturus teretem sermone, ducentos*
*Accipies in quaque modos re proficiendi.*
*Pondera frumentorum, ellychnia candelarum,*
*Smegma lavatrici sit inutile quale fideli.*
*Quale piper; carbo, an cespes conducat ematur.*
*Quòd patriæ, & Mosæ pretiarit Sturmius olim,*

173. QUIS MERUS] Institor vel tabernarius, justus & sincerus, & mercem probam venditans. MANGO] Fraude ac fuco comens, & poliens sua, ne vitium ab emptoribus notetur. Vide quæ diximus Serm. 4. ad ℣. 32. CARUS] Quis pluris æquo sua indicat & vendit. MINORIS] Æquiori aut moderatiori pretio.

174. INSTRUCTA MOX &c.] Quis ex propolis pridem adornatâ, & apertâ tabernâ, plurimos vel comitate, vel eloquentiâ, vel adulatione, vel pretii mediocritate, vel precibus, vel amicorum commendatione, aliisve studet sibi emptores allicere & comparare. Hoc enim junioribus & novitiis propositum est, ad quæstum, quo vitam tolerent, & rem patris augeant.

175. DIVES ABEGIT] Jam multâ venditione, ac plurimorum annorum instituto tabernario locuples factus; hinc severior, & arrogantior fortunarum suarum præfidentiâ, minùs precariò agit cum emptoribus, ut videatur susque deque habere, emásne, an non emas, & sic abigat potiùs, quàm alliciat emptores.

176. RECREATURUS] Delectaturus,: quia ab homine ceterarum rerum ignaro, commodè quęritur quod scit, & ad quod in numerato habeat, quod respondeat, & cum voluptate; aliàs futurus elinguis, & pisce taciturnior. TERETEM] Rotundum, quælibet sine delectu, aut indeliberatè effutientem. *Teres* appellatur quidquid longum & rotundum: per metaphoram verò, quidquid æquale & per se constans. Horat. l. 2. Sat. 7. ℣. 86.

*----In se ipso totus teres atque rotundus.*

Figura siquidem *rotunda* in se tota collecta est, nihilque in ea angulis eminet. Sic Galli & nostrates *rotundos* homines vocant, aperti cordis, sinceræ fidei, nihil habentes asperum, ut inquit Cognatus; & Plato in Phædro, laudat orationem dilucidam & *rotundam*. Consonat phrasis nostra vernacula, *rotundè quidpiam enuntiare*, pro dilucidè, sine fucis, aut ambagibus. Hîc autem Poëta usurpat vocabulum *teres*, ad simplicem & minimè vafram, hominis linguam exprimendam.

177. ACCIPIES &c.] Ordina: accipies ducentos modos proficiendi in quaque re: id est, multa disces; quibus quàm minimo impendio alas familiam: ut sunt quæ sequuntur. Jocatur & ridet cum sale.

178. PONDERA FRUMENTORUM] Ut cognoscas, justúmne an injustum sit pretium. Libella siquidem à pondere arguit frumenti probitatem, & fraudes molitoris, pistorisque. ELLYCHNIA] Supple, qualia, quæ, & quanta. Nam ab his etiam aliquod compendium accedit rei œconomieæ. Nodosa quippe, minùsque benè digesta, vel crassiora sebum candelę diffundunt nimiùm, aut exsugunt, & fuscius breviusque lumen faciunt. *Ellychnium* Plinio est funiculus stupeus aut xylinus, qui candelam mediam secat, & lumini fomitem subministrat: nostratibus *lemmet*, Italis, *Stopino*, Gallis *la meche*.

179. SMEGMA LAVATRICI &c.] Quæ smegmatis species utilior, ubi fideles lotrices nactus fueris, rigidior, an liquidior?

180. QUALE PIPER] Cujus speciei, coloris, virtutis. CARBO &c.] An magis ex re tua sit, foco struendo carbones, an cespites comparare.

181. PATRIÆ ET MOSÆ VINA] In Brabantia, & vicino tractu Mosano nata: puta in agro Lovaniensi, Namurcensi, Leodicensi &c. Vulgus *landonium* nuncupat; Latinè patrium, aut vernaculum dixeris. PRETIARIT] Commendaverit, probaverit, & salubria æstimaverit; fortè quia ipse eo genere vini delectabatur, vel fortassis ironicè. *Pretiare* verbum est paucis usitatum.

 Sym-

*Vina catarrhosis. Quæ mixtio adultera zytho.*
*Clandestina domo lateat quâ pergula frugi*
*Emptori; & paria his sexcenta docebit ad unguem*
*Vir bonus, & micas solitus numerare salino.*
*Posce novos calices, & condi verba Lyæo,*
*Nausea ne stomachum subvertat: jam citò finis.*
*Pauca priùs subdat de conjuge, prolibus, & se.*
*Exquire, ausculta, vesicæque impera ad horam.*
*Tali digna viro quippe est Cornelia, Amazon,*

Symmachus tamen lib. 8. Epl. 41. *Nunc*, inquit, *elegantia ingenii tui, & inventionum subtilitas pretianda est*. Sidon. Apoll. l. 2. Epl. 10. *Neque apud te litterariam curam turba depretiet imperitorum.* Tertull. lib. de resurrect. carn, *Cujus castigationes probat, cujus passiones sibi adpretiat.* STURMIUS] Medicus celebris Lovanii, Philosophus, Matemathicus, Poëta insignis. Theoremata Physices scholiis illustravit, & de natura rosæ Hierachunt inæ, de circuli dimensione, poëtica item varia scripsit & evulgavit: versus in familiari colloquio extemporarios fundere solitus, mirâ felicitate & arte: quo nomine & jam adhuc in ore Academicorum vivit.

182. CATARRHOSIS] Destillationibus vel catharris ex cerebio decidentibus, obnoxiis. Et hîc rei familiaris compendium: minoris enim prostat vinum patrium, quàm aliunde advectum. MIXTIO ADULTERA] Minùs proba, aut rationibus œconomicis dissentanea. Solent cùm alibi in Belgio, tum Antverpiæ zytbum antequam condatur io cella, miscere, id est tenuiorem cerevisiam & meliorem in unum dolium confundere, ad eam scil. rationem, quâ sibi vel dilutiorem, vel pinguiorem esse voluerint. Quæritur itaque hîc, quâ ratione vel mensuræ proportione id faciendum, ut domus servitia frugaliter, & in officio contineantur, & à nimia saturitate non ferociant.

183. CLANDESTINA PERGULA] Occlusa, seu foris non parens taberna, vulgo nominant *eenen gesloten winckel*, vel *toewinckel*. Ditioribus enim intra domum constat taberna, quæ à transeuntibus videri non potest. Hîc autem tolerabiliori pretio veneunt merces, quàm apud propolas. *Pergula*, uti apud Ulpianum, est ubi venum exponuntur merces, præsertim à pictoribus. De Apelle Plin. lib. 35. c. 10. *Perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus*. Et Lucil. ex Lactant. apud Dousam lib. 20. n. 1.

*Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.*

Plura apud Marc. Donat. in Suet. August. c. 94.

184. FRUGI] Utili, & compendii studioso. Servum *frugi* dicimus, qui rebus herilibus vel augendis, vel quàm minimum minuendis consulit. Vox est frequens Terentio & Plauto, & plerumque utilem & necessarium denotat, quales humano generi fruges. PARIA HIS] Quæ norunt Euclíones examussim.

185. VIR BONUS] Ironicè, ut Sat. 2. ad ỷ. 30. Sic & Galli bonos viros nominant, quibus minimè vasris, uxores parum fidæ facilè imponunt. MICAS NUMERARE] Adeo attentus, ut minima quævis observet. *Numerare salini grana*, aut *micas*, vulgari allegoriâ, dicimus eos, qui observandis singulis quibusque rerum familiarium minutiis ita dediti sunt, ut velint sibi explorato constare, in dies quot salis micæ in familiæ victum absumantur.

186. NOVOS CALICES] Fac tibi refundi vel impleri novum cyathum. CONDI VERBA &c.] Insulsos sermones congerronis, tibi utcumque sapidos redde, siccato calice; & plura dicturo applaude, quò sit vocalior.

187. NAUSEA] Tam inculti ac proletarii sermonis. CITO] Supple erit: id est, citò finiveris hanc comœdiam.

188 PAUCA &c.] Huc protrahe fabulam, ut incidat in familiam suam, & nanciscatur opportunitatem differendi de uxore, liberis, & se.

189 EXQUIRE] Cautè percontando. AUSCULTA] Responsantem. VESICÆQUE &c.] Mictum contine, ne tuo secessu rumpatur fabula. Juven. Sat. 6. ỷ. 64.

*Tuccia vesica non imperat, Apula gannit.*

190. TALI DIGNA VIRO &c.] Lauda illum hyper-

*Penelope, Alcestis, Tanaquil, Lucretia, Cypris*
*Ipsa; rosa ut sputat, sunt aurea verba, loquatur;*
*Delicias cacat, & mingit fragrantia. Præstò,*
*Præstò adsint pueri, spument carchesia, Divæ*
*Propinanda isti. Te terque quaterque beatum,*
*Marte, Alcide, Herme, rivalibus, & Jove dignum!*
*Quæ tua progenies tali de stirpe? Quaternâ,*
*De sexu meliore, facit me prole parentem.*
*Unica dumtaxat, quæ matris imagine splendet,*
*Gnata mihi: dicam: quid circumductio? multis*

hyperbolicè, & conclude, utrumque palpo percutiendo, dignam tanto viro conjugem obtigisse: utpote quæ referat laudes clarissimarum, Corneliæ, Penelopes, Alcestis, Amazonum &c. CORNELIA] Nobilissima Romana Gracchorum mater, de qua Val Max. l. 4. c. 4. AMAZON] Simili Penthesileæ aut Amazoni cuipiam, ex numero bellicosissimarum mulierum, quarum originem, progressum & interitum describit ex Trogo Justinus lib. 2. c. 4.

191. PENELOPE] Uxor Ulyssis, pudoris & fidei conjugalis rarissimum exemplum, à poëtarum scriptis nulli ignotum. ALCESTIS] Admeti regis Thessaliæ uxor, quæ audito maritum morbo pressum sanari non posse, nisi pro eo spontaneam mortem quis oppeteret, ita reddente oraculo; & alius in toto regno non inveniretur, qui hoc vellet, mori pro conjuge, conjux fidelissima non dubitavit. Juven. Sat. 6. ℣. 651.

*-----Spectant subeuntem fata mariti*
*Alcestim.-------* & Senec. Med. ℣ 662.
*Conjugis fatum redimens Pheræi*
*Vxor impendit animam marito.*

TANAQUIL] Tarquinii Prisci Romanorum regis conjux laudatissima, cujus vaticinio & ope thronum conscendit. LUCRETIA] Famosissima illa Collatini conjux, quæ à Tarquinio oppressam pudicitiam, impacto in proprium pectus mucrone, seque, & maritum ulta est. CYPRIS IPSA] Ipsa venustatis & amoris Dea. Apte concludit. Id est par Veneri, quæ olim in Cypro religiosissimè culta. Hyperbolicè scil. ut in Octav. Senec. ℣. 536.

*Genere atque formâ, victa cui cedat Venus.*

192. ROSA UT SPUTAT] Adeo amabilia & venusta illi sunt omnia, ut putes eam rosas sputare, loqui aurea verba &c. Pers. Sat. 2. ℣. 38.

*-----Quidquid calcaverit, hic rosa fiat.*

Id est, nascatur illic rosa. Sensus Nostri hic est, quæcumque loquitur aut facit, omnia ad amorem incendunt, & in pretio habenda.

194. PUERI] Famuli à poculis, qui vinum ministrent. SPUMENT] A recenti infusione, & collisо vino. CARCHESIA] Crateres vel calices capaciores, & philothesii. Nomen habent à forma *carchesiorum* in summo mali nautici. Papin. Achil. lib. 2. ℣. 6.

*---Vbi excelsâ libant carchesia puppe.*

Plura vide Serm. 7. ad ℣. 466.

195. ISTI DIVÆ] Veneris istius saluti libanda. TE TERQUE &c.] Epoto carchesio, prædicat fortunam & felicitatem Virronis, exclamando illum centies felicem, cui tam bella, elegans & bona uxor obtigerit, ut dignus sit, qui rivales habeat viros principes.

197. MARTE ALCIDE &c.] Id est principibus, ut inter Deos fuere Jupiter, Mars, Mercurius, Hercules &c.

197. QUÆ TUA PROGENIES?] Quos, quales & quot liberos ex illa Venere genuisti? QUATERNA] Vox est respondentis Virronis: quatuor masculorum patrem me reddidit.

198. DE SEXU MELIORE] Masculeo. Papin, lib. 1. Theb. ℣. 393.

*Hic sexus melioris inops, sed prole virebat*
*Fœmineâ, gemino natarum pignore fultus.*

PROLE PARENTEM] Virgiliana phrasis lib. 1. Æneid. ℣. 79.

*-----Pulchrâ faciat te prole parentem.*

199. MATRIS IMAGINE] Decore, vultusque elegantiâ matri Veneri par.

200. QUID CIRCUMDUCTIO?] Cur per flexus & mæandros verborum prolixiùs ducam sermonem.

*Expectata procis, sed necdum nubilis; annis*
*Nata decem; timeo ne mores, gratia, virtus*
*Suppleat ætatem: formâ est pulcherrimâ, & ipsâ*
*Candidior Chione; Sarrana genis, generosi*
*Principis urticâ, vel cœtu digna Dianæ.*
*Major & hic annos viginti natus & unum*
*Filius, ingenio est præcox, studiisque peractis*
*Civica corda rapit: non ullum consulit, at jam*
*Consulitur; viduis votum primisque puellis*
*Non vulgare, decus stirpis, dignusque Senatu.*

nem. Audientis tædium mitigat, & fidem parat ab asseveratione intrepida.

203. SUPPLEAT ÆTATEM] Ante annos pubertatis ametur, & interpelletur à procis, ut mihi de dote paranda seriò cogitandum sit. Hoc enim curam facit patri attento. PULCHERRIMA] Ex quo Venerem matrem refert.

204. CANDIDIOR] Formosior, cute scil. candicante. Forma candida in primis laudatur. Prop. de Hyla l. 1. Eleg. 20. ℣. 45.

*Cujus & accensæ Dryades candore puella.*

Catullus Epig. 13. ad Fabul. ℣. 3.

*Si tecum attuleris bonam, atque magnam*
*Cœnam, non sine candida puella.*

CHIONE] Dædalionis filia, de qua Naso Metamorph. lib. 11. ℣. 301.

*Nata erat huic Chione: quæ dotatissima formâ*
*Mille procis placuit, bis septem nubilis annis.*

Sed hæc dum se præferre Dianæ sustinuit, linguâ Dianæ telo transfixâ, ut loqui frustra conatur, sanguine vitâque destituitur. *Naso ibid.* De scorto quodam, cui nomen Chione Mart. l. 3. Epig. 34.

*Digna tuo cur sis, indignaque nomine; dicam:*
*Frigida es, & nigra es; non es, & es Chione.*

A niveo enim colore Chione nomen inventum. Nam Χιὼν Græcis nivem significat. SARRANA GENIS] Rubicunda, & vividi coloris. *Sarra* Phœniciæ urbs, quæ & Tyrus, à bysso vel serico purpurâ imbuendo celeberrima. Abundat enim istic piscis *Sar* vel *Sara*, cujus usus in tingenda purpura. Hinc *sarrana* pro purpurea. Virg. lib. 2. Georg. ℣. 506. -------- *Sarrano dormiat ostro.* Sidon. Apoll. Carm. 2 Pan. Anth. Aug. bis Cos.

------ *Sarranis ebria fucis.*

205. URTICA] Amore, seu tentigine. *Vrtica* notæ significationis herba, quòd frondes illius tactæ urant, sic dicta. Tralatitiè œstrum, aut pruritum libidinis notat. Juven. Sat. 11. ℣. 165.

*Irritamentum Veneris languentis, & acres*
*Divitis urtica.* -----

CŒTU DIANÆ] Sodalitio virginum, & nympharum Dianæ: Id est digna quæ ob formam morumque venustatem, Dianæ cujuspiam, seu Reginæ vel Heroinę comitibus accenseatur. De Nymphis Dianæ comitibus Virg. l. 1. Æneid. ℣. 502.

*Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi*
*Exercet Diana choros; quam mille secutæ*
*Hinc atque hinc glomerantur Oreades.* -----

206. MAJOR ET HIC] Maximus natu filius. Procedit ad laudem filiorum Virro, quando de filia, finita laus inurbana.

207. INGENIO PRÆCOX] Præmaturi, ac præcocis ingenii, ut jam eruditione ætatem superet. STUDIISQUE PERACTIS] Academicis, Philosophiæ ac Legum.

208. CIVICA CORDA] Civium animos. RAPIT] In admirationem & sui amorem. NON ULLUM &c.] Dat, non rogat consilium. Juven. Sat. 6. ℣ 573. -------- *Quæ nullum consulit, & jam*
*Consulitur.* --------

209. VIDUIS VOTUM] Matribus, quæ scil. hunc generum desiderent, in curæ domesticæ partem, & viduitatis levamen. PRIMISQUE PUELLIS] Nobilitate & opulentiâ primariis, quæ sponso tam amabili ac fortunato gaudeant, & ejus nuptias certatim ambiant. Scilicet cū Persio Sat. 2. ℣. 37.

*Hunc optent generum rex & regina: puellæ:*
*Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic, rosa fiat.*

210. DECUS STIRPIS] Familiæ suæ. DIGNUS-

*Quin & ! sed sobolis laus patris sordet in ore.*
*Dic quæso ulteriùs. Non cedit Marte secundus*
*Fraternæ doti; non est adeò ingeniosus,*
*At præstans animi. Loquitur ceu militiæ dux.*
*Præsidio numquam excessit. Sed quid fore credis*
*Tempore, cùm positis versabitur agmine castris?*
*Perstat in excubiis, nulli virtutibus impar;*
*Hoc nunc grandiloquo matrem perterruit ore.*
*Tertius est virtus ipsa, hunc aptabimus aræ.*
*Est Abbas facie, pius, & sine fraude doloque:*

NUSQUE SENATU] Qui à Rege ad Senatorum Collegium cooptetur.

211. QUIN ET!] Aposiopesis, seu reticentia: ut istud Virg. l. 1. Æn. ℣. 139.

*Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.*

Ita & hìc. SED SOBOLIS &c.] Epanorthosis seu correctio, ne scil. nimis sibi blandiri, & liberos suos efferre videatur. SORDET] Sordida, illiberalis, & ignominiosa reputatur. Sic laudanti se immodicè, vulgariter isthoc occinunt: *propria laus fœtet in ore.* Et Michaël Verinus:

*De te alii narrent, proprio sordescit in ore*
*Gloria: si taceas plus tibi laudis erit.*

212. DIC, QUÆSO, ULTERIUS] Sic tibi loquendum innuit Poëta, quo nempe moneas hominem, ut orationem suam hìc suspensam prosequatur; nec moveatur laudis propriæ sordibus ad conticendum. Ita enim suo eum capiet genio, & ab audiendo ludicro, voluptatem hauriat. MARTE] Fortitudine, animo bellicoso, ferociâ &c.

213. FRATERNÆ DOTI] Donis fratris sui natu maximi naturalibus, & studio acquisitis; ingenii scil. eruditionis, prudentiæ &c. Id est æquè laudandus à fortitudine, quàm frater ab eruditione.

214. PRÆSTANS ANIMI] Animositate intrepida, & qualis militem deceat. LOQUITUR] De armis, & scutis bellicis. MILITIÆ DUX] Tanquam dux exercitus, vel centurio quispiam veteranus.

215. PRÆSIDIO &c.] Hactenus in præsidiis, id est arcibus, oppidis, aut locis vallatis se continuit, nondum contra hostem in campum eductus. *Præsidia* loca sunt munita, quæ militibus præsidio sunt contra insultus hostium, item & milites, qui loco præsidium sunt. Unde arces, oppida, castra &c. non secus præsidia dici possint, quàm milites. Sic Livius lib. 5. c. 6. *Fustuarium meretur, qui signum relinquit, aut præsidio decedit.* Et Cicero passim pro quavis militum statione usurpat.

216. POSITIS &c.] In campo, & extra arces vel oppida, positis castris, inter agmina militaria versabitur, & exercebitur. Sensus est: si modò tam peritè loquatur de rebus Martiis nondum eductus ad campum & prælia: quid non ubi aciem viderit?

217. PERSTAT IN EXCUB &c.] Pertinaci labore & tolerantiâ stationes suas obit; nemini secundus animi robore, vel strenuitate.

218. MATREM PERTERRUIT] Anxiam reddidit, de nimia temeritate, audacia, ac sui incuriâ. Filiis enim, eorumque periculis ejusmodi, magis metuunt matres, quam soleat pater; qui vel nullum periculum id esse existimat, vel gloriosum ducit, vel saltem, audaciora filiorum dicta, pro more juvenum, tantùm dicta reputat & ridet; adeoque secundùm oris jactantiam non processuram facti temeritatem. ORE GRANDILOQUO] Jactabundo, & magna crepante.

219. VIRTUS IPSA] Maximè probus & placidus. Idiotismum nostrum olet: *de deughe selver.* A quo non dissentiunt phrases Terentii ut Aud. 3. 5. 1. *Ubi illic est scelus, qui me perdidit?* ---- Eun. 2. 3. 10. *ut illum dî deæque senium perdant.* Ubi *scelus* pro scelesto, *senium* pro sene, nomina scil. ut vocant, abstracta pro concretis. Item & Plauti Asin 2. 2. 2. *Lubentiores faciam quàm lubentia'st.* Et alibi *lubentiâ lubentiùs*, aliaque sexcenta hunc facientia. APTABIMUS ARÆ] Educabimus, & instituendum curabimus ad ordinem Ecclesiasticum & Clericalem.

220. ABBAS FACIE] Vultu præfert sanctimo-

P niam

*Sex tamen annorum. Minimus, versutus, & acer,*
*Crede, spei magnæ; regum expectabitur aulis.*
*Patrizant. Doceo proavos, vel ab Hectore natos,*
*Aut veteri Ammadeo; quàm longo sanguine pulchrum*
*Censeri; quos despiciant, queîs cedere possint.*
*Quidquid habet vicina novi, cognata, sorórve;*
*Italiâ quidquid villis dimittitur aureis,*
*Uxor habet: charo à consorte quid ampliùs optes?*
*Nox ruit, ergo vale. Potet priùs, atque repotet;*
*Tu quoque, si sit opus. Quando discesserit, aies:*
*Gaudeo, conjux, affini satis esse rotundo;*
*In longum tempus satis est. Tu sanguinis arcto*

niam & gravitatem Abbatialem, & huic dignitati, in eo, quadrant omnia.

221. MINIMUS] Scil. natu. VERSUTUS] Callidus & sagax, futurus politicus.

222. SPEI MAGNÆ] Ad magnos honores, & aulæ magistratus aliquando perventurus. EXSPECTABITUR] Ut sit consiliarius, vel à secretis, vel minister rerum monarchicarum, legatus, & qui arte politicâ, fide, & rerum agendarum dexteritate, publicæ Regis, & regni saluti prosit.

223. PATRIZANT] Patrem suum imitantur. Hoc laudis compendium enuntiet convivator, ut novum calcar addatur ultra progressuro in commendationem suorum. Quasi velit poeta: tu dic eos *patrizare*. HECTORE] Quàm vetustâ & inclytâ propagine oriundos. Veterum enim plerique, generis suæ nobilitatem deducere ambiebant, à ducibus & Heroibus, qui bello Troiano interfuere. *Hector* filius Priami, Troianorum fortissimus, ab Homero decantatus, & poëtarum monumentis notissimus.

224. AMMADEO] Fabuloso illo, & à fortitudine, aliisque virtutibus inclyto, quem suprà ex Lipsio ingeniosi nugatoris foetum diximus Ser. 1. ad ℣. 28. Rectè sibi vanus ille à fabulosis, laudis argumentum quærit. LONGO] Vetusto.

225. QUOS DESPICIANT] Præ se, ut ignobiliores, aut natalium splendore inferiores. QUEIS CEDERE POSSINT] Sine notâ dedecoris, aut nobilitatis suæ detrimento.

226. HABET NOVI] Indumenti, gemmarum, unionum, aut aliorum, ad mundum muliebrem, & corporis ornatum. Huc enim mulierum vota feruntur, ne aliis sibi neglectiores videantur.

227. ITALIA QUIDQUID &c.] Mediolano inprimis ad nos advehitur, contextum ex pilis vel floccis auro implexis. Inde enim vestes Attalicæ, & auro intertextæ.

228. UXOR HABET] Mea, me promptè donante, ac argentum dependente. A CONSORTE] A marito quid ultrà uxor postulare possit? Ac si dicat: quævis etiam pretiosissima largior uxori meæ, impensarum in curam & vota illius, minimè parcus.

229. NOX RUIT ERGO VALE] Valedicit hâc formulâ Virro: in noctem protraximus fabulas, valere te jubeo, domum abeo. Virgil. l. 8. Æneid. ℣. 369. *Nox ruit & fuscis* &c.--- POTET PRIUS &c.] Antequam recedat, preme illum, ut semel iterumque potet. Hoc enim ex lege hospitalitatis, convivator suis convivis debet, ne videatur eos spontè dimittere.

230. TU QUOQUE SI SIT OPUS] Etiam bibe, si ægrè alioquin, & gravatè eum ad potum inducturus es. AIES] Jam lætus ob discessum tam inconditi ac inculti hospitis, ad conjugem tuam dices.

231. SATIS ESSE] Illi à nobis esse satisfactum, utpote qui mensam, pocula, & fabulas, pro animi sui lubentia invenerit. ROTUNDO] Tereti seu simplici, ut exposuimus ad ℣. 176.

232. IN LONGUM TEMPUS &c.] Pertæso mihi colloquii, & moris tam insulsi, opus non erit, nisi post longum temporis intervallum, cum tam inaccepto hospite convivari. SANGUINIS &c.

*Jure feras omne hoc, injuncta piacula credens*
*Lauti ventriculi, longæque libidinis, umbram*
*Solatura tuam. Verùm, si junxeris illi,*
*Erecti quos Nosti animi, verbisque gravandos*
*Futilibus; barathri fundo volvêris in imo,*
*Inter eos, ausi qui corpora mortua vivis*
*Jungere, legitimis & falsos spargere nummos.*
*Sed quid concludis? quæret quis lassus: amicos*
*Sexaginta habeo, quos observem, excipiamque:*
*Vin' conviviolis me tot macerare? Duos nam*
*Difficilè invenies hodie, queis convenit inter*
*Se spatio exiguo, & qui non rixentur apertè.*

&c.] Consanguinitatis & necessitudinis gratiâ. Hîc iterum Poëta sub personâ propriâ, suadet tolerantiam iis, qui lege urbanitatis tenentur ejusmodi ineptos & agrestes, ad epulas invitare. OMNE HOC] Omnia hæc incommoda, & tædia.

233. INJUNCTA] A conscientiario, vel Presbytero à sacra confessione vel exomologesi. PIACULA] Opera piacularia, ut diximus supra Ser. 4. ad ℣.113. Id est, certò tibi persuade, quasi hæc patientia, in accipiendo tam molesto & exoso convivâ, tibi, ad expiationem gulæ ac libidinis tuæ, imposita sit à Sacerdote pœnitentiario.

234. LAUTI VENTRICULI] Nimis lauta edulia expetentis, & degulantis. UMBRAM] Animam tuam, ubi mortali corpore soluta fuerit.

235. SOLATURA] Sublevatura in igne piaculari, & flammis ultricibus; ad sensum Catholicæ Ecclesiæ, post hanc vitam. SI JUNXERIS &c.] Eidem tuæ mensæ sodales, & convivas adhibeas unà cum illo.

236. ERECTI QUOS &c.] Quos novisti viros graves, verè generosos, eruditos, cultos, altioris ingenii, & quos Vitonis & nugarum ejus tędeat.

237. BARATHRI FUNDO] In imo Tartaro, qui ut Virgiliano commento libr. 6. Æneid. ℣.578.
*Bis patet in præceps tantùm, tenditq; sub umbras,*
*Quantus ad æthereum cæli suspectus olympum.*
*Barathrum* autem, propriè est hiatus in Attica tenebrosus, & instar putei, in quem nocentes deturbabantur. Pro Tartaro usurpat Virg. lib. 8. Æn. ℣.245.----- *Superque immane Barathrum*
*Cernatur, trepidentque immisso lumine manes.*
VOLVERIS] Cruciaberis instar Ixionis, qui rotæ alligatus illic perpetuò volvitur. Poëticè jocatur, non ex vero ut antè. Neque enim tantillæ noxæ, ut est convivas dispares conjungere, tanta pœna deberi possit. Pergit in argumento ludicro.

238. INTER EOS &c.] Iis accensendus, qui mortua corpora jungunt vivis, horrore, sanie, fœtoreque perimendis: ac inter nummos probos spargunt adulterinos. Prioris sceleris immanitatem affingit Mezentio Virg. l. 8. Æn. ℣.485.
*Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,*
*Componens manibusque manus, atque oribus ora,*
*(Tormenti genus) & sanie taboque fluentes,*
*Complexu in misero longâ sic morte necabat.*

240. QUID CONCLUDIS?] Colligis, aut quam inde sententiam conficis? Cic. 2. de fin. 63. *Deinde concludebas summum malum esse dolorem.* Et Acad. Q. 4. c. 27. *Quomodo quempiam aut conclusisse aliquid, aut invenisse diceremus?* LASSUS] Longa hâc de conviviis oratione. Sensus est: fortasse lassus quispiam audiendis hisce meis consiliis & rationibus, quæret quid ex iis deducam, cùm videantur omnia mea argumenta eò tendere, ut frequentissima, & pænè quotidiana convivia instituantur. Nam ut meritò quispiam

241. SEXAGINTA &c.] Lege honestatis ac civilitatis obstringor gratiam redhibere iis, qui me quandoque convivam habuere, aut quibus alio quocumque nomine debitor sum.

242. MACERARE] Attenuare, & accisâ re meâ paupertate.

244. SPATIO EXIGUO] Temporis scil. Id est, qui ne consentiant quidem ad horam, quâ simul discumbant.

*Fallitur hic quisquis; non est rixari, animosè*
*Si quis defendat, quæ suadet opinio, contra*
*Problema alterius; nec erit discretio talis*
*Utilis: at cures hirci moveantur ab hœdis;*
*Cultis, inculti; tenebris, lux; semiviro, vir.*
*Ut placet, invites; sex, octo, novem, prout aptè,*
*Vel prout occurrit, cum potatore bibaces,*
*Cum lepidis lepidos, & cum Thersite loquaces.*
*Delectu constant hominum convivia læta.*
*Incidat invitandi aliquos occasio: debes,*
*Sive soles; spe nempe lucri, suffragii, amoris;*

245. HIC QUISQUIS] Supple, *est* vel *fuerit*. ANIMOSE] Cum animi fervore, contentione, & acrimonia.

247. PROBLEMA] Propositum, sententiam, vel argutationem alterius. Πρόβλημα propriè significat id, quod objicimus pro munimento & tutamine. Sic Aristoph. πρόβλημα κακῶν, propugnaculum adversùs mala. Aristoteli verò id quod in disceptationem venit: id est quæstio, propositum, controversia. Inter Had. Junii adagia reperias, *aliud problema*, id est alia quæstio, alia controversia. DISCRETIO] Disiunctio, seu potiùs non conjunctio, ejusmodi convivarum. Sententia est: inutiliter ac indecorè seorsum tales accipias, eos non adhibendo eidem convivio, quos noveris in caussa quapiam disputanda dissensuros. Hoc etenim ritu constant ejusmodi sacra, ut ex contentionis calore, nova semper fabellarum seges exurgat. Convivis enim cultis, & eodem instituto, sorte, dignitate, vel more viventibus volup est, duos ex sodalibus acriter inter se pugnantes audire, maximè, si uterque emunctę naris est, & periculum abest rixæ incultioris.

248. HIRCI AB HŒDIS &c.] Nimiùm à se invicem distantes, ut hirci ab hœdis, culti ab incultis &c.

249. SEMIVIRO VIR] Mulieroso & effœminato, & uxoriis imperiis obnoxio, vir fortis & constans, nil concedens muliebribus lenociniis, multò minùs imperiis. Viros enim in quos mulier dominatur, familiari phrasi noster appellat *semiviros*. Vide Serm. 3. ad ℣. 223.

250. SEX, OCTO, NOVEM] Intra cancellos, & numeros Charitum & Musarum, ut suprà præscriptum.

251. OCCURRIT] Ut fert occasio, vel voluntas, aut lubentiæ tuæ arbitrium.

252. THERSITE] Garrulo, & vehementer vocali. Fuit *Thersites*, ut est apud Joan. Brittannic. in Sat. 8. Juven. *In castris Græcorum vir loquacissimus, qui nihil curæ habebat, quàm rectè, aut quàm apertè, sed ut quamprimum, & quàm maximè ridiculè loqueretur.* Regibus etiam conviciari solebat: quamobrem alii eum ab Ulysse percussum eburneo sceptro, alii ab Achille pugni ictu interemptum volunt. Erat etiam homo monstrosæ deformitatis, indè locus proverbio: *Thersitæ facies*. Vide Chil. Erasm.

253. DELECTU CONSTANT &c.] Elegans sententia, & verè quibuscumque parum supra plebem cultis observanda. Quâ significatum vult: nihil tam esse ad excitandam inter convivas hilaritatem comparatum, quàm æqualitas ingeniorum, & convivæ cum delectu sociari ac conjuncti.

254. INCIDAT &c.] Argutatur alius quispiam ab utili, qui propositum Poetæ impugnat.

255. SOLES] Inductâ jam ab aliquot annis consuetudine. LUCRI] Quod facias tractando negotia, implorando auxilium, patrocinium, vel consilium, aut aliud quodvis, quo damnum arceas, vel rerum incrementa facias. SUFFRAGII] Favoris parandi, ut magistratum aliquem, aut dignitatem obtineas. Hâc enim arte, suffragantibus pertinacia adversandi cadit, & ambientibus ad votum surgit fortuna. De candidato quopiam, artis ejusmodi non ignaro, Sidon. Apol. l. 4. Epl. 25. *Hic*, inquit, *per fragores parasiticos culinarum suffragio comparatos, Apicianis plausibus*

*Damæ perna data est, vel aperculus inscius herbæ,*
*Et par perdicum: capit octo mensula, & illi*
*Sunt septem; unius redit excusatio quorum:*
*Sex ergo; impensæ factæ sunt: adjicietur,*
*Ante duos menses qui te invitavit amicus,*
*Cum Dominâ uxore; & cautè invenisse putabis.*
*Recula sic tuta. At nullum cognoscit eorum,*
*Quos priùs intendis; diversò vivit & audit.*
*Sufficiens locus est. Nugaris, mechanicorum*
*Hæc ratio: æquales stet primùm jungere, ne rem*
*Introitu mutiles; &, quantum fert, sibi notos:*

*sibus ingerebatur.* Amoris] Benevolentiæ, vel amicitiæ conciliandæ, vel servandæ, aut fortè etiam nuptiarum parandarum, tibi aut liberis &c.

256. Damæ] Capræ silvestris. Perna] Coxa, seu pes cum superiori parte carnosa & nervosa. Vulgus censet esse idem quod petaso: distinguunt doctiores; ut pernæ sint anteriorum, petasones pedum posteriorum. Aperçulus] Tenellus & recenter editus aper; qui materno lacte dumtaxat, nondum herbis pastus est. Sic hœdus apud Juven. Sat. 11. ℣. 66.

*Hœdulus ex toto grege mollior, inscius herbæ.*

257. Capit octo] Par est admittendis octo convivis. Mart. lib. 10. Epig. 48. ℣. 6.

*Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.*

Et illi] Invitati, quorum unus non condicit, excusando scil. quâvis legitimâ de caussâ, alibi se detineri.

259. Impensæ factæ sunt] In opsonandum, & apparatum convivalem, ceteraque huc spectantia.

260. Invitavit] Ad cœnam suam.

261. Caute] Ad utilitatem & compendium accommodatè, & ex prudentia œconomica. Sic enim eodem sumptu & convivio, pluribus satisfeceris, quibus alioquin accipiendis duplex tibi epulum instituendum erat. Hoc est, ut vult proverbium: *De eadem fidelia duos parietes dealbaveris.*

262. Recula sic tuta] Sic cautum est rebus tuis, & minimo impendio. Vox est ridentis Poëtæ, à quo nisi me fallant omnia, lepidè allusum ad sonum isthunc *Rekel*; qui nobis Euclionem, avarum, sordidum, caninum designat: quasi dicat; sic tibi constent sordes caninæ, & rationes avaritiæ. At nullum] Non cognoscit quempiam eorum, quos jam ante invitasti. Sic contra adversarium argutatur Poëta.

263. Diverso vivit &c.] Alterius genii est, seu diversæ vitæ, famæ, sortis quam reliqui convivarum.

264. Sufficiens locus est.] Ut octoni accumbant. Sic instat caninus & sordidus Euclio, vel patronus illius; ut illi constet *recula*. Nugaris] Nugaciter argutaris, nugas & ineptias in medium profers. Pers. Sat. 1. ℣. 56.

*Qui pote? Vis dicam? Nugaris cum tibi &c.*

Mechanicorum] Plebeiorum, illiberalium, vilium, & obscurorum.

265. Stet] Tibi certum & decretum, animo tuo statutum sit. Virg lib. 2. Æneid. ℣. 750.

*Stat casus renovare omnes.-----*

Et lib. 12. ℣ 678.

*Stat conferre manū Æneæ: stat, quidquid acerbi est,*
*Morte pati: nec me indecorem* &c.

Claud. de Rapt. l. 3. ℣. 323.

*Stat fines penetrare noti.------*

Introitu] Principio, vel in aditu mensæ.

266. Quantum fert] Quantum per te, tuaque consilia licet, aut fieri potest. Sibi] Invicem, & mutuo usu cognitos. Notos] Scitè ac justè: cum ignotis enim cœnare, viris prudentibus invisum & grave: quod ipsum lepidè Martialis vocat cœnare solum. Extat lib. 11. Epig. 36. ad Fabullum.

*Ignotos mihi cum voces trecentos,*
*Quare non veniam vocatus à te*
*Miraris, quererisque, litigasque:*

P 3 Solus

*Aut lepor, & fructus, peritura & gratia mensæ, &*
*Impensæ. Oblongis vix attingentia clunes*
*Pallia si misces, intentis gaudia curtes;*
*Ut qui dissiliant animis, vel sorte, vel annis.*
*Convoco vicinos, pistorem nempe fabrumque,*
*Sutorem, & reliquos, quia Bacchanalia: degit*
*E regione mei, cujus comitata per urbem,*
*Vir gravis, incedit conjux famulo unicolore;*
*Indelebiliter cujus signata vetusto*
*Porta Magistratu, cujus vulgaris oryza*
*Non calet inferiis: vin' hunc, quia notus, amicus,*

*Solus cœno, fabulle, non libenter.*
Chilonem, refert Plutarchus Conv. VII. Sap. non ante condixisse, quam de singulis convivis, qui essent, quæsivisset: quod diceret, vectorem & contubernalem ferendos esse etiam ignotos, utpote quibuscum navigare aut militere necesse sit: at verò in convivio quibuslibet se commiscere, non esse hominis prudentis. *Raderus.*

267. AUT LEPOR ET FRUCTUS &c.] Interturbatâ, amissâque per ejusmodi sordes hilaritate, nullam à convivis gratiem inibis.

268. OBLONGIS] Senibus vel obscuris: nam his, ævo Scholiriano, pallia ad medias ferme suras ab humeris dependebant. VIX ATTINGENTIA CLUNES] Nobiles vel juvenes, qui ad id ætatis, brevibus admodum palliis, utpote vix ad nates protensis, utebantur.

269. INTENTIS] Comparatis jam ad jucunditatem, & animi hilaritatem. CURTES] Abrumpas, tollas, interturbes.

270. DISSILIANT] Dissentiant, differant, discrepent, in diversa rapiantur. Lucret. l. 2. ℣. 86.

*-----Fit ut diversa repente*
*Dissiliant---* Horat. l. 1. Epl. 18. ℣. 41.
*Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atq;*
*Zethi dissiluit.* Papin. Theb. 1. ℣. 85.
*-------Generis consortia ferro*
*Dissiliant.-----* ANIMIS] Ingenio, affectibus, & propensione. SORTE] Vitæ statu, conditione. ANNIS] Ætate.

271. CONVOCO] Ad epulas, vel cœnaculum meum. VICINOS] Domos meæ contiguas, vel vicinas, habitantes.

272. BACCHANALIA] Dies geniales, & promiscuæ epulationis, qui annuum, ex more Christiani ritus quadraginta dierum jejunium prævertunt. Aut in hoc nomine, aut in factis turpissimè erramus Christiani. Bacchanalia enim fuere sacrum Græcum, & quidem nocturnum, scelerum omnium seminarium, nobis nec nominandum. Quomodo illud investigatum Romæ, & sublatum à Cos. Sp. Posthumio Albino, omnemque ejus sacri abominandam turpitudinem luculentè describit Livius l. 9. Decad. 4.

274. INCEDIT CONJUX] Periphrasis viri nobilis, ordinis Senatorii, & potentis. Ordo est: è regione domus meæ habitat vir gravis, cujus conjux procedit in publicum stipata famulo à pedibus, induto vestibus unicoloribus, id est ejusdem coloris cum vestibus conservorum suorum, quas Itali *liveream* nominant, nos Belgæ, voce inde accitâ *livrey* dicimus. Suntque quasi insigne Domini, & servitiorum.

276. PORTA MAGISTRATU VETUSTO] Qui sæpius, & jam à pluribus annis in Senatum adlectus fuit. Antverpiensium mos est, ut cum quis in ordinem Senatorium primùm adlegitur, foribus domus ejus majusculis cretatis litteris inscribatur τὸ MAGISTRAT, quasi innuat inibi habitare assessorem quempiam Senatus, aut de collegio magistratus urbani, quo major sit reverentia, & ædium fama. Ejusmodi autem scriptura hominum manibus non deletur, adeò ut elementa illa in multos annos adhuc pareant & videantur. Cujus ORYZA

277. NON CALET &c.] Hypallage in contrarium sensum torquet, nisi in ordinem reducetur. Ordo hic est: cujus non vulgaris Oryza calet

*Vicinus, vexem mactræ sermone, securis,*
*Subulæ? Habet lautè, & contentò vivere possit*
*Unde domi; multis cur mecum nauseet horis?*
*Ingenio, ore pares, si me dignentur honore,*
*Expertique viri, & nobiscum prandia sumant;*
*Vicinum dominum, vicini jure vocabo,*
*Et paribus miscebo parem. Nihil hîc triviale*
*Expecta, expositi nîl; sed paritate monetæ*
*Verba repercutient, nec erit contagio dictis.*

calet inferiis: id est caleat in exequiis illius aut uxoris, ubi vitâ functi fuerint. *Oryzam* non vulgarem, quia non à vulgo vel vulgaribus, sed à nobilioribus, ac opulentioribus ad amicos dono mitti solent. Guicciardinus in Antverpia. *Funerum*, inquit, *solennia Antverpiæ magno admodum sumptu, multâque in pauperes beneficentiâ peraguntur. Persolutis autem defuncto justis, exhibetur deinde oblitterando dolori propinquis & familiarium intimis splendidum & magnificum epulum. Ceteri verè qui in funus prodierunt, sextarie vini, & Oryza lacti incocta patinâ singuli ferè donantur.* Imo & ascetarum pauperum, aliorumque egenorum domus, singulæ pleiumque cacabo. INFERIIS] Exequiis. *Inferia* mortuorum sacra, quæ Dis inferis olim persolvebantur.

278. MACTRÆ SERMONE] Colloquio pistoris, artocopi, seu panificis. *Mactra* arca est panaria, à verbo Græco *μάττω*, quod est subigo, pinso. Artis instrumenta, pro artificibus. SECURIS] Fabri Materiarii seu lignarii, cui res cum securi.

279 SUBULÆ] Sutoris: nam subulâ sutores corium perforant quà setam & linum transmittunt. Respondent versibus 271. & 272. ubi de pistore, fabro, sutore. LAUTE ET CONTENTO] Dives est, & lautâ domi mensâ gaudere, ac genio suo obsequi potest, vel solus cum familiâ, vel cum amicis, ut visum fuerit.

280. NAUSEET] Mœrore ac tædio afficiatur, cum mechanicis accumbens, eorumque sermones insipidos fastidiens.

281. INGENIO ORE PARES] Indole, doctrinâ, argutiis & oratione peres. DIGNENTUR HONORE] Suæ præsentiæ, & colloquiorum, in convivio. Ita Civiles & prudentes se beneficio cumulatos existimant, dum amicos & sodales convivas nanciscuntur.

282. EXPERTIQUE VIRI] Qui rerum usu id consecuti sunt, ut venustè comiterque inter homines nobiliores versandi rationes calleant.

283. DOMINUM] Virum gravem, nobilem, urbis Senatorem jam antè descriptum, ob dispares convivas nuper non invitatum.

284. TRIVIALE] Plebeium, humile, vel quod in triviis audias, aut inter proletarios.

285. EXPOSITI NIL.] Obvii, omnibus noti vel patentis, plebeiorum sermonibus triti. Sic Papinio *Expositum limen*, quod omnibus patet; *expositi mores*, faciles & comes erga omnes; *expositi census*, qui in usum amicorum liberaliter erogantur. *Gevart. ad 2. Sil. Carm. 2.* sic & Juven. de poëta egregio Sat. 7. ✝. 54.

*Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui*
*Communi feriat carmen triviale moneta.*

PARITATE MONETÆ] Pari lepore, sale, acrimoniâ, stylo. Sic Juvenalis loco adducto, communem monetam dixit, pro communi sermone vel nota. Sic & Apuleius Apol. 1. apud Joan. Britannicum: *Ea nomina labore meo & studio ita de Græcis provenere, ut tamê latinâ monetâ percussa sint.*

286. VERBA REPERCUTIENT] Aptè manet in Metaphora: æs enim dum signatur monetâ, feritur & percutitur. Sensus est: pari cum sale & acrimonia respondebunt. Nostratibus parœmia vernacula est: *met de selve munt betaelen*, hoc est pari monetâ solvere: quod de iis dicitur, qui promptè & argutè, in alios retorquent sua dicta, aut cum pari lepore & acumine respondent: ut verum sit Plautinum istud Asin. 1. sc. 3. ✝. 20.

*Par pari datum hostimentu' st.*

NEC ERIT CONTAGIO] Non contaminabitur aut depravabitur quispiam colloquiis eorum, cum sint docta & liberalia, & viros in primis honoratos addecentia. Juven. Sat. 2. ✝. 78.

*— — Dedit hanc contagio labem.*

*De rebus sacris, & de sapientiâ agetur.*
*Quid moderator, agant, academicâ in arte, Neronis,*
*Quid Plutarchus, opus cujus divinior & mens.*
290. *Quantum Fernelio superetur Fuschius. In quo*
*Lessius à Sanchez dissentiat. Inde, saluti*
*Quid patriæ expediat, nubétne Hispana Britanno?*
*Sceptra Palatino si restituenda? Quid Anglis*
*Libera relligio? Veneti, quid Gallus, ad ista?*
295. *Quæ Bavari vires? Quæ Saxonis, & Leopoldi?*

288. Quid moderator &c.] Subjicit argumenta, de quibus plerumque inter se fabulantur, quò jam dicta probet. Implexam utcumque sententiam hoc ordine expedies: quid moderator Neronis, quid Plutarchus agant in arte Academica. Moderator seu præceptor Neronis Seneca philosophus, uti & Traiani Plutarchus, hic Græcus, ille Latinus: uterque scriptis suis immortalis. Artem Academicam hic vocat Philosophiam, quæ non nisi in oppidis ad id constitutis, sive Academiis hodie tradi solet. Plurimum autem conferunt, duo hæc moralis naturalisque philosophiæ lumina, ad eorum institutionem, qui sapientiæ disciplinis navant operam, licèt rariùs hodie juventuti scholasticæ prælegantur. Sensus itaque hic est: expenduntur in hoc convivio Seneca & Plutarchus, factâque utriusque collatione, quæritur; uter utro præstantiora scripserit, nobiliorique ingenio res sublimes ac divinas scrutatus fuerit. Quod indicat versus 289. qui subjicitur.

290. Quantum Fernelio &c.] Expenduntur idem duo celeberrimi medici, qui proximè lapso seculo, medicinæ cùm factitatæ, tum scriptæ gloriâ claruerunt: Fernelius quidem in aula Francisci II. Galliarum Regis, cui lectus archiater: Fuschius autem in Suevia.

291. Lessius a Sanchez] Duo nominatissimi Theologiæ moralis scriptores, hic Hispanus, ille Belga, ambo Societatis Jesu Presbyteri. Inde] A re litteraria, & omne genus eruditionis attinente, transitur ad publica patriæ salutem spectantia.

292. Hispana] Maria Regis Catholici filia. Britanno] Carolo Stuartio, Walliæ Principi, Jacobi Britanniæ Regis filio: qui anno hujus ævi xxiii. quo præsens Sermo publici juris factus, cum paucis comitibus in Galliam trajectus, in Hispaniam spectatas nuptias firmaturus concesserat. Successu tamen illæ caruerunt: duxitque postmodum Henricam Mariam Ludovici XIII. Galliæ Regis sororem. Sed ille defuncto patre, Rex fataliter infortunatus, ab impiis subjectis & sceleratis parricidis, in judicium protractus, & damnatus, carnificis manu in publica scena vitam finiit viii. Id. Feb. anno post Christum natum cIↃ. IↃC. XLIX.

293. Sceptra palatino] Frederico Comiti Palatino, qui à perduellibus Bohemis, ut suprà meminimus Serm. 1. ad ℣. 48 & 49. Rex creatus, universam Germaniam ad arma conciverat: multis tamen cladibus fractus, terris suis, & Septemviratu exutus est. Cùm autem Fredericus ille esset gener Jacobi Regis Britanniæ, sperabatur jam memorato nuptiali pacto comprehensum, ac Provinciæ suæ Rhenensi restitutum iri, in hoc Austriacam clementiam Imperatoris Ferdinandi II. interpellaturo Philippo IV. Austriaco Hispaniarum & Indiarum Monarchâ.

294. Libera relligio] Spe siquidem nuptiarum Caroli Principis cum Maria Hispaniarum Infante, cœperant Catholicis in Anglia liberiora esse suorum sacrorum exercitia; & ut eorum temporum rumores ferebant, libertas eadem sub pactum concessura videbatur.

294. Veneti quid Gallus] Qui se ad tumultus, & bella istius temporis continebant; tacito affectu tamen alterutri bellantium parti faventes.

295. Bavari vires] Maxæmiliani Bavariæ Ducis, qui exercitum Cæsarianum contra Fredericum, perduelles Bohemos, & alios Protestantes ducebat, ob rem benè gestam à Ferdinando Imperatore, Palatinatu superiore donatus. Saxonis] Joannis Georgii Saxoniæ Ducis, qui unà cum Bavaro Cæsarianis partibus favebat,

*Spinola quid studeat? Quid Corduba? Ferveat oris*
*Queîs Comes Henricus: Quæ belli machina surgat*
*Auraico, intrepidos contra conanima cujus*
*Intercepit hiems, & præsidiaria fecit?*
*Omnia quæ coram si paupere spiritu agantur,*
*Induat Harpocratem, saturato ventre, necesse est;*
*Oscitet, & centum distare hinc passibus optet.*
*Ergo pares paribus, Tassi, jungamus oportet*
*Musarum numero; cras, si lubet, incipiemus*
*Ædiculâ in nostrâ, notos adhibebo sodales.*
*Ante focum reprobans mea dicta uxorius, octo*

vebat, & militabat, & Imperatoriæ proscriptionis sentcotiam contra Fredericum impigrè executum ibat. LEOPOLDI] Archiducis Austriæ, qui Ferdinando II. Imperatori fratri suo, egregiam navabat operam bello Bohemico contra Fredericum, agrum Spirensem, Germersheimium, aliosque subigendo.

296. SPINOLA QUID &c.] Ambrosius Spinola Catholici Belgii archistrategus, qui eodem tempore cum Belgicis copiis, imperii turbis submissus auxiliator, Palatinatum inferiorem invaserat. QUID CORDUBA] Consalvus Cordubensis heros inclytus, & dux exercitus Regis Catholici, contra rebelles & protestantes.

297. COMES HENRICUS] Bergensis ille, copiarum dux, contra Hollandos, eorumdemque fœderatos. BELLI MACHINA] Quid machinetur Prioceps Isabella, ejusque ductores exercitus, contra Mauritium Nassavium rei bellicæ apud Batavos supremum præfectum.

298. INTREPIDOA &c.] Ordina: cujus conamina contra intrepidos (Brabantos & Antverpienses intelligir) intercepit hiems.

299. ET PRÆSIDIARIA] In loca præsidiaria, aut præsidia duxit copias suas. Mense siquidem Decembri Anno CIↃ. IↃC. XXII. Mauritius princeps Auraicos, cum omni apparatu bellico, & ducentarum navium classe, Dordraco Hollandiæ solverat, Antverpiæ insidiaturus. Verùm exortâ repente tempestate, naves omnes vel dispersæ, vel submersæ. Moxque tam acre incruduit gelu, ut quos ex XII. armatorum millibus à tanta tempestate servaverat, in oppida & loca vallata abducere coactus fuerit. Vid. Ser. 7. ad ℣ 37.

300. PAUPERE SPIRITU] Inculto, simplice, rerum politicarum ignaro, & cui nullæ sunt opes aut thesauri eruditionis. Ita Quintilianus *miserum & pauperem oratorem* dixit.

301. INDUAT HARPOCRATEM] Obmutescat. Lipsius antiq. Lect. l 3 c. 1. *Silentium*, inquit, *in mensis Angerona dea, digito ad os admoto Romanis significat, Harpocrates Græcis.* Vide quæ diximus de Harpocrate supra Serm. 4. ad ℣. 91. SATURATO VENTRE] Quia tunc est copia facetiarum & fabellarum. Ventre siquidem adhuc latrante, sermones interturbantur, ore geminatum, molendi simul & loquendi, officium denegante.

302. OSCITET] Præ tædio rerum quas coram se agitari audit, & non capit. *Oscitare* autem frequens est iis, quos tædet alieni sermonis: hoc est labra dimovere in morem somnolentorum, ut diximus Serm. 2. ad ℣. 44. Pers. Sat. ℣ 3. 59.

*Oscitat hesternum dissutis undique malis.*

DISTARE] Abesse ab hoc convivio, quàm longissimè.

303. ERGO PARES &c.] Aptè concludit, ex dictis hactenus satis prolixè. Et pares certè amant inter se: & ut Cato apud Cic. de senectute 7. *Pares cum paribus, veteri proverbio, facillimè congregantur.*

304. MUSARUM NUMERO] Novem. INCIPIEMUS] Hoc ritu, ac legibus jam præscriptis convivari.

305. ÆDICULA IN NOSTRA] Per diminutionem, ad mitigandam dicti invidiam, vel arrogantiam. NOTOS] Tibi & mihi pares, & æquales annis, sorte, genio & doctrinâ.

306. ANTE FOCUM &c.] Ordina: uxorius reprobans mea dicta, ante focum cum gnava asse-

*Castaneis urat putridis ferventibus, oris,*
*Cum gnavâ, assiduò, molle, assestrice, palatum.*
*Nec mirere, precor, tibi nos cecinisse soluto:*
*Materies prima es, formas quascumque paratus*
*Amplecti; instantis communi more puellæ,*
*Sive resistentis rationis. Rasa tabella es;*
*Suesce stylo nitido, hæc olim meminisse juvabit.*

strice urat assiduo molle palatum oris, octo ferventibus castaneis putridis. Id est, qui mea dicta improbat, continenter domi cum uxore sua ad focum sedeat, & torrendis castaneis vacet. Uxorius] Uxori nimis obnoxius, aut turpiter deditus. Mercurius Æneam coarguens apud Virgil. l. 4. Æneid. ỳ. 266.

------- *Pulchramque uxorius urbem*
*Extruis, heu regni, rerumque oblite tuarum!*

307. Castaneis putridis &c.] Ut facilè putrescunt castaneæ, vel consumpto succo mucidæ, vel intercluso aëre suffocatæ: undè haud difficulter se miscent aliis probis, cum foris nihilo improbiores appareant, occurrantque iis, qui cum uxore ad focum sedentes, easdem torrent & vorant, non ausi generoso cuipiam sodalitio extra domum se immittere, ne domina succenseat. Notat scopricè quosdam sui ævi uxorios.

308. Assiduò] Quasi adsiduò, ut vult Charisius; quod optimè rem hìc auget: nam sequitur, Cum gnava assestrice] Uxore sibi assidente, gnavâ, & gnarâ virum domi detinere. Molle] Ludit in ambiguo, ut tam mollitiem palati, quàm viri rideat.

309. Soluto] Cælibi, libero, non conjugato, nec ulli alteri vivendi instituto, astricto.

310. Materies prima &c.] Ut est apud philosophos naturales, qui materiam sibi quamdam nudam comminiscuntur, & omnis formæ expertem, ejus tamen appetentem.

311. Instantis &c.] Puellæ vel nymphæ cuipiam, quam procère, aut sponsam postules. Communi more] Uti mos hominum communior est.

312. Sive resistentis &c.] Rationis huic proposito obnitentis: quasi innuat, magis ex ratione esse cælibatum quam conjugium, ac præ ceteris vitam Clericalem & Deo devotam, quam profanam & mundo deditam. Sententia est: aptus & idoneus etiam nunc es, amplecti vel vitam conjugalem, pro more communiore, vel cælibem seu sacram, cui magis videtur ratio suffragari. Rasa tabella es] Jam paratus quoscumque characteres admittere, instar tabulæ rasæ vel dolatæ, quæ jam comparata est, ut pictoris lineas, vel sculptoris sulcos recipiat. Pontico adolescenti Antisthenes, cum vellet semet illius disciplinæ submittere, rogaretque, quâ re sibi opus foret: *Libro*, inquit, *novo, stylo novo, novâque tabellâ.* Animum designans adhuc indifferentem, & à præjudiciis vacuum. *Laërt.*

313. Suesce stylo nitido] Animo tuo insculpe meliora & elegantiora, non vulgaria; ut sunt splendida illa, fastuosa, & ad luxum comparata convivia; sed nobiliora, de quibus jam egimus. Stylus] Continuat metaphoram: *stylus* enim hic graphium seu instrumentum est, quo notas olim in tabulis exarabant. Olim meminisse &c.] Ubi ductâ conjuge familiam alueris. Virgil. lib. 1. Æneid. ỳ. 207.

--- *Forsan & hæc olim meminisse juvabit.*

Hoc est, gaudebis olim hæc te didicisse.



SER-

# SERMO VI.

## AD FRANCISCUM ANTONIUM URSELIUM

### PRÆPOSITUM DIVI AMATI,

#### PRIMUM CANCELLARIUM UNIVERSITATIS DUACI.

## *CONJUGIUM.*

ARgum. Occasione desumpta, post reliquum turbarum, ab infantium vagitu in alvo navis vectoriæ, quâ Bruxellam Antuerpiâ ferebatur, nonnullos inducit, de vitâ conjugali variè differentes, ac novissimè unum quempiam, qui calidâ, prolixâ, & argutâ oratione uxores exagitat; descriptisque lepidissimè ingeniis & moribus earumdem, tandem pro vita cælibe perorat. Interim dum inter læsas convenit de petendo à blaterone, involandi capillitii, talitrorum, & solearum supplicio; ad portum Willebroucanum appellitur, ubi ad alteram navem exscensu facto, homo cum sodalibus dilabitur, inulto sexu. Verùm Poëta suppetente otio, ultorem se calumniarum pollicetur.

*SUb noctem tendens Bruxellam, non ita pridem,*
*Adversis Zephyris, communi composui alveo*
*Navis me. Ut reliqui, somno. Dormivimus horæ*
*Per medium. Incipiunt sex evagire puelli.*

1. SUB NOCTEM &c.] Ut eo die ferebat æstus marini opportunitas. Bis enim Oceanus horarum XXV. spatio, per alveum Scaldis, fluminis urbem lambentis, fluxum reciprocat. Scitè Eyckius nostratium poëtarum, flos in Proaulio doctissimæ urbium Centuriæ ℣. 43.

*Bisque die fluctus æstu crescente referbens,*
*Veliferas Scaldis fertque, refertque rates.*

Quod de vectoria Bruxellensi perpetuum, quæ bis quidem in diem, postridie tamen unâ horâ tardiùs fere, quam pridie, ex portu Antverpiensi Bruxellam solvit.

2. ADVERSIS ZEPHYRIS ]Ventis. Species pro genere Id est, flante vento contrario, ut necesse fuerit, diutius in navi commorari: sicque innuat, longioribus de conjugio sermonibus, minimè tempus defuisse. ALVEO] Alvo, seu mediâ navis statione inter puppim & proram, ubi vulgus, & quibus vulgare marsupium, Belgicè dixeris, *het ruym*. Lautiores enim dato naviculatori nummulo, puppim aut proram sibi vindicant, ut ab aliorum strepitu, & inscitis fabulis liberi, nocturno inprimis tempore securiùs quiescant. Navium proprios alveos innuit Virg. Æneid. l. 6. ℣. 412. ------ *Simul accipit alveo*

*Ingentem Æneam; gemuit sub pondere Cymba.*

Imò & non raro pro ipsa nave positum reperias. Ovid. lib. 3. Fast. ℣. 591.

*Assiliunt fluctus, imoque à gurgite pontus*
*Vertitur, & canas alveus haurit aquas.*

Propertius lib. 3. Eleg. 7. ℣. 15.

*Aut quidnam fractâ gaudes Neptune carinâ?*
*Portabat sanctos alveus ille viros.*

Livius l. 10. *Pars fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum, apertè planis alveis fabricatas complent.* Vide *Beroaldum* in Servium.

3. UT RELIQUI] Qui mecum in nave, quemadmodum quàm plurimorum capax est alveus; ubi & dormiendi copia, si locus vacat à turbis. SOMNO] Dormio, corpore jam in somnum composito.

4. SEX] Multi: numerus certus pro incerto.

*Tot matres cantare. Tot evomitare. Sed illic*
*Peditur : hìc contrà. Hæc pars increpat : obsecrat illa*
*Ut taceant. Potant alii, fumantque tabaco.*
*Eructant, sputant, emungunt. Jurgia miscet*
*Acria quisque. Pluunt convitia : donec ad arma*
*Prosiliere duo : quos ut compescuit æstus*
*Multorum : ad tempus subsidunt murmura ; fœtor*
*Evanescit ; habent saturique senesque quod optant.*
*Ast iterùm pueri : Bua mamma, bua, bua mamma!*
*Pappa bua mamma! ô mamma, ô mamma! ô bua, pappa!*

PUELLI] Infantes, quos matres secum Bruxellam asportabam.

5. TOT MATRES CANTARE] Ut solent studiosè, susurris & modulis suis, infantes tranquillare, & ad somnum componere. TOT EVOMITARE] More illarum quæ imbecillioris stomachi, ac ferendis aquarum marinarum exhalationibus impares, ad vomitum proritantur. Oceano enim Scaldem subeunte, Bruxellam navigatur secundo flumine, secus recipiente se mari. Hinc non solvit navis, nisi ejusdem fluxus opportunitate post horas duodenas recurrente : atque ita intumescente Oceano, languent, & subvertuntur ventriculi debiliores & inassueti, quibus levamen à vomitione.

6. HIC CONTRA] Supple peditur, ut aliorum posticæ loquacitati & impudentiæ, pari urbanitate respondeatur. INCREPAT] Ferociter arguit. OBSECRAT] Leniter monet, ut desinant ejusmodi illiberalium facetiarum, & dormituris silentia commodent.

7. POTANT ALII FUMANTQUE TABACO] Et hi quietem publicam interturbant, pulsu enim pedum vel tabularum, aut certè Stentoreo clamore, potum sibi pretio adferri postulant à nautis, & inter compotandum minimè muti sunt. Fumo autem tabaci, quem per fistulam argillaceam hauriunt, & per os dimittunt, aërem inficiunt, & fœtore nares præsentium discruciant : ut subitò à somno exciti dormientes, se existiment ad fumosa Plutonis antra detrusos.

8. ERUCT. SPUT. EMUNG.] Ut solent qui affatim potant, & fumos tabacinos, ciendis humoribus pituosis comparatos, fellitant.

9. JURGIA ACRIA] Patientiâ jam læsâ, propter interruptam quietem, omnes ruunt in hos perturbatores ; & acriter eos incessunt. PLUUNT CONVITIA] Jactantur densato agmine in morem pluviæ : id est invicem liberaliter conviciantur.

10. PROSILUERE DUO] A convitiis scil. ad pugnos & pugnas. COMPESCUIT ÆSTUS] Ardor & cura eorum, qui pugnæ intercedebant : ut solet ubi pugnatur palàm, & præsentibus aliis.

11. SUBSIDUNT] Tacetur, & fœtor tabaci difflatur per carinam, & aëra.

12. SATURI] Largâ potatione ; ut solent qui perpotarunt, ad somnum & ronchos esse proniores. QUOD OPTANT] Copiam scil. dormiendi.

13. AST ITERUM &c.] Supple vagitus suos auspicantur, & dormientes lacessunt, occinentes tetricum isthoc, PAPPA, BUA, MAMMA] Pastum scil. flagitantes. *Bua* enim inter infantium nænias potum, *pappa* cibum, *mamma* matrem, *tata* patrem denotat. Varro de educandis liberis apud Nonium : *Cùm cibum ac potum pappas & buas vocent : matrem mammam & patrem tatam.* Plaut. Epid. 5. 2. 62. *Novo liberto opus est quod pappet.* Juven. Sat. 6. ℣. 631.

*Mordeat ante aliquis : quidquid porrexerit illa*
*Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.*

Persius Sat. 3. ℣. 17.

*Et similis regum pueris, pappare minutum*
*Poscit, & iratus mammæ lallare recusat?*

Et Græcorum infantibus πάππα, idem quod nostris hodie, *pap.* Πάππας etiam apud Græcos vox est liberorum ad patrem. Inde apud Homerum παππάζω, quod est patri abblandior, vocando pappam: vel pappo. Consonat nobis etiam Brabantica vox, quâ lautiores liberi patrem compellant, *pappá.* *Bua* verò potionem puerilem Nonio designat, imò & aliis quamcumque. Undè apud

*St! tata nos audit. Ploras? Manducus & Acco*
*Te abstulerint. Frustrà. Consuetas edere voces*
*Illi: nec modus est aliquo cohibere susurro.*
*Quidam turbarum impatiens, apage hinc, malesana;*
*Si sine filiolo, nullique molesta, perires*
*Importunum animal? inquit: nîl ampliùs. Una,*
*Nescio si conjux, gracili non voce secuta est:*

apud Lucilium lib. 8. legit *vinibuas*, pro *vinibibas*. Et infantes *exbuas* olim dicebant, quos jam ablactaverant. *Mamma* nomen matris erat, quod etiam obtinet apud nostrates opulentiores, si ultimam acueris hoc modo, *mammá*. Hinc de vetula, quæ juniores se, *mammas* & *tatas* compellabat, lusus extat Martialis l. 1. Epig. 101.

*Mammas atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum*
*Dici & mammarum maxima mamma potest.*

*Tata*, si Jos. Scaligero in Auson. credimus, planè Græcum est, à voce τέττα, quam, benevolentiæ ac honoris ergò, senioribus tribuunt juniores. Vetus inscriptio est. M. ELPIDIUS PAMPHILUS PLATONI TATÆ SUO BENE MERENTI FECIT. Sic etiam legas ex emendatione ejusdem Scaligeri apud Ausonium Epist. 1. *abare*, pro edere vocem, quâ frater aut soror, fratrem aut sororem compellat. Sic enim habet ℣. 13.

*Atque atas quia nostra eadem. Nam supparis avi*
*Sum tibi ego, & possum fratris abare vice.*

15. ST.] Interjectio indicentis silentium. Plaut. Epid. 2.2.1. *St, st! tacete.* Cicero de Orat. 2. c. 57. *St! tacete, quid hoc clamoris est?* Vetus Poëta apud *Taubmannum*.

*------ Sanctu' Serapis*
*Isis & Harpocrates digito qui significat st.*

Terent. Phor. 2.3.3. *Quin tu hoc age. St.* Silentium enim imperrant sibili, & quandoque timoris notæ sunt, imò & abigentium. Plaut. Mostel. 3.2.162. *Abi dierecta. St! abin' hinc in malam crucem?* TATA NOS AUDIT] Metu patris mater pusionem continere nititur. Nam ut suprà vidimus, *tata*, pater est: & nostrates iterum acutâ ultimâ dicunt *tatá*. PLORAS?] Ac si dicat, non cessas plorare? MANDUCUS ET ACCO] Puerorum terriculamenta. In pompa antiquorum, inter ceteras ridiculas & formidolosas imagines *Manducus* incedebat larvato capite humano, maxillis vastè hiantibus, dentiumque crepitu, sese in utramque partem viæ flectens, ridentem turbam in fugam convertebat. Plaut. Rud. 2.6.51. *Quid, si aliquò ad ludos me pro manduco locem?* Allusit ad *manducum* Juven. Sat. 3. ℣. 175.

*------ Cum persona pallentis hiatum*
*In gremio matris formidat rusticus infans.*

Sic & apud Plutarchum *Acco* & *Alphito*. de Stoic. repugn. enim, *similem*, inquit, *faciant Acconi & Alphitoni, quarum formidine puerulos matres à malo otio deterrent*. Respondent terriculamentis nostratium, quorum nomina, *den Bommeler, den Bietebauw*. Et Lovaniensium puerorum, *Kattekees*. Et alibi aliud quidvis, quo metus incutitur infantibus & pueris.

16. FRUSTRA] Supple, hac ratione nituntur ploratum sistere. EDERE] Edebant, edere cœperunt, vel perrexerunt.

17. SUSURRO] Submisso matrum murmure, ac sibilis. *Susurrus* proprius frondium, rivulorum & apium. Persius ad tenues & submissas voces, Deos in templis orantium, transtulit. Sic enim Sat. 2. ℣. 6. legas:

*Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros*
*Tollere de templis, & aperto vivere voto.*

Susurris autem ejusmodi, somnus comparatur. Melibœus apud Virg. Ecl. 1. ℣. 56.

*Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.*

Sententia est: nullo susurro placantur hi infantes, sed pergunt omnibus incommodare.

18. TURBARUM] Insulsi ac incessantis vagitus. Supple sic insectatur unam ex matribus, fortè conjugem suam.

19. SI SINE FILIOLO &c.] Supple hic navigares, aut itineri te dedisses; aut alioquin domi reliquisses filiolum.

20. IMPORTUNUM ANIMAL] Nullius commodo nata, cunctis molesta, prolis vagitu omnium aures feriens.

21. NESCIO SI CONJUX] An uxor illius, qui eam lacessebat. GRACILI] Non molli, aut blandâ, sed asperâ & contumeliæ plenâ.

*Quid tibi inhumano de tali elephante videtur?*
*Non satis ærumnæ est? Quidquam mihi furcifer iste*
*Adjiciet? Patrióne isthæc trux expuit ore?*
*Abstineant thalamo, quibus intoleranda videntur*
*Cantica pullorum, & pereant tentigine longâ.*
*Vobis commoditas uxoria, anhela libido,*
*Gloriaque heredum; nobis sint mille dolores,*
*Pro melle exiguo, pariendo, ferendo, & alendo*

22. QUID TIBI INHUMANO &c.] Vernacula apud nos formula totidem verbis hominem insignitet incivilē insectatur. *Wat dunckt u van dien onbeleefden olifant?* Diciturque plerumque in duros & inhumanos, potiùs respiciendo molem ejus belluæ, omnium terrestrium maximæ, ut censet Plinius; quàm ingenium quod volunt proximè ad humanum accedere. Cic. de nat. Deor. l. 1. c. 97. ait nullam belluarum elephanto prudentiorem. Ejus proprietates lege apud Lips. Cent. 1. Miscel. Epl. 50. Alii respiciunt duritiem pellis, quâ tegitur elephantus, & inde deducunt adagium, *elephanti corio circumtectus*. Plaut. Mil Glo. 2. 2. 80.
*Herus meus elephanti corio circūtectus est, non suo:*
*Neque habet plus sapientia quam lapis.-----*
*Hoc est*, inquit Lambinus, *herus meus maxima est bestia, non homo: vel sic, nihil sentit, stupidus est Hoc ideo quia elephanti corium durissimum, ac crassissimum est.* Vide Append. Junii & Canteri, ubi quidam Lovanii, occasione elephanti, qui è Lusitania per Belgicam nostram in Germaniam mittebatur, facetè, *satis*, inquit, *hic & alibi elephantorum.* Hoc est, inquit auctor, *maximarum ineptissimarumque belluarum.*

23. NON SATIS ÆRUMNÆ?] Non satis me gravat cura molestiaque liberorum? *Ærumna* propriè laborem onerosum significat. Cic. 4. Tusc. 18. *Ærumna*, inquit, *ægritudo laboriosa*. Nomen obtinuit ab ęrumnis, vel ęrumnulis, quæ sunt furcillę, quibus, ut refert Plautus, auctore Sexto Pompeio, religatas sarcinas viatores gerebant. Unde postmodum transierunt in laborem eas gestantium. Has quia invexerat primus C. Marius, mulos Marianos appellarunt. Et hac de caussa Herculis quoque labores ærumnæ dictæ sunt. FURCIFER] Nomenclatio probrosa. *Furciferi* olim dicebantur servi, qui furcam à dominis jubebantur, potius opprobrii & ignominiæ, quàm supplicii caussâ, per viciniam portare, manibus ad eam alligatis, ob culpam admissam. Turneb. l. 16. c. 3. ait, quod servi sub furcâ plectebantur, & in exemplum traducebantur. Plaut. Most. 1. 1. 53.

*Ita te forabunt patibulatum per vias*
*Stimulis, si huc reveniat senex.*

Id est furcæ vel patibulo alligatum ut suprà, dum portabis furcam per vias. Itaque propriè dicebantur furciferi, hâc contumeliâ affecti. Furcam à patibulo vix distinguit Lipsius, à cruce tamen discriminat; ita nihilominus ut patibulum sit pars crucis; nimirum patens illa & transversa: crux autem inferior, defixusque stipes propriè dicatur. Eum adi de Cruce lib. 2. c. 6. & l. 3. c. 3.

24 PATRIÓNE ISTHÆC &c.] Ausitne, vel possit pater hæc tam immania in liberos effundere, vel projicere?

25. ABSTINEANT THALAMO] Uxores non ducant, aut procreandis liberis non dent operam.

26. CANTICA] Ejulatus, ploratus, & vagitus sobolis. PULLORUM] Puerorum. Vide quæ diximus Sct. 5. ad ℣. 163. TENTIGINE] Pruritu libidinis. Horat. lib 1. Sat. 2 ℣. 118.

*-------Malis tentigine rumpi?*

27. COMMODITAS UXORIA] In curandis rebus domesticis, eluendis sordibus, & explenda venere. ANHELA LIBIDO] Æstuosa, & furibunda. Papin. Theb. 4. ℣. 681. *Tollit anhela dies.---* Id est æstuosa, & anhelare faciens.

28. GLORIAQUE HEREDUM] Liberorum, quibus post mortem rem suam & familiæ decora relinquatis. Exagitat omnes maritos sine discrimine, vulgatis hæc & inculta mulier: & notat bene, maritis propositam potissimùm esse heredum gloriam, maximè in amplis & illustribus familiis, quarum laus prima est, longâ sanguinis serie censeri, & in nepotibus olim perennare: alioquin & aliis patribus, spes & gloria in filiis collocata est. Recte in proverbiis Salomonis c. 10. ℣. 1. & c. 15. ℣. 20. *Filius sapiens lætificat patrem.*

29. MELLE EXIGUO] Veneris, & liberorum, quibus ex asse ingenium muliebre deditum est.

PARIEN-

*Ante & post partum, nullo miserante? benignus*
*Oderit, inque diem septenis spreverit horis*
*Consortem, & cuiquam Cythereæ ardere pharetris*
*Suasero, & ingrato committere vota caducro?*
*O fortunatas natas ad claustra puellas!*
*Risimus ex animo cuncti; justumque minerval*
*Dicitur esse viro: atque, ut verbis verba trahuntur,*
*Scilicet est verum, magnis rationibus urges,*
*Alter ait: thalamo abstineant, tedâque jugali,*

PARIENDO, FERENDO &c.] Utero liberorum ferendorum, edendorum, & educandorum dolores, & labores infiniti nos discrucient.

30. MISERANTE] Sortem & miserias nostras deplorante; ut amat sexus ille deplorari.

31. ODERIT INQUE DIEM &c. Bonus benignusque à viris censebitur maritus ille, qui septenis tantùm in diem horis spreverit, & oderit uxorem, reliquo tempore sibi maximè adamatam. Sic enim Juven. Sat. 6. ℣. 180.

------ *Quis deditus autem*
*Usque adeò est, ut non illam, quam laudibus effert,*
*Horreat, inque diem septenis oderit horis?*

32. CYTHEREÆ] Veneris, quæ ab insula *Cythera* sibi sacrâ, hoc nomine nuncupatur. Sensus est: suasero quampiam, amore ac voluptate venereâ transversam rapi, & viro nubere?

33. COMMITTERE VOTA] Summam felicitatem suam reponere. INGRATO CADURCO] Lecto conjugali, seu marito, tam parvam aut nullam gratiam rependenti, mille consortiis laboribus, molestiis & anxietatibus. *Cadurcum* quibusdam est stragulum; quibusdam cortinæ, seu tentorium, aut vela candida pensilia supra lectum; quibusdam culcitra, vel stramentum ex lino, apud Cadurcos Galliæ populos contexto: quibusdam etiam tabernaculum vel conopeum, quod in pompa solenni, ab aëris inclementiâ defendit Principes, aut sacrosanctam Eucharistiam. Aliis etiam velum est, quod merces vel operas in officinis, contra solis æstum, aliáve incommoda tuetur. Quidquid fuerit, à Juvenale usurpatur pro lecto conjugali. Canit enim Sat. 6. ℣. 536.

*Magnaque debetur violato pœna cadurco.*

Apud Cadurcos autem lini præstantia olim palmam obtinebat à candore, unde dixit idem Juvenalis Sat. 7. ℣. 221.

*Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci.*

34. O FORTUNATAS &c.] Sequitur Ciceronis versum, qui extat in poëmatum ejus fragmentis:

*O fortunatam natam me consule Romam.*

Quem versum irridet juvenalis Sat. 10. ℣. 122. ubi de Cicerone:

*Antonj gladios potuit contemnere, si sic*
*Omnia dixisset.*-------

Defendit Turnebus lib. 7. c. 19. AD CLAUSTRA] Ad septa clausa Vestalium: ac si dicat: felices puellæ, quibus obtigit cælibis vitæ institutum eligere, & securè vivere cum Vestalibus in cœnobio aut parthenone.

35. EX ANIMO] Insigniter, & toto quasi splene profuso. MINERVAL] Pretium institutionis suæ: jam enim mulierem cœperat redarguere, & scitis moribus imbuere. Minerval propriè est merces quæ penditur præceptoribus, sic dictum à Minerva artium præside.

36. DICITUR ESSE VIRO] Supple persolutum: id est æquissimè aptissimèque responsum. Nam phrasi nostrâ vernaculâ, ubi cuipiam, ac inprimis convitianti, salsè & acutè responsum est, dicere solemus: *Hy is wel betaelt.* Hoc est: aptè illi solutum est. VERBIS VERBA TRAHUNTUR] Ex uno dicto sequuntur plura: nam sermo unius præbet alteri fandi copiam, & occasionem.

37. EST VERUM] In rem suam trahit argumentum mulieris, nugator jocularis.

38. THALAMO, TEDAQUE] Conjugem non ducant, nuptiis abstineant, cælibes maneant. *Thalamus* & *teda* conjugium denotant. Et *teda* quidem, quia apud veteres pueri patrimi matrimique faces nuptæ prælucebant, vel ad honorandam Cererem, quæ accensis tedis raptam à Plutone Proserpinam filiam suam olim quæsivit, vel quòd non nisi noctu, ubi jam contenebrasset, in sponsi domum sponsa deduceretur. Vide infrà Serm. 11. ad ℣. 139. *Thalamus* generalior est.

*Quêis animo vita est ex omni parte beata:*
*Nam quibus ingenium, dominæ, cervice paratâ,*
*Subdere colla jugo, moriuntur rebus agendis;*
*In dominas abeunt; qui fortis, & interior vir*
*Frena reluctatur, stomacho tabescet amaræ*
*Conjugis, aut pacis vivet crudeliùs exspes.*
*O fortunatos natos ad castra juvencos!*
*Non tulit hanc faciem dicendi grandior ævo,*
*Qui juxtà positus, castigavitque Hymenæi*
*Suggillatorem, & temeraria verba redarguit.*
*Quippe maris, cæliq; Dei, & discordis Averni*
*Conjugio vivunt stabili, dominantur amoris*

39. QUEIS ANIMO &c.] Qui amant vitam solidè, ac prorsus felicem, & fortunatam.

40. INGENIUM] Indoles tam mollis & effœminata, ut CERVICE PARATA &c.] Ultro ac promptissimè semet subjiciant dominatui uxoris, jugo illius cervicem sponte submittendo. Rectè monet Juven. Sat. 6. ỽ. 205.

*Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni*
*Est animus: submitte caput cervice parata*
*Ferre jugum.*-------

41. REBUS AGENDIS] Minutis & vilibus quibuspiam, ad nutum & placitum uxoris. Eò enim inclinant animos nimium obsequendi studium, & mollities.

42. IN DOMINAS ABEUNT] Mulierantur, & à fortitudine masculea transeunt ad muliebrem inertiam. INTERIOR VIR] Animi generositate verè mas, ac virtute sexui suo respondens.

43. FRENA RELUCTATUR] Supple admittere: id est, legibus & imperiis uxoriis obluctatur. STOMACHO] Fastidio, nauseâ, indignatione, ac quotidiano cruciatu. Sicuti enim quævis amara, palatum, & stomachum cruciant, ita & animum viri, amara conjux. Alibi tamen stomachum usurpari videas pro ira, seu θυμὸν, quia pectori vicinus, cui præsidet cor. Sanguine enim in corde ebulliente, perturbatio illa nascitur, quâ ad iram concitamur. Sed de illis alibi.

44. PACIS EXSPES] Cogetur crudelem & continuâ dissensione turbulentam vitam agere.

45. O FORTUNATOS &c.] Bellè retortum, variatâ in paucis sententiâ; respondetque epiphonemati à muliere paullò superiùs allato. AD CASTRA] Ad militiam, ubi licet sine conjuge, & quotidianis rixis vivere.

46. FACIEM] Hanc dicendi formam. Ita & Virg. l. 2. Æneid. ỽ. 407.
*Non tulit hanc speciem furiatâ mente Chorœbus.*
Facies hoc loco apud Græcos est ὄψις, seu forma, diciturque non tantùm de homine aut equo, sed etiam de re alia qualibet. Sic Ciceroni *facies* civitatis, *facies* Senatus. Et pro L. Val. Flacco c. 70. *adfert*, inquit, *faciem novam, nomen vetus.* GRANDIOR ÆVO] Senior ætate, moribus, & prudentiâ gravis.

47. JUXTA POSITUS] Propiùs assidens. HYMENÆI] Vitæ conjugalis.

48. SUGGILLATOREM] Contemptorem, convitiatorem. Suggillare propriè est percutiendo maculare cutem, aut lividam reddere. Plin. l. 20. c. 6. *Suggillata aut liventia ad calorem reducit.* Metaphoricè usurpaveris, pro notam alicui indere, reprehendere, contumeliâ afficere, vilipendere &c.

49. MARIS &c.] Jupiter, Neptunus, Pluto: ille cæli, iste maris, hic averni rex & deus. *Avernum* discordem nuncupat, quod relegata isthic habet discordia, omniumque rerum confusio & chaos.

50. CONJUGIO] Conjugati, seu perpetuâ vitæ societate colligati vivunt. DOMINANTUR] Unà cum deabus conjugibus: scil. Jupiter cum Junone, Neptunus cum Amphitrite, Pluto cum Proserpina.

51. Pro-

*Pignore concordes in subdita fœdere regna,*
*Alternis spatiis. Rivales junge Deorum*
*Præcipuos hoc orbe viros: quin magna vetustis*
*Pœna recusanti connubia lege Lycurgi.*
55. *Est genus humanum nobis, Junone secundâ,*
*Restaurare datum: modò Cadmus dentibus Hydræ,*
*Nec Pyrrha obtineat: nostrâ si fata moremur*
*Segnitie, dic quale Polo, dic quale Profundo*

51. PIGNORE CONCORDES] Amore conjugali concorditer regnant, ac vivunt inter se. SUBDITA FOEDERE] Quæ sortitò, atque ex fraterno, mutuoque inter se fœdere obtinuerunt.

52. ALTERNIS SPATIIS] Vicissim, sive ut cadit, aut ut sibi mutuò regni habenas committunt. Licèt enim deorum principum uxores, regnis quibusdam, privato nomine præsint, generatim tamen cum diis universum imperium moderantur. Quod premit hîc senex conjugii patronus. RIVALES DEORUM] Quibus venustæ conjuges, & quas meritò depereant dii. Rivales propriè sunt, qui eamdem puellam vel matronam adamant; quasi ex eodem rivo lymphas hausturi, inter quos magna plerumque æmulatio & simultas. Indè proverbium *amare sine rivali*, quod de illis dicitur qui deformem amant, aut magnoperè expetunt, quam nemo alius magni æstimat. Horat. ad Pisones ℣ 444.

*Quin sine rivali teque & tua solus amares.*
Cicero l. 3. ad Q. frat. Epl. 8. *Hirrus auctor fore videtur. O di quàm ineptus! quàm se ipse amans sine rivali!*

53. PRÆCIPUOS VIROS] Principes, reges, monarchas; qui deorum æmuli, cum conjugibus regnant. QUIN] Imò. VETUSTIS] Apud veteres.

54. PŒNA RECUSANTI &c.] Supple, decreta fuit: scil. ob multiplex bonum reipublicæ. De hoc argumenro legendus Lipsius excursu C. ad lib. 3. Annal. Taciti. Alibi autem, scilicet Vat. Lect. l. 1. c. 1. sic ait: *Censores cum lustrum conderent, curam rei noxia, veteri instituto apud Romanos habnerunt. Et cum propagatio subolis ad imperii vel dignitatem, vel æternitatem maximè pertineret, diligenter caverunt, nequis civis Romanus cælebs, & sine uxore esset.* LEGE LYCURGI] Spartianorum principis. Hic enim, ut auctor Plutarchus in ejus vita, sancivit, ut qui conjugium dettectarent, ignominiâ afficerentur. Nam à spectandis gymnicis ludis arcebantur: per hiemem jubebantur à principibus, nudi in orbem, forum circumire; ac in se canere compositum carmen, quo significabatur eos jure pati, quoniam legibus non parérent. Ad hæc privabantur omni honore, ac obsequio, quo à juvenibus afficiebantur seniores: & alia quæ vide loco citato.

55. JUNONE SECUNDA] Connubialis pacti, seu nuptiarum interventu. Nam *Iuno* à curando matrimonio, *pronuba, zygia, juga* &c. dicta est, ut suprà Serm. 2. ad ℣ 31. vidimus.

56. RESTAURARE] Innovare, suffulcire, & novâ sobole mortuorum lacunas explere. CADMUS] Qui, ut est in fabulis, ex satis dentibus interfecti serpentis, homines armatos suscitavit. Indè Papin. Theb. 3. ℣ 645.

------ *Diri saturare novalia Cadmi.*

Id est, Thebanos campos, ubi olim seminante Cadmo dentes draconis, succreverat armatorum seges.

57. NEC PYRRHA] Post orbis cataclysmum, ex Themidis oraculo, jactati post tergum à Deucalione ac Pyrrhâ lapides, in homines commutabantur: in mares quidem, quos Deucalion; in fœminas, quos Pyrrha jecerat. Ovid. Amor. 2. Eleg. 14. ℣. 11.

*Quique iterum jaceret generis primordia nostri,*
*In vacuo lapides orbe parandus erat.*

Hæc itaque sit sententia: modò nec Cadmus seminando dentes Hydræ, nec Pyrrha cum Deucalione jaciendo post tergum lapides, homines produxerint. FATA MOREMUR] Impediamus, retardemus, aut cassa faciamus ea, quæ Deus de posteris nostris decrevit.

58. SEGNITIE] Tarditate, ac procrastinatione ducendarum conjugum. DIC QUALE POLO &c.] Quanta erit rerum discordia & confusio,

R in

*Expectandum odium? Graviter commissa luemus*
*Perdere conati, quibus instruat atria Divûm*
*Juppiter, innumeras animas; si non vetet ullum*
*Grande ministerium, quo nos decet esse pudicos.*
*Tum prior: Annuerim, nec me vita illa gravaret*
*Fertilis heredum, partes apponeret æquas*
*Virginibus, satus Jäpeto, si moris, & oris.*
*Sed quia, nemo neget, quæ supportabilis uxor,*
*Rara avis in terris; actutùm & concidit illi,*
*Quidquid erat generosi animi priscíque leporis;*

in Cælo non minùs quàm in Averno? Nam subverso semel, quod fieri minimè potest, rerum omnium à Deo decretarum ordine, necesse sit omnia corruere.

59. EXSPECTANDUM ODIUM] Dissensio elementorum, quorum concordiâ & Harmoniâ, seu temperaturâ totus mundus continetur.

60. PERDERE CONATI] Non gignere: id enim fuerit Dei fato seu decreto aliquando gignendos, quadantenus perdere. ATRIA DIVUM] Cælum impleat, sedes beatas occupet.

61. ANIMAS] Rectè: nam conjugii apud Christianos princeps finis est proles, aliquando scil. cælum aditura, lapsorumque angelorum hiatus obstructura. Augustinus l. 22. De Civit. Dei c. 1. *Deus de mortali progenie meritò justèque damnata, tantum populum per gratiam suam colligit, ut inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est angelorum; ac sic illa dilecta & suprema civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur.*

62. GRANDE MINISTERIUM] Sacerdotium aut aliud quodvis ministerium sacrum, cui vel ex more, præscriptoque Ecclesiæ Romanæ, vel proprio spontaneoque obstrictu, conjunctus est cælibatus. PUDICOS] Cælibes, castos, & à venere temperantes.

63. PRIOR] Supple. infit. Nempe ille qui priore loco conjugium depresserat. ANNUERIM] Probaverim, sententiæ tuæ auctor accesserim. Annuimus vel abnuimus, motu capitis vel oculorum: scil. ut significemus nos probare vel improbare dicta alterius. Vide A. Gellium l. 10. c. 4. Catullus in Nupt. Mallii ỷ. 161.

*Omnia omnibus annuit.*

GRAVARET] Mihi gravis & molesta videretur.

64. PARTES ÆQUAS MORIS ET ORIS] Tam essent virgines, puellæ, vel mulieres, animo & moribus, quàm corpore & formâ elegantes.

65. SATUS JAPETO] Prometheus, quem cæca vetustas finxit ἀνθρωποποιοῦντα. Rationes vide apud Rhod. l. 7. c. 19. Ovid. Met. 1. ỷ. 82 de terra

*Quam satus Iäpeto mistam fluvialibus undis,*
*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

Fuit autem poetis Jäpetus cæli & terræ filius, filiorum magis, quàm propria laude illustris. Porrò existimat Goropius Indoscythar. l. 5. vetustissimos Græcorum de Prometheo fabulatos, veræ historiæ ignaros, longè recessisse à veritate. *Nam Prometheum*, inquit, *Iäpeti faciunt filium, cum illius fuerit.* Ipse autem Noëmum ibidem ante diluvium Prometheum, in diluvio Deucalionem dictum fuisse contendit, cujus filius *Iaphetus*, à Græcis *Iapetus* dictus est. Vide ejusdem Vertumnum fol. 25. Certè Prometheus à poëtis traditur primus hominem ex luto finxisse. Unde evadit hæc sententia: probarem vitam conjugalem, si Deus treasset mulieres æquè ab animo & moribus, quàm à corporis forma commendabiles.

66. SUPPORTABILIS] Morum tolerabilium, utcumque comis, officiosa, viro morigera &c.

67. RARA AVIS] Instar phœnicis, quæ tantùm in terris creditur esse unica. Sic de formosa, divite, fœcunda, nobili & pudica Juven. Sat. 6. ỷ. 164.

*Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.*

ACTUTUM] Statim à nuptiis.

68. GENEROSI ANIMI &c.] Pereunt animi & lepores masculi, cum elegantiis generosis, quibus ante vigebat.

69.

*Stulta maritali qui porrigit ora capistro:*
*Nemo facem inculcet, si centum oraverit annis.*
*Quâ pendent aures, de libertate peractum est:*
*Curarum crescit fomes; spes nulla reverti*
*Ad genium; aut imis superest cantare medullis.*
*Dî sine labe animæ: rivalibus additur auræ*
*Divinæ pars major. Habent permulta puellæ*
*Stemmata nympharum, queîs demulcere rebelles,*

69. STULTA MARITALI &c.] Qui se servituti connubiali submittit. *Capistrum* capitis vinculum, quod equis aliisque animalibus injicitur. Juven. Sat. 6. ✠ 41.

*-----Mæchorum notissimus olim*
*Stulta maritali jam porrigit ora capistro.*

70. FACEM INCULCET] Desiderium facis, aut nuptiarum. Recèns nuptis tedas aut faces prælatas olim fuisse, diximus modò ✠. 38. & plura Ser. 11. ad ✠. 139. Inde passim fax pro conjugio. Seneca Medeâ. ✠. 67. De Hymenæo.

*Et tu qui facibus legitimis ades,*
*Noctem discutiens auspice dextera.*

ORAVERIT] Suaserit, me inducere conatus fuerit, aut apud me per multas annorum periodos dixerit de hoc argumento. Cic. de Clar. Orat. 47. *Oravit capitis caussam.*

71. QUA] Parte vel ratione. PENDENT AURES] Faciles, pronæ, ac unicè intentæ, ad capessenda imperia conjugis. Virg. l. 4. Æneid. ✠. 79.

*-----Pendetque iterùm narrantis ab ore.*

Vetus inscriptio parasiti apud La Cerda: *juvat ab ore meo pendulos detinere.* Ovid. Epl. Penelop. Heroid. 1. ✠. 30.

*Narrantis conjux pendet ab ore viri.*

Sensus est: quâ parte auscultat uxorem, & capitur in ejus obsequium. DE LIBERTATE] Conclamatum est de libertate, vel periit libertas numquam deinde recuperanda. De rebus desperatis proverbiali schemate dicitur, *actum*, aut *peractum* est. Terent. Eun. 1. 1 9. *Actum est! ilicet! peristi!* Vide *Erasm. Chil.*

73. AD GENIUM] Pristinæ libertatis ante nuptias. IMIS MEDULLIS] Ex imo pectore. CANTARE] Jucundari, ac semet exhilarare cum sodalibus, sine cura, vel metu dominæ obgannituræ. Cantus plerumque hilaritatis, libertatis, ac animi curis soluti nota est. Juven. Sat. 10. ✠. 22.

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

74. DÎ SINE LABE ANIMI] Aliorum argumenta occupat, sibique quasi ex aliena persona, eadem calidus hic declamator objectat. Ponit itaque hocce: homo vel hominis animus sine labe vel reatu. Deus est, quia divinæ mentis particula; & quà purus imago Dei. Psalm. 46. ✠ 10. *Dii fortes terra.* Et Psalm. 81. ✠ 6. *Dii estis.* Cic. Tusc. Q. 65. *Animus qui, ut ego dico, divinus, ut Euripides audet dicere, Deus est.* Seneca Epl. 31. *Animum bonum & rectum, quid hunc aliud voces, quàm Deum in humano corpore hospitantem?* Auctor Epigram quod extat in oratione Demosthenis περὶ στεφάνε, in fine: Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν. *Nil peccare Dei est.* Menander apud Grutium in excerptis: *Numen est verè bonis mens ipsa.* RIVALIBUS] Qui nacti sunt conjugem formosam, multisque gratiis præditam, quæque à multis ametur, & viro creat rivales. Intelligit itaque hoc loco maritos rivales, non maritorum: verbo, quibus chara est sua conjux, & observanda.

75. DIVINÆ PARS MAJOR] Feliciores ac laudabiliores evadunt, & minùs peccant, Deo similiores. Feliciter amantes olim se Dîs æquabant. Stultè Naso l. 2. Amor. Eleg. 9. ✠. 25.

*Vive Deus; posito, siquis mihi dicat amore,*
*Deprecer.------*

76 STEMMATA NYMPHARUM] Dotes, virtutes, laudes, gratias, & ingenitam quamdam animi nobilitatem, & potentiam, à quibus apud Poëtas veteres Nymphæ commendantur. *Stemmata* propriè sunt coronæ vel serta, maximè ubi aliquid lanæ admixtum. Æschines enim στέμματα vocat lanas, eo quod colum cingant seu coronent. Imò quidam στέμμα nominant lanam, quæ obvolvitur ramo olivæ, quam supplices gestare solebant; quin & supplices alicui Numini, lanâ & virgultis se coronabant. Quò spectare vult Nannius Misc. 7. c. 16. istud Virgilii de Didone Sichæum mortuum colente, Æneid. 4. ✠. 457.

*Inclinare valent & devincire maritos,*
*Quorum exsors vulgus. Pretio certator abibit*
*Urbe meâ victor, citiùs quia prompserit ova*
*Centum, quàm dominos binorum offendat equorum.*
*O bone, quid mirum? rebus præstantior uxor*

*Prætereà fuit in tectis de marmore templum*
*Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,*
*Velleribus niveis & festâ fronde revinctum.*

Antiquissimæ autem coronę olim laneæ fuerunt. Undè concludo, stemmata hoc loco esse coronas nympharum, id est dotes, sive laudes, aut res, à quibus laudari possint. Nam, ut refert Muretus Var. L. 8. c. 1. Poëtæ, quos laudant, coronare dicuntur; & præclara gesta fortium virorum, laudes, serta & stemmata posterorum reputantur: quamobrem majorum statuę in atriis coronatæ spectabantur. Hinc Juven. Sat. 8. ℣. 1.

*------ Quid prodest, Pontice, longo*
*Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus*
*Majorum, & stantes in curribus Æmilianos.*

Vide infrà Serm. 7. ad ℣. 320. Sententia ergo est: puellæ multas habent priscarum nympharum dotes & gratias, quêis virorum animos inclinant. REBELLES] Feroces, & minùs conjugibus obaudientes.

77. INCLINARE] In suam sententiam adducere. DEVINCIRE] Firmissimè obligare, ut artè pressèque adhærescant suasis dominæ. Nota ordinis venustatem: primo placare seu demulcere, dein inclinare, & tandem vincire; quod est callidarum, & prudentium.

78. QUORUM EXSORS VULGUS] Quæ ignorantur à vulgaribus, & inexercitatis mulierculis, à quibus mariti non demulcentur. PRETIO CERTATOR &c] Si deposito pignore certetur, num plures viri fœminas, an plures fœminæ viros moderentur.

79. ABIBIT VICTOR] Vincet. URBE MEA] Antverpiæ vel alibi. Nescimus enim, cujas fuerit hic fabula. PROMPSERIT] Distraxerit, vel extruserit citiùs ova centum, quàm par equorum. Meminit festivæ ac trivialis fabellæ, de quâ ita variant auctores, ut credas eam nusquam, & ubique contigisse. Certabant lepidi aliquot, & elegantes homunciones; pluresne uxoribus mariti in urbe, an plures viris uxores imperarent. Allatis utrimque in rem facientibus, pretio certatum, ac rei experimentum captum duorum rusticorum operâ, quorum alter par equorum, alter ova centum, foro venum inferre properabat. Hi venditionis lege conducti, vicos obire, ac ostiatim merces suas dispensare, hâc ratione; ut sicubi fœminam, ovum; sicubi virum comperissent familiæ suæ dictaturam exercentem, equum dono donarent. Sed (ô præposterum rerum ordinem!) vix vicum unum obiverant, & ecce extrusa sunt ova, intacto integroque adhuc equorum pare. De modo explorandi non constat inter eos qui tradidêre; alii sedulâ & pridianâ quæstione; alii hâc methodo judices cognovisse contendunt. Pultabantur fores, quærebaturque à vicinis, vel fores pandentibus, quis ædes incoleret? Nomen viri si edebatur; puta Caius, Sempronius, Lucretius, Marcus, Cœlius &c. viri dominatum conjectabant: secus, si mulieris. At verò cum incidissent in quemdam quem familiæ imperatorem, & hinc equo donandum censuerant; ac ille non consultâ conjuge donum accipere formidaret: jubent è vestigio hominem ovo contentum, muliebre donum ad uxorem referre. Rem ludicram aliquot elegis otia nobis Romana exclusere.

*Acre caballorum par Mopsus agebat in urbem:*
*Portabat centum Tityrus ova foro.*
*Cum lepidi quidam, facto certamine, utramque*
*Mercem hâc cautelâ conditionis emunt.*
*Tityrus & Mopsus, regiones urbis obibunt,*
*Explorando, domos Aulus, an Aula regat.*
*Sicubi comperient Caia imperitare maritum,*
*Masculei ponent munus honoris equum.*
*Si verò ignavo dominetur Caia Fabullo;*
*Singula fœminei fascibus ova dabunt.*
*Pactio firma, statim lepidum transivit in actum;*
*Utraque fis miro quæstio clara modo.*
*At prius, ô probrum! se Tityrus expedit ovis,*
*Quàm potuit domino ponere Mopsus equum.*
*I nunc grammatici canonis temerator, & urbes*
*Fœminei generis nomen habere nega.*

80. DOMINOS BINORUM &c.] Inveniat duos aliquos, quorum singuli ob imperium masculinum familiæ, digni sint singulo equo donari: ut jam expositum. Sententia horum versuum est: quæstionibus habitis, & re bene discussâ, in urbe mea invenias plures familiarum rectrices, quàm rectores. Jocatur nugivendulus.

81. O BONE QUID &c.] Amice. Sic enim compella-

*Quippe viro; aſſervat ſenio, proliq́ue futuræ*
*Accumulat, parviſq́ue præeſt, quod turpe marito.*
*O Coligon, Coligon, neſcis incommoda, quæ te*
*Sic meritum poſt terga manent! Capiti omne redundat*
*Nempe tuo; nec quando voles, modereris habenis.*
*Cui ſemel imperium, tibi numquam obtemperet uxor.*
*Sordibus utilitas nullis emergit honeſta, ut*
*Ingenuis animis. Hæc bis, ter, verterit aſſem,*
*Illa licetur adhuc meliùs. Secat illa trientem,*

pellamus illos quibus bene volumus, dum eorum nomina nos fugiunt. Ut Perſ. Sat. 3. ℣. 94.

*Heus bone tu palles.-------*

REBUS] Domeſticis agendis, curandiſq́ue minutiis magis idonea eſt, quàm maritus.

82. ASSERVAT SENIO] Macriùs victitando, æra bene diſpenſando, res parvas, viles, ſordidas, rejiculas anxiè conſervando, multarum rerum compendia facit: & ſenectuti conjugis, & ſuæ proſpicit. PROLIQUE &c.] Liberis & heredibus naſcituris. Agit de recèns nuptis, quibus nondum matris nomen datum eſt: aut ſaltem non excludit hactenus natos.

83 PARVISQUE PRÆEST] Rebus quibuſdam minutis & abjectis, quod alioquin viro indignum, illiq́ue probroſum ſit apud alios.

84. O COLIGON, COLIGON!] Anadiploſis, ſeu duplicatio, ad majorem vehementiam, & vim ſecuturæ orationis, ut ſupra Serm. 4 ℣. 41. Sic ex propria jam perſona reſpondet ſannio idem qui antè. Juven. Sat. 9. ℣. 102.

*O Corydon, Corydon, ſecretum divitis ullum*
*Eſſe putas? ſervi ut taceant, jumenta loquentur.*

Sic & Virgil. Ecl. 2. ℣. 69.

*Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?*

Sed nomen commutat Noſter, & anagrammaticè ſonat *Coligon.* quod Hetruſcis *Coglion.* Et ipſe Poëta alibi in M.SS *Coligon, inquit, is dicitur, qui fert mulierem imperatricem ſpe emolumenti.*

85. SIC MERITUM] Ob animos effœminatos, & patrocinium muliercularum. POST TERGA MANENT] Mala & incommoda tibi obventura procedente tempore. Grotius inter excerpta ex Medea Euripidis fol. 204.

*O infauſta tori connubia*
*Fœminei, miſeris mortalibus*
*Quanta & quot per te veniunt mala!*

CAPITI] In caput tuum, id eſt, in te.

86. MODERERIS HABENIS] Nullo quocumque freno, etiam aſperrimo eam compeſcere poteris.

87. SEMEL IMPERIUM] Si ſemel illi imperandi poteſtatem feceris, & ita parueris, ut ſervus dominæ; ac exemplo confirmaveris vetus iſtud ex incertis inter excerpta Grotiana:

*Vxore ducta vivere ut ſervus para.*

Et naturæ ordinem inverteris, ut ibidem:

*Natura quippe fœminæ imperium negat.*

NUMQUAM OBTEMPERET] Continenter imperare volet, nec tibi imperanti obaudiet. Nam ut Grotius ibid.

*Θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα γυνή*

Id eſt, feris omnibus ferior mulier.

88. SORDIBUS UTILITAS &c.] Ex ſordida parcimonia numquam ſurgit honeſta & laudabilis utilitas, qualis ingenuorum & liberalium.

89. BIS, TER, VERTERIT &c.] Anxiatur in expendendo ære, quantumvis minutiſſimo. Identidem enim *vertere nummum* Belgis proverbialiter dicuntur avari, qui metu exponendi plus quàm conventum eſt, aut debeatur; bis terve manu verſare nummum ſolent, ut inſpectâ probe utrâque monetâ, de pretio ſecuros ſe reddant; & cuivis fraudi occurrant.

90. LICETUR] Callet artem licitandi in rem ſuam. Brabanti vocant *dinghen*, quod eſt offerre pretium: cui oppoſitum indicare, *loven.* SECAT ILLA TRIENTEM] Dividi velit tertiam aſſis partem. Aſſem autem minoris valere, quàm ſemiſtuferum Brabantinum, ſupra docuimus Serm. 4. ad ℣. 64. ubi æquus lector ex ſenſu, operarum mendum inveniet, & pro *minoris* valente ſtufero, leget *majoris.* Trientem hinc rectè exponit Had. Junius Belgicè *een negenmanneken*, quo nummo

*Quadranti ut parcat misero. Populariter errat*
*Illa foro; hæc alget, sudat, festinat, anhelat*
*Ut sua conservet, frugi quò possit haberi*
*OEconoma: extorquet, donec juraverit alter.*
*Vitrea si famuli, famulæ si fictile rumpant:*
*Væ miseris! solvant, migrent, clamore remugit*
*Tota domus. Studio mea negligis. O domina, inquit,*
*Detrahe mercedi, vice me dimitte secundâ,*
*Serva gemens. Aliæ siliquis, crambe, & sene porro,*
*Et lardi exiguo jussere tumescere servos,*
*Toto anni spatio: vilissima vappa bibatur*

hodie non habemus minorem: quem tamen in partes sectum adhuc velit sordida, ne quadrantem aut trientem trientis perdat, & gratis dependat.

91. QUADRANTI] Trientis scil. quartæ parti, ut jam dictum. POPULALITER] Sordidè, passim, vulgariter.

92. ILLA FORO] Seu in carnario, seu ichthyopolio, seu olerum, ovorum, pullorum, seu alio quocumque foro. ERRAT] Eundo, & redeundo ad eumdem venditorem. Nam ut minoris emat, abit, simulatque se non redituram; donec à venditore revocetur: non revocata, ultro redit aliquid plus oblatura. ALGET, SUDAT &c] Non timet aëris injurias, frigus hiemale aut calores æstivos, nec defatigationem corporis, omni tempore diei & anni. FESTINAT] Quasi nimiis curis familiæ distracta, & necessaria rebus domi tempori agendis.

94. EXTORQUET DONEC] Non contenta simplici dicto venditoris, parcè licitando, eum quodammodo cogit jurejurando obtestari, mercem pluris sibi constitisse, quàm liceatur, minoris, se indemni, vendi non posse &c.

95. VITREA] Vasa scil. ut sunt cyathi ac omnis generis calices, in usu mensarum, in quibus famuli à poculis laticem expediunt bibituris. FICTILE] Testam quamlibet in usu culinæ; ubi famulantur pro more nostratium ancillæ focariæ.

96. SOLVANT] Numerando pretium vasis collisi. MIGRENT] Ex domo, & alterius famulitio se dedant.

97. STUDIO MEA NEGLIGIS] Ita domina ad ancillam: ac si dicat; deditâ operâ, & ex composito frangis vasa mea. O DOMINA &c.] Vox ancillæ pœnam migrandi deprecantis.

98. MERCEDI] Annuo meo stipendio, quod debes mihi, tanquam pretium elocatę operæ. Hoc est, inde decide, quantum necesse resarciendo damno tuo. VICE SECUNDA] Ubi denuo meâ incuriâ quidquam confractum fuerit, emove me domo tua.

99. GEMENS] Ob iram & ferociam dominæ, metumque dimissionis. SILIQUIS] Vilissimis leguminibus, de quibus supra Serm. 4. ad ℣. 33. Est autem *legumen* omne id quod in folliculis seu siliquis nascitur, cujusmodi sunt, fabæ, pisa, lentes &c. CRAMBE] Brassicâ; quasi κοράμβλη, quod τὰς κόρας, id est pupillas, vel aciem oculorum hebetet. Brassicas Belgicè interpretatur Junius *koolen*, quamvis quibusdam, ut Atheneo, etiam olim idem, quod raphani fuisse dicantur. De crambe extant adagia Græca: Δὶς κράμβη θάνατος, id est, *bis crambe mors*: & κράμβη δίσεφθος, *crambe recocta*: quam scribit Suidas tantam nauseam afferre, ut Græcis in proverbium abierit, quoties rem, iterum & iterum repetitam non sine molestiâ, significabant. Quò spectat istud Juven. Sat. 7. ℣ 154.

*Occidit miseros crambe repetita magistros.*

SENE PORRO] Jam obsoleto, duro, & vix hominum commestioni idoneo.

100. LARDI] Carnis suillæ salitæ. TUMESCERE] Saturari & saginari: scil. vilissimis illis opsoniis, sine carne aut pisce, quæ decentiùs pascant vilissima mendicabula, quàm lautæ familiæ alumnos.

101. TOTO ANNI &c.] Semper, adeo ut

vix

*Quadrantis medii zythum. Dent membra sopori*
*Sub vigilis pulsum. Sub galli surgere cantum,*
*Cautum præcipuè, quò frigida fila trahantur,*
*Quêis sine progrediens pereat res. Omnia nugæ,*
*Quas flocci facias. Bona disciplina saginat;*
*Sufficiat servis; rarò periere labore.*
*Ecce inhiant anatis, contemnunt anseris ovum.*
*Vir contraveniat, mediocria suadeat urgens*
*Nomen honestatis; rabie assurgente feruntur*

vix umquam quid aliud opsoniorum addatur. VAPPA] Potio sordidissima, qualis sit vel vini vel cerevisiæ fugientis, & jam acidæ. *Vappa* vinum proprie fugiens, & jam detriti saporis. Vide quæ diximus supra Serm. 5. ad ℣. 94.

102. QUADRANTIS MEDII] Octavæ partis stuferi Brabantini, uti hodie *as* pro stufero accipitur, sed perperam, ut vidimus Serm. 4. ad 64. Itaque quadrans medius hìc idem fere valet, quod triens suprâ ad ℣. 90. explicatus. ZYTHUM] Perparum, aut nihil ab aqua differens; vilissimum cerevisiæ genus, aptius pannorum sordes eluere, quàm hominum sitim restinguere. Prostat Antverpiæ in tabernis pinguiariorum, ad usus pauperum, veniique sextarius triente supra exposito, & vulgo dicitur, *negenmannekens bier*. Adeo ut unius solidi, vel Pauli Romani pretio, nonaginta sex sextarii emantur. *Zythus* vel *Zythum* potus ex hordeo, lupulo & aquâ decoctus. Plin. l 22. c. ult. *Ex frugibus fiunt & potus, Zythum in Ægypto, Celia & Ceria in Hispania. cerevisia & plura genera in Gallia*

103. SUB VIGILIS PULSUM] Horâ undecimâ vel duodecimâ noctis apud nos, id est unâ horâ ante mediam noctem, aut etiam ipso noctis medio. Eo enim tempore, solent singuli excubitores, seu nocturni ambulones singulos vicos armati obire, ut caveantur incendia, arceantur latrones, terreantur grassatores; & hastæ pulsu singularum ædium fores explorare, num probè sint obfirmatæ. Nostrates eos circitores insigniunt nomine *hanneken-uyt*, vel *handuyt*. SUB GALLI CANTUM] Horis antelucanis, summo mane, cum cœperit cantare gallus; quem ut Plin. lib. 10. cap. 21. *excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno natura genuit, nec solis ortū incautis patitur obrepere.* Hor. l. 1. Sat. 1. ℣. 10.

*Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.*

104. CAUTUM] Sancitum, decretum, præceptum à domina. PRÆCIPUE] Ante omnia. FRIGIDA] A cælo hyberno & antelucano. FILA] Quæ ex lino lanâve ducunt netrices ancillæ, quibus hoc à domina singulariter demandatum: utpote

105. QUEIS SINE &c.] Sine quibus filis pereat utilitas, vel res domus ad quæstum proficiens. Lintea enim supellex usu quotidiano deteritur, quæ semel omnis consumpta, non nisi magnis impensis resarcitur. Hinc œconoma quotidiano filorum accremento studet, ut vertente anno, contextis novis, veterum linteorum detrimento succurratur.

106. BONA DISCIPLINA &c.] Moderatione & coercitione herili pascuntur famuli. Vox est arguratricis cuiuspiam, aut ejus patroni: ac si dicat famulis tunc bene est, dum bene, ac in officio continentur à dominis.

107. SUFFICIAT SERVIS] Hæc, quantumvis macra opsonandi ratio. RARO PERIERE LABORE] Non ita laboribus se dedunt, ut macerent semet, aut contabescant. Proverbii nostratis speciem refert: *Noyt knecht is van wercken gestorven*: id est numquam servus labore periit.

108. ECCE INHIANT &c.] Sermo nobis vernaculus totidem verbis adagium reddit: *op het endten ey sien, en het ganssen ey laeten loopen*. Quod torquemus in eos, qui adeò in curandis minimis occupantur, ut maxima negligant Anatum enim pusilla, anserum ova maxima sunt, saltem in numero eorum, quę vulgariter mensam opimant.

109. CONTRAVENIAT] Has sordes carpendo, & castigando. MEDIOCRIA] Mediocritatem inter parum & nimis, avaritiam & prodigalitatem.

10. HONESTATIS] Ne sibi & viro perdat honestum nomen, famam, & existimationem apud populum, & vicinos. Nam ut rectè Juvenalis supra

*Præcipites: Mihi cura domus; tibi cura tabernæ,*
*Museique tui. Quò me & mea gessero, abundè*
*Me instituit genitrix: tardè venere, deinceps*
*Qui sperant aliud. Bona verba, sed ingenuus quis*
*Tecum habitet? Plus perdis, quam lucrare. Malè audis.*
*Noli, noli aliis fieri ludibrio. Habemus*
*Longè quod satis est, spes est majoris habendi.*
*Ulteriùs blateres? Noli vexare, quiesce.*
*Nil mecum obtineas. Ex quo sapientior es me?*
*Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas.*
*Quid facias? Scyllam incurras, certámve Charybdim.*

supra ad ℣. 84. citatus, nullum divitis secretum est, *servi ut taceant jumenta loquentur.* RABIE ASSURGENTE &c.] Jam quasi emotæ mentis, & in rabiem actæ blaterabunt, & in viros detonabunt sequentia.

111. MIHI CURA DOMUS] Aptè, si cetera respondent. Ichomachus apud Xenophontem de administ. domest. *Quoniam hæc utraque tum interiora tum externa, labores & curam requirunt: idcircò etiam Deus dixisse se perhibebat: statim naturam præparavit, fœmina quidem ad opera & curationes interiores; viri autem ad opera & curationes externas. Est enim fœmina pulchriùs, intra ædes sese continere, quàm foris agere: viro autem turpius, intus manere, quàm res exteras curare.* Sed hoc cum sale deglutiendum, intelligendumque, ubi mulier in domesticis curandis fines honestatis, & leges mariti non transgreditur. Aliàs enim sibi imperium, & sine provocatione vindicaverit. TABERNÆ] Negotiorum & lucrorum tuorum, quæ curantur in tabernis. Nolim hîc intelligi tabernas diversorias, ubi ingluvie stringitur res, sed loca ubi merces venum exponuntur, vel officinas ubi ab operibus lucrum. Priores enim tabernas odere matronæ, ob virorum tædiosam absentiam, & loculorum detrimenta.

112. MUSEIQUE TUI] Ubi studeat rebus, lucris, & rationibus suis; id est tablini, ubi scriptitatur. QUO ME &c.] Ut me & negotia mea domestica, & muliebria geram, abundè instructa sum à matre.

113. TARDE VENERE] Frustra sunt, nihil efficiant. *Tardè*, vel *serò venire* adagio Belgico dicimus, qui nituntur id alicui persuadere, cui ille jam mentem contrariam obfirmavit. Illis enim responderi solet: *gby comps to laet.*

114. SPERANT] Supple persuadere. BONA VERBA] Leniter occurrit maritus, quasi dicat: meliora loquere. Terent. Andr. 5. 2. 33. *Bona verba quæso.* INGENUUS] Vir liberalis, generosus, comis, honestus.

115. HABITET] Te conjuge familiàm alat, & moderetur. MALE AUDIS] Derideris, vilipenderis, existimationem tuam lædis apud alios.

116. HABEMUS] Opes & census, quibus nobis non tantùm satis, sed abundè sit ad vitam.

117. MAJORIS HABENDI] Aspirante fortunâ, ac nostrâ diligentiâ, industriâque.

118. ULTERIÙS BLATERES] Vox est mulieris stomachantis; quasi dicat: pluribúsne sustines me lacessere? *Blaterare* camelorum vox, pro inconditè, stultè, aut inaniter loqui. Vide quæ notabimus Serm. 7 ad ℣ 420.

119. MECUM OBTINEAS] A me impetraveris. SAPIENTIOR ES ME?] Ita insultat, assurgente superbiâ, indomitus sexus, cui omnis sapientia in affectibus. Rectè vetus istud, apud Grotium in excerptis, ex incertis Græcorum tragediis.

*Scis quod cupiscit fœmina, ulterius nihil.*

120. SIC VOLO, SIC JUBEO &c.] Imitatio loci Juvenalis Sat. 6. ubi Xantippe huic suppar, mortem servi postulans, obgannit dissuadenti viro. ℣. 221. -------- *Nil fecerit, esto.*

*Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

121. SCYLLAM INCURRAS &c.] Seu blandè oraveris, seu asperè corripueris, nihil proficias, & pacem domesticam continuò rumpas. *Scylla & Charyb-*

*Hæc iterùm excuset naturâ uxorius, altùm*
*Mersus avaritiæ? Non viderit utilitatis*
*Posthabitum studium? Nam quod tolerabile servis,*
*Repet & in dominum invitum tolerabile numquam.*
*Culcita, fulcra, toralia, anaclinteria magnis*
*Sumptibus effulgent, tumido quoque conopeo*
*Perquam illustre puerperium; splendetque culina,*

*Charybdis* loca sunt in mari Siculo, navigantibus periculosa, sibi invicem ita objecta, ut si alterum declines, alterum incidas. Ovid. l. 13. Met. ℣. 730.
*Scylla latus dextrum, levum irrequieta charybdis*
*Infestat. Vorat hæc raptas revomitque carinas,*
*Illa feris atram canibus succingitur alvum,*
Indè Græcis ad adagium: Τὴν χάρυβδιν ἐκφυγὼν, τῇ σκύλλῃ περιέπεσον. Id est evitata Charybdi in scyllam incidi. Et Latinis.
*Incidit in scyllam cupiens vitare Charybdim.*
Ceterùm hæc magis ex poëtarum fabulis, & pro veteri fama dici, suadet illud Senecæ Epl. 79. ubi *Scyllam*, inquit, *saxum esse, & quidem non terribile navigantibus, optimè scio.*

122. NATURA] Naturali propensione, & ingenitâ quadam animi vitiati inclinatione.

123. MERSUS AVARITIÆ?] Immersus avaritiæ sordibus.

124. POSTHABITUM] Propriæ mulieris opinioni, & incondito affectui: id est, non viderit quandoque negligi utile, ubi id pugnaverit cum affectu & desiderio dominæ.

125. REPET ET IN DOMINUM] Nam qualem initio se servis tolerabiliter, talem se postmodum marito exhibet intolerabiliter.

126 CULCITA] Stragulum plumis, vel tomento fartum. Belgicè, *Bolster*. FULCRA] Quibus insternitur culcita. Notat hîc omnem ex ligno, ferro, aliâve materiâ apparatum, quo sustinetur lectus, & unde suspenduntur cortinæ vel cadurcum: vulgo nostro *ledekant*. TORALIA] Stramentum seu pretiosum stragulum, quod lecto operiendo injicitur. Alii existimant esse sindones lecticarias. ANACLINTERIA] Pulvinaria seu cervicalia, illaque lecti pars ubi caput reclinatur: Brabanticè dixeris: *Hoofd-peluwe*. aut *Hooft bolinck*, & *Hoofden-eynt*, Italicè *Capezzalle*. Ἀνακλιντήριον. sive per syncopen, Ἀνάκλιντρον, Græcis recubitorium designat. Had. Junius lectulum interpretatur, in quo interdiu quiescitur. Kilianus culcitam tomentitiam, Hetruscis *Materasso*, nobis *mattras*: cui favet & lexicon Adriani Politi: sed neutra interpretatio huic loco convenit. Aliud nobis innuit Ælius spartianus, in Imp. Ælio Vero: *Lectum*, inquit, *eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat.* In quem locum Cl. Salmasius: *Anaclinterium dicebatur pars lecti, ad quam pulvinum ponebant sustinendo capiti.* Unde hic existimo *anaclinterium* dici à Scholiastio synecdochicè, ut continens pro re contenta: id est cervical, omnisque istius partis ornatus, sive in pulvillis, aut pulvinaribus byssinis vel Attalicis, sive in stragulo auro intertexto, sive in aureis orbibus, aut columnulis inauratis, aliisque quæ ad illam partem lecti, fastus & ornatus gratiâ, accedere solent. Lege fusè disserentem Salmasium loco citato.

127. SUMPTIBUS EFFULGENT] Magno splendore, ac divitiarum admirabili ostentatione, spectantium oculos perstringunt. Id est generatim: lectus, omnis generis ornatu, multisque sumptibus comparato, resplendet. TUMIDO] Superbo, divite, opulento CONOPEO] Velamine, aut velario, id est cortinis aliisque ornamentis lectum forinsecus vestientibus. Itali vocant, *cortinaggio*. nostrates *Behangsel* Conopeum propriè Horatio & Juvenali textile tentorium est, quod lectis imminet, arcendis muscis & culicibus comparatum. *Had. Junius.*

128. ILLUSTRE PUERPERIUM] Aptè: nam in hoc unicè feruntur prægnantes, ut splendeant omnia futuro puerperio, quò plausum reperiant, apud socias & amicas mulierculas, dum à partu dominam invisent. *Puerperium* propriè patiendi dolorem significat, transfertur tamen quandoque ad fœtus editos, quandoque ad omne id tempus, quo à partus dolore decumbit puerpera. Hîc autem extenditur ad locum vel cubile; ubi omnia ad usum prolis natæ, ac puerperæ decumbentis comparata sunt. Porrò mos Belgicarum mulierum obtinuit, ut propinquæ, agnatæ, affines, vicinæ aut alioquin, quocumque demùm

*Sartago, diploma, veru, craticula, ahenum;*
*Et teritur tempus tabulis, tignisque fricandis*
*Quotidie; ô stolidum! toto vix uteris anno.*
*Sordidulæ accumbis mensæ. Patiare, lavamus;*
*Cras forsan meliùs. Satis est; considero. Alanum*
*Cras decet invitem; satagatur, quæso, culinæ.*
*Pinsitat Elisabeth, non possum; multa plicanda*
*Lintea; sunt amylo firmandaque plurima; caro*
*Omnia nunc constant minùs exquisita macello:*
*Milliaque obtrudet non convenientia. Clames,*
*Ores, imperites, objurges, & mare cælo*

pacto, amicæ, post superatas primorum dierum à partu molestias, puerperam invisant, ac dapsili cœnâ accipiantur: ubi ne quidquam minùs probè ornatum displiceat huic sexui, ejusmodi rebus inprimis attento, omnia sunt polita & ad luxum, cultumque singularem exornata. CULINA] Omnis supellex coquinaria, ut sunt quæ sequuntur.

129 SARTAGO] Frixorium vel patella, in qua carnes, vel alterius generis opsonia friguntur. DIPLOMA] Olla ænea, ferreáve, stanneo aut argenteo tectorio incrustata. Δίπλωμα latine vas duplex: quo nomine censeri posse ollam fictilem, vitreo, vel æneam, stanneo tectorio incrustatam, auctor est Had. Junius. Ipse Belgicè interpretatur, *eenen glasen pot, eenen vertende pot*. Nos vel testum, *een seerspan*, vel excipulum adipis sub veru, de *braed-panne*, aut aliud simile vas stanno incrustatum intelligamus.

130. TIGNISQUE FRICANDIS] Trabibus, tabulis, asseribus, transtillis, gradibus, & generatim omni supellectile lignea, seu potius querna, durioris que materiei, quæ scopis ex seta, vel ex myrica coactis, nitet splendicatque, in primis addito ceræ pauxillo: nostrates hanc fricandi actionem vulgariter vocant, *boenen*.

131. STOLIDUM!] Stolidè factum! vel te stolidum, qui hæc pateris!

132. SORDIDULÆ &c.] Si mensa instrata sit sordidato mantelio, ut nauseam tibi comesturo pariat, tuque propterea jure corripias conjugem. PATIARE] Hac phrasi respondet domina. LAVAMUS] Modò vacamus præparandis, lavandisque linteaminibus.

133. CRAS FORSAN MELIÙS] Ubi purgata, & in usum siccata fuerint. SATIS EST CONSIDERO] Verba sunt viri rationi acquiescentis. ALANUM] Amicum meum, ut nosti. Nomen fictum viri noti & amici.

134. DECET] Honestatis, gratæ voluntatis, aut æquitatis gratiâ. INVITEM] Ad prandium nostrum. SATAGATUR CULINÆ.] Opsonare ut decet, & invigila coquendis, ut ab hospite gratiam ineamus.

135. PINSITAT ELISABETH] Vox est dominæ, occupatam pinsendo coquendoque pane, vel occupandam ancillam Elisabetham caussantis. PLICANDA] Ut concinnè reponantur in armario, vel capsa, ad usum elegantiorem.

136. AMYLO] Pulmento ex amylo cocto: vulgo nostrati *styfsel*, quo imbuuntur lintea illa, ad cultum corporis exteriorem, quò firmiùs consistant, aut concinniores rugas, aut strias recipiant.

137. CONSTANT MINÙS &c.] Esculenta hoc tempore minùs valent, minùs proba sunt, & pluris emuntur. MACELLO] Loco, quò venum portantur, quæ ad victum humanum necessaria; ita ut Varroni complectatur, omnia fora esculentorum, quæ uno macelli nomine continentur.

138. OBTRUDET] Tibi objiciet invito, quasi foribus tibi respondendi occlusis. INCONVENIENTIA] Contra rationem, & mariti ingratiis, ut verè nequicquam excusent, aut culpam diluant, sed pravam voluntatem & certam malitiam arguant

139. ORES, IMPERITES &c.] Nihil non agas, Orando, monendo, objurgando, litigando, imperando, mulcendo &c. MARE CÆLO &c.] Nihil

*Confundas, nihil efficies: sive arbitrium sit*
*Præ manibus, seu certa lucri fiducia, sunto*
*Ædes hospitium, sed diversorium ut ædes.*
*Ecce hærent minimis; quid sit verè utile, rarò*
*Prospiciunt, nec honestum: amet hæc, qui pacis* **amator**?
*Longinquo rediit, citò discessurus amicus,*
*Hospitio qui te peregrinâ exceperit orâ,*
*Juverit & nummis; veteris vestigia flammæ*
*Agnoscis, suadetque pari par grata referre*
*Mens tua, de placito si constet conjugis: aut si,*
*Sperans omne bonum, petulans quia noctè fuisti,*
*Immonitæ adducas: noli me ducere tecum,*
*Cardiacâ ne labe ruam, ne labar ocellis*

hil intentatum relinquas. De uxoribus mœchis Juven. Sat. 6. ℣. 28.

------ *Clames licèt, & mare cælo*
*Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis*
*Deprensis. Iram atque animos à crimine sumunt.*

Huic affines parœmiæ sunt: *sacra profanis permiscere*, ac *cælum & terras confundere*, pro eo quod est, nihil non agere, vel attentare.

140 ARBITRIUM] Judicium honorarium, seu caussa controversiosa, inter te & partem, per arbitros in hoc lectos disceptanda.

141 LUCRI FIDUCIA] Quâ speres hanc tibi hospitalitatem fore quæstuosam. SUNTO] Perversa agendi ratio tacitè tibi persuadeat, ac imperet, ut hospitio pro domo, domô pro hospitio utaris, sed dominâ nesciâ.

142. ÆDES HOSPITIUM] Id est: habita cauponam, hospitate domi. DIVERSORIUM] Domus vicem tibi suppleat.

143. MINIMIS] Minutissimis quibusque curandis ita se dedunt, ut negligant illa, undè omnis utilitas, ac potissimùm honesta.

144 PACIS AMATOR?] Maritus pacis studiosus, & qui solum id desiderat, ut tranquillè, ac minimè turbulentè, cum uxore vivat.

145 LONGINQUO] Ex longinqua regione. REDIIT] In patriam suam, civis ac popularis tuus. CITO &c.] Qui propediem meditatur reditum in oras longinquas. Caussas hospitalitatis ingenuæ aperit; nequis virum esse caussetur macelli conturbatorem.

146. PEREGRINA EXCEPERIT &c.] Qui tibi peregrè existenti hospitium commodaverit, aut te epulo acceperit; vel indigentem nummo mutuo sublevaverit.

147. VETERIS FLAMMÆ] Amoris & benevolentiæ, quâ te rebus suis impertivit.

148. SUADETQUE &c.] Memoria beneficii accepti monet ac instigat te, ut par pari referas, & hostimentum facias.

149. DE PLACITO &c.] Si scias mentem conjugis, & quàm tuum illi consilium allubescat.

150. OMNE BONUM] Plurima tibi pollicearis, ab illius humanitate, speresque nîl refragaturam. PETULANS &c.] Veneri verticordiæ, & tori gratiis impigrè operatus.

151. IMMONITÆ] Non antè communicato cum illa tuo desiderio; vel non impetrata potestate. ADDUCAS] Hospitem obnixè roges, ut pransurus tecum ad ædes, & cœnaculum tuum abeat. NOLI ME DEDUCERE &c.] Supple respondebit: amabo te ne me ducas ad dominam tuam, mihi plus satis notam.

152. CARDIACA NE LABE &c.] Ne visâ furiarum filiâ dolores cardiacos, ipso oculorum contagio mihi adsciscam. *Cardiacus* dolor palpitantis & afflicti cordis affectio, à voce græca *καρδία*, quæ Latinis, *cor*. Quamquam alioquin propter vicinitatem & mutuum consensum, eo etiam nomine censeatur os ventriculi. Hinc *cardialgia*, quæ Had. Junio dicitur morsus oris ventriculi, ob humoris acrimoniam. Ab eo stat Tor-

*Ignitis, gyroque brevi, colubrisque Megæræ,*
*Ipse quibus palles assuetus. Nec tamen isto*
*Evades, quòd te duro sub patre retentum*
*Succurrat, loculosque olim distenderis auro*
*Numquam, nunc dives dotalibus affluis agris;*
*Aut, quia parca placet, sis conjuge avarior ipsâ;*

rentius, pugnant tamen medici sitne cordis, an stomachi affectio cardialgia. *Netum*, inquit Lipsius in Senec. Epl. 15. *καρδιαλγίαν dici in oro stomachi vitium, ab humore vellicante aut rodente.* Indè qui hoc malo tenentur, *cardiaci* dicti sunt. De illis Plin. l. 23. c. 1. *Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse, certum est.* Et Seneca Epl. 15. citatâ: *bibere & sudare vita cardiaci est.* Ex quo intelligas Juven. Sat. 5. ℣. 32.

*Cardiaco numquam cyathum missurus amico.*

153. IGNITIS ] Iram & indignationem spirantibus: ardor enim oculorum iram denotat. Cic. Act. 7. in Ver. 160. *Ipse inflammatus scelere & furore, in forum venit. Ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat.* Ovid. de arte 3. ℣. 503.

*Ora tument irâ; nigrescunt sanguine venæ;*
*Lumina Gorgoneo sævius igne micant.*

Et Virg. Æneid. 12. ℣. 102.

*Scintillæ absistunt; oculis micat acribus ignis.*

GYROQUE BREVI] Anguibus brevibus in spiras contortis, & quasi capillamento crispo. Describit hic bellè turpitudinem horrendam iratæ mulieris, cum furiis conferendo. Horat. Epod. 5. ℣. 15. de Canidia venefica.

*Canidia brevibus implicata viperis*
*Crines, & incomptum caput.*

Ovid. Epl. Phyll. Heroid. 2. ℣ 119.

*Adfuit Alecto brevibus torquata colubris.*

COLUBRISQUE MEGÆRÆ ] Id est, crinibus. Nam capilli furiarum serpentes. Virg. Georg. 4. ℣. 481.

*----- Cæruleosque implexa crinibus angues,*
*Eumenides.* ----------- Ovid. Met. 4. ℣. 453.

*Deque suis atros pectebant crinibus angues.*

Catullus de nupt. Pel. & Thet. ℣. 192.

*Eumenides quibus anguineo redimita capillo*
*Frons exspirantis præportat pectoris iras.*

Horat. l. 2. Od. 13. ℣. 35.

*----- Et intorti capillis*
*Eumenidum recreantur angues.*

Tib. l. 1. Eleg. 3. ℣. 69.

*Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues.*

Papin. l. 1. Theb. ℣. 90.

*------ Resolutaque vertice crines*
*Lambere sulphureas permiserat anguibus undas.*

Megæra, Tisiphone, Alecto, nomina sunt trium furiarum, quas Græci vocant Εὐμενίδες, per antiphrasin ἀπὸ τῆς εὐμενείας, id est, ab animo benevolo, cùm sint maximè immites.

154. QUIBUS PALLES ] Quod te premit & angit, & morbum ac pallorem tibi concivit. Id est: laboras, & contabescis mœrore pessimæ conjugis. Pers. Sat. 3. ℣. 85.

*Hoc est quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.*

Id scil. quod morbum ac pallorem invexit. IPSE ASSUETUS ] Ego ipse qui tecum in eodem valetudinario jaceo, à simili prorsus Megæra domi pessimè habitus.

155. EVADES ] Malum hoc. DURO SUB PATRE ] Qui te sub dura ferula continuit, nummorum parcus, & minimè liberalis in tuas delicias, & cultum juvenilis elegantiæ.

156. SUCCURRAT ] in mentem veniat, seu recorderis. Virg. l. 2. Æneid ℣. 317.

*----- Pulchrumque mori succurrit in armis.*

Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 4. ℣. 21.

*Cùm tibi succurrit veneris lascivia nostræ.*

Item Heroid. Epl. 9. Deian. ℣. 76

*Non tibi succurrit crudi Diomedis imago?*

LOCULOSQUE &c. ] Crumenam auro fartam, vel benè nummatam nunquam habueris.

157. DOTALIBUS ] Qui tibi ex dote conjugis obvenere: id est nunc dives sis, dominus & nummorum dispensator, quos tibi pater numquam credidit. Sententia est: nec declinabis molestias & rixas conjugales, æquo animo patiendo sordes insulsæ œconomæ, quod recogites, nihil tibi lautius fuisse sub patre, quàm modo sub lege dominæ conjugis; cujus agros ditissimos jam possides.

158. PARCA ] Tenax, attenta, & sordida. Avarus quippe non odit avarum, ubi avaritiæ emolumentum ad se redit. Quod hic locum habet: nam in rem viri, parca est mulier. AVARIOR ] Ita ut eam tuæ avaritiæ tædeat.

159.

*Imputat illa viro tunc se, & contraria spectat,*
*Assuevitque epulis, pretiosis vestibus, altùm*
*Lusit in æde patris, matrisque ancilla crumenâ*
*Luxuriat turgente, foro: nunc aure cylindrum,*
*Et collo baccas; mox nunc segmenta, stalagmium,*
*Nam mos est, poscit; jam Hispana cyclade ferbet;*
*Gallica jam melior: si contradixeris audax,*
*Dilates portas Actæon. Vis tribus ergo,*

159. IMPUTAT SE] Intolerabilem suam parcimoniam, & probra indè nascentia, cònjicit in maritum, ut auctorem. CONTRARIA SPECTAT] In contraria studia nititur, ex avara repente prodiga, sine medio liberalitatis. Ut verum, etiam de mulieribus, fit istud Horat. lib. 1. Sat. 2. ℣. 24.

*Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

Mox enim materiam prodigalitatis subjicit: nam ut procaciter & superbè crepitat

160. ASSUEVIT EPULIS] Id est, dicit se assuevisse, & hâc ratione omnia sequentia expone. Sententia est: domi parentum cum consanguineis & sodalibus suis, sæpè epulabatur, genio indulgebat, cantando, choreas agitando, ludendo &c. quæ epulationem consequuntur. PRETIOSIS VESTIBUS] Superbo diviteque vestitu corpus comebat & colebat. ALTUM] Splendidè, basilicè, genialiter

161. LUSIT] Cum paribus, & suæ sortis puellis, saltando, & cœtus celebrando, ut suprà. ANCILLA] Cui cura macelli, & emptionis.

162. LUXURIAT TURGENTE &c.] Abundat nummis, ut quovis pretio lautissima quælibet opsonia mensæ herili comparet. Id est, in forum, vel opsonandum multum æris profundit. CYLINDRUM] Margaritam oblongam ovali figura, quæ aures exornet pendula.

163. COLLO BACCAS] Uniones grandiores fasciatos, qui collum ambiant & coronant. SEGMENTA] Murænulam, seu catenam collarem, ex auri lentescentis segmentis flexibilem, vel torquem auream. Ita ferè Had. Junius: à quo non prorsus abludit Servius in lib. 1. Æneid. ubi censet *segmentum* esse ornamentum gutturis. Val. Max. l. 5. c. 2. de Grat. *Permisit quoque his* (de fœminis sermo) *purpureâ veste, & aureis uti segmentis.* Juven. Sat. 2. ℣. 124.

*Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit.*

Sid. Apoll. *segmenta* vocat *crepitantia*. Sed in his locis variant interpretes. Alii volunt esse fascias, alii zonas, alii redimicula capitis. Existimo tamen locum Poëtæ nostri interpretandum ut suprà: torquis enim aureus, auri segmentis vel ansulis constat. *Quoniam*, inquit Perottus, *ornamentum colli quod monile vocatur, & ex iisdem segmentis fieri solet, segmentum etiam appellatur.* Inde rectè doctissimus Calepinus, etiam monilis nomine, segmentum intelligit, quòd quibusdam bracteolis quasi præsegminibus constet. STALAGMIUM] Inaurium genus diversum à cylindro, ingenti & oblongâ constans baccâ in guttæ similitudinem, aut ex pluribus in eamdem formam nexis compositum; aut certè ex adamantibus. Plaut. Men. 3. 3. 17.

*Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi*
*Faciundas pondo duûm nummûm stalagmia.*

Cæcilius apud Sext. pomp. *Ex aure ejus stalagmium habeo domi.* Nomen invenit ἀπὸ τοῦ σταλαγμοῦ, quod est, à gutta vel stilla.

164. MOS EST] Quod in isto genere maximum pondus habet, & pro Phidiæ signo necesse est teneri ab omnibus. Mos enim venustat omnia, & ora quævis obstruit hoc symbolo in se reducto, *mos est*. Nostrates dixerint: *het is de mode.* HISPANA CYCLADE] Oblonga & spatiosa veste, quæ extima cum sit, majorem partem inferiores tegit. Ætate Scholirianâ in usu communi, audiebat *spaensen bouwen*. FERBET] Radiat, rutilat, splendet auro prætexta, vel colore Tyrio. *Ferbeo* verbum antiquatum, retinet adhuc orthographiam in præterito verbi *ferveo*.

165. GALLICA] Cyclas. JAM MELIOR] Magis placet: ita in novas semper vestes prodiga, rem suam dilapidat. CONTRADIXERIS] Si vel minimum oblocutus fueris.

166. DILATES PORTAS ACTÆON] Thalami fidem tibi rumpet, adulterabitur; quo viro honesto & Christiano quid probrosius? Id est, juxta

*Ne te detineam, me vitam absolvere verbis,*
*Quam decet aggredier, cui juncta puella cubili?*
*Experrectus agat manè, at post oscula trina,*
*Et reliquum officii, de rebus eâ die agendis.*
*Conferat integrè, dominæque expostulet antè*
*Judicium, quàm consolidetur opinio menti*
*Certa suæ. Caveat, si quid dissuaserit illa.*
*Quæ rogat, observet: quæ vult mandata, rogabit*
*Uxor cauta virum. Mox si concessa, Sabinâ*
*Est ipsâ melior. Tum dicat, eundo foras, quò,*
*Quando reversurus. Si diûtiùs hæserit, ausus*

ta hodiernam omnium pæne Europæorum allegoriam, capiti tuo cornua inseret adeò ramosa & porrecta, ut si offendiculo ejusdem cautum esse volueris, serò tibi de amplificanda domus tuæ porta cogitandum sit. Hetruscâ parœmiâ exposueris: *te Cornetum amandabit* Ubi sal fricat ex ambiguo: nam *Cornetum* non ignobile hodie oppidum est priscæ Hetruriæ, ad mare Tyrrhenum; allegoricè (heu nimis plus satis!) peregrinationibus frequentatum, sed minimè Christianis. Actæonis fabulam, quem Diana in cervum cornutissimum animal transformavit, leges apud Ovid. Met. 3. ubi Dea ℣. 194.

*Dat sparso capiti vivacis cornua cervi.*

VIS TRIBUS] Paucis, compendio, vel ut Plautus, tribus bolis.

167. ABSOLVERE] Totum complecti, quemadmodum viro conjugato agendum, vivendumque, ut commodâ utatur conjuge.

169. EXPERRECTUS] Manè in lecto ubi inceperit vigilare. POST OSCULA TRINA] Blandimenta conjugalia identidem reperita.

170. RELIQUUM OFFICII] Quo novit teneri, ac mulceri conjugem.

171 CONFERAT INTEGRE] Consulat ipsam de omnibus quæ acta desideret, illiusque relinquat deliberationi, & arbitrio.

172. DOMINÆ JUDICIUM ANTEQUAM &c.] Audiat sententiam dominæ, antequam certò aliquid faciendum statuat; aut opinionem suam firmet.

173. CAVEAT, SI QUID &c.] Nequid jam antè mente conceptum mandet executioni, si negat illa id fore consultum, aut ex re familiæ. Nempe Nasonis consilio obaudiat, & institutioni, de arte lib. 2. ℣. 199.

*Arguit? arguito; quidquid probat illa, probato:*
*Quod dicet, dicas: quod negat illa, neges.*

174. QUÆ VULT MANDATA &c.] Preces illius non alia promptitudine accipiendæ sunt, quàm mandata; quia æquè facta desiderat ea quæ rogat, quàm quæ imperat: solum discrimen in verbis & modo.

175. CAUTA] Hâc arte enim excæcant, & vinciunt maritos mulierculæ. SI CONCESSA] Si precibus annuendo, facturum te promittis quod postulat. SABINA] Optimâ quavis, & viri studiosissima muliere. *Sabinæ* olim commendabantur à pudicitia, fide conjugali, sanctis moribus, virorum observantiâ. Juven. Sat. 6. ℣. 162.

*------Intactior omni*
*Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ.*

Spectat finem belli Sabini sub Romulo. Vid. Liv. lib. 1. Mart. lib. 1. Epig. 63.

*Casta nec antiquis cedens Lævina Sabinis.*

Horat. Epod. 2 ℣ 39.

*Quod si pudica mulier in partem juvet*
*Domum, atque dulces liberos,*
*Sabina qualis.------* Vide Ald. Man. l. 1. de quæs. per Epl. cap. 1.

176 DICAT &c.] Domo egressurus, indicet dominæ quò properet, vel properare meditetur, & quid acturus foris.

177. QUANDO REVERSURUS] Quâ horâ scil. statuat redire, ne domina vel frustra expectet, vel angatur, vel nimis diu solitaria mœreat. SI DIUTIUS &c.] Quàm dixerit, aut decreverit, vel præsagiverit.

178.

*Interdum lusisse pilâ, caveatque videri,*
*Detentum variis, & se indignetur amicis.*
*Si quisquam invitet solum, excusatio pulchra*
*In promptu,* Uxorem duxi. *Si sæpè molestet,*
*Promittat; puer excurrat, vel deferat ipse.*
*Nemo invitetur, nisi quem jam noverit uxor,*
*Et probet; hac monitâ semper. Si non velit, oret.*
*Permanet? Expectet donec felicior hora.*
*Otia post pransum; si suda arriserit aura,*
*Ambulet; invisat cognatas, mœnia calcet,*
*Ad latus uxoris semper. Supra omnia nocte*
*Emaneat numquam. Solus numquam exeat urbem.*
*Abstineat lusu, veterísque sodalis ab usu.*

178. Ausus lusisse &c.] O flagitium nullis sacris expiandum! Lepidè, & ad ingenium muliebre. Quivis enim extra domum lusus, dominæ displicet, metu damni ex lusu sinistro; vel rixarum. Caveatque videri] Nolit id rescire imperatricem suam. Scopticè satis & ironicè in uxorios, & notos quosdam sui temporis.

179. Se indignetur] Simulet se indignari, & ringi, quò credat invitum & ingratis detentum, & à tonis os abstinear.

180. Invitet solum] Te solum sine conjuge, utpote vetus quispiam amicus & sodalis, cui nulla intercedit cum uxore tua consuetudo, vel alioquin Megæram horreat.

181. Uxorem duxi] Ex D. Lucæ c. 14 ℣ 20. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Molestet] Importunè te compellando, & quasi verbis adigendo, ut condicas. Id est, si jam sæpiusculè te ad mensam suam invitaverit, tuque abnueris, metu uxoris indignaturæ.

182. Promittat] Se usurum mensâ illius, id est condicat, hac tamen lege, ut famulus eat ad dominam, qui nuntiet virum apud amicum detineri. Vel deferat ipse] Quod satius, ut æquiorem sentiat uxorem. Ipse enim excurrendo, & potestatem flagitando, docet quanti faciat conjugis pacem & gratiam.

183. Nemo invitetur] Si maritus convivas accipere voluerit, nemo vocetur, nisi jam cognitus uxori, & in gratiam receptus. Solent enim aversari incognitos, metu aut verecundiâ sexus, vel primi aspectus aversione.

184. Et probet] Nec tamen omnes ex notis indiscriminatim, sed delectos, & quibus favet jam ipsa affectu tacito Hac monita &c.] Non ex improviso, & ut fert fortuna, sed tunc tantùm, cum jam ejus judicium exploraverit. Oret] Dicat se illam rogare & obtestari obnixè, ut hoc pace illius liceat.

185. Permanet?] Persistit pervicaciter in sententiâ, nec precibus movetur? Expectet] Æquo animo ferat, donec mollior, & commodiùs affecta spem majorem faciat.

186. Otia post pransum] Supple, sunt. Virorum enim lautiorum negotia, non raró desinunt in meridiem. Suda] Serena, sine udo; pluviâ scil. aut ventorum turbine. Vir. Geor. 4. ℣. 77.

*Ergo ubi ver nacta sudum, camposque patentes.*

Id est aerem purum & tranquillum, sine quavis inclementiâ.

187. Ambulet] Per urbem ad cognatas & amiculas uxoris. Aptè, sic enim gravat humilia virorum officia, in suum propositum. Mœnia] Ex more & usu vulgari. Civium enim deambulationi Antverpiæ mœnia esse admodum opportuna, suprà docuimus Serm. 2. ℣. 43.

188. Ad latus uxoris &c.] Numquam solus, semper comite conjuge, cui latus tegat, more inter lautiores recepto.

189. Emaneat] Pernoctet extra domum. Solus numquam &c.] Semper cum domina conjuge, nequid fugiat oculos illius.

190. Lusu] Tesserarum, chartarum, scrupo-

sum

*Ne te detineam, me vitam absolvere verbis,*
*Quam decet aggredier, cui juncta puella cubili?*
*Experrectus agat manè, at post oscula trina,*
*Et reliquum officii, de rebus eâ die agendis.*
*Conferat integrè, dominæque expostulet antè*
*Judicium, quàm consolidetur opinio menti*
*Certa suæ. Caveat, si quid dissuaserit illa.*
*Quæ rogat, observet: quæ vult mandata, rogabit*
*Uxor cauta virum. Mox si concessa, Sabinâ*
*Est ipsâ melior. Tum dicat, eundo foras, quò,*
*Quando reversurus. Si diùtiùs hæserit, ausus*

ta hodiernam omnium pæne Europæorum allegoriam, capiti tuo cornua inseret adeò ramosa & porrecta, ut si offendiculo ejusdem cautum esse volueris, seriò tibi de amplificanda domus tuæ porta cogitandum sit. Hetruscâ parœmiâ exposueris: *te Cornetum amandabit* Ubi sal fricat ex ambiguo: nam *Cornetum* non ignobile hodie oppidum est priscæ Hetruriæ, ad mare Tyrrhenum; allegoricè (heu nimis plus satis!) peregrinationibus frequentatum, sed minimè Christianis. Actæonis fabulam, quem Diana in cervum cornutissimum animal transformavit, leges apud Ovid. Met. 3. ubì Dea ℣. 194.

*Dat sparso capiti vivacis cornua cervi.*

VIS TRIBUS] Paucis, compendio, vel ut Plautus, tribus bolis.

167. ABSOLVERE] Totum complecti, quemadmodum viro conjugato agendum, vivendumque, ut commodâ utatur conjuge.

169. EXPERRECTUS] Manè in lecto ubi inceperit vigilare. POST OSCULA TRINA] Blandimenta conjugalia identidem repetita

170. RELIQUUM OFFICII] Quo novit teneri, ac mulceri conjugem.

171 CONFERAT INTEGRE] Consular ipsam de omnibus quæ acta desideret, illiusque relinquat deliberationi, & arbitrio.

172. DOMINÆ JUDICIUM ANTEQUAM &c.] Audiat sententiam dominæ, antequam certò aliquid faciendum statuat; aut opinionem suam firmet.

173. CAVEAT, SI QUID &c.] Nequid jam antè mente conceptum mandet executioni, si negat illa id fore consultum, aut ex re familiæ. Nempe Nasonis consilio obaudiat, & institutioni, de arte lib. 2. ℣. 199.

*Arguit? arguito; quidquid probat illa, probato:*
*Quod dicet, dicas: quod negat illa, neges.*

174. QUÆ VULT MANDATA &c.] Preces illius non alia promptitudine accipiendæ sunt, quàm mandata; quia æquè facta desiderat ea quæ rogat, quàm quæ imperat; solum discrimen in verbis & modo.

175. CAUTA] Hâc arte enim excæcant, & vinciunt maritos mulierculæ. SI CONCESSA] Si precibus annuendo, facturum te promittis quod postulat. SABINA] Optimâ quavis, & viri studiosissima muliere. *Sabinæ* olim commendabantur à pudicitia, fide conjugali, sanctis moribus, virorum observantiâ. Juven. Sat 6. ℣. 162.

*----- Intactior omni*
*Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ.*

Spectat finem belli Sabini sub Romulo. Vid. Liv. lib. 1. Mart. lib. 1. Epig. 63.

*Casta nec antiquis cedens Lævina Sabinis.*

Horat. Epod. 2 ℣ 39.

*Quod si pudica mulier in partem juvet*
*Domum, atque dulces liberos,*
*Sabina qualis.-----* Vide Ald. Man. l. 1. de quæs. per Epl. cap. 1.

176 DICAT &c.] Domo egressurus, indicet dominæ quò properet, vel properare meditetur, & quid acturus foris.

177. QUANDO REVERSURUS] Quâ horâ scil. statuat redire, ne domina vel frustra expectet, vel angatur, vel nimis diu solitaria mœreat. SI DIUTIUS &c.] Quàm dixerit, aut decreverit, vel præsagiverit.

*Interdum lusisse pilâ, caveatque videri,*
*Detentum variis, & se indignetur amicis.*
*Si quisquam invitet solum, excusatio pulchra*
*In promptu,, Uxorem duxi. Si sæpè molestet,*
*Promittat; puer excurrat, vel deferat ipse.*
*Nemo invitetur, nisi quem jam noverit uxor,*
*Et probet; hac monitâ semper. Si non velit, oret.*
*Permanet? Expectet donec felicior hora.*
*Otia post pransum; si suda arriserit aura,*
*Ambulet; invisat cognatas, mœnia calcet,*
*Ad latus uxoris semper. Supra omnia nocte*
*Emaneat numquam. Solus numquam exeat urbem.*
*Abstineat lusu, veterisque sodalis ab usu.*

178. AUSUS LUSISSE &c.] O flagitium nullis sacris expiandum! Lepidè, & ad ingenium muliebre. Quivis enim extra domum lusus, dominæ displicet, metu damni ex lusu sinistro, vel rixarum. CAVEATQUE VIDERI] Nolit id rescire imperatricem suam. Scopticè satis & ironicè in uxorios, & notos quosdam sui temporis.

179. SE INDIGNETUR] Simulet se indignari, & ringi, quò credat invitum & ingratis detentum, & à tonis os abstineat.

180. INVITET SOLUM] Te solum sine conjuge, utpote vetus quispiam amicus & sodalis, cui nulla intercedit cum uxore tua consuetudo, vel alioquin Megæram horreat.

181. UXOREM DUXI] Ex D. Lucæ c. 14 ỳ 20. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* MOLESTET] Importunè te compellando, & quasi verbis adigendo, ut condicas. Id est, si jam sæpiusculè te ad mensam suam invitaverit, tuque abnueris; metu uxoris indignaturæ.

182. PROMITTAT] Se usurum mensâ illius, id est condicat, hac tamen lege, ut famulus eat ad dominam, qui nuntiet virum apud amicum detineri. VEL DEFERAT IPSE] Quod satius, ut æquiorem sentiat uxorem. Ipse enim excurrendo, & potestatem flagitando, docet quanti faciat conjugis pacem & gratiam.

183. NEMO INVITETUR] Si maritus convivas accipere voluerit, nemo vocetur, nisi jam cognitus uxori, & in gratiam receptus. Solent enim aversari incognitos, metu aut verecundiâ sexus, vel primi aspectus aversione.

184. ET PROBET] Nec tamen omnes ex notis indiscriminatim, sed delectos, & quibus favet jam ipsa affectu tacito. HAC MONITA &c.] Non ex improviso, & ut fert fortuna, sed tunc tantùm, cum jam ejus judicium exploraverit. ORET] Dicat se illam rogare & obtestari obnixè, ut hoc pace illius liceat.

185. PERMANET?] Persistit pervicaciter in sententiâ, nec precibus movetur? EXPECTET] Æquo animo ferat, donec mollior, & commodiùs affecta spem majorem faciat.

186. OTIA POST PRANSUM] Supple, sunt. Virorum enim lautiorum negotia, non rarò desinunt in meridiem. SUDA] Serena, sine udo, pluviâ scil. aut ventorum turbine. Vir. Geor. 4. ỳ 77.

*Ergo ubi ver nacta sudum, camposque patentes.*

Id est aërem purum & tranquillum, sine quavis inclementiâ.

187. AMBULET] Per urbem ad cognatas & amiculas uxoris. Aptè, sic enim gravat humilia virorum officia, in suum propositum. MŒNIA] Ex more & usu vulgari. Civium enim deambulationi Antverpiæ mœnia esse admodum opportuna, suprà docuimus Serm. 2. ỳ. 43.

188. AD LATUS UXORIS &c.] Numquam solus, semper comite conjuge, cui latus tegat, more inter lautiores recepto.

189. EMANEAT] Pernoctet extra domum. SOLUS NUMQUAM &c.] Semper cum domina conjuge, nequid fugiat oculos illius.

190. LUSU] Tesserarum, chartarum, scrupo-

rum

*Si formosa domi sit casu ancilla, notetur*
*Rarò oculis. Justam cœna numquam urgeat horam:*
*Impedimenta putet, si tardè; si citò cœnet,*
*Torquetur somno domina, & condormiat illi.*
*Incultus frigescit amor. Neque jactet ob æstus,*
*Italiæ morem; nec quid consueverit Indus.*
*Concumbens repetat, quæ viderit audieritque*
*Illâ luce: roget pensum si neverit Ida;*
*Luciolus flerit, blandè si parvula matris*
*Luserit Anna sinu. Si forsan dentiat illa,*

rum in diversoriis, sphœristerii, &c. AB usu] Consuetudine, contubernio, sodalitio, & cœtu amicorum. Jocatur quidem hîc, sed ridendo sub personâ alienâ dici verum non renuit Poëta. Sunt enim qui sibi ab heris uxoribus ne dici verbum sustinent, cùm tamen aliarum herarum sint observantissimi; de quibus ita Socrates apud Xenophontem de administ. Domest. *Sunt & aliæ,* inquit, *fraudulentæ quædam heræ, quæ se pro voluptatibus venditant; aleæ lusus & inutiles hominum congressus, quas temporis progressu manifestò deprehendunt etiam illi, qui decepti sunt, dolores esse implicatos voluptatibus. Atque hæ potestatem in ipsos nactæ, ab operibus eos utilibus impediendo avocant.* An non satiùs ergo heræ uxori morem gerere? Certè si in virorum consessu perorent mulierculæ, multa procul dubio audiantur, quorum pudeat & pœniteat maritos.

191. ANCILLA NOTETUR &c.] Ne zelotypia cruciet conjugem, auctore scil. Nasone lib. 3. de arte ỽ. 665.

*Nec nimiùm vobis formosa ancilla ministret.*

192. JUSTAM CŒNÆ &c.] Ne fulminatricem experiare, & te obtundat sua loquacitate.

193. SI CITO] Ante tempus consuetum.

194. TORQUETUR &c.] Dormiturit, ad somnum propendet.

195. INCULTUS &c.] Amor nisi ejusmodi officiis foveatur, prorsus intercidit.

196. ITALIÆ &c.] Ubi tribus mensibus, ab uxoribus, volunt, secubare plerosque viros. Extat apud Janum Gruterum inter cetera adagia Hetrusca: *Giugno, Luglio, Agosto, ne donna ne mosto.* Alii legunt: *Madona non te connosco.* Et hunc morem volunt etiam in Indiis vigere.

197. CONCUMBENS] Scil. antequam sopor obrepat.

198. PENSUM] Propriè: nam pensum est manipulus lanæ, lini, vel cannabis, colo aggestus, qui in diurnam operam à dominis datur ancillis, in fila carpendus. Deducitur à pendo: lanam quippe appendebant ancillis heræ, quam eodem pondere reddere oportebat in filo, deductis burrhis, & quisquiliis. Plaut. Menech. 5. 2. 45.

*-----Dare unâ operâ pensum postules;*
*Inter ancillas sedere jubeas; lanam cárere.*

Id est, carminare. Ovid. l. 4. Trist. Eleg 1 ỽ. 13.

*Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis,*
*Fallitur ancilla decipiturque labor.*

Propert. 3. Eleg 6. ỽ 15.

*Tristis erat domus, & tristes sua pensa ministræ*
*Carpebant, mediæ nebat & ipsa loco.*

IDA] Ancillæ nomen apud Lips. l. 1. de Cruc. c. 15. ubi ex Josepho refert, quod Tiberius ob adulteratam in templo Isidis Paulinam, sacerdotes crucifixerit, & *Idam*, quæ corruptelæ causa fuerat.

199 LUCIOLUS] Filiolus. Scitissimè omnem sermonem ad genium muliebrem accommodat. Ista enim humilia & familiaria, nescio quam virtutem habent ad parandos, & conciliandos mulierum animos.

200. ANNA] Filiola, matris delicium. DENTIAT] Dentes emittat. *Dentire* est, quod Græci dicunt, ὀδοντοφυεῖν, id est dentes primùm emittere. Nam pueros, primùm cùm nascuntur dentes, mirum in modum cruciari, nemo est qui nesciat. Aliò nonnihil deflexit Plautus, ita tamen, ut huc spectando, venustatem ab ambiguo aucupetur. Mil. Glor 1. 1. 33.

*Venter creat omnes has ærumnas. Auribus*
*Peraudienda sunt, ne dentes dentiant.*

Id est, ne cessent à terendo cibo, quia tunc non dete-

*Vir vigilet noctu, ducat cunabula, creſcant*
*Ubera nutrici: ſi patrem imbulbitet infans*
*Faſciolis ereptus, habet quæ inſignia matri*
*Oſtentet, valido hæc quæ manè rependat amori.*
*Conjugii ſi quis memoratis vivere clathris*
*Geſtiat objectis, biſque à tonſore magiſtro*
*Incipiat pecti, ſpargique roſâ hebdomade unâ.*
*Mens ſua cuique Deus: mea mî perſuadet Erinnys*

deteruntur, quod vulgari joco, vocat dentes grandeſcere, ſeu *dentire*. Vide Turn. l.7.c.6.

201. VIR VIGILET &c.] Agitando jugiter cunas, quò ad ſomnum proritet infantem, noctem inſomnem ducat, ut ſcil. dormienti conjugi lacte creſcant ubera. Solent enim matres, vagientes infantes uberibus admovere, ut eos ſolentur & pacent, at verò cùm dentiunt, frequentiùs id actitant interdin, ut neceſſe ſit nocte ceſſare, quò dato ſpatio, & ſomni commodo, ubera novo lacte repleantur. Interim quod oblitterando infantis dolori faciat, ad ſomnum provocetur patris vigilantiâ, cunabulum continenter agente. Jocatur, & illudit ſexui, non ſine ſelle.

202. NUTRICI] Matri lactanti. PATREM IMBULBITET] O lepos tori! Stercore inquinet puerili: hoc enim propriè dicitur *imbulbitare*. Lncil. ex incert. apud Douſam n.35.

*Hæc te imbubinat, & contra te imbulbitat ille.*

203. FASCIOLIS EREPTUS] Quibus noctu vinciri, ac involvi ſolent infantes, ne nidum conſpurcent, aut brachiolis ſtragula amolientibus, malè tecti frigeant. Fit autem non rarò, dum arctè aut ſcitè ſatis vincti non ſunt, ut pedum manuumque obniſu, diſſolvantur faſciæ: quo tempore ſi cunis infantem eripiat pater, maternis uberibus admovendum, periculum eſt, ne decidentibus, cum reliquo pannorum apparatu, faſciolis, & ipſe ſordibus inquinetur. Quod ſi nſu venit HABET QUÆ &c.] Maculam aut tincturam interulæ, vel ſindonis lecticariæ.

204. OSTENTET] Quo ſe de matre ac prole benè meritum glorietur. MANE] Ubi jam diluxerit, & glorioſas notas Phœbus detexerit. REPENDAT AMORI] Benevolam ſe commodamque mariti votis exhibendo.

205. CONJUGII CLATHRIS] His ſe cancellis ſtringi & coërceri velit; Id eſt: hac lege vivere, quam jam memoravi. *Clathri* vel *clathra* Ciceroni ſunt cancelli, ſeu ferramenta, vel virgæ ligneæ reticulato contextu, quibus feneſtræ & caveæ muniuntur. Horat. de art. ℣. 473.

*Objectos caveæ valuit ſi frangere clathros.*

Propert. lib 4. Eleg. 5. ℣. 72. legente Beroaldo:

*Cum fallenda meo pollice clathra ferent.*

Plaut. Mil. Glor. 2.4.25.------*Neque hortus ullus,*
*Neque feneſtra, niſi clathrata.*-----

206. INCIPIAT PECTI] Comi, poliri, ut placeat amatæ: id eſt, incipiat procari, & ſibi conciliare Nympham. SPARGIQUE ROSA] Unguento odorifero, aut pulvere roſaceo. Id enim, quibus paranda virgo, actitandum ex uſu communi, ut totius corporis cultu, ac inprimis capillitio, & mento placeant. Juven. in pari argumento nuptiarum Sat. 6. ℣. 26.

------ *Iamque à tonſore magiſtro*
*Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.*

Polyſyndeton hîc eſt in *biſque ſpargique*, quod ſuprà monuimus fol. 7. Poetæ noſtro non eſſe infrequens: ut fiat hæc ſententia: qui hâc lege conjugium amat, & *incipiat pecti*, & *ſpargi roſâ*.

208. MENS SUA &c.] Sua cuique cupido pro Deo eſt. Inter VII. Græciæ ſapientum oracula celebratur; *ſequere Deum*. Id eſt, ut cenſet Plutarchus, obtempera rationi; quaſi cuique, inquit Eraſmus, debeat oraculum eſſe, quidquid in pectore dictaverit ratio. Incertus apud Grotium in excerptis fol. 943.

*Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός.*
*Homini Deus ſua cuique conſcientia.*

Virg. l.9. Æneid. ℣ 185.

-----*An ſua cuique Deus fit dira cupido?*

Plura videas apud Lipſ. manuduct. ad Stoic. Phil. Diſſ. 29. MEA MI PERSUADET &c.] Genius meus, naturalis inclinatio, votum ac deſiderium meum. *Erinnydem* vocat, ſuammet cupidinem, ut apud auditores invidiam dicti mitiget, & ſe ipſe incuſet. Nam à corrumpenda men-

*Castra sequi; pulchrùmque mori, præponit amori*
*Captivo. Felix, Vulcanum nocte latentem*
*Qui gerit in cornu, Veneres per compita venans*
*Multivagas, ultra numquam devinctus amorem:*
*Serò domum rediens, quâ nemo grunniat; & sic*
*Despiciens ferulas, & stulta examina nuptæ.*

te dictam volunt Erinnydem, furiarum unam, ut notavimus suprà ad ỳ. 153. Veteres autem Furiis dabant commotæ mentis, furorisque affectus. Virg. l. 2. Æneid. ỳ. 337.

*In flammas, & in arma feror: quò tristis Erinnys,*
*Quò fremitus vocat, & sublatus in æthera clamor.*

A Græcis dicitur atrox, & malorum plena. Homer. Odys. ο ----- Θεὰ δασπλῆτις Ἐρινύς

209. Castra sequi] Militem agere, stipendia facere, ac de principe patriaque bene mereri. Mori præponit] In bello cum honore, ac laude generositatis, & pro salute publica.

210. Amori captivo] Venustè, pro amore uni soli devoto, utpote quem lex sacra & civilis, sine noxâ & pœnâ, non patitur in alias se diffundere. Vulcanum latentem] Ignem seu lucernam in laterna clausam. Laterna enim à latendo dicta. De hac. Mart. l. 14 lem. 61.

*Dux laterna via clausis feror aurea flammis,*
*Et tuta est gremio parva lucerna meo.*

211. Qui gerit in cornu] In cornea laterna. Olim in usu etiam fuisse laternas ex cornu, indicat Plaut. Amph. 1 1. 185.

*Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?*

Item ex vesica, ut arguit Mart. lem 62 l 14.

*Cornea si non sum, numquid sum fuscior? Aut me*
*Vesicam contra qui venit esse putat?*

Modò & vitreas habemus laternas, & corneas, & chartaceas. Primum laternarum auctorem credunt fuisse Prometheum. Vetus poëta apud Taubmannum noctilucas vocat. De laternis surdis hodie in usu vulgari, lucem scil. facientibus tantùm portatori, aut ei cui præferuntur, adeundus Casaubonus, in lib. 1. Suet. ubi dicit in usu veterum, & Jul. Cæsaris fuisse. Est & aliud laternularum genus, quod ferreâ laminâ rotatili obductum lumen celat, quâ revolutâ transparet. Has vocant laverniones, & latere volentium laternas, vulgo, *dief-lanterns*. Quo respicit Poëta noster, dum Vulcanum latentem nuncupat; ut notet artes furtim in nocturnas Veneres grassantium. Veneres] Meretriculas, & semitarias mœchas, quæ noctu vagari solent, publicæ ac promiscuæ libidinis victimæ. Compita] Ampliores & laxiores plateas, vel fora, ubi frequentior transitus, & in quæ commeare per diversas vias licet, quòd eò plura itinera competant.

212. Multivagas] Multùm vagantes, in quæstum ab usurâ & elocatione corporis. Quod hic dictum est, non ex sententia & mente Poëtæ viri gravissimi, Equitis, & Senatoris, sed ex persona illius, qui hic contra imbecilliorem sexum deblaterat; quo scil. salsiùs in hoc argumento versetur, & mulierculas præsentes somni publici perturbatrices, acriùs pungat, & ad bilem concitet; quod etiam in hactenus dictis locum habet, & sequentibus; maximè ubi nullum à vero vel æquo, dictioni pondus accedit, & sincerus quispiam secundùm uxores discepiet. Ultra numquam &c] Devinctus, donec amat, non ultra: cùm res è diverso habeat se inter conjuges, quibus vitæ societas non solvitur, nisi alterutrius morte.

213 Sero] Multa nocte Ov. de arte 2. ỳ 227.

*Nocte domum repetens epulis perfuncta redibis.*

Grunniat] Insuaviter murmuret, litiget, objurget. *Grunnire* proprium suilli pecoris. Festus: *gruere dicuntur grues, ut sues grunnire.* Cic. Tusc. Q. 5. 116 *Non audiunt grunnitum, cum jugulatur sus.* Juven. Sat. 15 ỳ. 22.

*Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.*

Id est, cum sociis Ulyssis in porcos transmutatis.

214 Ferulas] Contumelias, castigationes, amara dicta. *Ferulæ* sunt arma ludimagistrorum, quibus pœnas exigunt à puerorum noxis. Matt. lib. 10. Epig 62. ỳ. 10.

*Ferulæque tristes sceptra pædagogorum.*

Lignorum ex genere fuisse docet; lemma 80. seu *Ferula*. Mart. lib. 14.

*Invisa nimium pueris, grataque magistris,*
*Clara Prometheo munere ligna sumus.*

A feriendis puerorum manibus dictas volunt. Indè natum adagium quod extat apud Juvenalem Satyr. 1. ỳ. 14.

*Et nos ergo manum ferulæ subduximus.---*

Id

*Nam, verum ut fatear, si quis mihi, posce, Deorum*
*Dicat, quod mavis, abstruso carcere cludi*
*Ruppelmondano, vel libertate potiri*
*Lege puellari; pedibus dabo vincula, liber*
*Possim ut mente frui; & Superos non pauca putabo*
*Indulsisse mihi: levis hæc punitio culpæ.*
*Sic ait, & primæ vela advertuntur arenæ.*
*Multa parat senior; reliqui nos multa paramus*
*Dicere, quò thalami restauraremus honorem*
*Immeritò læsum. Nam quæ (si credere fas est)*
*Conveniunt numero paucis, diffundere cunctis,*

Id est Grammaticæ eruditi sumus, jam ad scribendum idonei, nec ultrà magistri disciplinam requirentes Hîc autem pro animadversione mulierum in viros. STULTA EXAMINA] Ineptæ ac præposteræ quæstionea. Solet enim domina (populari joco mondelinam nunc appellant nostrates) ut curiosus est sexus ille, percontari à viris serò redeuntibus, ubi morati? Apud quoa sodales? Quo diversorio? Quid actum, dictùmve? Quanti cœnatum? Quæ caussa moræ? &c. quæ arguunt stulta examina, & inutilem nuptarum curiositatem, aliquando tamen opportunam.

215. NAM VERUM &c.] Ordinandus hic versus cum sequentibus hoc modo: nam, ut verum fatear, siquis deorum mihi dicat, posce quod mavis, vel claudi abstruso carcere Rupelmondano, vel potiri libertate sub lege puellari, eligam carcerem, ut malum mitius præ conjugio.

217. RUPPELMONDANO &c.] Ruppelmonda, magnus Flandriæ pagus ad oram Scaldis fluminis, ubi Rupelam amnem accipit, situs est: unde quasi os Rupelæ, nostratis linguæ nomen invenit. Illic autem arx Scaldi incumbebat structurâ elegans & munita, multis carceribus intus horrenda; ubi detinebantur, aut plectebantur, etiam capite, honestioris lautiorisque fortunæ homines malè feriati & noxii, vel liberi discincti opulentorum parentum, qui aptiùs alibi ad amoliendam infamiam necessariorum coërceri non poterant. Verùm nuperrimis belli Gallici calamitatibus, ne hosti subsidio esset & latibulum præberet; suffossis cuniculis, subjectoque pulvere pyrio, tota dissiluit. Aptissimè ejus meminit hoc loco, cum Antverpiâ navigantibus Bruxellam, aut inde eò, necessariò prætenavigandа fuerit, & clarè interdiu, etiam nunc, rudera & reliquiæ conspiciantur.

218 LEGE PUELLARI] Sub disciplinâ & dominatu conjugali.

219. MENTE FRUI] Libertate mentis, licèt corpore vinculis constricto.

220 INDULSISSE] Condonasse magnam partem reatuum meorum, & decumano beneficio me cumulasse. LEVIS HÆC &c.] Expiandis animi mei noxis, pœna mihi levis videbitur in hoc carcere, collata conjugis imperio.

221. SIC AIT &c] Nondum desierat loqui, & jam navis ad portum Willebroucanum appulerat, ubi exscenditur ad alteram navem, haud procul inde distantem, & in editioria alvei nilo natantem: cataractam vocant nostrates, sive stationem; vulgo *sasse*, quòd aqua isthic alterâ multò altior, validâ cataractâ contineatur.

222. SENIOR] Iste grandior ævo, conjugalia vitæ defensor, de quo supra ad ℣.46. NOS] Ego inprimis poëta. Salsè, ad averruncandam speci tenus à sa iram, & invidiam sexus.

223. THALAMI] Tam protervè ac mordaciter proscissi, & temeratiâ virulentiâ suggillati.

224. IMMERITO] Ironicè: nam qui alieno nomine dixit omnia, nihil hîc dixisse videri vult Poëta. SI CREDERE FAS EST] Jam dicta paucis dumtaxat congruere: quasi dicat, non paucas, sed quàm plurimas uxores hac dominandi libidine teneri, & viris imperitare. De Baccho Naso Met. 3. ℣.311.---*Patrioque tener (si credere dignum)*
*Insuitur femori, maternaque tempora complet.*

225. DIFFUNDERE] Omnibus tribuere, vel ad-

*Ærugo est animi, succus loliginis atræ.*
*Det pœnas, soleâ pulsetur, crine rotetur,*
*Et rubeat talitris, conventum. Quæritur, at jam*
*Evasit: vocat ulteriùs conductor eundum.*
*Jamque dies aderat, dispergimur: ille supremâ*
*Parte manet navis, pedes hic, descenderat alter.*
*Indefensæ igitur Veneres à crimine nostræ.*
*Ast ego suscipio, sint otia plena, querelam.*

adscribere: quasi funders ad omnes alias. Ovid. de art. 3. ℣. 9.

*Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.*

Sostrata apud Terent. Hecyr. 2. 3. 1.

*Ædepol ne nos sumus mulieres iniquè æquè omnes invisæ viris,*
*Propter paucas: quæ omnes faciunt, digna ut videamur malo.*

Et nutrix ad Hippol. Senec. 563.

*Cur omnium fit culpa, paucarum scelus?*

226. ÆRUGO EST ANIMI] Odium, invidia. Nam veteres invidiam animi vitium esse censebant, ut ferri rubiginem, & æris æruginem. Inde animi ærugo pro invidia, quæ non secus exedit cor, quàm æs ærugo, & ferrum rubigo. Hinc Mart. lib. 10. Epig. 33. ℣. 5.

*-------Viridi tinctos ærugine versus*
*Fortè malus livor dixerit esse meos.*

SUCCUS LOLIGINIS] Atramentum, seu iniqua notatio. Nigram enim & turpem notam inussit maledicus ille conjugalis vitæ sycophanta. *Loligo* piscis albus, expers sanguinis & viscerum, quorum vice gaudet humore nigro, quem attramentum appellant. Horatius libro 1. Sat. 4. de insidiosa amici læsione ℣. 100.

*-----Hic nigræ succus loliginis, hæc est*
*Ærugo mera.-------*

227. DET PŒNAS] Quas exigunt imbelles & timidæ mulieres, ut sequitur. Jocus venustus. SOLEA PULSETUR] Muliebri flagello. De solea plurima videre licet infrà Serm. 8. ad ℣. 55. CRINE ROTETUR] Capillis tortis & convolutis trahatur in gyrum.

228. RUBEAT TALITRIS] Notetur plagis rubris in fronte, vel alibi, à convoluti digiti impressione. *Talitrum* est allisio unguis, ab impetu sinuati digiti, semet è summo pollicis articulo, in corpus aliquod quatientis. Italis *frignocola*, nostratibus *knippe*. Suet. de Tiber. c. 68. *Articulis ita firmis, ut caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulneraret.* Cum sale ridet imbelles, & muliebres plagas. CONVENTUM]. Inter ringentes mulierculas.

229. EVASIT] Exscensâ navi. CONDUCTOR] Naviculator, aut potiùs is, qui ex hac prima cataracta Bruxellam usque conducit viatores, & curam habet tam sarcinarum de nave in navem transportandarum, quàm navis & viatorum. Vulgus Bruxellense illum vocat *den schuytvalck*. EUNDUM] Solvendum esse, ocyus omnes conscendant.

230. JAMQUE DIES ADERAT] Illuxerat, dispulsâ jam nocte. SUPREMA PARTE] Tectum seu summum navis tabulatum, ubi & sarcinæ collocati solent, & locus patet stationi aut ambulationi sub dio, nullum impedimentum faciente velorum apparatu, aut armamentis nauticis huc spectantibus. Bigis enim protrahitur hæc navis, Æoli & ventorum imperio minimè obnoxia.

231. PEDES HIC] Supple, properavit ad proximam navium stationem, non ultra duodena stadia, aut iter semihoræ inde distantem: ut solent sudo cælo, ac in primis frigido, ad corporis exercitium, & calorem, ii qui pedibus expeditiores sunt, hoc iter frequentes ambulando emetiri. DESCENDERAT ALTER] Sub tectum navis ad protam vel ad puppim, ubi ditiores, vel in alvum, ubi plebei, ut suprà ad ℣. 2.

232. VENERES] Quæ nobiscum conscenderant, & generatim totus illarum sexus.

233. AST EGO SUSCIPIO] Jocatur, & promittit ironica fide, se vindicem fore illarum, quas, sub aliena persona, tam enormiter proscidit. SINT OTIA PLENA] Ubi vacaverit mihi, nullis prorsus negotiis distento. Sed hæc, quando? Nugatur. LABOREM] Refutandi blateronem, & vindicandi Hymenæi à manifestis calumniis.

234.

*Hæccine Præposito? Concede, nec aptius ulli.*
*Quî pote? Persisto. Tibi non est mascula conjux,*
*Filia, nec genitrix, nec fratria, nec soror ulla,*
*Nec socrus veneranda, nec observanda noverca.*
*Siqua cutem rugis sulcans te concitet in me,*
*Syllographum velut infrænem; video muliebres*
*Te reprimentem animos, & fortiter argutantem:*
*Non ullam hoc sale defrictam, quàm quæ patienter*
*Ferre nequit populi voces: quin stercora dicis,*

234. PRÆPOSITO] Vito sacro, & primo Magistratui Ecclesiæ divi Amati. *Præposituram* hoc tempore vocant, supremum sacerdotium insignis Ecclesiæ, cujus sacra peraguntur à collegio eorum, qui ordine ac honore, ut aiunt, sunt canonici. CONCEDE] Id mihi dona, nulli aptiùs has nugas & sordes inscriptum iri, quàm tibi.

235. QUI POTE?] Qui fieri potest? *Pote* veteres usurparunt, pro *potest*. Vide Lips. Quæst. 4. Epl. 23. Catullus Epig. ad Vectium ℣. 99.

*In te si quidquam dici pote, putide Vecti.*

Persius Satyrâ 1. ℣. 56.

*Qui pote? Vis dicam? Nugaris.* -----

PERSISTO] In sententia mea, & jam dicta. MASCULA] Domina, familiæ & viri imperatrix, & cui magistratus sine provocatione. CONJUX] Utpote qui cælibem vitam agis, & in ordine sacerdotum.

236. GENITRIX] Quæ ad plures abiit. FRATRIA] Fratris uxor *Nonio*, fratrissa *Isidoro*.

237. SOCRUS] Nam cum conjuge non utaris, tibi esse non potest socrus, quæ conjugis mater est. VENERANDA, OBSERVANDA] Non irritanda aut offendenda, si hæc mea dicta de vita conjugali tuearis. Id est generatim: nulla tibi cum mulieribus, aut sanguinis, aut affinitatis est necessitudo, unde sine metu, & cura incurrendæ apud illas invidiæ, hunc meum sermonem tutari poteris. Porrò Franciscus Antonius Urselius, licèt nullas sibi necessarias, primi, ut vocant, gradus habuerit, quo tempore hic illi inscriptus est sermo, gentilium tamen tam masculeis quàm fœmineis necessitudinibus non caruit. Originem enim duxit ex antiquissima gente Urselia, quæ à pluribus sæculis Antverpiæ dedit optimos Prætores civiles, Consules, Senatores, & Commendatores Ordinis Teutonici in Pitzenborch, & se, per nuptias gentilium suorum, commiscuit majoribus, & primæ notæ familiis, Schetziæ, Werviæ, Mechliniæ, Marselariæ, Roccoxiæ, Alcynsiæ, Sterquiæ, Tucherianæ, Eyckiæ &c. Modò ob heroïcas virtutes, Baronibus & Comitibus superbit. Alia vide apud Guicciardinum in Antverpia.

238. CUTEM RUGIS SULCANS] Irata, ringens, frendens. Frontem corrugare ringentium est & iratorum. *Sulcare* hîc est rugas ducere, quibus respondent in fronte sulci, seu fossulæ: ductâ metaphorâ à sulcis agrorum, qui sunt fossæ oblongæ, ab aratro in agris relictæ, ut diximus Ser. 4. ad ℣. 7. Ubi autem rugæ, ibi & sulci.

239. SILLOGRAPHUM] Mordacem & maledicum, seu sillorum scriptorem. *Silli* sunt carmina dicacia & maledictis referta, quòd Timon Philiasius, libros, quos contra Philosophos conviciorum & irrisionis plenos tres edidit, *Sillorum*, vel *Sillos* inscripserit. De illo Athenæus, Eusebius, & Laërtius, apud quem extat hoc Sillorum initium.

*Nunc mihi adeste omnes, gens importuna sophistæ.*

INFRENEM] Liberum, & dicacem sine modo aut freno rationis. VIDEO] Prævideo, auguror, spero fore, ut reprimas.

240. ANIMOS] Animosas iras, lites, & rixas mulierum mecum expostulantium. ARGUTANTEM] Argumenta & rationes earum strenuè refutantem.

241. HOC SALE DEFRICTAM] Taxatam, sugillatam, arrosam. Elegans translatio, à salis acrimoniâ, ad styli mordacitatem. Usus eâ Horat. l. 1. Sat. 10. ℣ 3. -----*Quod sale multo Urbem defricuit.* -------

242. POPULI VOCES] Jactatas ubique fabulas de importunitate sexus, & festivos, receptosque in populo jocos.


*Quò moveant, fœtere magis; quingentaque promptè*
*Irarum invenies moderamina, salvo justo.*

243. QUO MOVEANT FŒTERE MAGIS] Magis illas in ora virorum abituras pro fabulâ. Adag. Belgicum est; *quò plùs moves, plùs fœtet oletum.* Quod ad illos dicitur, qui caussæ suæ olidæ patrocinaturi, nusquam de illa tacent, & accusationis capita elevando, faciunt, ut dum de illis alioquin sileatur, magis passim divulgentur: id est, rem turpem turpiorem efficiunt. Veteres dixerunt, *movere Camarinam.* QUINGENTAQUE] Alia multa sine numero certo.

244 IRARUM MODERAMINA] Quibus iram & furorem earum moderetis & temperes. SALVO JUSTO] Integrâ illis relictâ caussæ justitiâ, nisi vulgarem hanc formulam referas ad incertitudinem numeri quingentarii; quasi ridendo dicat, salvâ numeri justitiâ, vel veritate.



PETRI



# PETRI SCHOLIRII

ANTVERPIENSIS,

# SERMONUM FAMILIARIUM

## LIBER SECUNDUS.

## PROECTHESIS

### AD SERMONEM VII.



Rincipi Belgicæ nobilitatis Dynastæ, Duci Arschotano, quocum Italiæ paradisi terrestris magnam partem lustraverat, præsenti sermone gratificari nititur, caussasque principales populatibus suis exponit, propter quas eam regionem ceteris mundi plagis præhabeat. Evagatur itaque plenissimis velis in laudes Italiæ, imò potiùs in laudum capita, adeò Laconicè ac succinctè, ut nemo unus, nisi qui à præsenti visione, seriâve & frequenti lectione, certas menti suæ idæas impressent, hæc facilè assequatur. Quæ ratio me impulit, ut fusiùs nonnihil singula in commentario exequar, & membratim, plenisque lineamentis describam ea ipsa, in quæ digitum tantùm Poëta intendit; vel ob angustiam metricam, vel quòd credebat, patrono suo Duci Arschotano ea non minùs explorata fore, quàm sibi, qui impigra investigatione, locorùmque aditione, sumptuum minimè parcus, multam eorum notitiam comparaverat. Integrum enim sexennium in Italia exegisse, arguit istud M. S. l. 2. Heroic. de quibus in Proecthesi ad Serm. 1. ubi ad dicta Menecratis cujuspiam, refert hæc de Clarissimo viro Petro Gudelino legum Doctore ỳ. 280.

*Providus hic longo Gudelinus subsilit usu :*
*Ipse mihi primùm versus prælegerat auctor,*
*Multa rogans, siquem possent armare, paratus*
*Præcipitare rogo.-------*
*Non opus exhibeat cunctis: mihi larga potestas:*
*Sum prior & senior. Noli irritare crabrones.*
*Credis Manduco pavidum terrere puellum?*
*Utque feras lites, varios considera utrimque*
*Litibus eventus : justis defensio lata est.*
*Anne irrisato dubitares surgere vati*
*Mille nocendi artes, docuit quas his tribus annis*
*Fertilis Italia ?-------*

Et bene: cum enim rerum, & versutiarum Italicarum apprimè peritum fuisse, cùm hic sermo, tum alia sexcenta, quæ in adversarius illius M. SS. comperio, abunde testantur. Nec mirere: cùm enim esset homo festivi & elegantis ingenii, & census opulenti, nihil isthic non attentavit, quovis etiam suso pretio, quò tum in venustates & elegantias, tum in mores & ingenia hominum Italorum cultissimorum penetraret. Et verò, si rectè calculum ponimus, quam sub cælo nationem cum hâc conferre possis? Seu sapientiam, doctrinam, prudentiam; seu rationes politicas, & judicii acrimoniam; seu morum comitatem, facilitatemque; seu profusam in pauperes hospitesque pietatem; seu arma, & pacis studia; seu denique Religionem spectes: cunctarum regina est ITALIA, omnis culturæ magistra, Musarum theatrum, orbis compendium. Huic Europæi omnes propulsa barbarie, disciplinas tam pacis, quàm belli, universam humanitatem, imò & sacra ipsa Christiana debemus; quibus, quæso, quid nobis carius esse queat? Sed his plena

plena passim extant tam veterum quàm recentiorum monumenta: nobis pro mille sit elogium isthoc Plinianum Hist. Nat. l. 3. c. 5. *Italia omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deûm electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit; tanta rerum singularum, populorumque claritas tenet. Vrbs Roma, vel sola in ea, & digna tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campania ora per se, felixque illa ac beata amœnitas? Vt palàm sit, uno in loco gaudentis opus esse naturæ. Iam verò tota ea vitalis ac perennis salubritas, cæli temperies est: tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tanta frugum & vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecorum vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens: tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, & tamquam ad juvandos mortales ipsos, avidè in mare procurrens. Neque ingenia, ritusque, ac viros, & lingua manuque superatas commemoro gentes. Ipsi de ea judicavêre Græci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ea appellando Græciam Magnam.*

Porrò quod spectat ad rem præsentem, Sermo hic scriptus videtur, quo tempore post inducias duodecennes, recrudescente in Belgio tertium jam annum veteri bello Hispano-Batavo, Ambrosius Spinola, supremus Catholici exercitus Ductor, Bredam Brabantiæ oppidum, memorabili & pertinace obsidione premebat, tribus nequicquam regibus, clandestinis suppetiis obsessos defensantibus. Hoc est intra VI. Cal. Sept. anni CIↃ. IↃC. XXIV. quo cingi cœpit, & nonas Junias sequentis, quibus dedita; & nisi me fallat conjectura, ex ipso contextu petita, sub finem anni jam memorati, aut initio CIↃ. IↃC. XXV: licèt non nisi hinc post annos duos scil. CIↃ. IↃC. XXVII. in lucem prodierit. Tu Lector manuducente Poëta, & me vias salebrosas explanante, iter Italicum faustis avibus ingredere, & avidâ mente, tam nova, quàm prisca monumenta contemplare.

# SERMO VII.

## AD DUCEM ARSCHOTANUM.

### ITALIA PARADISUS TERRESTRIS.

A*rgum.* In cœtu familiarium, ortâ duos inter controversiâ: excedendúmne sit Belgicâ, flagranti civili bello, an non? Sodalium corona neganti palmam defert. Ejus deinde adversarius exponere jussus, quam orbis plagam sibi deligat, si migrare certum est: Italiam Paradisum terrestrem enuntiat. Quod cum ratione probare connititur, universæ carptim Italiæ sine certo ordine; præ cæteris tamen Campaniæ & Latii laudes, resque Romæ admirandas, sub illius persona, breviter & copiosè, Poëta commemorat.

*Nonne avium votis longè infelicior ales,*
*Quem pater ad Stygii ripas eduxit Averni,*

1. VOTIS] Sensu & opinione, ut videre licet ex earum usu & actis. Nam licèt libero per cælum volatu gaudeant, nidificant tamen, & in loco natali constanter manent, exceptis iis, quibus, adventante hieme, in more est transfretare.

2. EDUXIT] Educavit. Terent. Adelph. 1. 1. 22.
*---- Inde ego hunc majorem adoptavi mihi.*
*Eduxi à parvolo; habui, amavi pro meo.*

AVERNI] Laci in Campania, ubi inferorum limen statuunt poëtæ, hinc & Stygius. Istâc, duce Sibyllâ, ad inferos Æneam transiisse fabulatur Virgilius, qui l. 6. Æneid. *Aornon* vocitatum tradit,

*Quàm qui fructiferis in collibus ortus Hymetti?*
*Non etenim matris mutet fragrantiâ oletum,*
*Quamquam intermedium valeat tranare volatu.*
*Hoc sermone duos vidi constanter acerbos,*
DUX ARSCHOTANE; *haud scio, uter vehementior. Hic pro,*
*Hic contrà. Prior, Assiduis insultibus hostis*
*Provideamus, ait: quando sperare salutem*
*Non datur, atque increbrescunt civilia bella;*
*Vertendum est aliò properè, fugienda Deorum*
*Ira, puta triplici loca castigata flagello,*
*Peste, fame, bello. Dubitem, cùm nemo Propheta*
*In patriâ, assuevi & peregrinis cedere? Tùm alter:*

dit, uti nos suprà Serm. 3. ad ℣. 78. ex Lucretio, quòd ℣. 239.

*Hanc super haud ulla poterant impunè volantes*
*Tendere iter pennis: talis sese halitus atris*
*Faucibus effundens, supera ad convexa ferebat.*

3. FRUCTIFERIS] Frugum & maximè florum feracibus. HYMETTI] Montis Attici, ab apibus & mellis præstantia celebrati.

4. MATRIS] Terræ natalis, & ubi educatus. MUTET] Mutare velit. FRAGRANTIA] Cælo puro & bene olenti, quale apud Hymettum Græciæ. OLETUM] Locum fœtentem, & graveolentem instar oleti, quò alvi sordes rejiciuntur.

5. INTERMEDIUM] Aërem interiacentem, scil. inter Avernum Italiæ, & Hymettum Græciæ, seu quemvis alium avibus gratum. TRANARE] Transnatare. Bella, & poëtis usitatissima metaphora: nam uti aqua nantium, ita & aër volantium corpora sustinet.

6. HOC SERMONE] De hac re, vel sermonis argumento, seu controversia. CONSTANTER] Pertinaciter. ACERBOS] Acerbè litigantes.

7. VEHEMENTIOR] Vehementius, acriusque contenderit. HIC PRO] Pugnabat satiùs fore patriam deserere.

8. HIC CONTRA] Negabat patriâ excedendum. PRIOR] Qui aiebat, rationes sequentes in medium adserebat. HOSTIS] Batavi, & copiarum ejusdem, quæ oram Brabanticam jam tum infestabant, & agro Antverpiano imminebant.

9. PROVIDEAMUS] Supple *etsi*: ut sensus sit; etsi caveamus & resistamus. QUANDO] Quandoquidem. SALUTEM] Secundum belli exitum.

10. NON DATUR] Sperare non licet per prudentes conjecturas. INCREBRESCUNT] Augentur, crescunt. CIVILIA BELLA] Inter cives & populares, ejusdem linguæ, eidem principi subjectos. Brabanti siquidem, Flandri, aliique provinciales, pro legitimo dominatu Regis Catholici, Batavi cum aliis fœderatis contra depugnabant.

11. VERTENDUM] Nempe solum patrium. Vide infrà Serm. 8. ad ℣. 111. ALIÒ] In aliam orbis plagam.

12. TRIPLICI FLAGELLO] Plagâ, seu pœnâ quâ noxas nostras plectit Deus, & justitiam suam ulciscitur.

13. PESTE, FAME, BELLO] Tribus scil. publicis calamitatibus, quarum duæ priores, postremam fere consequuntur. Quibus enim bellum, illis & pro vestibulo pestilitas & fames: ut jure David, delata sibi à Deo optione, ex tribus jam dictis malis, minimum elegerit; nimirum pestilitatem. Lib. 2. Reg. c. 24. ℣. 24. DUBITEM?] Dubitare possim. CUM NEMO &c.] Effatum Christi apud Lucam c. 4. ℣. 24. *Nemo propheta acceptus est in patria.* Extat sententia vetus, quam Del Rio inter fragmenta Ennii reposuit, apud Ciceron. Fam. l. 7. Epl. 6. *Multi suam rem bene gessere, & publicam patriâ procul. Multi qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.*

14. PEREGRINIS CEDERE] Deferre honorem, obsequium, eorumque moribus me accommodare; aut certè parere præfectis & Ducibus Hispanis,

V

*Si prorumpendum, mallem vel pane secundo,*
*Et torrente meos inter prorepere (quamquam*
*Indefessò incessat onus, flagrumque Tonantis*
*Terreat) & foricis damnarier evacuandis,*
*Quàm sub nube animi regali vivere luxu, &*
*Parêre ignotis idiomate, sidere, barbis.*
*Men' gremiis fotum Austriacis, & origine* **Belgis,**
*Discere nunc mores extra sua regna profanos?*

panis, Principis nostri Regis Catholici legatis. Virgil. lib. 2. Æneid. ℣. 704.

*Cedo equidem, nec, Nate, tibi comes ire recuso.*

TUM ALTER] Posterior, & qui à patria stat.

15. PRORUMPENDUM] Eloquendum, eructandumque liberè quod sentio. PANE SECUNDO] Secundario & vulgari, qui in Brabantia est secalitius: hunc fuscum nos, Germani nigrum appellant. Horat. l. 2. Epl. 1. ℣. 123.

*---Vivit siliquis, & pane secundo.*

16. TORRENTE] Aquâ ex torrente haustâ. MEOS INTER] Necessarios, cives, & populares. PROREPERE] Tenuiter & macrè vivere, sine luxu & fastu, ut non tam ire erecto & supino vertice; quàm declivi, humiliter serpere videar.

17. INCESSAT ONUS] Nos premat gravis belli machina. FLAGRUMQUE] Vindicis Dei.

18. FORICIS] Publicis latrinis. Hoc interest inter foricas & latrinas, quòd illæ sint usus publici in viis & compitis, latrinæ privatarum ædium. *Had. Iunius.* Et sic premitur turpissimum ministerium. Turpius enim est publicas, quàm privatas sordes exhaurire.

19. SUB NUBE] Tacito mœrore animi refragantis. Horat. lib. 1. Epl. 18. ℣. 94.

*Deme supercilio nubem.--------*

Id est, aufer à vultu tristitiam. Vultus enim tristitiæ & hilaritatis index est. Anaxandrides Comicus in adagiis Junii, ***Discutere frontis nubilum***, pro tristitiam abigere; & ***frontis nuberculam.*** Cicer. in Pisonem dixit, pro mœrore. At isti de vultu animi indice, noster de animo loquitur, cujus hilaritatem tristitia, non secus quàm cæli serenitatem nubila, dispellit. REGALI LUXU] Splendidè ac fastuosè.

20. PARERE] Subesse. IGNOTIS IDIOMATE &c.] Exteris peregrino sermone loquentibus, alioque sub cælo natis. BARBIS] Viris vel magistratibus. ***Barba*** uti virorum propria, ita olim severitatis & auctoritatis nota fuit; quam vel contingere, vel evellere, pro summa ignominia habebatur. Inde adagium, ***barbam vellere***, quo summum contemptum & ludibrium significamus. ***Erasm.*** Sapientibus majestatem & venerationem addidisse, indicant proverbia: ***Barbâ tenus sapientes. Barba non facit philosophum.*** Juven. Sat. 16. ℣. 31.

***Et credam dignum barbâ-----***

Seniorum, & magistratuum insigne fuisse, innuit Livius lib. 5. Cædis initium datum commemorans à M. Papyrio, qui tempore captæ urbis à Gallis Senonibus, Gallo barbam suam permulcenti, scipionem eburneum in caput incusserat.

21. GREMIIS] Miti, clementi, ac suavi dominatu. FOTUM] Nutritum, & focillatum. AUSTRIACIS] Augustissimæ gentis Austriæ. ORIGINE BELGIS] Ex Burgunda, Belgicaque stirpe oriundis. Etenim per nuptias Mariæ de qua supra Serm. 3. ad ℣. 148. meminimus, & quam Carolus pugnax Burgundiæ Dux & Belgarum Princeps, unicam heredem reliquerat, cum Maxæmiliano Austriaco, Imperatoris Frederici III. filio, gens Burgundica in Austriacam transiit. Ex qua deinde rectâ ac non interturbatâ serie prodierunt, qui deinceps provinciis Belgicis imperitarunt, Philippus Pulcher primus ejus nominis Rex Catholicus, Carolus V. Augustus, Gandæ, Principe Flandriæ, ac verè maxima urbe natus; Philippi II. III. IV. Hispaniarum Reges: quibus tandem succenturiatus est Dominus noster Clementissimus, Carolus II. Rex Catholicus, Belgarum Princeps, quem Deus regnis suis in seros annos sospitet.

22. DISCERE] Supple decet, vel æquum est, ut Serm. 1. ℣. 16. EXTRA SUA REGNA] Belgicam. PROFANOS] Minùs sanctos & rectos, ac primævam Belgarum integritatem non redolentes: quos paullatim invectos queritur apud Kilianum Lipsius

*Stringere vel manicas, vel cuspide pascere barbam?*
*Vel gladium gestare manu, chlamydemque lacertis*
*Dimidiis, nullo & calcaria tincta cruore?*
*Municipis fugiam hic, compeller ut advena, nomen?*
*Exeram ubi aut digitum, vel si sputem malè, peccem?*
*Meiere sub nullis ubi fas ratioque fenestris,*
*Cùm minùs asse domo liceat quacumque cacare hic,*
*Et data libertas urbanè ubicumque jocandi?*
*Flagra paves? Quem diligo, castigo. Quis in ullis*
*Partibus exilii spondet tranquillius ævum?*

sius Cent. 3 ad Belgas Epl. 29. *Probitas*, inquit, *& virtus abeunt, ac bella ista. & mixti exteri, Belgicam, ut sic dicam, ex Belgica tollunt.*

23. STRINGERE VEL MANICAS] Gestare strictas, seu arctè brachiis adaptatas manicas, quibus contrariæ laxæ & fluentes. Notat exterorum mores & cultus, quorum jam tunc usus in Belgica. CUSPIDE PASCERE] Componere cuspidatim; Galli appellarunt, *barb'a poinct*. Quod iis usitatum ævo Scholiriano; uti &

24. GLADIUM GESTARE MANU] Non accinctum lateri, ut moris apud omnes priscos, & recentiores.

25. DIMIDIIS] Non ab utroque humero vel alterutro, ut tergum tegat, quod viris gravibus & decentius cultis in usu; sed dependentem ab unius brachii & cubiti curvatura. CALCARIA] Ocreas, quas pedibus substringunt calcaria. TINCTA CRUORE] Non ad equitandi usum, utpote quæ numquam equi latus fodicarunt; sed solius ornatus, & moris gratiâ.

26. MUNICIPIS] Civis, aut civium jure vel immunitate gaudentis. A. Gellius l. 16. c. 13. *Municipes*, inquit, *sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis, & suo jure utentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes.* Sic dicti, uti est apud Oiselium ex Ulpiano, quod in civitatem Romanam accepti munerum participes fierent. UT ADVENA] Hospes, peregrinus, exterus. Quasi dicat: Alibi peregrinus sim, qui domi civis?

27. EXERAM UBI AUT DIGITUM &c.] Ubi si minimam culpam admisero, v. g. malè digitum exerendo, vel sputando. PECCEM] Arguas peccasse gravissimè. Pers. Sat. 5. ℣. 119.

*Nil tibi concessit ratio, digitum exere, peccas.*

Ex sententia Stoicorum, qui ne digitum quidem à stultis rectè moveri contendebant.

28. MEIERE SUB NULLIS &c.] Ubi id vel more vetitum, aut usu tutum non est; maximè ubi desideratis domi latrinis sellæ passim gestatoriæ in compitis circumferuntur, in quibus dum libuerit, dato in id exiguo pretio, cuique liceat defungi naturæ officio. Ceterum dum domi desunt latrinæ, ut dictum est, & solent è podiis vel fenestris, corporis excreta in vias publicas rejicere; periculum est, ut infernè lotium reddens, minùs quidem lautè ab ejecto oleto habeatur, quam velit.

29. DOMO QUACUMQUE HIC &c. In omni domo apud nostrates liceat minoris secedere quam asse.

30. DATA LIBERTAS] Sine metu delationis, vel indicii faciendi apud sacros magistratus; familiariter inter sodales, de quovis argumento proloqui, ac festivè jocari.

31. FLAGRA] Dei plagas, seu calamitates à Deo immissas. QUEM &c.] Apostolus ad Hebræos 12. ℣. 6. *Quem diligit Dominus castigat.* Siquidem castigare, ac calamitates publicas & privatas immittere, non est novercantis, sed amantis Dei opus: cum, uti est apud Augustinum in Psalm. XXXVIII. *Deus per pœnam exhibeat gratiam.* Et Lipsius de const. 2. c. 4. *Quæ suggerit aut ingerit* (æterna mens) *velut medicamenta sunt; sensu tristia, re salubria & eventu.*

32. PARTIBUS] Terris, regionibus. Vide suprà Serm. 3. ad ℣. 184. EXILII TRANQUILLIUS &c.] Vitam quietiorem, si tibi patriâ exulandum est.

*Nassovius septem tentavit millibus urbem?*
*Ter centum ex nostris oppono millibus istis,*
*Munitos animo, & gladiis, & valle profundâ.*
*Per terras struit insidias? Aquilone fugatur.*
*Tentat aquas? Glacie currus frænantur aquarum.*
*Machina concipitur cum pulvere tormentorum,*

33. NASSOVIUS] Mauritius princeps Arausionensis, ex gente Nassovia, Batavorum archistrategus. TENTAVIT] Invadere, vel ad deditionem compellere. Alludit ad historiam quam nunc illustratum imus.

34. TER CENTUM &c] Illis septem Batavorum millibus objecero ter centum Hispanos, cum certa spe victoriæ. Dicta sunt animi generosioris, & ut tunc rumores publici ferebant.

35. MUNITOS ANIMO] Probè animatos, & armatos, & mœnibus fossisque munitos.

36. PER TERRAS STRUIT INSIDIAS?] Ut pridem usu venerat. Nam IV. Idus Octobris, anni CIƆ.IƆC.XXIV. quando Mauritius sagax Imperator, ratus, uti revera res se habebat, paucos præsidiarios tutandæ arci Antverpianæ relictos esse, universo Catholicorum exercitu Bredanæ obsidioni incumbente, cum expedita militum manu Montibus ad Zomam, clam accurrit, ac nocte obscurissima, arcem astu adortus est. Sed quod Dei, non opis nostræ fuit, AQUILONE FUGATUR] Vento: tam vehemens enim ventorum turbo exortus est; ut nec lintres firmare, nec scalas muris admovere potuerint. *Mirant, Caramuel.*

37. TENTAT AQUA] Quod accidit anno CIƆ.IƆC.XXII. Mense Decembri, quando cum ingente classe Dordraco Hollandiæ solvens, Antverpiam jam certâ propemodum spe devoraverat: sed exorta mox tempestas, ac secutum gelu, consilium abrogarunt. Vide supra Ser. 5. ad ℣ 299. GLACIE CURRUS &c.] Naves primò sævientibus ventis dispersæ, concretis gelu aquis, provehi prohibitæ. Naves Græci vocant *nautarum currus*, navigandi *vehicula* &c. vide Muret. Var. Lect. l. 1. c. 11. Græcos imitatur Catullus in nupt. Pelei & Thet ℣ 9.

*Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,*
*Pinea conjungens inflexa texta carina.*

Sic Plautus ligneum equum dixit Rud. 1. 5. 10.

*Nempe equo ligneo per vias caruleas*
*Estis vecta.*-------

Sic & nautæ equisones, vel aurigæ dicuntur. *Gabbema* in Catull. Ov. l. 1. Trist. El. 3. ℣. 118.

*Aurigam video vela dedisse rati.*

FRENANTUR] Sistuntur, continentur, protrudi prohibentur.

38. MACHINA CONCIPITUR] Paratur in exitium, & stragem portæ, æneum pyloclastrum, quod Italis dicitur, *pettardo*, cujus usus primum probatus ævo elapso ad portam Bonnensem, quo tempore Schenckius Bonnam nocturnis dolis invasit, hujus machinæ adminiculo victor. Quia autem Lipsius Poliocret. l. 1. Dial. 3. ex Asconio machinam definit, *ubi non tam materia, quàm ratio artis atque ingenii ducitur*; lubuit artificium pyloclastri ex l. 10. Decad. 2. Famiani de bel. Belg. hic lectoris curiositati subjicere. *Est hac machina fusili ex are, vas formâ mortario non absimile Magnitudo illi varia: ea nunc maximè probatur, quam gestare, ac pallio tegere miles non imbecillus queat. In latere ansulam habet ad suspendium, & ab imo propemodùm fundo, palmaris prominet, ad inferendum intrò incendium, canaliculus Ubi autem inditum vasi bellicum pulverem malleo presserint, atque ad os usque constipaverint, summumque os stupeo obturamento, ac ceratâ ad extremum telâ concluserint; roboreum assem latitudine vasis ampliorem, ac ferrea cruce firmatum eidem ori superaddunt, astringuntque; eo nempe consilio, ut per illud additamentum fractura plus fiat in ostio, quàm sola mortarii latitudo faceret, angustiorem videlicet, imparemque subituris militibus apertionem. Temperatum hoc modò pyloclastrum, post terebratam, qua impetitur, portam: terebramque ibidem clavi loco relictam, ex ansula ad terebram alligata suspenditur, ore medias in fores verso, ac sulphuratum fomitem, qui canaliculo est insertus, incenditur. Tum verò flammâ, ferratoque asse in portam arietantibus, ineluctabili planè vi, quanto pertinaciùs obstatur, tanto impotentiùs objectum quodcumque repagulum in frusta concidit, ostiumque hiatu vastiore dispanditur.* PULVERE TORMENTORUM] Tormentario, Pyrio, nitrato,

*Jamque propinquatum portis? Vigil unicus uno*
*Scloppo mille fugas peperit: molitio, conti,*
*Desertæ scalæ, mentitaque balthea frustrà,*
*Linguaque Castellæ villanis cognita nostris.*
*Maturi pappi, in ventos quos concitat oris*

trato, nulli non cognito, ab usu inprimis bellico; cujus inventio ad annum CIↃ. CCC. LIV. tribuitur Bertholdo Swarzio Germano, Alchymistæ, Ord. S. Benedicti Monacho, qui primus mortalium ex mixturâ sulphuris, nitri, & carbonis fortuitò accensi, virtutem ejus notavit, exhorruit, & ad posteros transmisit. *Athan. Kircherus* Mund. subterran. Tom. 2 Sect 5. p. 4. ejus descriptionem invenias apud Hugonem Grotium lib. 2. Historiarum Belgicarum.

39. JAMQUE PROPINQUATUM] Virg. Æneid. lib. 11 ỳ. 621.

*Iamque propinquatum portis-------*

PORTIS] Portæ arcis, quam succursus nominant. Hispanis, *la puerta del socorro*. Mittitque ad agrum suburbanum, quem Kilam vocant, ad australem urbis plagam. VIGIL UNICUS] Miles manipularis, cui nomen *Andrea de Coa*. Hispanus, qui in proximo propugnaculo stationem obiens, primus in picea noctis tenebrosissimæ caligine, observavit hostium molimen ad pontem, laxarâque cannâ ferreâ, ad arma conclamavit. Excitis mox universis, ea celeritate muris subventum est, ut hostes nihil sanctius habuerint, quàm maturatâ è vestigio fugâ, saluti suæ consulere.

40. SCLOPPO] Fistulâ ignivomâ, seu bombardâ. Hoc enim nomen apud eruditos reperit, ex quo nitrati pulveris usus in castris, à sonitu quem edit. Sed olim significabat Scloppus sonum, qui complosis buccis redditur. Quapropter Pers. Sat. 5. ỳ. 13.

*Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.*

MILLE FUGAS] Fugam tam præcipitem, ut mille fugas tardiores æquasse videri possit. MOLITIO] Omnis apparatus clandestinæ invasionis, ut sunt: CONTI] Lintres vel scaphæ levissimæ, ac atrâ telâ obductæ, nequâ ratione videri possent nocturno cælo. Harum enim numerum non exiguum Batavi secum comportaverant. *Conti* sunt sudes vel hastæ oblongæ, usus nautici, ut diximus Serm. 4. ad ỳ. 119. fol. 80.

41. DESERTÆ SCALÆ] Quas huc advectas, & magnam partem muris applicari cœptas reliquerant fugientes. Hodie tam lintres, quàm scalæ, aliaque huc spectantia monstrantur in arce. MENTITAQUE] Militiam Hispaniensem. BALTHEA] Purpurea, insigne Burgundicum imitantia. Virg. Æneid. 2. ỳ. 422.

*-----Primi clypeos mentitaque tela*
*Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.*

Nempe Batavi, quò securiùs & secretiùs tertam Hispanicæ ditioni subjectam pertransirent, cutruum tympana Burgundicæ crucis tesserâ insigniverant, equitesque ac peditum primores purpureis baltheis renes accinxerant; usi quoque in via, dum diversabantur, linguâ Castellanâ, ut certiùs fallerent, credetenturque esse ex eorum numero, qui à deductâ, in castra Catholica ad obsessam Bredam, annonâ revertebantur. FRUSTRA] Irritum enim molimen docuit eventus, celebravit festis ignibus Antverpia.

42. LINGUAQUE CASTELLÆ] Sermo Hispanus, ut jam dictum. *Castella* enim primum Hispaniæ regnum. VILLANIS] Rusticis nostris, maximè suburbanis, & per quos transierunt; quibus hæc omnia propiùs intueri licuit. *Villanus* qui in villa habitat, villicus qui villæ præest. *Perottus*. Intellige villas rusticas, non urbanas. Vide quæ dicemus infra ad ỳ. 228.

43. MATURI PAPPI] Imbelles, infirmi, & qui non resistant minimæ impressioni, quales pappi carduorum jam maturi. *Pappus* Had. Junio, lanugo est è floribus veterascentibus, decidua & volatica. Aliis cardui flos. In M.SS. Poëtæ comperio: *pappus capitur pro lanugine florum carduorum, ac sic bene pro coligono*. Coligon autem illi ferè significat ignavum, & minimè generosum. Vide Serm. 6. ad ỳ 84. Despicans quidem dictum, sed ex animis calidi hujus disputatoris, & decoto ejus temporis, quo bellum animosiùs ferventiùsque instaurabatur contra Hollandos. Quod hîc monendum censui, ne quis partium studio acerbiùs hæc notet dicteria: alioquin eodem jure damnemus, virulentiora convitia, quæ scriptores aliquot Batavi, eodem tempore, contra Religionem, Regem, & Patriam scriptitarunt. Quæ omnia jam pridem pax solida Angeronæ

*Halitus unius, fruges consumere nati,*
*Indigni divâ, quæ pugnat Gorgone Maurâ.*
*Formidésne pusilli animi, cùm Juppiter hac stat?*
*Velificat, pedes est, equitat, clàm vel palàm, ab intus*
*Auraicus fotus, vel non, de nocte, diéve?*
*Arietat in rupem: quin factis diffidet ipse*

& Harpocrati consecravit. INVENTOS] Aëra, nihil enim aliud ventus, ut inquit August. 4. de Quant. animæ, quàm aër commotus & agitatus.

44. HALITUS UNIUS] Spiritus seu flatus unius hominis. Pappi quippe, ut notum est, adeò leves & infirmi, ut vel halitu in aëra difflentur. Lucretius recenset inter ea, quæ supra caput cecidisse non sentimus. lib. 3. ℣. 387.

-----*Plumas avium, papposque volantes*
*Qui nimiâ levitate cadunt plerumque gravatim.*

Eubulus inter excerpta Grotiana de flore cardui:

-----*Levis huc atque illuc volat,*
*Quoquò puerorum velificatur spiritus.*

FRUGES CONSUMERE NATI] Homines trioboli, nullarum virium, solo capite censi, viventes tantùm ut edant; ad nihil apti, nisi ut faciant numerum, & turbam, adeoque dicant de se cum Horat. l. I. Epl 2 ℣. 27.

*Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.*

45. INDIGNI DIVA &c.] Indigni qui bellum gerant Palladis auspicio, & præsidio. *Pallas* præses belli, quod non minùs consilio, quàm viribus geritur. Ovid. Met. 8. ℣ 264.

-----*Bellatricemque Minervam*
*Cum Iove Disque vocant.*-----

Periphrasis hæc Minervæ desumpta est à Juvenale Sat. 12. ℣ 4.

*Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maurâ.*

Pallas, in Ægide scuto suo, Medusæ caput circumferebat, hâc ut conjicere licet ratione; quòd sicut caput illud intuentes omnes in saxa convertebat, ita & sapientia sui spectaculo reddat homines immobiles & constantes. Fuit autem Medusa una ex tribus Gorgonibus, Phorci & Cetus sororis filiabus; quam Mauram vocant, quòd juxta Atlantem ad fines Mauritaniæ, à Minerva vel Perseo sit interfecta. *Lubinus.*

46. PUSILLI ANIMI] Imbellis & sine animis homo, qui propter bella patriam deserendam censes? JUPPITER] Deus. HAC STAT] Ab hac parte, à nobis stat. Id est, cùm bellum nostrum fortunet. Virg. l. 12. Æneid. ℣. 565.

*Nequa meis esto dictis mora; Iuppiter hac stat.*

Quod ex Ennio sumptum citat Macrob. l. 6. Saturnal. Cap 1.

*Non semper vestra evertit, nunc Iuppiter hac stat.*

Et verò, Numinis præsidio servatam ab hostium machinatione jam tum Antverpiam, suadet ventorum tempestas, & acerrimum gelu, quod classem Mauritianam stitit: suadet ventorum turbo, hâc ipsâ horâ, quâ tentabat arcem: suadet auguralis solicitudo Annæ à S. Bartholomæo, quæ vestales suas Carmelitanas excalceatas, quibus antistita præerat, eâdem noctis horâ, è stratis surgere, & Deum jussit precibus interpellare, ut cassum faceret molimen aliquod ingens, quod in arcem parabatur. Preces irritas non fuisse docuit eventus, probavitque non aliundè, quam à Deo agitatam Annam, sorores suas à somno ad preces excitasse. Hęc virtutibus gravis, uti vixerat, sancto fine devixit, anno hujus sæculi XXVI. Miraculis etiamnum apud nos superstes, in magna civium veneratione est.

47. VELIFICAT, PEDES EST, &c.] Seu aquâ, seu terrâ; seu pedites, seu equites ducat; seu dolo, seu aperto Marte, seu à perfidis civibus animatus & adjutus, seu die, seu nocte nos impetat Mauritius. AB INTUS] Rectè: plurimos enim ex heterodoxis civibus Antverpianis, cum Mauritio principe Auraico tacitè collusisse, & in deditionem urbis conspirasse, arguit fides publica Senatus Antverpiensis, qui litteris suis VI. Id. Novemb. anno CIƆ. IƆC. XXX. datis, declarat industriâ solertiâque Poetæ nostri, sequiora molimina hæreticorum civium innotuisse, ac plusquam octoginta familias de conspiratione suspectas, post vindicatam à periculo civitatem, dignæ proscriptionis pœnas exoluisse. Vide vitam Auctoris in fronte libri.

49. ARIETAT IN RUPEM] Frustra laborat, non magis proficit, quàm si ariete rupem quateret. *Aries* machina bellica, arietino capite sculpto, supernè ut plurimum insignita, cujus usus olim in effringendis portis. Inde *arietare*, quod est fores quatere, aut quidvis aliud impugnare. Primus pes hic est proceleusmaticus, ex resolutione da-

*Sæpè suis, tantùm Ordinibus parere coactus.*
*Nec pecus in campis, nec tuta suburbia, dices;*
*Armigeri horticolæ, suspectaque decidit arbos.*
*O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.*
*Leniet hos animos, damnumque resarciet omne*
*Breda brevî; dabitur patrio decurrere campo,*
*Et revocare suos ad fœnora nota colonos,*
*Et celebrare suis consueta palilia natis.*

dactyli vel spondæi. Sic & Virg. l. 11. Æn. ℣. 890.
*Arietat in portas, & duros obice postes,*

QUIN FACTIS &c.] Non satis sibi constat, utpote cujus consilia postrema, prioribus non cohærent. Caussam subjicit.

50. ORDINIBUS PARERE] Auspiciis ordinum, non suis exercitum ducens: cum penes provinciarum fœderatarum ordines, suprema sit potestas rei Batavicæ, quibus ille non secus, quàm milites sui, solenni auctoramento obnoxius.

51. NEC PECUS IN CAMPIS &c.] Prolepsis, quâ sibi adversarii argumenta occupat; ac si dicat: arguaberis fortè, non esse tuta pecora, nec suburbia, nec agros, à rapinis, cædibus, incendiis, aliisque belli injuriis.

52. ARMIGERI HORTICOLÆ] Cultores hortorum suburbanorum, & mœnibus subjectorum. Nam ad orientem & meridiem urbe egressis ferè patent horti olerum feraces, ad Septemtriones prata, ad occidentem Scaldis flumen. Id est: Hortulani pro rerum suarum custodia coguntur in armis excubare, ut caveant hostium latrocinis. SUSPECTAQUE DECIDIT ARBOS] Mandante arcis præfecto, aut urbis senatu, exciduntur in hortis vicinis arbores, de hostili latibulo suspectæ: id est, quæ adimant prospectum ex mœnibus in agros subjectos, & latebras hosti præbeant in damnum urbis.

53. O PASSI &c.] Virg. l. 1. Æneid. ℣. 203.
*O passi graviora: dabit Deus his quoque finem.*
Et certè passi graviora Antverpienses, utpote Iconomachiam anni CIↃ. IↃ. LXVI. universæ urbis calamitosissimam direptionem, ac incensam curiam à milite tumultuante an. CIↃ. IↃ. LXXVI. irruptionem Alenzonii & Gallorum, ad annum CIↃ. IↃ. LXXXIII. Obsidionem Alexandri Farnesii Herois invictissimi, Catholicæ Belgicæ servatoris, ad annum CIↃ. IↃ. LXXXV. aliaque plurima, quorum meminerunt annales. Lege Famianum, Miræum, &c. consonat Horatius lib. 1. Od. 7. ℣. 30. *O fortes, pejoraque passi.*

54. HOS ANIMOS] Dejectos, & ad austeriora consilia inclinantes, qualia sunt, patriam deserere, solum vertere, &c.

55. BREDA BREVI] Nunc ab Imperatore Catholici exercitus Ambrosio Spinola cincta, brevi aut vi capienda, aut ad deditionem compellenda. *Breda* oppidum Brabantiæ ad fluviolum Mercam, à Mauritio Principe Auraico, navis onerariæ cespitum dolo, interceptum anno CIↃ. IↃ. XC. Verùm eo, quo scriptus est hic sermo, sub obedientiam principis sui rediit: inde iterum ad Hollandos, quibus etiam nunc paret. Vide proecthesim hujus sermonis. PATRIO DECURRERE] Liberè commeare. Nam oppidum hoc, ob continuas hostium incursationes ibidem latitantium, viatoribus & agricolis infestum erat.

56. FŒNORA NOTA] Cultum agrorum, & inde messes. COLONOS] Veteres agricolas, qui metu latrociniorum, & excursionum militarium aliò fugerant.

57 SUIS NATIS] Qui jam antè tempore induciarum duodecennium, illis assueverant. PALILIA] Festa, solennia, in gratiarum actionem, de frugum proventu, encœnia, anniversarium dedicatæ ædis sacræ, vulgo *kermisse*, & quæ inde sequuntur convivia, ex more Belgico & prisco Romano. Nam *palilia*, quæ à Pale pastionis Dea, cujus honori fiebant, nomen habent; etiam ante urbem conditam, ut Plutarchus in Romulo, à pastoribus agitabantur. *Parilia* vocat Dion. Halicar. l. 1. c. 91. & morem hunc, quo agricolæ pastoresque pro partu quadrupedum Diis acturi gratias, sacra faciunt, deducit à Romulo, qui ducto sulco in quo fundanda erant mœnia, utroque bove mactato, qui aratrum traxerant, aliisque victimis immolatis, operi populum adhibuit. *Quem diem*, inquit, *si ullum alium, Romana*

*Exiguum patimur, mediocri & bile ferendum,*
*Pauperis Hollandi si magna incommoda spectes;*
*Qui populum, imponens vectigal, fascinat; & cui*
*Desperata salus, si cessent fœdera; cuique*
*Aret vena, sed accitis spem ponit in armis:*
*Cui vetat ipsa Thetis postremum adscribere nummum*
*Militiæ, auxilioque Anglorum arcessere regem.*

*mana civitas, nostro quoque tempore, singulis annis, festum celebrat vocatque parilia.* Sed à Pale *palilia*, non *parilia* dicta sunt. Ov Fast. 4. ℣. 721.

*Nox abiit, oriturque Aurora. Palilia poscor,*
*Non poscor frustra; si favet alma Pales.*

Propertius lib. 4. Eleg. 4. ℣. 73.

*Urbi festus erat, dixere Palilia patres.*
*Hic primus cœpit mœnibus esse dies.*
*Annua pastorum convivia, lusus in urbe,*
*Cum pagana madent fercula divitiis.*

Lusum dicit pro omni animorum remissione. Nam *festis*, inquit Macrob. Sat. l. 1. c. 16. *insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ.* Aptè proinde hic Noster, *suis natis*: quia adolescentia, maximè gaudet hâc animorum remissione, diebus festis, & annuis encœniis. Maximè ubi jam antè iis assueverunt, & post turbantur; uti factum flagrante bello, post inducias.

58. EXIGUUM] Collatum majoribus. Solatur sodalem. MEDIOCRI BILE] Non magnâ molestiâ, aut impatientiâ, id est, æquo utcumque, ac sereno animo ferendum est.

59. PAUPERIS] Miseri, & jam multis vectigalibus, portoriis, ac tributis exhausti. HOLLANDI] Provinciarum fœderatarum.

60. POPULUM FASCINAT] Ita dementat, incantat, & inflectit, ut nec liberi, nec mentis compotes esse videantur, in pendendis continenter vectigalibus gravissimis, & quæ vix pendere queant. *Fascinus* incantationis genus. Inde *fascinare*, pro nocere fascino: & apud Plautum *præfiscinè, aut præfiscini*: quod dici solebat, ubi quis impensiùs aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur, quòd sibi timerent ab aliquo fascino. Quale est, quo etiam hodie utimur, *absit dicto invidia*. Ant. Mur. var. Lect. 9. c. 3. Hoc itaque vocabulo, credebant se fascinum aut invidiam amoliri. Nam juxta originationem Græcam, quam tradit A. Gellius l. 16. c. 12. *βασκαίνειν*, idem ferè est quod fascinare & invidere, quasi *φάεσι καίνειν*, hoc est oculis vel aspectu occido. Oculis autem fascinandi virtutem tribuerunt veteres. Virg. Ecl. 3. ℣. 103.

*Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.*

Inde & phallos rem turpiculam è collo pueris suspendebant, avertendo fascino. Et hac ratione Horat. Epod. 8. ℣. 18. *Fascinum* dixit pro pudendo. Vide *Lamb. Taubm. Oisel.* Benè itaque noster hic *fascinat*, dixit; quia Hollandi pro libertate sua, ut obtendunt, contra Principem pugnando, decuplò plura pendere coguntur in bellum, quàm aliquando ab iis per legitimi principis legatos exactum fuit.

61. CESSENT FŒDERA] Si provinciæ inter se confœderatæ dissiliant, aut exterorum principum societate, & auxiliis destituantur.

62. ARET VENA] Pecuniarius fons exhaustus. ACCITIS] Aliunde petitis, à principibus aut rebuspublicis exteris.

63. THETIS] Mare, seu militia marina. *Thetis* Nerei filia, uxor Pelei, mater Achillis. Hanc marinam vocat Horat. l. 1. Od. 8. ℣. 13. *ut marinæ filium dicunt Thetidis* &c. pro mari usurpat Virg. Ecl. 4. ℣ 32.

*Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris*
*Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.*

Marinam nympham dicit Lambinus. Lucanus, Silius, & alii pro mari usurpantes, transponunt aspirationem. Lucan. l. 3. ℣. 233.

*Hic ubi Pellæus post Tethyos æquora ductor*
*Constitit, & magno vinci se fassus ab orbe est.*

Et hanc, quia mutatur scriptura, & quantitas, volunt Oceani conjugem, illam scil. ex Nereïdum numero. Sententia est: mare, seu navigandi studium in exteras oras, ac potissimùm Indiarum, unde profluunt Hollandorum divitiæ; quia classem numerosam, validam, ac bene instructam desiderat, prohibet ærarium totum effundi in militiam terrestrem.

64. AUXILIOQUE &c.] Facit ut sine gravissimis impendiis, & periculis, suppetiæ ex Anglia, ob mare interjectum, in Hollandiam mitti non queant.

65. So-

*Objicies socios & fœdera Teutonicorum,*
*Cumque Halberstadio Fredericum, & cauta Geneva,*
*Danorum, Suedorumque adjutoria, & horum*
*Queis clandestino, nostrorum incendia, flatu,*
*Regnandi causså securùm, cordi: at ego istis*
*Temporibus diris, credo sat cuique laboris*
*Esse domi, regesque suorum fine teneri.*
*Non bene conveniunt quædam de Valle Telinâ,*

65. SOCIOS] Confœderatos, in belli societatem adductos. TEUTONICORUM] Urbium quarumdam Imperialium, & Principum protestantium, ut vocant, seu Heterodoxorum, qui, nexu religionis & fœderis, Hollandis conjuncti.

66. HALBERSTADIO] Christiano minimè Christiano, Ducis Brunsvicensis fratre natu minimo, Pseudo-episcopo Halberstadiensi, qui, conscripto exercitu, Frederico Comiti Palatino auxiliator, contra Cæsarianos, accedens; Westphaliam, Hassiam, Maguntinam prouinciam, partem Brabautiæ, aliasque Germaniæ regiones, latrociniis, sacrilegiis, cædibus, incendiis, stupris pervagatus, se stolidè nuncupabat *flagellum sacerdotum*: cuso etiam nummo, cujus priori facie, se *Dei amicum*; posteriori, *hostem sacerdotum* denuntiabat. Multis cladibus attritus, ac in primis ad Mœnum haud procul Francofurto, à Joan. Serclasio Comite Tillio, Heroë ac strenuo Cæsarearum copiarum ductore, tandem anno hujus seculi XXVI. inglorius obiit. Notissimus hodieque, & apud nostrates in ore vulgi, nomenclaturâ furibundi: vulgò, *den dullen Halberstadt*. FREDERICUM] Comitem Palatinum, de quo Serm. 5. ad ℣. 293. & Serm. 1. ad ℣. 48. qui contra Imperatorem ducebat exercitum. Factioni ejus accesserant omnes pænè Germaniæ Principes protestantes, & cum Batavis XVII. civitates Imperiales. Vide Miræum ad annum 1619. CAUTA] Clandestina, & furtiva. Nam Genevates, Dani, ac Suedi, quamvis reverà factioni protestantium ac rebellium Bohemorum, Hollandorumque favebant, iisque clam suffundebant frigidam, specie tamen eorum machinationes negligebant. GENEVÆ] Hic populus liber ac imperialis, proximus Helvetorum finibus, qua in urbe Calvinus pseudo-euangelium suum stabilivit, ut jam totius Calvinismi magistra audiat.

68. CLANDESTINO FLATU] Tectâ instigatione. INCENDIA] Bella, & ab his excidium nostrum. Uti enim vento augetur incendium, ita & clandestinâ incitatione discordia.

69. REGNANDI &c] Arte politica, ut ipsi interim à bello securiores regnent. Minus enim periculum à vicinis, quos bellum detinet & pauperat. CORDI] Id est, qui amant, & id unum cordi habere videntur, ut belli furor validiùs apud alios, latiùsque se diffundat. EGO ISTIS] Respondet rationibus sibi objectis.

70. TEMPORIBUS DIRIS] His calamitosis, cruentis, horrendis, quibus tota pænè Europa, in partes abrepta, belli teterrimi communione disscinditur.

71. ESSE DOMI] Nationi cuique sat esse domi negotii, ut se, & patriam suam defendat.

72. VALLE TELINA] Quæ tum sub temporaria ditione Gregorii XV. P. M. tanquam sub manu sequestri tenebatur; donec conventum foret de cautione Religionis Catholicæ, inter Catholicum & Regem Christianissimum. Porrò vallis Telina inter Alpes Rheticas, & Euganeos regio est, olim ob amœnitatem & soli fertilitatem pluribus oppidis, ac vicis habitata. Mediam Addua flumen secat, ad lacum usque Larium: diciturque Telina à metropoli Telio. Vallis hæc Rhetis tribuitur. Post tempora Imperstorum Romanorum libera extitit, donec pactis conventis nunc cum Insubriæ Ducibus, nunc cum Gallis, nunc cum Venetis, suam ipsa sibi quietem interturbavit. Novissimè Armis Philippi III. Hispaniarum Regis, Insubrum Ducis, adjutante Leopoldo Archiduce subacta, ad postulationem Gallorum & Venetorum, potestati Gregorii XV. donec ut suprà, committitur, anno CIↃ. IↃC. XXIII. nondum itaque partibus in cautelam Religionis orthodoxæ concordantibus, aptè poëta noster ait, *non bene conveniunt* &c.

*Inter Germanos sunt murmura : provida Gallis*
*Consultatio : dissimulandis motibus Anglus*
*Concutitur : nec tuta nimis sunt æquora Dano.*
*Compositis rebus, felici Marte, Brabantis,*
*Arcadicas nostris calamis accommodet aures*
*Turba rebellatrix : ultrò prætendat olivam*
*Supplex, & spretâ sub conditione tot annis*
*Consilium cogat postremò agnoscere Regem,*
*Fœdere longævo, vel certâ pace, Philippum.*
*His ita nostrorum curâ & virtute peractis,*
*Ecquis in orbe locus Belgio prælucet amœno?*
*Inter Belgiacas, Europa Antverpia, Nymphas:*

73. MURMURA]Obloquia,lamenta,querelæ de turbis Comitis Palatini, & longis belli calamitatibus. GALLIS] In res præsentes attentis; nequid vel in regno, vel extra turbarum habeant.

74. CONSULTATIO] De furtivis suppetiis clandestinorum sociorum; de bello arcendo, de seditionis periculo, & sectariis Hugonottis &c. DISSIMULANDIS] Dolo & arte tegendis. MOTIBUS] Animi perturbationibus, doloris & indignationis potissimùm. Pessimè quippe habebat Socerum, calamitosa sors Generi sui, exulis & provinciâ exuti. Jacobus enim Angliæ Rex, filiam suam Frederico Palatino Comiti elocaverat; multique credunt indè stimulatum Fredericum, ut delatum sibi à rebellibus Bohemis sceptrum ambitiosiùs tueretur; quò regiis stemmatibus consortis suæ, regio ipse Diademate responderet. De Jacobo Britanniæ Rege Lipl. Cent. 5. Misc. Epl. 25. *Illud bonis auctoribus habeo, illum artificem simulandi, & dissimulandi esse.*

75. CONCUTITUR] Angitur, perturbatur, affligitur. Quamquam enim conabatur celare animum, Austriacæ genti minus deditum causâ generi sui, non tamen nasutiorum censuras & suspiciones evadebat. Etenim sub obtentu vindicandæ Genero provinciæ Rhenensis, cum armatorum copiis in Anglia collectis, ablegavit Mansfeldicum nothum; qui trajectus in Belgicam, vulgavit quidem, se partes illas pro solo transitu habiturum, sed revera Batavis ad cinctam ab Hispanis Bredam, præsto fuit. NEC TUTA ÆQUORA] Quia mare Danis ab hostium infestatione non est liberum: satis negotii habet in paranda, & conservanda classe, quæ tutum ab hostibus iter præbeat.

76. FELICI MARTE] Bello feliciter confecto contra Batavos. Utinam ex tripode cecinisset!

77. ARCADICAS &c.] Ingens despectio, sed ex decoro calidæ hujus controversiæ, quæ per partes aliquantò animosiores perorabatur. Arcadia ferax asinorum, inde aures Arcadicæ.

78. TURBA REBELLATRIX] Batavorum, quos ab obedientiâ legitimi sui Principis descivisse, notum est. OLIVAM] Pacem ultrò oret. Oratores pacem olim poscentes, olivam præferebant.

79. CONDITIONE] Tam æquâ Batavis oblatâ sæpenumero, à Rege Catholico, totiesque ab ipsis rejectâ; scil. amnestiâ perduellionis, & eorum quæ hanc secuta sunt.

80. CONSILIUM] Ipsis scil. datum, & in deliberationem missum. AGNOSCERE] Dominum, Principem, aut Comitem suum.

81. FŒDERE LONGÆVO] Induciis plurimorum annorum. CERTA PACE] Perpetua & indissolubili pace.

82. NOSTRORUM] Procerum, præfectorum, ministrorum, & quorum consiliis utuntur.

83. BELGIO] Crasis seu contractio, tribus in duas syllabas coeuntibus. PRÆLUCET] Amœnitate, felicitate, superet Belgium: Horatius lib. 1. Epl. 1. ℣. 83.

*Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis.*

84. BELGIACAS NYMPHAS] Urbes & civitates Belgicas. EUROPA] Instar Europæ, & una quodammodo cunctas æquans, opulentiâ, rerum copiâ,

*Ergo. Bene argumentatur dominus, crepat ille:*
*Non sum solvendo. Non es. Cupidus viæ in istas,*
*Virve puérve fuat, nam quisquis consluet oras*
*Cujuscumque Poli, propriis non sedibus, urbis*
*Præponet nostræ spatiosa habitacula, strata,*
*Mœnia, fana, sonos, turres, prætoria, claustra,*

copiâ, populi frequentiâ, commerciis, artibus omnibus tam liberalibus, quàm mechanicis; verbo Europæ compendium; ut ferebant olim res secundæ. Sic enim Antverpia, Musâ J. Cæs. Scaligeri animante, de se canit inter reliquas urbes:

*Oppida quot spectant oculo me torva sinistro,*
*Tot nos invidia pallida tela petunt.*
*Lugdunum omnigenum est; operosa Lutetia; Roma*
*Ingens; res Venetûm vasta; Tolosa potens.*
*Omnimoda merces, artes priscaque novaque,*
*Quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.*

85. ERGO] Concludit, subaudito, quod constat inde sequi; id est, patriam non esse deserendam. BENE ARGUMENTATUR] Olet subsellia Academica. CREPAT] Ait. *Crepare* significat hoc loco, eumdem de eadem re sermonem identidem referre. Horat. l. 1. Od. 18. ℣. 5.

*Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?*

Vide quæ diximus Serm. 2 ad ℣. 60. ILLE] Adversarius, & exilii suasor.

86. NON SUM SOLVENDO] Non possum nexum conclusionis tuæ dissolvere, aut confutare. Ridet & jocatur, quasi verbo tribuens, quod tacitè negat. Alter proinde suo verbo captat hominem, dum respondet NON ES] Supple, solvendo: ac si dicat: imò verò, solvendo non es, quamvis id ais, ego autem tibi seriò enuntio, quod solvere non possis, & pergit ad confirmationem. CUPIDUS VIÆ] Amans itineris & peregrinationis, cupidus lustrare & peragrare terras. *Via* non rarò eundi, vel itinerandi actum significat. Sic Ciceroni dicitur *de via languere.* *Via labor* &c. Ovid. Met. 2. ℣. 33.

*Quaque via tibi caussa? Quid hac*, &c.

87. FUAT] Sit. Sic *fuam* pro *sim*, & *fuas* pro *sis*. Plaut. Amph. 3. 4. ℣. 2. *Nec quisquam tam audax fuat.*----- Terent. Hecyr. 4. 3. 4. ---- *Fors fuat pol.* ------ Virg. Æneid. 10. ℣. 108.

*Tros Rutulusque fuat, nullo discrimine habebo.*

Vide La Cerda. Sententia est: sive vir, qui maturioris judicii, sive puer, qui debilioris, fuerit, & lustraverit hanc nostram Antverpiam, seu *istas oras* Belgicas.

89. SPATIOSA HABITACULA] Amplas & superbas domos. STRATA] Vias silicibus vel saxis affabre & nitidè constratas: id enim vox *strata* significat; undè & vulgare nostrum *straet*. Lucret. lib. 1. ℣. 315.

*Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum*
*Saxea conspicimus.*--- Virg. Æn. 1. ℣. 426.
*Miratur portas, strepitumque, & strata viarum.*

90. MŒNIA] De quibus supra Serm. 2. ad ℣. 43. FANA] Templa magnifica & superba. SONOS] Æris Campani, frequentes, graves & immensi ponderis, medios, acutos: inter quos eminet Campanarium, ut appellat Kircherus, sive organum variis constans Campanis, quod omnigenis cantionibus, & harmonicæ modulationi, omnibusque consonantiis exequendis subservit. Nostrates vocant *den Beyaert*. Estque duplex. Alterum automatum, se ipso, vel rotarum interventu sonos modulatur: alterum pedibus, cubitis, & manibus hominum, tam artificiose, quàm laboriosè pulsatur. Organa ejusmodi musicis modulis uti aptissima sunt, ita & publicis signis, & lætitiæ subserviunt. Eorum usus frequens in superiori & inferiori Germania, alibi non item. TURRES] Qualis inprimis elegans ista ex candido quadrato lapide constructa, ædis Marianæ turris, quadringentos sexaginta sex pedes in altum sese erigens, de qua Ortelius in Theat. describens Argentinam, postquam fide auctorum, turres Viennensem in Austria CCCC.LXXX. Londinensem in Anglia IↃ. XXXIV. Argentinensem in Alsatia CIↃ.LXXIV. pedes altas retulerat, sic ait: *An verò pedes architectonici harum urbium mensurâ æquales sint, nec ne, investigent harum rerum curiosi: formâ alioquin atque elegantiâ, nostram Antverpianam ceteras omnes anteire, me qui omnes has descriptas præsens vidi, affirmare audeo.* Huic accedunt aliæ quam plurimæ Antverpiæ, S. Jacobi, S. Michaëlis, Societatis Jesu &c quæ artem & sumptus exhibent minimè vulgares. PRÆTORIA] Domos augustas societatum mercurialium, ut sunt, Teutonicæ, Anglicanæ, Hassianæ, item Curiam, Janum &c. ut nihil

*Et faciles in agendo modos, sine fraude tribunal?*
*Terriculamentum sistratos furibus adde*
*Nocte ferâ vigiles: casulis vocalibus ignes*
*Perpetuos: pensumque, molâ, serrâque luentes*
*Civili errones correctos compede; ut inde*
*Copia sit pueris, noctesque diesque puellis*
*Ire, redire, vias nullo discrimine jussas.*

addam de privatis domibus lautiorum, quæ aliquod prætoriorum instar habent. CLAUSTRA] Monasteria, cœnobia, tam virorum quam mulierum. *Claustrum* nomen est variæ significationis, quod propriè tamen significat id, quo aliquid clauditur, sic seras, repagula, vectes, imò & fores & valvas rectè *claustra* dixeris, Græcè κλῶθρα. Tropicè extenditur ad loca clausa, quo sensu dixit Cicer. Oeconom. 1. *Ovium ceterarumque pecudum fœtus, atque fructus claustre custodienda erant.* Horat lib. 1. Epl. 14. ℣. 9.

-----*Amat spatiis obstantia rumpere claustra.*

Ubi Cruquius & Lambinus exponunt, repagula vel carceres. Inde & monasteria *claustra* hodie dicuntur à clausurâ, quod sint septa, unde egredi non licet, corporum quidem carceres, sparia animorum; Hetruscis *Chiestri*, nostratibus *Kloosters*, à verbo antiquo, *Clostre*, ut Calepinus, & Jos. Laurent. volunt. Sic & Virgilius ventorum carceres, imò & ventos ipsos, ut docet La Cerda *Claustra* vocavit. Illum adi in ℣. 60. l. 1. Æneid. De Claustris verò vel monasteriis Antverpiensibus, consule *Guicciardinum. Carol. Scribanium*, & alios.

91 FACILES IN AGENDO &c.] Dexteritatem in rebus agendis. & commerciis. SINE FRAUDE] Sine corruprione, & deflexu ab æqui puritate; id est tribunal justum & incorruptum.

92 TERRICULAMENTUM] Quo terrentur, & à furris continentur laverniones. SISTRATOS] Sistro munitos, seu crepitaculo.

93. NOCTE FERA] Quia feris latronibus & sicariis, latebras à tenebris præbet. VIGILES] Nocturni circitores, de quibus Ser. 6. ad ℣ 103. qui sistro utuntur, illudque circumferunt, ut sonent, dum opus, io auxilium exciere collegas vicinos, si quando lavernionum numero pares esse non possint. Sistri usus in sacris Isidis. de cujus Sacerdotibus Mart. lib. 12. Epig. 29. ℣. 19.

*Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.*

Est autem sistrum crepitaculum, idem quod crotalum, ut vult Junius: id est æneum ligneùmve instrumentum, quo soni efficiuntur: undè in isto genere ad diversa extendi potest Hoc loco autem significat oobis Brabantis *een kleppe.* CASULIS] Domunculis passim per urbem constructis, in compitis minùs frequentatis, ubi majus periculum à sicariis vel prædonibus: ut illic ab aëris nocturni ferociâ defensi, excubent civium manipuli, rectè eas dixeris latinè, stationes: vulgo nostro audiunt, *Rende-huysen.* VOCALIBUS] Quia contubernales isti noctem fabulis fallunt, quio imò & transeuntes compellant, scitantes qui sint? &c. quæ spectant ad viarum securitatem.

94. IGNES PERPETUOS] Lucernas, & ignes per totum ferè annum. PENSUMQUE MOLA &c.] Diurnum scil. in mola & serra, ad corporis merendam alimoniam.

95 CIVILI COMPEDE] Mitiore aut tolerabiliore carcere. Nostrates vocant domum disciplinæ, Belgicè *Het tucht-huys. Tucht* enim, ut auctor est Kilianus, Sicambricè disciplinam notat. *Civile* dici sæpe in Jure, quidquid moderatum, auctor est Muret. lib. 11. Var. Lect. c. 3. apud quem Cicero, *Odium civile* dixit. ERRONES] Vagabundos, maleferiatos, nequam & nullius frugis homines, quos otiosa egestas faciat facinorosos. Hi autem in hoc carcere tenuiter cibantur: imò, ut & panem non gratis manducent, coguntur vel molere, vel serrâ secare, aut radere ligna. Ostentat securitatem nocturnam urbis suæ, à noxiis & facinorosis.

97. IRE, REDIRE] Commeare ultro citroque. Papin. Epithalamio Stellæ & Violant. lib. 1. Sil. Carm. 2 ℣. 34.

-----*Tua est, licet expositum per limen aperto*
*Ire, redire, gradu: jam nusquam janitor, aut lex.*

DISCRIMINE] Periculo expilationis, mutilationis, aut cædis JUSSAS] A parentibus, tutoribus, aut aliis quibus in pueros & puellas imperium.

98.

*Nónne sequor nudum verum? Puer adfer acetum,*
*Deliquium patior. Rides. Nos inter amicos,*
*Tuberibus crescat ne disceptatio, votum*
*Pro patriâ dedimus. Reus ergo cadit cum expensis,*
*Salvo regressu, vel in illum scripserit, aut qui*
*Dixerit in Belgas, unde informatio læva.*
*Taxari impensas voluit Reus. Expedieris*
*Uno, ridemus, consessu in Apolline. Et ille:*

98. NONNE SEQUOR &c.] Ridentem forsitan antagonistam respiciens, ita interrogat. PUER] Famule: jocatur hic auctor deserendæ patriæ, & risum captat sodalium, quasi, jam desperatæ victoriæ repentino mœrore perculsus, exanimaretur. ADFER ACETUM] Extemporarium levamen eorum, qui deliquium animi patiuntur: acetum enim naribus admotum, eos sibi restituit.

99. RIDES] Inquit ille, qui pro patria declamaverat, & jam se victorem credebat adversario tacente. Et certè, ridebat bene, qui nec damnari metuebat, nec laudem à refutando quæritabat: ridendo enim significabat, alterius dicta se non dignari responso; remque gratissimam sibi usu venturam, si liceret amicos congerrones epulo accipere, & ipse hoc officio, in pœnam simulatæ temeritatis mulctaretur. NOS INTER &c.] Loquitur, & narrare pergit hic poëta: inter nos ceteros qui disputantes audiveramus.

100. TUBERIBUS] Eò usque incalescat contentio, ut manus conserant partes, & pugnis rubera excitent. Terent. Adelph. 2. 2. 37.

*Praterea colaphis tuber est totum caput.*

Id est, ne actiùs inter se litigent. Ironicè.

101. VOTUM PRO PATRIA] Judicavimus secundùm patriam, illi palmam deferendo, qui patriâ excedendum negavit; & litem præcidimus. CADIT] Caussâ. CUM EXPENSIS] Solennis fori formula. Id enim partes postulant, ut, se indemni, damnetur adversarius, & judex cognitâ caussâ, si quidem liquet satis, in expensas utrimque factas, plerumque damnat reum.

102. SALVO REGRESSU] Jure postulandi indemnitatem. Ulpianus Digest. 21. tit. 2 lib 1. *Sive res tota evincatur, sive pars, habet regressum emptor ad venditorem.* Virg. l. 11. Æn. ℣. 413. *Funditus occidimus, nec habet fortuna regressum.* IN ILLUM SCRIPSERIT] Versum hunc cum sequenti ordina: salvo regressu in illum, qui scripserit, aut dixerit in Belgas, unde læva informatio. Id est: ita rèus cadit caussâ, ut tamen pleno jure ipsi liceat postulare indemnitatem ab eo, qui illum de statu rerum præsentium, vel scribendo vel referendo, malè imbuit.

104 TAXARI &c.] Etiam in more judiciario; nam ne pars altera justo majores impensas producat, solet judex æstimare, quantum debeatur caussidicis & patronis, aliisque ad litem spectantibus. Hic autem jocus augetur à facetia formularum forensium. EXPEDIERIS] Hoc scil. nomine & debito; id est, absolvèris. Terent. Hecyr. Act. 3. Scen. 1. ℣. 8.

*Ac sic, citiùs qui te expedias his ærumnis, reperias.*

105. RIDEMUS] Ridendo, & joci gratiâ dicimus. CONSESSU IN APOLLINE] Symposio vel cœnâ. *Apollo* hîc cœnaculi nomen, ubi summo impendio parabantur convivia. Vide Rhodig. l. 12. c. 18. Quid autem primitivâ phrasi sit cœnare in Apolline, docet nos Plutarchus in Lucullo, & rem omnem illustrat in hunc modum. *Cicero & Pompeius convenerunt Lucullum in foro otiosum, & salutatum rogavit Cicero, vacarétne ei colloqui? Quo annuente, & ad fabulandum invitante, nos hodie constituimus, inquit, apud te cœnare, verùm cœnâ solitâ tuâ. Hic recusare Lucullo simulante, atque in diem posterum eos rejiciente, negaverunt se concessuros, neque potestatem ei fecerunt alloquendi servos, nequid amplius quotidiano præciperet. Id tantùm largiti sunt petenti, ut palàm uni servo diceret, hodie ipsum* IN APOLLINE CŒNATURUM. *Id unum ex splendidis tricliniis nomen erat: quod ejus commentum fefellit illos. Nam singulis scil. tricliniis certa summa erat in cœnam taxata, peculiaresque impensas & apparatum habebant, ut audito servi ubi cœnare vellet, scirent quantum impendendum, quo esset ordine ac digestione cœna instruenda.* CŒNARE IN APOLLINE, quin-

*Ergo domi ad cœnam extremo vos sole manebo.*
*Ivimus expressâ sub conditione, deinceps*
*Ne super his iterùm moveatur quæstio: & illud*
*Acceptatur, & excipimur generosiùs. Auctor,*
*Sed risus caussâ, latæ sententiæ, iniqui*
*Se putat officii, nisi eamdem manè sequenti*
*Obtineat Laribus simili structore coronam.*
*Nos crudum objicimus stomachum. Non consonat illi.*
*Tum cœnæ Pater, inquit, ut hoc mulcteris honore,*

*quaginta millibus denariorum solenne habebat.* Denarius, teste Varrone, ita dictus quod denos æris valebat; hoc est, decem asses, qui, calculo Had. Junii, valent quatuor stuferos Brabanticos. Quæ ratio si justa est: singulas *cœnas in Apolline,* Lucullo constitisse certum est, decem florenorum Brabanticorum millibus, seu coronatis Romanis, ter mille trecentis triginta tribus & triente. Quem luxum in mensam quotidianam, & ex improviso apparatam, non mirabitur, cui Luculli ingenium & opes explorata sunt. ET ILLE] Scil. reus jam damnatus concludit.

106. EXTREMO SOLE] Ad vesperam, vel solis occasum. MANEBO] Exspectabo. Horatius l.1.Epl.5. ✠ 3.

*Supremo te sole domi, Torquate, manebo.*

Quod in idem recidit, nam Varro lib 5.de ling. Lat. *Suprema*, inquit, *summum diei, id à supremo; hoc tempus duodecim tabulæ dicunt occasum esse solis.*

107. IVIMUS] Condiximus, & ivimus; hâc tamen lege, ne quid ultra mussitaretur, de controversia jam decisa. Ita jocantur inter se, ut ab uno consessu, transeant ad alterum.

109. ACCEPTATUR] Spondent se legi pariturus. EXCIPIMUR] Jam tempore condicto digressi ad ædes symposiarchæ. GENEROSIUS] Opiparè, ac pro nobilitate & animis convivatoris. AUCTOR] Idem ille, qui supra joco & risus gratiâ dixerat, quasi ab omnium arbitratu: *expedieris uno consessu* &c.

111. INIQUI &c.] Existimat se minùs officiosum, vel civilem visum iri, quòd ipse auctor fuerat ejus symposii, & sumptuum convivatori. MANE SEQUENTI] Prandio sequentis diei, aut cœnâ.

112. LARIBUS] Domi suæ. SIMILI STRUCTORE] Se futuro æquali convivatore, æquali scil. vel eâdem apparatus ratione. CORONAM] Cœtum, sodalitium, amicorum convictum: id est, præsentes amicos convivas habuerit. A. Gellius lib. 7. c. 4. *Circumstatio*, inquit, *militum, corona appellata.* Inde & venundari sub *corona*. Cic. Phil. 2. c. 112. *Cur armatorum coronâ senatus septus est?* Sed distinguit Cicero in bruto, ut ait Marcilius in Sueton. concionem & coronam, ut concio sit pro rostris, corona in judiciis.

113. OBJICIMUS] Obtendimus, & à condicendo nos excusamus. CRUDUM STOMACHUM] Imparem conficiendo cibo, propter hodiernam crapulam. Cruditas enim ex epularum copia, vel nimio cibo nascitur, quem stomachus non concoxit. Mart. l.3. Epig 13.

*Accusas rumpisque coquum, tanquam omnia cruda*
*Attulerit. Numquam sic ego crudus ero.*

Horatius lib 1. Satyrâ 5. ✠ 49.

*Namque pilâ lippis inimicum, & ludere crudis.*

Id est, vehemens exercitatio, cibaria malè decoquentibus, perniciosa. *Cruditates* autem, ut censet Macrobius, Saturn. 7. c.4. *Eveniunt aut qualitate succi in quem cibus vertitur, si non sit aptus humori qui corpus obtinuit; aut ipsius multitudine, non sufficiente naturâ ad omnia, quæ congesta sunt, concoquenda.* NON CONSONAT] Non placet, non respondet, vel consentit illius desiderio. Cic. in Sall. 1. *ut omnis orâtio móribus consonet.* Id est, consentiat.

114. CŒNÆ PATER] Rex convivii, vel ut Cicero in Vatin. 31. *Epuli dominus.* Horatius lib. 2. Sat. 8. ✠. 7.

*Captus, ut aiebat cœnæ pater---* id est, convivator. Vide suprà Serm. 5. ad ✠. 41.

115.

*Prome aliquid, delinque priùs. Ridemus. Ut ergo*
*Ex actis iisdem fit condemnatio; Quæso,*
*Inquit, ut expedias, quo te & tua credere cælo*
*Desertâ patriâ calidè mox antè volebas.*
*Incidit in foveam quam fecerat ipse, sonamus*
*Omnes. Quin teneor præjudicio. Pedetentim,*
*Nemo judex in propriâ caussâ: fateare*
*Peccatum gravius. Concurrimus atque cavemus:*
Legislator, ob infractam legem, sine carne,
Pisce, ovo, crusto, epulum dare damnas esto.

115. PROME ALIQUID &c.] Dic, vel effer quidpiam hâc mulctâ dignum. Id est, delinque aliquid, ut ego. RIDEMUS] Nos omnes quotquot aderamus, jocis & elegantiis festivis, & amicis. Horat. lib 1. Sat. 5. ℣. 57.

*Esse feri similem dico. Ridemus: & ipse*
*Messius, accipio: caput & movet.-----*

116. EX ACTIS IISDEM] Ex eodem argumento, & quæstionis materia, ut sequitur bellè.

117. QUO TE ET TUA &c.] Quâ mundi regione vivere deligas, cum fortunis ac familiaribus tuis.

118. CALIDE] Ferventer, & contentiosè. Ita delinquit ultrò, contra legem suprà ℣. 108. *Ne super his* &c.

119. INCIDIT IN FOVEAM] In legem quam tulit, novando jam, de controversia disceptata, quæstionem, quod ipse lege caverat, ne fieret. Psaltes Regius Psalm 7. ℣. 16. *Incidit in foveam quam fecit.* Tractum à foveis effossis in capturam ferarum; aut à cuniculis bellicis ad captandos hostes: ac si dicant, uti est in proverbiis: *legem patere quam ipse tulisti.* SONAMUS] Dicimus, pronuntiamus omnes. Papinius Statius l. 4. Sil. Carm. 4. ad Vict. Marc. ℣. 78.

*Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam*
*Littoribus, fractas ubi Vesbius egerit iras.*

120. QUIN] Imò, certè: affirmandi particula hic est, quâ frequenter utitur Plautus & alii. Vide A. Gellium lib. 17. c. 13. vox est, illios qui antè. TENEOR PRÆJUDICIO] Scio quanti damnatus sim, ex sententia in sodalem lata: me convivatorem promitto, eo apparatu, quo modò. *Præjudicium* hoc loco, est sententia in eadem, aut prorsus consimili caussâ, antè lata. PEDETENTIM] Cunctanter, providè, consideratè, ne lingua prævertat rationem. Vox est alterius cujuspiam. Jocantur cum urbanitate. Terent. Phorm. 3. 3. 19.

--- *Di benè vertant quod agas: pedetentim tamen.*

Id est, sensim & cunctanter, ut res potiùs arte, quàm impetu fiat. Ducitur similitudo ab his qui cautim ac prætentantes, per glaciem, locúmve lubricum ingrediuntur, ne imprudentes, pede malè collocato, labantur. Quintil. l 5 c. 7. *Paulatim, &, ut dicitur, pedetentim interrogando, experietur animum.* Vide Erasm.

121. NEMO JUDEX &c.] Tritum hoc, & omnium punctis probatum Totidem verbis Baldus: & ipse in M. SS. lib. 2. Heroic. ut in Proecthesi ad Serm. 1. ℣. 742.

*Nemo potest judex in caussa proprius esse.*

Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. Cod. l. 3 Tit. 5 *Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ.* Et Ulpianus Digest. l 2. Tit. 1. leg. 10. *Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel ceteris quos secum habet.*

122. PECCATUM GRAVIUS] Necessè est, ut te fateatis graviùs peccasse, quàm dominus cœnæ nostræ. CONCURRIMUS] Convenimus, & consentimus in eamdem sententiam. CAVEMUS] Statuimus, sancimus; quod fit dum prospicimus rei; quam volumus aut nolumus fieri. Sic dicimus, Lege *cavere*. testamento *cavere* &c. Cic. de fin. lib. 2. c. 101. *Tam accuratè, tamque diligenter cavet, & sancit, ut Amynomachus &c.*

123. LEGISLATOR] Qui supra ℣. 107. caverat, *ne super his iterum moveatur quæstio.*

124. CRUSTO] Pane, vel placentâ. Virg. lib. 7. Æneid. ℣. 114.

Et

*Ergo domi ad cœnam extremo vos sole manebo.*
*Ivimus expressâ sub conditione, deinceps*
*Ne super his iterùm moveatur quæstio: & illud*
*Acceptatur, & excipimur generosiùs. Auctor,*
*Sed risus caussâ, latæ sententiæ, iniqui*
*Se putat officii, nisi eamdem manè sequenti*
*Obtineat Laribus simili structore coronam.*
*Nos crudum objicimus stomachum. Non consonat illi.*
*Tum cœnæ Pater, inquit, ut hoc mulcteris honore,*

*quaginta millibus denariorum solenne habebat.* Denarius, teste Varrone, ita dictus quod denos æris valebat; hoc est, decem asses, qui, calculo Had. Junii, valent quatuor stuferos Brabantinos. Quæ ratio si justa est: singulas *cœnas in Apolline*, Lucullo constitisse certum est, decem florenorum Brabanticorum millibus, seu coronatis Romanis, ter mille trecentis triginta tribus & triente. Quem luxum in mensam quotidianam, & ex improviso apparatam, non mirabitur, cui Luculli ingenium & opes explorata sunt. ET ILLE] Scil. reus jam damnatus concludit.

106. EXTREMO SOLE] Ad vesperam, vel solis occasum. MANEBO] Exspectabo. Horatius l. 1. Epl. 5. ℣ 3.

*Supremo te sole domi, Torquate, manebo.*

Quod in idem recidit, nam Varro lib 5. de ling. Lat. *Suprema*, inquit, *summum diei, id à supremo; hoc tempus duodecim tabulæ dicunt occasum esse solis.*

107. IVIMUS] Condiximus, & ivimus; hâc tamen lege, ne quid ultra mussitaretur, de controversia jam decisa. Ita jocantur inter se, ut ab uno consessu, transeant ad alterum.

109. ACCEPTATUR] Spondent se legi passuros. EXCIPIMUR] Jam tempore condicto digressi ad ædea symposiarchæ. GENEROSIUS] Opiparè, ac pro nobilitate & animis convivatoris. AUCTOR] Idem ille, qui supra joco & risus gratiâ dixerat, quasi ab omnium arbitratu: *expedieris uno consessu* &c.

111. INIQUI &c.] Existimat se minùs officiosum, vel civilem visum iri, quòd ipse auctor fuerat ejus symposii, & sumptuum convivatori. MANE SEQUENTI] Prandio sequentis diei, aut cœnâ.

112. LARIBUS] Domi suæ. SIMILI STRUCTORE] Se futuro æquali convivatore, æquali scil. vel eâdem apparatus ratione. CORONAM] Cœtum, sodalitium, amicorum convictum: id est, præsentes amicos convivas habuerit. A. Gellius lib. 7. c. 4. *Circumstatio*, inquit, *militum, corona appellata.* Inde & venumdari sub *corona*. Cic. Phil. 2. c. 112. *Cur armatorum coronâ senatus septus est?* Sed distinguit Cicero in bruto, ut ait Marcilius in Sueton. concionem & coronam, ut concio sit pro rostris, corona in judiciis.

113. OBJICIMUS] Obtendimus, & à condicendo nos excusamus. CRUDUM STOMACHUM] Imparem conficiendo cibo, propter hodiernam crapulam. Cruditas enim ex epularum copia, vel nimio cibo nascitur, quem stomachus non concoxit Mart. l. 3. Epig 13.

*Accusas rumpisque coquum, tanquam omnia cruda*
*Attulerit. Numquam sic ego crudus ero.*

Horatius lib 1. Satyrâ 5. ℣ 49.

*Namque pilâ lippis inimicum, & ludere crudis.*

Id est, vehemens exercitatio, cibaria malè decoquentibus, perniciosa. *Cruditates* autem, ut censet Macrobius, Saturn. 7. c. 4. *Eveniunt aut qualitate succi in quem cibus vertitur, si non sit aptus humori qui corpus obtinuit; aut ipsius multitudine, non sufficiente naturâ ad omnia, quæ congesta sunt, concoquenda.* NON CONSONAT] Non placet, non respondet, vel consentit illius desiderio. Cic. in Sall. 1. *ut omnis oratio moribus consonet.* Id est, consentiat.

114. CŒNÆ PATER] Rex convivii, vel ut Cicero in Vatin: 31. *Epuli dominus* Horatius lib. 2. Sat. 8. ℣. 7.

*Captus, ut aiebat cœna pater*--- id est, convivator. Vide suprà Serm. 5. ad ℣. 41.

115.

*Prome aliquid, delinque priùs. Ridemus. Ut ergo*
*Ex actis iisdem sit condemnatio; Quæso,*
*Inquit, ut expedias, quo te & tua credere cælo*
*Desert â patriâ calidè mox antè volebas.*
*Incidit in foveam quam fecerat ipse, sonamus*
*Omnes. Quin teneor præjudicio. Pedetentim,*
*Nemo judex in propriâ caussâ: fateare*
*Peccatum gravius. Concurrimus atque cavemus:*
Legislator, ob infractam legem, sine carne,
Pisce, ovo, crusto, epulum dare damnas esto.

115. PROME ALIQUID &c.] Dic, vel effer quidpiam hâc mulctâ dignum. Id est, delinque aliquid, ut ego. RIDEMUS] Nos omnes quotquot aderamus, jocis & elegantiis festivis, & amicis. Horat. lib. 1. Sat. 5. ℣. 57.

*Esse feri similem dico. Ridemus: & ipse*
*Messius, accipio: caput & movet.-----*

116. EX ACTIS IISDEM] Ex eodem argumento, & quæstionis materia, ut sequitur bellè.

117. QUO TE ET TUA &c.] Quâ mundi regione vivere deligas, cum fortunis ac familiaribus tuis.

118. CALIDE] Ferventer, & contentiosè. Ita delinquit ultrò, contra legem suprè ℣. 108. *Ne super his &c.*

119. INCIDIT IN FOVEAM] In legem quam tulit, novando jam, de controversia disceptata, quæstionem, quod ipse lege caverat, ne fieret. Psaltes Regius Psalm 7. ℣. 16. *Incidit in foveam quam fecit.* Tractum à foveis effossis in capturam ferarum; aut à cuniculis bellicis ad captandos hostes: ac si dicant, uti est in proverbiis: *legem patere quam ipse tulisti.* SONAMUS] Dicimus, pronuntiamus omnes. Papinius Statius l. 4. Sil. Carm. 4. ad Vict. Marc. ℣. 78.

*Hac ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam*
*Littoribus, fractas ubi Vesbius egerit iras.*

120. QUIN] Imò, certè: affirmandi particula hic est, quâ frequenter utitur Plautus & alii. Vide A. Gellium lib. 17. c. 13. vox est, illius qui antè. TENEOR PRÆJUDICIO] Scio quanti damnatus sim, ex sententia in sodalem lata: me convivatorem promitto, eo apparatu, quo modò. *Præjudicium* hoc loco, est sententia in eadem, aut prorsus consimili caussâ, antè lata. PEDETENTIM] Cunctanter, providè, consideratè, ne lingua prævertat rationem. Vox est alterius cujuspiam. Jocantur cum urbanitate. Terent. Phorm. 3. 3. 19.

*--- Di benè vortant quod agat: pedetentim tamen.*

Id est, sensim & cunctanter, ut res potiùs arte, quàm impetu fiat. Ducitur similitudo ab his qui cautim ac prætentantes, per glaciem, locúmve lubricum ingrediuntur, ne imprudentes, pede malè collocato, labantur. Quintil. l 5 c. 7. *Paulatim, &, ut dicitur, pedetentim interrogando, experietur animum.* Vide Erasm.

121. NEMO JUDEX &c.] Tritum hoc, & omnium punctis probatum Totidem verbis Baldus: & ipse in M. SS. lib. 2. Heroic. ut in Proecthesi ad Serm. 1. ℣. 742.

*Nemo potest judex in caussa proprius esse.*

Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. Cod. l. 3 Tit. 5 *Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententia.* Et Ulpianus Digest. l 2. Tit. 1. leg. 10. *Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel ceteris quos secum habet.*

122. PECCATUM GRAVIUS] Necessè est, ut te fateatis graviùs peccasse, quàm dominus cœnæ nostræ. CONCURRIMUS] Convenimus, & consentimus in eamdem sententiam. CAVEMUS] Statuimus, sancimus; quod fit dum prospicimus rei, quam volumus aut nolumus fieri. Sic dicimus, Lege *cavere*, testamento *cavere* &c. Cic. de fin. lib. 2. c. 101. *Tam accuratè, tamque diligenter cavet, & sancit, ut Amynomachus &c.*

123. LEGISLATOR] Qui supra ℣. 107. caverat, *ne super his iterum moveatur quæstio.*

124. CRUSTO] Pane, vel placentâ. Virg lib. 7. Æneid. ℣. 114.

Et

*Me miserum! quid voltis agam? Tu videris. Omnem*
*Pythagoreorum lubet implorare culinam,*
*Si convivator nobis quid fiat in oris*
*Dicat, eo casu, quarum macra prandia caussâ.*
*Copia tum Parocho. Negat antè profarier ille,*
*Quàm de non interrumpendo cautio facta.*
*Unanimes spondemus, & invicem eò invitamus.*

*Et violare manu, malisque audacibus orbem*
*Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris.*

Ubi per orbem crusti, La Cerda placentam rotundam decussatam intelligit. Hic porcò lepidi convivæ nugantur,& rident inter se: ac si dicant epulum nobis apparari volumus, sine cibo & potu. EPULUM DARE] Proprium vocabulum. Juven. Sat. 3. ỳ. 229.

*Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.*

DAMNAS ESTO] Spondaicum carmen. Id est, damnatus esto. Sic. Lips. elect. l. 1. c. 15. *Dare damnas esto, formula prisca.* Haec his notis exprimebant, D. D. ESTO: & sic emendat exscriptoris vitium, quo irrepserat in veterem textum, *deinde.*

125. ME MISERUM!] Exclamat damnatus ridiculè. QUID VOLTIS AGAM] Quibus opsoniis vos saturabo; si prohibetis carnes, pisces, ova &c. TU VIDERIS] Aiunt sodales.

126. PYTHAGOREORUM CULINAM] Olera, mel, panem, fruges omnes terræ, si legumina quædam, aliaque nonnulla exceperis. Nam Juven. supra Sat. 3 ỳ. 228. cultum hortum prædicat, unde des epulum centum Pythagoreis. De Pythagora enim ipse Juven. Sat. 15 ỳ. 173.

*-----Cunctis animalibus abstinuit qui*
*Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen.*

Sicque instituit sectarios suos, qui an abstineant ab animantium esu, ob cultum justitiæ, ne scil. injustè illis vitam adimant, vide apud Plutarchum Sympos. 8. Q. 8. Laërtius in Pythagora: *Animatis abstinere jussit, instituens homines ad faciliorem victum, ut cibos semper parabiles haberent, quibus igne ad coquendum, opus non esset, quique aquam biberent. Solo melle, sive favo, ac pane contentum vixisse quidam autumant, vinumque interdiu non gustare solitum. Opsonium illi erat, ut plurimùm, cruda vel elixa olera: marinis rarò utebatur.* Meminit ejus opinionis & Cicero & Callimachus apud A. Gellium l. 4. c. 11. sed ibidem Aristoxenus negat Pythagoram fabis, ac omnibus prorsus animatis abstinuisse, imò nullo sæpius legumento usum Pythagoram commemorat, quàm fabis.

127. SI CONVIVATOR &c.] Ordo hujus & sequentis versus est: si convivator dicat nobis quid fiat eo casu in oris, quarum caussâ macra prandia. IN ORIS] In illa regione, quam habitandam sibi deligat, si migrare decreverit.

129. COPIA] Fandi scil. & latè disserendi, supple, tunc facta est PAROCHO] Convivatori, ei scil. qui structâ cœnâ mulctam suam exolvit, & de migrando antè concluserat. Horat. lib. 2. Sat. 8 ỳ. 36.

*Tum parochi faciem nil sic metuentis, ut acreis*
*Potores: vel quòd maledicunt liberius.---*

Parochi à præbendo dicti; nam Græcis παροχὴ est præbitio vel largitio Inde ξενοπάροχοι, qui peregrinis, & πάροχοι, qui salem & ligna præbebant iis, qui publicè mittebantur. Quo spectat isthoc Horat. lib. 1. Satyr. 5. ỳ. 46.

*---Et parochi, quæ debent ligna, salemque.*

Lips. Antiq. Lect. l. 3. c. 1. *Tu hodie mihi parochus eris, ligna, & salem præbebis.* Hinc ductâ metaphorâ, qui præbet cœnam, Horatio parochus dicitur. Parochi etiam dicuntur nuptiarum auspices: nam qui in vehiculo alteri assidet, vel à latere alterius vehitur, Græcis πάροχος dicitur: peculiarirer tamen ille, qui sponso, sponsam domum deducenti, in curru assidebat. PROFARIER] Proloqui, & mentem suam edicere.

130 DE NON INTERRUMPENDO &c.] Antequam spondeamus narraturi dictionem non interrumpere. Sic paratur aditus ad longiorem sermonem, dum ab auditorio silentium stipulatur dicturus.

131. UNANIMES &c.] Summo consensu id promittimus, & invicem hortamur ad altissimum silentium.

132. Con-

*Conticuere omnes, intentique ora tenebant.*
*Inde Pater cœnæ placido sic orsus ocello:*
*Non ego turbatis patriâ si excedere rebus*
*Moliar, affectu convincar curtus haberi,*
*A sano mentis quoquam, in monumenta meorum,*
*In gentem, in comites, in viscera nostra, Penates:*
*Cùm neque Mars nostris fulsit natalibus, ullâ*
*Nec tenear, vel parte domi, vel Principis ære.*
*Cùm, quod opis nostræ, sanis assurgere votis*
*Tantum è longinquo valeam, quàm proximus urbi.*
*Cùm nutrire foris devotum nobilius sit,*
*Quàm terrore domi aversum consumere civem.*

132. CONTICUERE &c.] Initium l. 2. Æneid. Virgil. quo innuit poëtarum Princeps, omnes præsentes adeò comparatos extitisse ad audiendum, sicut populus pro rostris auditurus Oratorem: id est eum, qui sermonem prolixiorem facturus est. Quod certè Æneas, toto libro secundo & tertio, exequitur; uti & noster de laudibus Italiæ, reliquo ferme hoc sermone.

133. PATER CœNÆ] Convivator, ut suprà ℣. 114. PLACIDO OCELLO] Sedato vultu, placidæ ac inperturbatæ mentis indice, ut innuat non ex animi affectu, sed pro studio veritatis, locuturum.

134. TURBATIS] Bellorum civilium motu, ac strepitu, ut fieri solet flagrante bello.

135. MOLIAR] Parem, curem. Cic. l. 9. ad Attic. Epl. 4. *Equidem istud molior, ut mihi Cæsar concedat, ut absim, cùm aliquid in Senatu contra Cnæum agetur.* Id est istud curo, istud paro. AFFECTU CURTUS] Esse curti, seu parvi affectus: id est, nolim me censeri parum patriæ amantem.

136. IN MONUMENTA &c.] In terram patriam, ubi sepulchra majorum & parentum meorum, resque aliæ immobiles ab ipsis relictæ, illorum mihi memoriam refricantes.

137. GENTEM] Nationem Belgicam. COMITES] Amicos & sodales. VISCERA NOSTRA] Conjugem & liberos, quos in visceribus habemus. PENATES] Domum, & domestica.

138. MARS] Astrum, vel Martis stella. Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 8. ℣. 29.

*Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis.*

Sic Venus, & Castores *lucida sidera* apud Horatium l. 1. Od. 3. ℣. 1. & 2. & Od. 12. ℣. 27.

----- *Quorum simul alba nautis*
*Stella refulsit.*

FULSIT NATALIBUS] Id est, parentibus minimè militaribus natus sum; vel bellum, quantum fert naturalis mea propensio, nec amo, nec sector. Ex more scil. Astronomorum, vel Genethliacorum, qui ex horoscopo, seu astro, sub quo natus homo, totius vitæ casus, & eventus divinant.

139. ULLA PARTE] Ulla ratione, puta negotiorum, publici muneris vel magistratus. PRINCIPIS ÆRE] Militiâ, aut alio quovis principis ministerio, vel auctoramento.

140. OPIS NOSTRÆ] Potentiæ, aut virium nostrarum: id est, quod unum facere possumus. Virgil. Æneid. 1. ℣. 605.

*Non opis est nostræ grates persolvere dignas.*

Exponit Servius, *possibilitatis*, sordido prorsus ac servili vocabulo. SANIS VOTIS] Apprecando salutem, & incolumitatem patriæ, aut pia voluntate auxiliandi, si possis. ASSURGERE] Spem erigere, memet attollere.

141. TANTÙM E LONGINQUO] Æquè possim peregre, quam in patria; ubi, præter bona vota, nihil in rem patriæ confero.

142. FORIS] Extra solum natale. DEVOTUM] Sibi deditum, & bene affectum. NOBILIUS SIT] Generosius laudabiliusque sit principi, quietem & felicitatem subjectorum amanti.

143. AVERSUM] Reluctantem, invitum, impatientem. CONSUMERE] Atterere, mœrore ac


curis

*His præsuppositis, si sollicitetis amici,*
*Quo residebo solo: Sedes ubi fata quietas*
*Ostendent, ubi quisque minùs censebitur exul.*
*Expectent alios, revirescens Cæsaris aula,*
*Indorum aut moderatoris, vel regia Galli;*
*Me* Paradisus terrestris *per somnia versat*
*Matutina, vetatque alibi juvenescere: & hinc quod*
*In citimo Italiæ quoties mihi commemoro*, Ohe,
*Et* Preme tu, Preme mî, *ac Thetidis sponsalia, & inter*

cutis conficere, malis obruere, tabem illi accersere.

144. SOLLICITETIS] Quæratis, & sollicitè instetis, ut promam candidè, quod sentio.

145. SOLO] Quâ regione, quâ terrâ. SEDES &c.] Respondeo, inquit, ubi licebit securè, sine metu, curâ, & strepitu Martis, & pro genio suo vivere. Virg. Æneid 1. ỳ. 209

*Tendimus in Latium sedes ubi fata quietas*
*Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.*

146 MINUS EXUL] Ubi propter delicias, & amœnitates terræ, & mores hominum, minùs sibi quisque videbitur esse procul patriâ.

147. EXSPECTENT ALIOS] Id est, alii in Germaniam, alii in Hispaniam, alii in Galliam proficiscantur. REVIRESCENS] A nupera calamitate belli Bohemici

148. INDORUM MODERATORIS] Indiarum Regis, id est Regis nostri Catholici in Hispania, qui & in vastissimis Indiarum regnis rerum potitur, gemini orbis dominator.

149 PARADISUS TERRESTRIS] Sic passim audit Italia, ob insignes dotes & amœnitates, à quibus eam commendant scriptores, & quas exposuimus in procthesi hujus Sermonis. Quod enim uni Romæ tribuit Propertius, alii ad totam extendunt Italiam lib 3. Eleg 22. ỳ. 18.

*Naturâ hic posuit quidquid ubique fuit.*

VERSAT] Exercet, inquietat. Scitè: somniantes enim finito jam somnio experrecti, solent se in alterum latus versare, & deinde redormientes non rarò in aliud somnium delabi.

150. SOMNIA MATUTINA] Vera, & minimùm fallacia. Ita enim veteribus creditum de somniis quæ fiunt postremâ noctis parte, & jam appetente luce. Theocrit. Idyl. 19. describens Auroram: *cùm & veracium pascitur turba somniorum.* Tertul. l. de anima c. 48. *Certiora & colatiora somniari affirmant sub extremis noctibus.* Ovid. Heroid. 19 Epl. Heron. ad Leand. ỳ. 195.

*Namque sub Auroram, jam dormitante lucerna,*
*Somnia quo cerni tempore vera solent.*

Horatius lib. 1. Sat. 10. ỳ 33.

*Post mediam noctem visus, cum somnia vera.*

Hoc tempore Hector Andromachæ se spectandum prębet, apud Senecam Tragœd. qui ỳ. 436. Troadis disertè ait:

*Partes ferè nox alma transierat duas.*

Rationem reddit Plinius lib 10. C ult. quia somnia tunc puriora, & à vaporibus magis defœcata: nam *à vino*, inquit, *& à cibis proxima, atque in redormitione vana esse visa, propè convenit.* Sententia ergo est: me habet in somniis Italia, quæ spero aliquando rata futura. ALIBI] Quàm in Italia. JUVENESCERE] Ad animos, mores & hilaritatem juvenilem redire. ET HINC] Aggreditur laudationem Italiæ membratim, & auspicium sumit ab urbe Veneta

151. CITIMO ITALIÆ] Parte Italiæ nobis Belgis proximâ. *Citimum*, notat Noster in M. SS. *quod nobis in aliqua distantia est proximum. Sic citima Italia, pro Venetiis.* Sensus est, quod passim auditur Venetiis.

152. OHE, PREME TU, PREME MI] Voces sunt lintrariorum, quos vocant *gondolarios*. Eorum scil. qui lintres aut phaselos (*gondolas* Veneti nuncupant) agunt per liquidas plateas Venetiarum. Urbs enim hæc vastissima, mari Hadriatico inædificata est. Quò spectat lusus J. Cæsaris Scaligeri inter urbes, de Venetiis:

*Pervia barbariciis tellus Oenotria turmis*
*Pertulit impositi pondera dira jugi.*
*Ipsa suos flevit populares Roma Quirites:*
*Sensit & indomita noxia tela manus.*

Haud

*Coccineos glaucum quadraginta Ennosigæum;*
*Adriacâ simul hinc conchâ Tritona cientem*
*Æquora, Nereidesque omnes, hinc littore Panes,*
*Et concurrentes ad sacra epinicia Faunos;*

***Haud tulit hoc Genius: cujus fatalibus ausis.***
*Tutior in medio Roma renata mari est.*
*Clara virum virtus animo: insatiata cupido*
*Imperii: vasta non numerantur opes*
*Juppiter haud temere tua sunt ita dissita cæli*
*Mœnia: si possunt tangere, parte cares.*

Porrò lintrium jam dictorum magna isthic est copia, quos non pauciores LXXX. millibus, si nobilium proprios & conductitios complectaris, scribit Franc. Schottus. Hinc varius & frequens lintrium occursus, à flexu canalium & celeritate cursus periculum creat; maximè ubi gemini canales invicem secant, nec licet videre, ex transverso euripo, an in eumdem angulum concursurus sit phaselus, quia tunc haud temerè collisionem exhorrent. Huic malo ut caveant lintrarii, vociferando *oho*! suum invicem adventum docent; monentque quâ ratione premendus linter, dextrorsum an sinistrorsum, sistẽdus, an duplicata velocitate trajiciendus: quibus significandis serviunt voces linguâ ipsis vernaculâ, *premi*, *tagli* &c. quas hic designat noster. THETIDIS SPONSALIA] Solennem ritum, & annuam pompam hîc illustrat, quibus festo die regressi in cælos Servatoris JESU, Dux Venetus cum purpuratis Senatoribus, Bucentauro, immensi sumptus navigio insidens, comitante ingenti omnis ordinis, ætatis, & sexus multitudine, in altum provehitur, sibique ipsum mare, projecto in illud, arrhæ loco, annulo aureo despondet. Hujus ritus meminit Goropius lib. 9. Venet. & Hyperb. insinuans cognationem inter Venerem & Venetos: *Venerem*, inquit, *ad Venetos mittam, ut tandem intelligant plus rationis ritum eum habere, quo mare quotannis annulo injecto sibi desponsant, quàm quisque hactenus cogitarit.*

153. COCCINEATOS] Purpuratos, coccinatos, per epenthesin *coccineatos*. Est autem *coccus* granum rubens, in tincturam purpuræ; Hesychio granum ilicis, quo punicia inficiuntur: undè & eidem puniceus color *coccus* quoque dictus. Coccus autem generis muliebris arbor vel frutex est, cui grana adhærent ejusmodi; Theophrastus πρῖνος, Plinius ilicem vocat. Inde Dioscoridi κόκκος βαφική, cujus copiam ex Turditania Hispaniæ exportari, auctor est Strabo lib. 3. Est autem *coccineus* color radians ille, & oculos ad jubar solis quodammodò perstringens, ostenditque exuberantiam quamdam, seu splendorem ruboris. Hetruscis *scarlatto*, Belgis *scarlacken*. Estque inter purpureos præstantissimus. GLAUCUM] Cæruleum, ab aquarum colore. QUADRAGINTA] Numerus certus pro incerto: aut respicit judicium quadragintavirale Venetiis, quod Geminum; alterum, quod de civilibus; alterum quod de criminalibus cognoscit. *Corn Vitell* In Merulam cap. 21. ENNOSIGÆUM] Ducem Venetum, mari Adriatico imperitantem, tamquam alterum Neptunum; quem à concutienda terra *Ennosigæum* dictum volunt: ἀπὸ τῦ ἔνοσις, id est concussio, & γαῖα, quod est terra. Unde & Deus terræ motus habitus à priscis Neptunus. Vide Marcel. Donat in Amm. Marcel. l. 17. Juven. Satyr. 10 ℣ 182.

*Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.*

Vide Steph Piphium Herc. Prodie fol. 438.

154. ADRIACA CONCHA] Ex sinu Adriatico lectâ. Norat cantus tubarum in hac pompa, tam ex Bucentauro, quàm ex aliis navibus, mare Adriaticum variè personantes, ad diei ac ritus solennitatem, & publicam lætitiam. TRITONA] Tubicinem, seu omnes tubicines quàm scitissimè hîc tubam inflantes. *Triton* filius & tubicen Neptuni; sed pro tuba concham inflare creditur, quòd diis marinis, marina cedant instrumenta.

155. NEREIDESQUE] Nymphas marinas, Nerei & Doridis filias. Ludit poeticè. HINC LITTORE PANES] Pastores & vicinos rusticos: id est, tubarum cantus, non solum mare, sed etiam terram invitat ad hilaritatem. Notus pastorum deus Pan, de quo Virgil. Ecl. 2. ℣ 32.

*Pan primus calamos cerâ conjungere plures*
*Instituit, Pan curat oves, oviumque magistros.*

156. EPINICIA] Ad festivos cantus, & hilaritatem sponsalium, nihil discrepantia à signis lætitiæ, quæ ratione partæ victoriæ instituuntur. *Epinicium* enim carmen est, vel celebritas, vel epulum pro parta victoria. FAUNOS] Satyros, agrorum & silvarum Deos Virg Geor 1 ℣ 10.

*Et vos agrestum præsentia numina fauni*
*Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ.*

*Dædaleis cælo vellem me credere pennis.*
*Intus ad hoc voveo. Si me, Benace, secundò*
*Porrò revertentem Salonæ incluseris hortis,*
*Riperiæ & jubeas modicis consistere metis,*
*Et metiri oculis Monicam, Pontemque Dusanum,*
*Et Padengæum, Gardam, Lagisum, atque Parencum,*
*Exili patiar, sed amœno carcere cludi.*
*Mirabor fremitum, & montes quos voluis aquarum;*
*Quodque usurpasti, Neptunus ut alter, in Euros*
*Imperium: cantabo tuos sub murmure honores.*

157. DÆDALEIS &c.] Velim aptatis mihi pennis, in morem Dædali, in Italiam avolare, ut Venetam hanc annuę pompę celebritatem, præsens intuear. *Dædali* fabulam disce ab Ovidio lib. 8. Metamorph.

158. INTUS] Tacitè, apud me, in animo meo. AD HOC] Etiam, prætetea. Papin. Theb. 4. ℣. 689. -----*adjuvat ipse*
*Phœbus ad hoc summo.* --- Ter. Adelph. 4 4. 12.
-----*Sat ad hoc tua nos frustrata est fides.*
Ita enim legunt Fabricius & Bernartius, non *adhuc*, ut alii. Florus lib. 3. c. 10. *ad hoc decem & octo castellis.* Et sic emendat eruditorum alpha Lipsius noster l. 1. Hist. Corn. Taciti 26. *Multi ad hoc & innumeri.* Et deinde ait: *Ad hoc Sallustianũ est, & valet, etiam, præterea.* VOVEO] Sanctè promitto. BENACE] Hic ditionis Venetæ lacus est in agro Veronensi, Italis *Lago di Garda*, à Garda oppido, illi adsito. In Septemtrionem ab Austro XXXV. passuum millia, ab occidente in orientem XIV. porrigitur. Procellosus est, & montium instar undas attollit, navigantibus admodum metuendus certâ anni tempestate. Virgil. lib. 2. Georg. ℣. 160.
*Fluctibus & fremitu assurgens Benace Marino.*
Vide Capugnanum in itinerario Schotti.

159. PORRÒ] Deinde, vel postliminiò. SALONÆ] Italis *Salo*, Phil. Cluverio *Salodii*. Platina in vita Martini V. Pont. Max. *Salodii riperiam (ita ripam Benaci vocant) in pretium pollicitus.* Oppidum est ad ripam occidentalem Benaci, quò Benacensium ordines de publicis consulturi conveniunt. *Salo*, inquit Leander, *prænobile oppidum, latinis Salodium nuncupatum, sive longa Salona, terra prælonga & mercimoniis dives.*

160. RIPERIÆ] Quo nomine censetur tractus aliquot oppidorum ad ripam occidentalem Benaci. Italis, *la riviera di salo.* Vide Phil. Cluv. Ital. antiq. l. 1. c. 36. Et licèt non admodum spatiosus, loca tamen habet amœna, fructifera, consita oleis, ficis, malis medicis, massilicis, citreis, aliisque frugiferis; & eâ cæli clementiâ, ut totius Italiæ pulcherrimus esse videatur. *Capugn.* MODICIS METIS] Exiguis spatiis, quia, ut monuimus, tractus non est admodum spatiosus.

161. METIRI OCULIS] Eminus lustrare. Sic Ariadne Theseo apud Nason. Epl. Her. 10. ℣. 28.
*Æquora prospectu metior alta meo.*
Seneca Trag. Troad. ℣. 22.
*Stat avidus irâ victor, & lentum Ilium*
*Metitur oculis.* -------
MONICAM, PONTEMQUE &c.] Oppida littoris Benacensis Leander Albertius in hoc tractu meminit *Padengai*, *Monica* & *pontis Dusani*. Eum consule in sua Gallia transpadana.

162. PADENGÆUM] Italis *padengo*, haud procul Desenriano, frequentissimo illius oræ emporio. GARDAM] Oppidum ad orientalem plagam Benaci, è regione Salonæ, unde nomen lacui inditum, apud Italos: ut suprà ad ℣. 158. diximus. LAGISUM, PARENCUM] Item loca ejusdem tractus. Vide Leandrum loco citato.

163. EXILI SED AMŒNO CARCERE] Lubens me hic claudi finam, ut reliquum vitæ, in loci deliciis, & venustate exigam.

164. MIRABOR &c.] Quia procellosus, & instar maris, ut suprà ad ℣. 158.

165. NEPTUNUS UT ALTER] Tanquam alterum mare. IN EUROS] In ventos.

166. CANTABO SUB MURMURE] Hic carmine te celebrabo, & describam laudes tuas: ut olim Titus Strozius, qui epigramma suum in laudem ripa-

*O campi veri elysii, jucunda vireta,*
*Diviniq́ue lacus! En Trutta atque innatat auro*
*Carpio, Mustellâ, Melicertâ teste, Thymallo,*
*Auratâ potior, Rhombo, Salmone, Solâq́ue,*

riparum Benaci sic claudit ℣. 23.

*Post decimum Titus rediens huc Strozius annum,*
*Hac vobis gratâ carmina mente dico.*

167. VERE ELYSII] Omni amœnitatis genere referti. Loca beatorum in campis Elysiis veteres collocarunt. Virg. lib. 6. Æneid. ℣. 743.

----- *Exinde per amplum*
*Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus.*

Item & Æneid. 5. ℣. 734. --- *Amœna piorum*
*Concilia, Elysiumq́ue colo.* -----

VIRETA] Loca herbarum, vel arborum viriditate, visum oblectantia.

168. TRUTTA] Piscis notus, quem suprà descripsimus Serm. 4. ad ℣. 24. fol. 68. AURO] Aureis arenulis, vel ramentis, aquæ se commiscentibus.

169. CARPIO] Piscis huic lacui proprius. Nam vulgus, piscem eum quem alii carpam, & Belgę *karper* nominãt, malè carpionem appellat: voce Græcâ rectiùs dixeris *κυπρῖνον*, cum Had. Junio. Et favere videtur Aristoteles l. 4. Hist. animal. c. 8. *Aquatilium generi data quidem est lingua, sed imperfecta incerta que; ossea enim, nec absoluta; sed palatum nonnullis carnosum pro lingua est; velut inter fluviatiles Cyprino, ita ut nisi diligenter inspexeris, lingua esse videatur.* Quod certè convenit carpę nostrati. Nonnius de re cibar. l. 3. c. 34. *Italia nobilissimus lacus*, inquit, *Benacus carpiones suppeditat, qui ut nomine carpa nostra affines sunt, ita nobilitate longè illos superant: namque à truttis parùm sunt diversi.* Vulgò creditur, ut scribit Leander, auro vesci in hoc lacu carpio, quod in intestinis excrementa sabulum aurei coloris referunt. Inde Pierius Valer. Poëta Italus:

----- *Aurum carpio carpe tuum.*

Et Titus Strozza ut suprà ℣. 11.

*Quis non aurifero depastos gurgite pisces*
*Laudarit, quos hic unicus amnis alit?*

Sed contra Plempius de tuenda valet. c. 4. n. 92. *Ineptè putatur carpionem auro vesci, quasi Benacus aurifer sit, vel metallum ulli animanti sit pro cibo. Si nomen id, à carpendo auro esse placet, illis potiùs subscribemus, qui sic aiunt vocari, quia carè venit, eoq́ue aurum carpit emptoris.* MUSTELLA] Pisce nobilissimo, de quo Plinius lib. 9. c. 17. *proxima est his mensa generis dumtaxat mustellarum, quas mirum dictu, inter Alpes, lacus quoque Rhætiæ Brigantinus, æmulas marinis generat.* In fluminibus etiam nutriri innuit Ausonius in Mosella. ℣. 107.

*Spumarum indiciis caperis Mustella natantum*
*In nostrum subvecta fretum, ne læta Mosellæ*
*Flumina tam celebri defraudarentur alumno.*

Sed hunc volunt esse lampetram nostram, quæ quibusdam etiam muræna dicitur. Had. Junius Belgicè interpretatur, *lampreye* vel *pricke*. Et favet copiosè Jos. Scaliger in Auson. l. 1. c. 3. & 26. Copiosissimè Lud. Nonnius de re cib. l. 3. c. 32. per totum. MELICERTA TESTE] Deo marino, & littorali, qui Græcis *Palæmon*, Latinis *Portunus* dicitur. Huic enim uti arbitrium in aquis, ita & de piscibus. Vide fabulas, Virg. l. 1. Georg. ℣. 437.

*Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.*

Quibus servati nautæ scil. vota solvunt, ut diis littoralibus, quorum ope littus attigerint. Recenset piscium genera nobiliora, cum quibus confert hunc carpionem. THYMALLO] Pisce itidem nobili, cui nomen à flore. Nam, ut Ælianus Hist. animal. l. 12. c. 49. thymi recenter lecti suavitatem spirat. Celebratur à D. Ambrosio Hexam. 5. & invenitur in Galliæ transpadanæ fluminibus, Athesi, Ticino, Abdua, & Pado. Vide Nonnium de re cibar. l. 3. c. 34.

170. AURATA] Pisce præstantissimo, quem quia amabat Sergius, Orata cognominatus est. Macrob. Saturn. 3. c. 15. *Sergius Orata cognominatus est, quod ei pisces, qui aurata vocantur, carissimi fuerint.* A colore auri in capite dictum volunt; Græci *χρύσοφρυν* appellant. Piscium formosissimum alii, omniumq́ue suavissimum, & ori gratissimum prædicant. Vide Nonnium de re cib. l. 3. c. 24. Martialis probat auratam conchis Lucrinis pastam lib. 13. Lem. 85.

*Non omnis laudem pretiumq́ue aurata meretur,*
*Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.*

Had. Junius Belgicè exponit *Seebrasem*. RHOMBO] Pisce delicatissimo; qui olim, uti & modò ganearum delicię. Had. Junio nostrate linguâ sonat *tarbot*. Juven. Sat. 11. ℣. 120.

*At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,*

 *Nil*

*Elope, & Attilo, & mullo sex millibus empto.*
*Deliciarum æquor, tempe pulcherrima, & horti*
*Alcinoi tibi sunt littus, sunt oppida turres,*

*Nil rhombus, nil dama sapit.-----*
Idem de inusitatæ magnitudinis rhombo. Sat. 4. ✝. 39.

*Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi,*
*Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.*

Vide Nonium lib. 5. cap. 26. SALMONE] Pisce noto, & à nobis descripto Ser. 3. ad ✝. 297. fol. 58. SOLAQUE] Pro soleáque per crasin. sic apud Lucil. lib. 13. num. 6.

*Adde Syracusis sola, pasc-olum alutam.*

Ubi Franc. Dousa, *pro soleas*, inquit, *Syracusanas. ut ficus Zacyntho apud Plautum.* Est autem hoc loco solea piscis planus, formam soleæ, aut linguæ referens, undè & lingulaca Plauto: cui consonat Belgica vox, *tonghe*. Facetè jocatur Plautus ex ambiguo Casin. 2. 8. 61. ubi à sene, inter cetera, pro molliculis opsoniis, petente soleas, quærit villicus: *vin' lingulacas?* Ad quod senex,

---*Quid opus est, quando uxor domi est?*
*Ea lingulaca est nobis: nam numquam tacet.*

Quod aptè in hujus ævi locutuleias torseris, quibus numquam feriatur os. Ab utrâque soleæ & linguæ formâ, piscem hunc etiam nominant Græci *sandalium*, & *buglossam*, quasi soleam & bovis linguam. Quidam distinguunt soleam à lingulaca, ex loco citato Plauti, ut Nonnius l. 3. c. 25 Verùm discrimen istud, cum non possit esse nisi admodum exiguum, non est nobis anxiè discutiendum.

171. ELOPE] Pisce rarissimo & pretiosissimo, utpote qui tantùm ferè in Pamphylio freto capitur, tuncque piscatores se, & lembos suos coronant. Auro contrà venisse quidam tradunt; inde & Nonio *multinummus*, & Epicharmo *multi pretii* piscis dictus est. Ovid. fragm. Halieut.

*Et pretiosus Elops nostris incognitus undis.*

Quidam elopem existimant esse eumdem, qui acipenser: sed refragatur Plinius lib. 32. c. 11. *Elopem quoque Ovidius dicit nostris incognitum undis: ex quo apparet falli eos, qui eumdem acipenserem existimaverunt.* Vide Nonnium l. 3. c. 20. ut & Had. Junium, & apud eum Rondeletium. ATTILO] Pisce nobili & pretioso, quem putat Joan. Britannicus in Juven. Satyr. 14. ✝. 132. esse nostrum stutionem, sed ille probatioribus dicitur acipenser Vide auctores jam citatos. Piscem magnum esse, docet id Plinii lib. 9. cap. 15. *Attilus in Pado, inertia pinguescens, ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec nisi boum jugo extractus.* MULLO] Pisce maximæ nobilitatis & pretii. Quamvis enim binas libras ponderis rarò exuperat, teste Plinio: olim tamen tanto studio à nepotibus quæsitus, ut Tiberius questus sit, tres mullos triginta millibus nummûm venisse. Vide Sueton. in Tib. cap. 34. Per nummos hîc intellige, ex usu prisco Romano sestertios, quorum hæc est nota H-S, valentque singuli, ad monetam nostram reducti, auctoribus Junio & Ponto Heutero, stuferum Brabantinum: & sic tres mulli, de quibus questus Tiberius, constiterint mille quingentis florenis, seu quingentis Scutatis Romanis. Asinius Celer consularis, unum mercatus est, octo millibus nummûm, id est, quadringentis florenis. Plin. l. 9. c. 17 P. Octavius mullum ingentis formæ, quatuor scil. pondo & selibræ, H-S quinque millibus emit: id est, e:: nostra supputatione, florenis CCXXV. vel ut placet Lipsio de Mag. Rom. l. 4. c. 7. Philippeis CXXV. Quare optimè Juvenalis monet tanti esurientes, dum loculi non respondent, sumptuosam hanc famem decoquere. Sat. 11. ✝ 35.

*Noscenda est mensura sui, spectandáque rebus*
*In summis minimisq; etiam tum piscis emetur,*
*Ne mullum capias, tum sit tibi gobio tantùm*
*In loculis.---------*

Putantur mulli, inquit Lipsius loc. cit. fuisse, quos *barbot* hodie, aut *regules marines* nominamus. SEX MILLIBUS] Sestertiûm, sive æris. Id est, trecentis florenis, seu centum Scutatis Romanis. Juv. Sat. 4 ✝ 15. ---*Mullum sex millibus emit,*
*Æquantem sanè paribus sestertia libris.*

Fit ergo jam tandem hæc sententia: *Carpio pastus Benaco*, memoratos omnes pisces immensi pretii, etiam mullum carissimè emptum, palati deliciis antecellit.

172. TEMPE PULCHERRIMA] Qualia illa decantata Thessaliæ loca, nemoribus viridantia, Peneo amne irrigua, &c. vide quæ diximus Ser. 1. ad ✝. 113. fol. 19.

173. ALCINOI] Phæacum Regis, hortorum cultoris non incurii: cui fuere pomaria tantę fertilitatis, ut maturis fructibus, mox novi succrescerent. Virgil. Georg. lib. 2 ✝. 87.

*Pomaque & Alcinoi silva.-----*

Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 10 ✝. 56.

*Præbeat Alcinoi poma benignus ager.*

Alci-

*Castra casæ. Meritò quondam repetita Philippo*
*Brixia dimissas per devia saxa triremes*
*Armari hîc voluit, vicinaque sacra tueri.*
*His ego commotus muto latus, & simul extrà*
*Hinnit equus, properumque Phanen stabularius urget.*

*Alcinoi silva fertiles*, inquit noster in M. SS. Itaque hîc commendat ripam Benacensem, à singulari fertilitate; ut nos jam suprà diximus ad ℣. 160. eam omnis generis malorum esse feracem. OPPIDA TURRES ] Eminus spectantibus, tam ingenti, ac bellâ specie se produnt turres villarum, ut oppida pareant.

174. CASTRA CASÆ] Domus quævis rusticæ vel tuguria, videntur castra, quæ exercitum aliquem capiant. PHILIPPO] Mediolanensium Duce, Galeacii Vice comitis filio, rebus bello gestis clarissimo; qui captam à Venetis Brixiam, pertinaci obsidione pressit. Sed Veneti rem admirandam commenti, triremes, aliaque navalia per Athesim adverso flumine Veronam attracta, per devia saxa, & montium juga, indè in Benacum convectarunt: quo in loco non semel cum Philippi classe congressi, tandem de summa re dimicantes victores evasere: asseraâque sibi Brixiâ, reliquis Benaci oppidis potiti sunt. Vide Sabellicum à lib 9. Decad. 2 usque ad 5. Decad. 3. Hic ille Philippus est, qui Vice comitum postremus, Franciscum Sfortia, post bellum pro Veneris contra se prosperè gestum, desponsatâ filiâ Blancâ, Insubrium terrarum Heredem scripsit.

175. BRIXIA] Civitas in Cenomannis, ad ortum, Benaci ripam; ad plagam occiduam, Bergomum spectans. Dives, ædificiis pulchra & magnifica, lautis & nobilibus civibus inclyta. Post Gothorum vastationem Longobardis & Francis paruit: sub Othone libertatem nacta, à Mastino Scaligero, ob Gibellinorum & Guelforum factiones facilè invasa, tandem sub Azonis Vice comitis Mediolanensis, cjusque successorum potestatem venit; donec sub Philippo, ut suprà, à Venetis occupata, sub eorum ditionem concessit. Postea tamen cæsis ad Ripollam Venetis, Ludovico XII. Franciæ Regi se dedidit. Inde ad Maximilianum Augustum, & ab eo ad Carolum V. nepotem transiit. Haud multò pòst ad Franciscum I. Gallorum Regem, tradente Carolo, ac tandem ad Venetos, tradente Francisco, translata est. *Casp. Contarenus.* De Brixia ludit J.C. Scaliger inter urbes,

*Quæ pingues scatebras speculâ despectas ab alta*
*Postulas Imperii Brixia magna vices.*
*Calum hilarū, frons læta urbi, gens nescia fraudis:*
*Atque modum ignorat divitiis uber agri.*
*Si regeres patrias animis concordibus oras;*
*Tunc poterat dominis ipsa jubere suis.*

PER DEVIA SAXA] Per montium juga, ut suprà ad ℣. 174.

176. ARMARI] Per Venetos quibus parebat. VICINAQUE SACRA] Agros sibi subjectos, & in iis oppida, castella, vicos &c. Metonymicè: nam olim sua cuilibet provinciæ, civitati, vico, genti, domui, propria erant sacra. Inde Hector Æneæ deflagrante Ilio apud Virg. lib. 2. Æneid. ℣. 293.

*Sacra, suosque tibi commendat Troia penates;*
Et apud Plautum *transire in gentem & sacrum.* Item *hereditas cum sacris*, aut *sine sacris* Vide Lips. Comm. in C. Plin. Paneg. & Lambin. in Trinumm. Plauti.

177. COMMOTUS] Persistit in fabula sui somnii, hoc est: ego expavescens atrocia ista bella Philippum inter & Venetos. MUTO LATUS] Corporis partem, in quam incumbebam. Dormientes enim, atroci aliquo somnio excitati, ocyùs se in alterum latus solent conjicere.

178 HINNIT EQUUS ] Freno, ephippio, & reliquâ armaturâ instructus, ad iter comparatus, è stabulo eductus, & jam domini conscensum opperiens; quo tempore equi generosiorea hinnire solent. PROPERUMQUE PHANEM] Solem aut diem properantem; id est monet, jam tempus esse abeundi. *Phanes* Græcis dicitur sol, ἀπὸ τῦ φαίνειν, id est, à lucendo. STABULARIUS] Caupo, pandocheus, & qui equos elocat. Solent enim stabularii ejusmodi, equis suis esse soliciti, ut commodè eodem die redeant ex statione proximâ, vel inde, quò destinantur asportare viatores. Et in hoc conductorem peditem unà dimittunt, qui & viam monstret equitantibus, & equos postliminiò domum reducat. *Stabularius* Latinis dicitur is, qui viantes, & eorum animalia domo seu stabulo suo accipit Seneca lib. 1. De Benef c. 14. *Nemo se stabularii, aut cauponis hospitem judicat.* Vide Lips. in hunc locum. Sic dictus à stabulo, seu

*Ascendo, imperfecta abicit jentacula morsu*
*Et puer & comes, ac nullo certo ordine oberro:*
*Nunc apud Insubres adipalia pascua miror;*
*Nunc Francolini Engonasi sub sidere gentem*
*Ostendit Pater Eridanus; nunc Lauda capit me,*

seu cauponâ, de quibus latiùs infra Ser. 8. ad ℣. 94.

179. ASCENDO] Equum. IMPERFECTA] Jam cœpta, nondum absoluta; id est nondum jentare desiverant. ABICIT] Abjicit. Juven. Satyr. 15. ℣. 16. -------*in mare nemo*
*Hunc abicit, savâ dignum, verâque Charybdi.* MORSU] Adhuc dentibus cibum terentes.

180. PUER] Famulus. COMES] Conductor ille, dux viæ, & comes itineris, Italis *vetterino.* NULLO CERTO ORDINE] Quia scil. propositum Poëtæ, nullo certo ordine, de mox subjiciendis, disserere.

181. INSUBRES] Agros & populos subalpinos, Mediolanensium ditioni, & unà cum amplissima Metropoli, Regi nostro Catholico subjectos. Livius l. 5. c. 35. *Fusis acie Thuscis, haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant* (Galli) *agrum Insubrium appellari audissent; cognominem Insubribus pago Heduorum, ibi omen sequentes loci, condidere urbem; Mediolanum appellarunt.* Urbs hæc uti perantiqua, ita & ubique gentium notissima, bello & pace inclyta, inter primas Italiæ urbes numeranda. Priscam gloriam præferunt stupendç publicarum fabricarum reliquiæ, marmorum inscriptiones, aliaque tam in urbe, quàm agro circumjecto reperta. Inter nobiles urbes eam recensuit Ausonius, ubi ℣. 35.
*Et Mediolani mira omnia. Copia rerum,*
*Innumera cultæque domus. facunda virorum*
*Ingenia, antiqui mores. Tum duplice muro*
*Amplificata loci species, populique voluptas*
*Circus, & inclusi moles cuneata theatri.*
*Templa, Palatinæque arces, opulensque moneta,*
*Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,*
*Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,*
*Mœniaque in valli formam circumdata labro:*
*Omnia quæ magnis operum velut æmula formis*
*Excellunt: nec juncta premit victoria Roma.*
ADIPALIA PASCUA] Prata pinguia, & pastioni exquisitissima. Mediolanenses enim in prospectu longè latèque habent planitiem, in bis centum passuum millia porrectam, Athesi ac Ticino fluminibus instar orbis circumclusam; deductisque inde rivis passim intersectam, tam cæli clementiâ, quam fundi ubertate felicissimam. Varios habuit Dominos; Gallos, Romanos, Græcos Latinosque imperatores, Gothos, Insubres, Italiæ Reges, Imperatores Germanos, Archiepiscopos, Turrianos, Vice-comites, Sfortianos, Austriacos. *Adipale* ab adipe dictum. Sic Erasmus legit *adipales cœnas,* in adagio, *cœna pontificalis,* ubi & *Cerealis,* & *adjicialis.* Cicero Orat. 25. *Optimum quoddam, & tamquam adipale orationis genus.* Alii tamen malunt legere *adipata.*

182. FRANCOLINI] Vico ad oram Padi, sex passuum millia ferrariâ distante. ENGONASI SUB SIDERE &c.] Homines malæ fidei, nequam, fallaces; hoc enim spectare videtur poeta: fortè apud illos dum diversaretur ab itinere, malè, inciviliter, & parum justè habitus, Comperio enim in M. SS. *Engonasi sub sidere nati,* id est, inquit, *schnyfelbauten,* quod latinè ferè sonat, nequam, mendaces, circumventores, malæ fidei, aut parasiti. Hâc phrasi etiam usus Bauhusius libr. 3. Epig. in Aprum Cretensem.
*Engonasi credas illum sub sidere natum,*
*Tam rara in fide proditur ore fides.*
Ceterùm Engonasis sidus est cęleste, quod Latini vocant ingeniculum. De illo Cicero libr. 2. de Nat. Deor. cap. 108.
*Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur.*
Et dicitur etiam Hercules dextro genu nitens, & lævo pede capitis draconis partem dextram proterens. Firmicus apud Rhodig. lib. 7. c. 16. *Oriente ingeniculo, quem Engonasin Græci dicunt, nati cum testimonio Martis & Lunæ, erunt, funambuli, oribata, neurobata, & qui talia pertractant.* Possent itaque Francolinenses, hîc intelligi, funambuli, aut aliud quodvis; sed istud mibi non paret verosimile. Tu lector elige: Davus hîc sim, non Oedipus: quamquam inter præstigiatores ejusmodi, & circumventores, ac Cretenses vulgò ne hili discrimen esse sentiant.

183. ERIDANUS] Padus: Italis, *il Po.* Flumen maximè celebratum, Lombardiam in cis, & transpadanam dividit. Oritur in Alpibus Galliæ proximis, haud procul Vesulo monte, & per Lombardiam decurrens, in mare Adriaticum devolvitur.

vitur. Ictum Jovis fulmine Phaëtontem, in hunc amnem corruisse volunt poetæ. *Patris* epitheto decoratur à poëta, quod illud ferè sit fluminum. Virgil. Eridanum describens l. 4. Georg. ṽ. 368.

*Vnde pater Tyberinus, & unde Anienа fluenta,*
*Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caïcus,*
*Et gemina auratus taurino cornua vultu*
*Eridanus: quo non alius, per pinguia culta,*
*In mare purpureum violentior influit amnis.*

Lauda] Italis *Lodi*, oppidum ad partem ferè orientalem Mediolani, unde xx. Pass. Mil. distat, medio fere itinere indidem Cremonam versùs. Adduâ flumine alluitur, multisque commodis affluit: cæli temperie, aërisque salubritate, & segetum fertilitate viget; pratis opulentissima, optimo caseo abundans, unde plerique civium quæstum faciunt. Isthic enim præstantissimi casei, quos passim Parmenses dicimus, conficiuntur, & in omnes orbis plagas, ingenti mole famæ, ac ponderis exportantur. Oppidum est agri Mediolanensis, paretque Regi nostro Catholico.

184. Verona] Ecce quam nullo certo ordine oberrat: iterum ad orientem ultra Benacum Veronam adit, urbem Italiæ nobilem & antiquam, utpote quæ à priscis Hetruscis Originem habet. Modò sub Venetorum ditione, ad ortum Patavium, à meridie Mantuam, ab occidente Brixiam, à septemtrione Tridentum respicit. Athesi amne, non tam dividitur, quàm munitur & circumagitur. Silius lib. 8. ṽ. 597.

*Tum Verona Athesi circumflua.-----*

Jam olim claram magnamque extitisse indicat Martial. lib. 14. Epig. 195.

*Tantum magna suo debet Verona Catullo,*
*Quantum parva suo Mantua Virgilio.*

Mille antiquitatum vestigia, veterem testantur magnificentiam & divitias. Lege Onuphrium Panuinium civem Veronensem, fratrem Eremitam S. Augustini, omnis antiquitatis indagatorem solertissimum, in opere, quod *Antiquitates Veronenses* inscripsit. Ticinum] Iterum ad occidentem deflectit, ad agrum Mediolanensem, ubi Papia seu *Ticinum*, urbs clarissima, quam flumen Ticinum alluit, haud procul à Pado. Ejus meminimus Serm. 3. ad ṽ. 82. Alii à Levis & Maricis Liguribus, alii à Gallis Boiis, ac Cenomannis conditum volunt. Regia Longobardorum diu fuit. Huc enim Luithprandus Rex exuvias S. Augustini, quas, magnâ argenti mole, à Saracenis in Sardiniâ redemerat, transferri voluit, & in æde D. Petri collocavit: cui modò utrumque latus claudit, geminum cœnobium Eremitarum scil. & Canonicorum Ordinis S. Augustini; qui alternis mensibus, uti sunt carissimi hujus Thesauri custodes, ita & sacris ibidem officiis defunguntur. Academia hic est à Carolo magno, uti quidem creditur, instituta. Populus numerosus, & ad arma expeditus. Paret Regi Catholico, & à memorabili clade, ac captivitate Francisci primi, sub Carolo V. Imperatore, ut diximus suprà loco citato, per orbem celebratur. Mantua] Rursus ad orientem, ubi *Mantua*, de antiquitate cum quâvis Italarum urbium certat. Ante Troiæ excidium quidam conditam fuisse contendunt. Originem ejus Ocno antiquissimo Hetruscorum regi adscribunt, voluntque conflatam esse ex tribus nobilissimis populis, nempe Thuscis, Thebanis, & Venetis: quod ipsum non obscurè in patriæ suæ gloriam significat poëtarum princeps, Æneid. lib. 10. ṽ. 198.

*Ille etiam patriis agmen cies Ocnus ab oris,*
*Fatidicæ Mantus, & Thusci filius amnis;*
*Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen:*
*Mantua dives avis: sed non genus omnibus idem.*
*Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;*
*Ipsa caput populis, Thusco de sanguine vires.*

Civitas est bene munita, quia in medio paludum, quas Mincius, ex Benaco egressus, creat. Ædificiis publicis privatisque perampla, rectis & spatiosis plateis admodum decora, & venusta. Varios sortita est dominos, ut omnes ferme Italiæ populi. Hodie paret Duci suo, mercibus omnis generis, rebusque necessariis abundans. Parma] Cisalpinę Galliç urbs inclyta, xxxv. Pass. Mil. Placentiâ distans, in plano viæ Æmiliæ. A parmâ, id est, scuto, quo pedites utebātur, ob situs formam, apud probariores nomen invenit: vel quòd cives semper habuerit nobiles, Martios, & animosos; ingenioque ad litterarum studia, & regendam tam civilem, quàm rem militarem aptissimo. Populo frequenti, & principum palatiis eminet; fœcunditate & amœnitate agri gaudet; optimi olei, lactis, & casei copiâ nusquam terrarum non innotuit. Multis dominis subfuit: sed tandem post *Scaligeros, Atestinos, Vice-comites, Galeacios, Sfortias, Gallos*, à Paulo III. P. M. Duces accepit *Farnesios*, gentem tam belli, quàm pacis artibus inclytam, & civium saluti natam. Floret hic etiam doctissimorum virorum Academia, publicumque Gymnasium à Raynutio Duce erectum. Eam sic extulit Jul. Cæs. Scaliger.

*Inventum mediis præclarum nomen in armis*

185. *Detinet exacto comis Ferraria more,*
*Allicit hærentem ceu lauta Bononia cultu:*
*Nec Ligurum oblitus, per sanctum Petrum in arenâ,*
*Festino Genuam fabricisque opibusque superbam;*

*Prædita quæ sit gens ignea Marte docet.*
*Ingenium rapidum facili flammatur ab ira;*
*Sed viget in parulo pectore purus amor.*
*Magnanimo, pretium est, non displicuisse pudori.*
*Hoc satis. Officiis cedere turpe putat.*

185. EXACTO] Ad omnem legem ingenuæ honestatis, & urbanitatis composito. COMIS] Hoc enim elogio decoratur ab Italis, & ferè sonat sic: *Bologna grassa, e Ferrara civile.* FERRARIA] Haud procul Pado civitas, quæ ad Septemtriones, agrum Mantuanum; ad Occidentem, Cremonam; ad Meridiem, Bononiam; ad Orientem, Adriaticum respicit. Publico omnium disciplinarum Gymnasio, nobilium opulentiâ, civium locupletum frequentiâ, pulchris & magnificis ædificiis, peramplis & apertis plateis inclyta, & inter principes Italiæ civitates numeranda. Marchionum Atestinorum, maximè Nicolai III. & Herculis I. curâ & sumptibus crevit. Clementis VIII. P. M. operâ ditioni Apostolicæ anno CIƆ. IƆ. XC. VIII. restituta est.

186. ALLICIT HÆRENTEM] Aliquot dierum consuetudine factâ. LAUTA] Ob rerum ad victum necessariarum incomparabilem ubertatem, audit vulgari elogio *pinguis*, Italicè *la grassa*, ut jam audivimus. BONONIA] Civitas maxima, ad radices Apennini ad meridiem constituta. Ravennam ad Orientem spectat, Galliam Cisalpinam ad Occidentem, Ferrariam verò ad Septemtrionem. Vastis & superbis ædificiis, ac passim porticibus quasi domorum prostibulis tumet: antiquissimâ & celeberrimâ per orbem Europæum Academiâ, virisque litteratissimis celebratur. Leguminibus, oleribus, omnisque generis segete, vino universæ Italiæ delicatissimo, fructibus, avium aucupio, ferarum venatu, optimorum piscium pænè quotidianâ copiâ, adeò nominata; ut meritò lauta dici debeat. Urbs est vetus, ac primùm Hetruscis, deindè Gallis & Romanis, Græcia, Longobardis, exarchis Ravennatibus paruit: posteà libertatem nacta, ob civiles motus summo Pontifici se submisit; deindè Pepulis, Vice-comitibus, Bentivolis subjecta; tandem iterùm sub obedientiam Romani Pontificis concessit. Carolus V. Aug. Hic à Clemente VII. P. M. Imperii diadema suscepit.

187. LIGURUM] Indigenarum agri Genuensis, quem Itali vocant *la riviera di Genoua.* Eos Macra amnis ab Hetruscia dividit. A meridie mari infero seu Ligustico tuti sunt. Ab occasu Varum amnem, & Alpium juga ad Padi usque fontes, indè ipsum Padum & Apenninum à Septemtrione, uti & Apenninum cum Cis-apenninis Liguribus, & parte Æmiliæ ab oriente respiciunt. Longitudo oræ maritimæ ad CC. pass. mil. hodie extenditur. Solum illis asperum & jejunum, quod tamen laborum & molestiarum assiduitate, ita paret colonis; ut fruges rarissimas producat. Virg. Georg. l. 2. ✝. 168.

*Assuetumque malis ligurem.-----*

Gentis descriptionem lege apud Diodorum Siculum lib. 5. c. 39. SANCTUM PETRUM &c.] Bononiâ revocat se ad oram maris Ligustici per Apenninos vertices, facitque iter ferè CLXX pass. mill. quasi novum ex Belgio, aut Galliâ Romam versùs, per Liguriam iter instituat: sed hoc errantis, ut præfatos est. Nam alioquin non scitè ordinasset, omnes Italiæ regiones, nisi facto frequenter reditu, ad eadem loca: quod planè fuisset indecorum, & genii sui elegantiis indignum. Designatur itaque hic locus in ora maritima, ad occidentalem urbis plagam, quem Itali dicunt, *S. Pietro di arena,* vix ultra alterum lapidem; sic dictus ab arenosis collium jugis, qui à tribus mundi regionibus Genuam ambiunt. Hîc nobiles habent suas villas, quæ continuò ferè duûm milliarium spatio, suburbio conjunguntur. Hinc mirabili oculorum illicio spectes magnificentissima urbis palatia, quæ potiùs Regum esse dixeris, quàm privatorum.

188. GENUAM] Liguriæ Metropolim, quam etiam Januam quidam nuncupant. Civitas est per orbem celeberrima; in littore condita hemicycli formâ; collibus undique cincta, nisi quâ mare spectat; arce, ad Septemtrionem editissimo loco collocatâ, formidabilis. Portum habet amplũ & munitum, vias celebriores spatiosas, domos pulcherrimas & excelsas. Tantâ populi frequentiâ incolitur, ut publicarum viarum transitum non rarò remoretur. Civium opulentiâ, mercaturâ, navigandi peritiâ & studio, cum primis Europæ populis de palma decertat. Undè fortunis

*Et reficit tandem lassum Florentia bella.*

190. *Si lubet hîc mecum paullum requiescere, mensam*
*Inveniemus, olus, bulbos, pyra, citrea, ficus,*
*Fœniculum, lac, pulmentaria, caseum, & offas;*
*Interdum vituli quidquam, sine carne frequenter;*

nis suis, dotibusque clara; Italis audit. *Genoua di superbia altiera piauta.* De illa canit J. Cæsar Scaliger inter Urbes.

*Ditis opes Asiæ, & claros orientis honores,*
*Quantaque ab Euxino tunditur ora sale.*
*Pisanas acies, Thusca decora inclyta pubis,*
*Extraxi ad Ligures Gallica signa manus.*
*Subjectis demitas tenui cervicibus Alpes:*
*Et tremuit nostras Africa dura trabes.*
*Afflictus toties Venetus, qua fugerat olim,*
*In patriis metuit tela petitus aquis.*
*Frustra Galle cupis: frustra es bellator Ibere:*
*Frustra sæva ferox Insuber arma capis.*
*Vinco ego, cum vincor: par est victoria damno:*
*Sumque eadem domina, servaque facta mea.*

Nobilitas pervetusta, illustris, & frequens hanc urbem nobilitat. Tradunt enim tabulis publicis, hîc aliquando censas fuisse 10. LXIV. Nobilium familias; inter quas illustrissimæ & principales, quæ per orbem celebrantur, gentes d'Auriarum Spinolarum, Pallavicinorum, ac Cybo: quæ postrema, haud primis cedens, antiquissimæ originis Græcæ, ἀπὸ τῶν κύβων, id est à cubis, quos avitus umbo colore rutilus, in transversâ, quæ ipsum secat, fasciâ, alternis cæruleis & albis, æquatisque spatiis confectos distinguit, nomen avitum hac in urbe retinuit; cum tamen gens eadem Neapoli in Tomacellorum nomen immigraverit. Huic ob decumana in patriam merita, ac inprimis Guilelmi Cybo, quòd maximè ardua legatione ad Clementem IV. P. M. In rem urbis suæ felicissimè perfunctus esset, rarum ac primum decus de publico donatum, ut crucem purpuream, in areâ argenteâ, quæ Genuensium insigne, clypeis suis insertam circumferat, & in posteros transcribat. Hæc verè innocentem, comem, & pacis studiosum extulit pontificem INNOCENTIUM VIII. ac hodie Eminentissimum D. ALDERANUM S.R.E. Cardinalem, Episcopum Tusculanum, ac primum rerum Apostolicarum administrum, Principem orbis Christiani bono natum, justitiæ severum vindicem, artium & bonarum litterarum fautorem, humanitatis Innocentianæ heredem, bonorum omnium protectorem. Deus illi de nostris.

189. FLORENTIA BELLA] Ex liguriâ in Herruriam abripitur, ubi caput provinciæ *Florentia*, quæ passim audit *Bella*, ob summam pulchritudinem, nitorem, & viarum magnificentiam. Consensu & famâ totius Italiæ obtinuit isthoc: *Fierenza bella, tutt' il volgo canta.* Æquali loco sita, Arno amne intersecatur. Ad orientem & septemtrionem collibus amœnissimis, & arborum fructiferarum copiâ floret. Ad occidentem pulchram tenet planitiem; ab Apennino contra incursiones tuta. Ædificiis nobilissimis, tam publicis quàm privatis, infinitis palatiis, villisque suburbanis regio sumptu exædificatis, superbit. Humanitate omnes Herruscos superat. Primum Romanis, deinde post Gothorum devastationem, binis annuisque Coss. & Decemviris, post octoviris, ac tandem reipublicæ formâ sæpenumero immutatâ, genti nobilissimæ Medicæorum, auctoritate Caroli V. Aug. subjecta est. Concilio Oecumenico, & pandectis Juris Civilis emendatissimè in veteribus membranis latino stylo scriptis, cujus apud doctos præcipua auctoritas; pictoribus, sculptoribus, architectis, aliisque artificibus illustris. Hodie sub magno Duce & Principe Cosmo III. bonarum artium fautore munifico, ita floret, ut non tantùm totius Italiæ, sed & omnis Europæ palestra dici queat.

190. REQUIESCERE] Suspenso itinere dies aliquot subsistere; ut otio, vires corporis & animi, ad longiorem viam instauremus. MENSAM] Mensæ fercula & edulia, ut sequitur.

191. BULBOS] Cæpas vel porrum: vide quæ diximus suprà de *Bulbo* Ser. 3. ad ℣. 206. fol. 49.

192. FŒNICULUM] Stolones & coliculos, qui à caudice subterraneo fœniculi avelluntur, & vel cocti, vel crudi mensis inferuntur. PULMENTARIA] Quodvis, ex jam nominatis, in modum pultis apparatum, & jussulentum. Vide quæ de pulmento suprà diximus Ser. 5. ad ℣. 123. fol. 103. OFFAS] Panem jure maceratum, aut quodvis aliud massæ simile. Vide quæ dicemus infra Serm. 8. ad ℣. 35.

193. VITULI] Carnis vitulinæ. Indicat Flo-

 renti-

*Observanda Patri Samiæ quæ fercla coquinæ.*
*Atque utinam nostris foret hæc adnata ministris*
*Sedulitas, dum multa, & perfunctoria in unam*
*Conglomerant mensam, pretio, non arte petita.*
*Florentinus amat modicum & bonum, ut integra penè*
*Italia, ex aliâ erigitur queîs parte voluptas.*
*Non ut edant vivunt, sed edunt, ut vivere possint.*
*Nec tamen altilium populum hunc penuria adegit*
*Vivere sordidiùs, frugi vel mater egestas;*
*Divitiis, animis, & rerum copiâ abundant.*
*Verùm insigne gulæ quoddam moderamen: amicos*
*Lautitiâ, obsequio, affectu venerantur; ob illos.*

rentinos delectari vitulinâ,& mensâ ex solis terræ frugibus comparatâ.

194. PATRI SAMIÆ COQUINÆ] Futuro patri, aut domino convivii jam præscripti: id est, sodali meo, jam ad extruendum epulum Pythagoricum, omnium punctis condemnato, ut suprà ℣. 123. Pythagoras *Samo* insulâ oriundus. Inde & ipse *Samius*, & sectatores ejus *Samii* dicti sunt, non minùs quàm Pythagorei. *Coquina* veteribus, teste Nonio, fuit culina: uti enim à colendo culinam dictam volunt, ita & à coquendo coquinam. Arnob. l.4. adversus Gentes: *Per humani generis coquinas currit.*

195. NOSTRIS] Cocis, vel ancillis focariis in Belgio; aliisve quibus cura instruendæ, ac opimandæ mensæ: eorum enim plerisque satiùs videtur, à copia, & pretio cibariorũ, quàm ab arte scitè condiendi,& coquendi, convivis gratificari.

196 PERFUNCTORIA] Remissè, oscitanter, & perfunctoriè apparata.

197. CONGLOMERANT] Tantâ copiâ cibos in mensam conjiciunt, ut centum aliis pascendis pares sint, & patinarum numero ac congerie, eosdem ita condunt, ut à convivis videri quandoque, multò minùs carpi queant. PRETIO NON ARTE] Opsonia pretio magna, non arte aut condimento suavia; quasi verò, ut est apud Juven. Satyr. 11. ℣. 16.

-----*Magis illa juvent, quæ pluris emuntur.*

198. MODICUM ET BONUM] Vulgatum isthoc hodie, usurpamus tunc in primis, quando rem magis à bonitate, quã copiâ laudare intendimus.

199. EX ALIA ERIGITUR] Quibus aliunde quæritur voluptas, & genio obsequendi occasio.

200. NON UT EDANT &c.] Id est, ingluviei, aut gastrimargiæ minimè dediti. Dictum Socratis apud Laërtium lib. 2. c.5. & Macrob. Saturn. l.2. c ult. *Multos homines propterea velle vivere, ut ederent & biberent; se bibere atque esse, ut viveret.*

201. NEC TAMEN &c.] Nec ciborum nec æris penuriâ laborant, ut cogantur sordidiùs cœnare. ALTILIUM] Animalium omnis generis, quæ vel domi, vel in villis aluntur, & saginantur.

202. FRUGI MATER EGESTAS] Paupertas parcimoniæ & frugalitatis parens: cui enim census non suppetit, cogitur vel ingratis abstinere.

203. DIVITIIS &c.] Divites, generosi, & rerum copiâ abundantes: nequis fortè nostratium, aliorúmve domi desidentium, illis sordes, & compendii studia, vel paupertatem affingat.

204. GULÆ MODERAMEN] Quo coërcent, refrenant, & moderantur gulam, & nimiam liguritionem, ut animo & corpori bene sit.

205. LAUTITIA] Eduliorum; id est cibis exquisitissimis & maximè delicatis. OBSEQUIO] Officiosâ dapum carpturâ, rerum commodarum subministratione, incommodarum amotione; promptèque accurando ea, quæ scit amico hospiti allubescere. AFFECTU] Benevolentiâ, & amore. Inde enim hospitalitas, inde convivia omnem laudem ducunt, quam derivent in convivatorem.

206.

*Instituunt festum triplex, capiuntur alaudæ,*
*Et turdi, & merulæ. Spumanti hæc dico labello:*
*Crediderint facilè experti. Mox horticolas, &*
*Apenninicolas si ficedulas, & ab* est, est,

206. INSTITUUNT FESTUM TRIPLEX] Magnum epulum, quale fiat primoribus feriis & festis. Qui preces horatias,quas canonicas vocant, recitant, aut decantant; metiuntur dies festos à ritu, quem vel simplicem, vel semiduplicem, vel duplicem, item duplicem primæ classis, vel triplicem nominant. Utitur hâc phrâsi Ecclesiasticâ Scholirius, quo innuat institui festum epulum primi ordinis aot classis, dum Florentini amicum hospitem suâ mensâ excipiunt. ALAUDÆ] Quas galeritas, & cassitas etiam nominant, ab apice in modum galeri, aut cassidis,cristato Italis *lodole*, nobis Belgis, *leeuwercken*. Geminum illarum genus disces apud Nonnium de re cib. l.2. cap. 29.

207. ET TURDI ET MERULÆ] Notæ significationis aves, quæ tam copiâ quàm saporis gratiâ, uti maximè commendantur io Italia. Ita & ex usu familiari mensas ornant, & condiunt: maximè dum hospitis gratiâ, aut proprio convivatoris, aut familiarium labore captæ sunt. *Turdi* aves delicatæ, magnitudine merulis pares, quas veteres olim in ornithonibus, seu aviariis ex arte saginabant. Unde optimè Horat. l. 1. Epl. 15. ℣. 40.

----- *Si qui comedunt bona, cùm sit obeso*
*Nil melius turdo, nil vulvâ pulchrius amplâ.*

Martialis lib. 13. Lemmate 92. *Lepus.*

*Inter aves turdus, si quis me judice certet,*
*Inter quadrupedes gloria prima lepus.*

Visci quidam aluntur semine, unde viscum ab eorum excretis conficiunt, quo deinde capiuntur. Et hinc adagium: κίχλη χίζει αὐτῇ κακόν: id est, *turdus ipse sibi malum cacat.* Italis dicuntur *tordi*, Brabantis *lysters*. *Merulæ* aves nigræ, & cantatrices, nomen invenerunt à *mero*, quod sint solivagæ & solitariæ. *Merum* enim,ut placet Festo, antiquis *solum* dicebatur. Sepore,& corporis paritate turdi sunt; unde & Romæ passim turdis mixtæ, & eodem filo copulatæ veneunt. Adusto pectore olim mensis illatas fuisse indicat Hor. lib.2.Sat.8.℣ 90. -----*Tum pectore adusto Vidimus & merulas poni,& sine clune palumbes.* Græcis dicuntur κόψιχοι, Italis, *merli*, nostratibus *meerlen*. SPUMANTI LABELLO] Cum sensu, & imaginarii gustus voluptate. Ubi enim sermo, visus, vel quodvis monumentum cupediarum, appetentes sibi salivam cient, & os spumoso humore colluunt. Indè inter adagia celebratur: *salivam movere*; quod est alicui gustum,vel gulam proritare. Imò & *saliva* quandoque pro ipso gustu, vel sapore usurpatur. Sic Plinio l.14. c. 6. *Saliva vini.* Et Persio *turdorum*. Ita enim legas Satyr. 6. ℣. 24.

*Nec tenuem solers turdorum nosse salivam.*

Imò & aliò isthoc torsit Juven. Sat.9. ubi sic de scelerato cynedo ℣. 35.

*Quamvis te nudum spumanti virro labello*
*Viderit, & blanda assidue &c.*

Auctor noster in M. SS. exponit phrasim haoc Belgicè: *met eenen waeteraechtighen mont.*

208. EXPERTI] Qui in Italiâ earum avium suavitatem, & probitatem, aliquando degustarunt. HORTICOLAS] In hortis nidificantes, ludentes, & pastum quæritantes.

209. APENNINICOLAS] Io jugis vicinorum collium montis Apennini. Silius lib. 5. ℣.626.

*Apenninicolæ fugère ad littora Fauni.*

Apenninus is mons est, qui universam, quâ in longum patet, Italiam mediterraneam dividit. De illo Lucanus lib. 2. ℣. 399.

*Mons inter geminas medius se porrigit undas*
*Inferni superique maris: collesque coërcent*
*Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ,*
*Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.*

FICEDULAS] Aviculas illas obesulas,quas mense Augusto,locupletiores in Italia mensis suis,assas, & à veru adhuc stridulas, imponunt, & solidas mandunt. Illis vocantur *Beccafichi*. Exquisitum pol edulium,& Jovis palato dignum. In hac Belgica nostra non facilè reperias: unde miror doctissimum Had. Junium ficedulas nostrate lingua interpretari,*snappen*,aut *sneppen*; quę classicis scriptoribus sunt gallinagines. A ficuum esu nomen habent, quarum apud nos non suppetit copia: uvis tamen etiam vescuntur avidè. Sic enim Mart lib. 13. Lemm. 49.

*Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,*
*Cur potius nomen non dedit uva mihi?*

ET AB EST, EST.] Vinum præstantissimum, quod Monte Faliscorum nascitur in Hetruria, vulgò *Moscatello di Monte-fiascone.* Illud hâc periphrasi descri-

*Quod tragicam ducit famam, perpendo Falernum*
*Unius Pauli; Rhenanum Semiphilippi*
*Non mihi displiceat vulgari passere pleno?*
*Aspra per Apruti videor juga tendere demum*
*Sulmonem; insolitis ac mox afflarier auris:*
*Atque salutato reverenti corde Poëtâ,*
*Offert se nobis oleis Campania felix.*

describit Noster, à fabula notissima quā subjicio.

210. TRAGICAM FAMAM] Fatalem & tragici eventus nuntiam: nimirum à bibaculo quodam, qui hauriendo affatim de hujate vino, vitam finiit. Nam is, ut transibat sæpiuscule, cum per Montem Faliscorum iter faceret, famulum præmittebat, omnes oppidi cellas lustraturum, ad delectum optimi vini. Quod ubi is repperisset, foribus œnopolii inscribebat hæc elementa: EST, EST. Quo signo herus de bonitate vini securior factus, illic diversabatur, & Baccho de suis donis largiter libabat. Domino his sacris immortuo, famulus hoc epitaphium scripsit, quod etiam nunc cippo insculptum ab exteris legitur. EST. EST, ET PROPTER NIMIUM EST, HIC IO. DEUC. DOMINUS MEUS MORTUUS EST. Hinc tracta *fama tragica*, de quâ noster. FALERNUM] Vinum naturâ & ætate generosum, quale olim in agro Campaniç Falerno, de quo vide infrà ad ✠ 220. Hoc vini genus, lymphâ non restinctum, vocat indomitum Persius, Satyr. 3. ✠. 3.

*Stertimus, indomitum quod despumare Falernum*
*Sufficiat, quintâ dum linea tangitur umbrâ.*

Id est, usque ad undecimam nostram, seu horam unam ante meridiem.

211. UNIUS PAULI] Quod unico isthic Paulo prostat. *Paulus* autem quem & sine discrimine *Iulium* nominant, nummus argenteus Papalis est in Italia; ubi ferè valet, quod apud nos solidus, nummus itidem argenteus sex stuferorum Brabanticorum. RHENANUM] Vinum generosum, quod in vineis Rheno adsitis, in Germania nascitur, de quo egimus suprà Ser. 5. ad ✠. 172. magnoque apud nos in pretio est. SEMIPHILIPPI] Quod passim, in diversoriis Antverpianis, venit medio *Philippeo*. Valet autem Philippeus noster solidos vel Paulos octo. Intellige hic demensum ordinarium, Brabantis *Pot*, Italis *Boccale*, Latinis sextarium, seu ut alii *Battiolam* Plauti Stich. 5. 4. 12. nisi malis cum Turneb. lib. 16. c. 11. *Batiacam*, vel ut Had. Junius *Baucalium* Aphrodisæi.

212. NON DISPLICEAT] Ob pretii excessum, & imparitatem, si conferatur cum nectare Italico, quod emitur pretio tam tolerabili, ut non plus pendas in quaternos sextarios isthic, quam apud nostrates in unum. PASSERE] Avibus minùs exquisitis, fringillis nostris, vulgò *vincken*, nulla ratione conferendis cum ficedulis.

213. APRUTI] Regionis, quam Latini olim Samnium, nunc Itali vocant *Abruzzo*. Finitimos habet Apulos, Daunios, Sabinos, Picentes, Campanos, Marsos, Æquicolas &c. Cæli salubritate, & incolarum frequentiâ gaudet, sed montibus aspera.

214. SULMONEM] Oppidum in Pelignis, Ovidii Nasonis natalibus celebratum. Ipse de Ponto lib. 4. Eleg. 14. ✠ 49.

*Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo.*

Et 4. Trist. Eleg. 10. ✠. 3.

*Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis.*

INSOLITIS AURIS] Ab aeris salubritate, aut croco illic affatim crescente ac olente: vel certè ab aquis, propter duorum amnium confluentes; qui uno alveo inde in Aternum defluunt. Ovid. l. 4. Fast. ✠ 685.

*Hàc ego Pelignos natalia rura petebam,*
*Parva sed assiduis humida semper aquis.*

Et libro 2. Amor. Eleg. 16. ✠. 1.

*Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris;*
*Parva sed irriguis ora salubris aquis.*

Nisi mavis Poëtam nostrum, quem scimus sedulum Nasonis lectorem extitisse, ob amorem illius ab hoc cælo teneriùs affectum, quàm alibi.

215. SALUTATO POETA] Salutatâ & lustratâ poëtæ Nasonis patriâ, ob cultum quem huic deferunt litterati.

216. OLEIS] Ex quibus oleum præstantissimum, inprimis id, quod ibidem nascitur in agro Venafrano. Plin. lib. 15. c. 2. de oleo: *Vulgò principa-*

*Et Cerere & Baccho, ac vernans bis floribus anno.*
*Nos properè angustas sub monte recludere valvas,*
*Et cantatricis Divæ succedimus arvis.*
*Nec procul assurgit generosâ vite Falernus*

*cipatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe, maximè agro Venafrano, ejusque parte, qua Licinianum fundit oleum; unde & Licinia gloria pracipua oliva.* Licinianum autem optimum genus olei est. Mart. lib. 13. Lemm. 101. de Venefrano.

*Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri.*
Flaccus noster lib. 2. Satyr. 4 ℣. 69.

*Pressa Venafrana quod bacca remisit oliva.*
Oppidum Campaniæ fuisse *Venafrum* docuimus supra Serm. 3. ad ℣. 297. fol. 58. in finibus Campaniæ versus Septemtriones collocat Phil. Cluverius Ital. antiq. l. 4. c. 5. CAMPANIA] Italiæ regio contermina Latio, cujus modò Metropolis Parthenope, sive Neapolis, olim Capua; Liri & Silaro fluminibus, ac mari Tyrrheno, Samnitiumque montibus terminatur. Terra si quæ alia, priscis decantata. Florus lib. 1. c. 16. *Omnium non modò Italiâ, sed toto terrarum orbe pulcherrima Campania plaga est. Nil mollius cælo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideò Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & Avernus quadam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius. Ætnai ignis imitator. Vrbes ad mare, Formia, Cuma, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, & ipsa caput urbium Capua. quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.* Lipsius in cap. 2. Senec. de tranq. animi: *Campania nihil, nisi cæli solique delicia.* FELIX] Rectè: nam id nomen sola post Arabiam felicem obtinuit, ob fructuum frumenti, vini, ac olei feracitatem, & ubertatem prodigiosam, locorumque & hominum frequentiam, amœnitatem & amplitudinem. Hodie vocatur in Italia, *terra di lavoro*; à nobiliore illius parte Laboria: estque nobilissima portio Regni Neapolitani. Pleniorem descriptionem tibi reddent sequentia.

217. CERERE ET BACCHO] Frumento & vino, ut suprà. Plin. l. 3. c. 5. *Hinc felix illa Campania est. Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, ac temulentiâ nobiles, succo per omnes terras inclyto, atque ut veteres dixere, summum liberi patris cum Cerere certamen.* Virg. l. 2. Georg. postquam de fertilitate vitium, pascuorum, & segetum meminisset, ait ℣. 224.

*Talem Dives arat Capua, & vicina, Vesevo*
*Ora jugo, & vacuis Clanius non aquus Acerris.*
Propert. Libro 3. Elegiâ 5. ℣. 5.

*Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.*
VERNANS BIS] Florus suprà ad ℣ superiorem: *bis floribus vernat*: cum nihil hoc solo uberius; ideòque non tantùm Liberi & Cereris, sed & Palladis certamen; propter oleas, ut optimè Stadius observavit. Quò spectat & istud Varronis de re rust. lib. 1. init. *Quod far conferam Campano? Quod triticum Apulo? Quod vinum Falerno? Quod oleum Venafro?*

218. ANGUSTAS VALVAS] Montis Pausilypi, qui pertusus infernè per intima viscera, passus ferè mille, viam præbet Puteolis Neapolim commeantibus. Fores cavernæ non ultra duodecim latitudinis, totidemque altitudinis distenduntur. De hoc monte egimus Serm. 3. ad ℣. 79. fol. 37. de nomine ac deliciis infrà ad ℣. 292. RECLUDERE] Recludebamus, seu ego somnians videbar eas mihi valvas permeare cum sociis.

219. CANTATRICIS] Sirenis Parthenopes. ARVIS] Neapoli, quæ à parthenope Sirenum unâ, cantu nominatissimâ nomen invenit. Vide suprà fol. 37. citatum Silium, Serm. 3. ad ℣. 81.

220. FALERNUS] Massicus mons agri *Falerni*, optimi vini ferax, Neque enim alius mons est in agro Falerno quàm Massicus. Et sic exponendum censet Martial lib. 12. Epig. 57. ℣. 22.

*Nec in Falerno colle major autumnus.*
Phil. Cluverius Ital. antiq. l. 4. c. 5. Item & alios quoscumque qui montis *Falerni* meminere; licèt frequentius apud veteres audiat ager Falernus. Putat autem idem auctor à Massico monte Falernum agrum incepisse, protensumque fuisse ad Vulturnum usque flumen. Videtur tamen Florus Falernum montem à Massico distinguere, utrumque simul enuntiando: unde existimat Stadius montis Gauri, qui initium habet à ripa Liris Orientali, & ostio ejusdem, qui à Gauri vicinitate Gaurianus, vulgò Italico, *Garigliano* dicitur: Occidentalem partem Gaurum; Orientalem & juga ejusdem Massicum, Septemtrionalem

*Eminus, Ætnæique Vesuvius æmulus ignis,*
*Silva Maricæ, nec non Liris Gaurus alumnus,*
*Naturæ gaudentis opus. Quis pascua, rivos,*
*Expedietque pecus, saltus, vivaria, messes,*

lem Falernum censeri: & sic Falernus ager, ejus montis ad Septentrionem declivitate porrigebatur. Eum adi in Flor. l. 1. c. 16. n. 8. sed errasse, docebunt sequentia. GENEROSA VITE] Vini generosi ferace. Metonymicè arbor pro fructu, & fructus pro succo.

221. ÆTNÆIQUE &c.] Florus suprà: *Pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator.* Mons est altissimus, optimi vini Græci largitor. Urbi Neapolitanæ ab Aurora imminens, terræ motibus & incendiis jam olim notissimus. Priscis *Vesevus*, Græcis *Vesbius* dictus. Hodie ab oppido *Summa* ei subjecto, *Summanus* appellatur. De Ætna vide suprà Ser. 3. ad ỿ. 76. fol. 36.

222. SILVA] Lucus circa ostia Liris infra Minturnas, haud procul à paludibus Minturnensibus; qui multâ religione olim frequentabatur, fano Maricæ insignis. Vide Phil. Cluverium Ital. antiq. l. 3. c. 10. MARICÆ] Quæ fuit Nympha, seu Dea littoris Minturnensium, quam matrem Latini regis fuisse fabulatur Virg. lib. 7. Æneid. ỿ. 47. ubi de Latino:

*Hunc fauno, & Nymphâ genitũ Laurente Maricâ*
*Accipimus.*------- Lucan. l 2 ỿ. 424.
*Sarnus, & umbrosæ Liris per regna Maricæ.*
Horat. Carm. lib. 3. Ode 17 ỿ. 7.
*Et innantem Maricæ*
*Littoribus tenuisse Lirin.*

*Maricam* alii dicunt fuisse Venerem, quod Veneris templum olim juxta Maricam fuerit, alii Circem, ut Lactantius, qui lib. 1. de fals. Relig. c. 21. *Romulus*, inquit, *post mortem Quirinus dictus est, ut Circe Marica.* De silva Maricæ meminit Mart. lib. 13. Lemm. 83. de Squillis.

*Cæruleus nos Liris amat, quem silva Maricæ*
*Protegit: hinc squillæ maxima turba sumus.*

LIRIS] Amnis, qui dividit Latium à Campania, Minturnas prætetfluens. Strabo lib. 5. *Inter formias*, inquit, *& Sinuessam sunt Minturnæ, quas Liris amnis præfluit, ante Clanis appellatus.* GAURUS] Mons Campaniæ, ut quidam existimant Massicis & Surrentinis propinquus, & hinc à poëta nostro dicitur ALUMNUS LIRIS] Quòd amnem hunc aquis ex se defluentibus nutriat. Verùm Phil. Cluver. Ital. antiq. l. 4. c. 2. *Gaurum* montem ponit inter Puteolos, & Lucrinum lacum, probatque contrarios auctores errasse, seductos à locis, quos citat & expen dit, Ciceronis, Flori, & Plinii. Favet Lucanus lib. 2. ỿ. 667.

-----*Vel si converso vertice Gaurus*
*Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.*

Avernum enim plusquam unius diei itinere abesse à Liri notum est. Eumdem esse, putat cum Loffredo, quem Itali dicunt, *monte Barbare.* Aliqui tamen binos *Gauros*, esse existimant, unum prope Puteolos, alterum prope Lirin. Vide Phil Ferrarii Lexic. Geograph.

223. NATURÆ GAUDENTIS OPUS] Verba Plinii lib. 3. c. 5. *ut palam sit, uno in loco, gaudentis opus esse naturæ.* Id est, luxuriantis, & quasi suâ semet luxutiâ oblectantis. Id est locus ad omnem amœnitatem, & hominum delicias compositus: quod de universa passim Campaniâ intelligendum est. PASCUA, RIVOS] Propter amnes & rivos, continentem, in illa Italiæ plagâ, fœcundantes.

224. EXPEDIETQUE] Narrando exponet, & exequetur. PECUS] Probitatem, obesitatem, crassitudinem pecorum, quæ in optimis isthic pratis pabulantur. SALTUS] Campos nemorosos, aut camporum spatia. Virg. Georg. l. 3. ỿ. 143.

*Saltibus in vacuis pascant, & plena secundum*
*Flumina, muscus ubi, & viridissima gramine ripa.*

Festus: *saltum C. Ælius lib. 2. significationum, quæ ad jus civile pertinent, ita definit: saltus est ubi silva, & pastiones sunt* &c. Intellige loca inculta, ubi virgulta, arbusta, & gramina, quibus delectatur pecus. VIVARIA] Pomaria, septa videlicet, in quibus voluptatis causâ, tum plantæ excoluntur, tum feræ pascuntur, Græci vocant, παράδεισος. Eorum copia magna Campanis est, apud quos videas omnis generis arbores fructibus graves, citreas inprimis, longis multisque ordinibus consitas, vel ipso hiberno cælo, luteis fulvisve malis oculos intuentium rapientes, maximè hospitum Borealium, quos bruma inclementior, aspectu tam jucundo, silvarum ejusmodi risu, ac oculorum illicio interdixit. De vivariis, vivarum ferarum pascuis, lege A. Gellium l. 2. c. 20. MESSES] Ubertimas omnis segetis, & aliquando

una

225. *Cœli temperiem, thermas, fonteſque ſalubres,*
*Portus, ſtagna, lacus, cryptas, volucreſque, feraſque,*
*Fana, jocos, choreas populares, aurea ſecla,*
*Vicos, caſtra, arcus, turres, villaſque Luculli,*

uno anno binas, ut in farre, & aliis videre licet.

225. THERMAS] Aquas naturaliter calentes, & è terræ viſceribus ſcaturientes, quarum ingens copia in hâc orâ, propter ignes ſubterraneos. Quotidiano enim experimento conſtat ſub Veſuvio, aliiſque regionis hujus maritimæ montibus, ac inſulis, ex ſulphure, bitumine, alumineque maximos ardere ignes; ut docent ſudatoria, vaporeſque ſummâ vi è terra erumpentes, ſulphureique fontes ebullientes, & reliqua, quæ attoniti illic conſpeximus. SALUBRES] Tam frigidos quàm calidos, qui uti per intervenia, ſulphuris, nitri, ſalis &c. profluunt, ita & medicandis corporibus proſunt. Plinius lib. 31. c. 2. de differentia, & medicinis aquarum apertè ſcribit: *Nuſquam tamen largiùs quàm in Baiano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ* (aquæ) *ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acidâ, ſalſâve mixturâ: vapore quoque ipſo aliquæ proſunt.*

226. PORTUS] Urbes maritimas navium appulſui commodas, ut ſunt Neapolis, Puteoli; & ultra Lirin Caieta & Formiæ, quæ hodie regni Neapolitani finibus continentur; Cumæ, Baiæ, Herculaneum, Pompeii, Surrentum &c. STAGNA] Piſcinas & paludes, ſeu loca ubi reſes aqua ſtagnat, & continetur. LACUS] Aquas profundas, & perpetuas, unde rivi & fluenta emanant: cujuſmodi ſunt lacus Fundanus, Lucrinus, Anianus, Avernus &c. CRYPTAS] Specus concameratos, ſeu cavernas ſub montibus pertuſas. Qualis Crypta Pauſilypi, Traconaria, & aliæ ferè ſine numero.

227. FANA] Templa tam antiqua, quàm nova; tam in agris, quàm in urbibus, & vicis. *Fanum* dictum volunt à fando, quod dum Pontifex maximus dedicat, certa verba fatur. Ita ferè Feſtus. JOCOS] Publicam populi hilaritatem, ferias facetias, feſtivos lepores. CHOREAS, AUREA &c.] Saltus, aliaque innumera, ad exciendum genium comparata, quibus videntur Campani vivere aurea ſecula, qualia Saturno regnante fuiſſe, commenti ſunt Poetæ. Vide lib. 1. Met Ovid.

228. VICOS, CASTRA] Caſtella & pagos. *Caſtra* vocat oppidula vallata, quæ paſſim viatoribus in Italia occurrunt. ARCUS] Fornices aquæductuum, & caſtellorum aquariorum, aliaſque concamerationes, quas nobis reliquas à ſuperbiſſimis olim ædificiis, & jam ſepultas, cùm in aliis Italiæ, tum in hoc Campaniæ tractu ſpectare & mirari licet. Ut nihil addam de concameratis veterum ſepulchris, adhuc extantibus ſecundùm viam Appiam, & alibi. TURRES] Domos turritas, aut potiùs turritas domorum reliquias, ut initis Ciceronis inter Fundos & Formias, *Torre de Cicerone*, Turris Linternenſis, *Torre della patria*, turris Palæpolitana, *Torre de Giopparelli*, Turris Græcanica, *Torre di Greco*, vel quia inde vehebatur vinum Græcum, vel à conditore Græco &c. VILLASQUE] Prætoria, domoſque magnificas principum; ſeu villas urbanas, dominorum habitationi, non agricolarum deſtinatas; quas etiam nitidas appellari Flaccus innuit Lib. 1. Epl. 15. ℣. 46.

*Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.*

Et ſic differunt à villis ruſticis. Urbanæ enim ad voluptatem, ruſticæ ad fructum comparantur. LUCULLI] Nobiliſſimi Romani, quem quæſtura, & prætura Africana, tum res bello geſtæ, ac inſignis opulentia, opumque profuſio, mundo celebrarunt. Victo ſiquidem, & regnis exuto Mithridate, in patriam redux; ad vitam elegantem & ſumptuoſam converſus, ædibus, prætoriis, hortis, cœnationibus amœniſſimis, ac bibliothecæ utriuſque linguæ libris refertiſſimæ, partum bello aurum impendit. Ejus meminimus ſuprà ad ℣. 105. Duas autem Luculli villas in Campania fuiſſe comperio: alteram in Miſeno promontorio, de qua Tacit. lib. 6. Annal. c. 50. *Apud promontorium Miſeni conſedit, in villa, cui L. Lucullus quondam dominus.* Plutarchus in Mario: *Villam in Miſenenſi Marius amœnam & molliùs exſtructam poſſidebat, quàm deceret virum militarem, & tot bellorum victorem.* Eam aiunt LXXV. millibus denariûm emiſſe Corneliam, nec multò pòſt L. Lucullum, quingentis millibus denariûm, & ducentis. Diſertè Phædrus lib. 2. fab. 5. ℣. 7.

*Cæſar Tiberius, cùm petens Neapolim,*
*In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,*

*Cæsaris, & Tulli, Miseni balnea, & urnas*

*Quæ monte summo posita Luculli manu*
*Prospectat Siculum, & prospicit Thuscum mare.*

Alteram, Neapolim inter & Puteolos, è regione Aniani lacus. De ea Blondus in Italiæ descriptione: *Locus est, medio inter Puteolos, & Neapolim spatio, famâ apud veteres celebratus: namque villa, quam Plutarchus tradit L. Lucullum habuisse prope Neapolim, ea est, cujus ruinæ ingentes balneo supereminent Agnani dicto.* De hac cap. 2. de illa cap. 3. lib. 4. Ital. Antiq. Phil. Cluverius.

229. CÆSARIS] C. Julii Dictatoris. Hæc autem in agro Baiano fuit, de qua Tacitus Annal. 14. c. 9 *Tumulum accepit, viam Miseni propter, & villam Cæsaris dictatoris, quæ subjectos sinus editissima prospectat.* Et Seneca Epl. 51. *C. Marius & Cn. Pompeius, & Cæsar exstruxerunt quidem villas in regione Baiana: sed illas imposuerunt summis jugis montium..... scias non villas esse, sed castra.* Ejus reliquiæ hodie visuntur, insignia profectò fundamenta, supra templum Veneris, cujus ruinæ vetus nomen retinent. *Herc. prodic. Pighii* fol. 506. TULLI] M. Tullii Ciceronis: ternas scilicet, quarum una ad Lucrinum lacum, quam Cumanum: altera inter montem Gaurum & oppidum Puteolos, quam ipse Puteolanum: tertia denique apud oppidum Pompeios, quam Pompeianum suum appellat. Priorum meminit lib. 15. ad Att. Epl. 1 *Heri dederam ad te litteras, exiens è Puteolano, diverteramque in Cumanum.* Paris amœnitatis extitisse innuit lib. 14. Epl. 13. ad eumdem: *Est me hercule ut dicis, utriusque loci tanta amœnitas, ut dubitem, utra anteponenda sit.* Puteolanum celebrat Plinius lib. 13. c. 2. *Digna memoratu villa est, ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum.* Fontes calidos isthic erumpentes, oculis persanandis utiles, decantat ibidem Laurea Tullius, Ciceronis Libertus, versibus subjectis:

*Quo tua, Romanæ vindex clarissime linguæ,*
*Silva loco melius surgere jussa viret:*
*Atque Academiæ celebratam nomine villam,*
*Nunc reparat cultu sub potiore vetus:*
*Hic etiam apparent Lymphæ non antè repertæ,*
*Languida quæ infuso lumina rore levant.*
*Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori*
*Hoc dedit, hâc fontes cum patefecit ope.*
*Ut quoniam totum legitur sine fine per orbem,*
*Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.*

*Pompeiani* meminit Cicero lib. 7. famil. Epl. 3. *Cum in Pompeianum vesperi venissem.* Et Epl. 4. Ibid. *In Cumanum veni, in Pompeianum statim cogito.* Et ad Att. l. 1. Epl. 17. *Cum à Pompeiano me Romam recepissem.* Et alibi sæpiùs. De situ illius apud Pompeios nihil constat. *Phil. Clu.* It. ant. l. 4. c. 3. De quarta Ciceronis villa, quam ipse nunc *Caietam*, nunc *Formianum* vocat, nihil hîc addo, cum sit extra Campaniam, & ultra Lirin; nempe inter Formias & Caietam oppida, & portus Latii novi: hodie tamen intra fines regni Neapolitani. De illa infrà ad ℣. 336. MISENI] Promontorii ad occiduam Neapolios plagam, ubi tumulatus Misenus, socius & tubicen Æneæ, de quo Virg. lib. 6. ℣. 232.

*At pius Æneas ingenti mole sepulchrum*
*Imponit, suaque arma viro, remûmque tubamque*
*Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo*
*Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.*

Olim & oppidum & portum ejusdem nominis habuit. Vide Cluver. 4. c. 2. BALNEA] Quæ illic frequentia olim fuere, & modò sunt, ob fontes calentium aquarum, quæ ut testatur Plinius l. 31. c. 2. *Et Balneas calefaciunt, & opsonia percoquunt.* Hodie etiam apparent lavationum solia, balnea, lacus, & ad cœnas faciundas triclinia. Extant etiam nunc quam plurima, ut Balneum S. Anastasii, Subsidium hominis, Calatutæ, Balneoli, Cavernæ, Raverii, Tripergulinum, S. Nicolai, Scrofæ, S. Luciæ, S. Mariæ, S. Crucis, Fontis, Solis & Lunæ, Arculanum &c. de quibus omnibus consulendus Lombardus, & Leander. Meminit Athanasius Kircherus Soc. Jesu Physiologus incomparabilis, Mund. subterr. l. 5. sect. 3. §. 7. Cerebri balnei (Itali appellant *Cantorelli*) sub Miseno; quod ob miros effectus, quos in spiculis ferreis extrahendis præstat, magnetis tincturâ infici perperam opinantur. URNAS] Busta seu sepulchra: pars scil. pro toto. *Urna* enim hoc loco arca est, in qua cineres & ossa mortuorum recondebantur. Naso lib. 12. Metam. ℣. 615.

*Iam cinis est; & de tam magno restat Achille*
*Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.*

Seneca Tragœd. Herc. Oet. ℣. 1762.

*Hic tumulus illi est. Ecce vix totam Herculem*
*Complevit urnam. Quàm leve est pondus mihi,*
*Cui totus æther pondus incubuit leve!*

Ovid. Amor. 3. Eleg. 9. ℣. 39.

*Carminibus confide bonis. Iacet ecce Tibullus.*
*Vix manet è tanto parva quod urna capit.*

Entre-

230. *Attellæ, centum Cameras, pontesque marinos,*
*Fossas, Piscinam mirabilem, & antra Sibyllæ,*

Eutropius l. 8. de Traiano: *Ossa ejus collocata in urna aurea in foro.*

230. ATTELLA] Oppidi perantiqui, medio itinere inter Capuam & Neapolim; quo situ nunc est *Aversa*, quam in ruinis Attellæ veteris ædificatam volunt à Nortmannis, & munitam adversus Capuam & Neapolim: ac primùm inde dictam *Adversam* tradit Leander, postea mutato D. in N. *Anversam*. Vulgo tamen *Aversa* dicitur. Ceterùm vetus *Attella* ab Oscis condita, satyricis, ridiculis, lascivis & dicacibus fabulis, quæ inde *Attellanæ* dictæ, adeo famosa fuit, ut id genus liberiora dicta, è municipialibus ludicris, in theatra Romana irrepserint. Attellam verò Baiis, per oram maritimam sinus Puteolani, iter facientibus (hâc enim ad viam Appiam olim transibant, qui Romam meditabantur) occurrunt antiquorum sepulchra, de quibus accuratè & pulcherrimè, sermone Hetrusco scripsit Leander Albertius, Italiæ suæ, quam totam describendo illustravit, ac ordinis Dominicani magnum jubar. Nos eum priscarum rerum curioso lectori, ad hujus loci explanationem, Latinè versum, ita ferme differentem subjicimus. *Hac illa via est; utrimque veterum sepulchrorum monumentis quasi plenè constipata; qua majorem partem adhuc integra, bella apparent camerula. Quaro facilè habitentur, si foribus ligneis muniantur. Singulorum latera, plerumque ad pedes octonos; quorumdam tamen, ad quinos aut pauciores porriguntur. Constant parietibus, ex minoribus laterculis cum coronicibus, tam scitè commissis, ut extus & intus spectantibus, res videatur elegantissima. Pervia sunt ostiolis, quâ viam respiciunt, coronicibus & zophoris introrsus ornata, optimisque coloribus, interspersо passim auro, depicta. In medio parietis è regione ostiolorum, fenestella duos plerumque pedes alta conspicitur, suis etiam coronicibus vincta, & mediam muri crassitiem occupans, desinit superne vel in angulum, vel in hemicyclum, in qua urna collocabantur, cineres patrisfamilias capientes. Ad latus utrumque respondent alia, pyramidali figura, minores primâ, & ordine decrescentes, in quibus urnula cinerum matrisfamilias & liberorum, pro ratione ordinis. Res visu dignissima; licèt hodie dumi, spina, & urtica introitum, & propiorem conspectum sepulchrorum ejusmodi remorentur.* CENTUM CAMERAS] Castellum, seu aquarum receptaculum olim, nunc ob multas cellas vel cameras, Italis dicitur, *cento camarelle*. Opus admirabile tam magnitudine, quàm architecturâ. Factâ siquidem navium statione juxta Misenum ab Augusto Cæsare, ad tutelam maris inferi; classiariorum militum hibernis, ora circumvicina adaptari debuit ad varios usus. Unde etiam cisternæ, & aquarum dulcium castella spatiosa, & multiformia, tam in plano, quàm in excisis montium penetralibus constructa. Inter quæ hoc, cujus meminit hic poëta; quod commissis decussatim inter se parietibus, totam testudinem sustinentibus, & quadratas ubique cellas efformantibus, constat. Ostiolis angustis cellæ perviæ, servis puplicis eas purgandi copiam præbebant, relictis spiraculis & foraminibus per concamerationum testudines, unde aqua commodè hauriri posset. PONTESQUE MARINOS] Reliquias pontis marini, in portu Puteolano, seu pilas adhuc ibidem reliquas. Olim, ut moles hæc portum defenderet, xxv. pilas in mari erexerunt, quarum singulæ in latum pedes LX in altum L. extendebantur, relicto inter singulas CLXX pedum intervallo. Has pontis in formam, arcus densissimi ita connectebant, ut referat Suetonius de Caligula lib. 4. cap. 19. *Baiarum medium intervallum, puteolanas ad moles* (ita proprio vocabulo hanc fabricam appellat) *trium millium & sexcentorum ferè passuum ponte conjunxit; contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appia via formam. Per hunc pontem ultro citroque commeavit biduo continenti: primo die phalerato equo, insignisque querciâ coronâ, & securi, & cetrâ, & gladio, aureaque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus: comitante prætorianorum agmine, & in essedis, cohorte amicorum.* Hodie concamerationes ferè dilapsæ, extantes nobis tantum pilas tredecim fecerunt, quarum postremæ procellis, & tempestatibus vehementer quassæ, & accisæ. Legendi *Pighius, Leander, Schottus, Pflaumerus*, & alii.

231. FOSSAS] Canales, euripos, nilos, quibus aquæ marinæ in piscinas, olim cum piscibus derivabantur, nobilium Romanorum luxui & oblectamento. Nam L. Lucullus, de cujus villis suprà, ut auctor est M. varro de re rustica, potesta-

*Sudatoria, quæ Medicis odiosa, podagræ,*
*Ventriculo, capiti, Veneri fidissima, pilas,*

testatem fecit architectis suis, dilapidandi pecuniam quantamcumque, ad facienda piscibus æstiva, contra calores stabula, sub montibus. Quibus perfectis dicere solebat, se non ampliùs invidere Neptuno piscium bonitatem. *Fossa* itidem olim factæ maximis sumptibus, ad corrivandas ad castella subterranea aquas dulces. Inde Miseni montis exhausta viscera videntur, imò ferè totus concavus, & cacumine pensilis est. Earum fossarum vestigia, non tantùm in Miseno, verùm etiam in littore Baiano etiamnum extant, cum cryptis & stagnis in montem excisis. De duabus fossis, unâ à Miseno ad Avernum contectâ, & porticibus conclusâ, alterâ ab Averno Ostiam usque, CLX. pass. Mil. longâ, ad commeatum quinqueremium, fabricari cœptis à Nerone, adeundus est Leander, uti & de fossis Coccei &c. PISCINAM MIRABILEM] Celebre aquarum castellum, quod adhuc integrum pæne conspicitur, in clivo Miseni Cumas versùs, pedes quingentos in longum, in latum verò ducentos viginti protensum. Suprema cameratio pilis XLVIII. quatuor ordinibus numero duodenario partitis innititur. Inde elegantissima porticus quintuplex, per castelli longitudinem ducta, portentosi operis miraculo rapit oculos intuentium. Pleniorem descriptionem reperias apud Pighium Herc. prodic. Nomen *piscinæ mirabilis* obtinuit in vulgo; quod opinantur eam esse piscinam, quam à Miseno ad Avernum lacum, contectam, & porticibus conclusam, quò quidquid totis Baiis calidarum esset, converteretur, Neronem inchoasse, scribit Suetonius l. 6. c. 31. & nos suprà meminimus. ANTRA SIBYLLÆ] Specum seu cavernam in orâ lacus Averni, quam accolæ nuncupant *La Grotta della Sibilla*. Quamquam aliud Sibylla antrum habuerit ad Cumas, unde sua de futuris oracula pandebat Æneæ. Prioris antri prope Avernum, ubi Orci januam esse opinabantur, descriptionem vide apud Virg. l. 6. Æneid. & Philip. Cluver. Ital. Antiq. l. 4. c. 1. Hodie videntur concamerationes aliquot ingentes, sive cuniculi, ubi Cimmerii homines fatidici, olim habitasse creduntur. Locus est squallens, & horridus visu, habetque aditus nunc acclives, nunc declives. Inter cellulas una est quadrata, olim Musivo opere ornata, quam volunt habitasse Sibyllam Cumanam.

232. SUDATORIA] Quæ varia in hoc tractu, variis morborum generibus curandis apprimè idonea. Ferunt priscos, singulis sudatoriis singulas imagines ex marmore præfixisse, quibus declararent, cui morbo, sexui, ætati quælibet prodessent. Duas se vidisse scribit Laur. Schraderus in Monum. Italiæ, unam, senis leprosi; alteram, viri hydropici. Verùm ejusmodi imagines aut ævo consumptæ, aut ut fama tenet, à medicis Salernitanis quæstui suo malè timentibus, excisæ. Celebre est sudatorium S. Germani inter Puteolos & Neapolim, haud procul Aniano lacu, quod visum isthic perhibeant Paschasium Diaconum, à D. Germano Episcopo Capuano, dum ibidem ex medicorum consilio corpus curaret. Constat autem variis cellis concameratis, è quarum fundo, calidi vapores tantâ erumpunt vehementiâ, ut si quis vel nudus introëat, mox totum sibi corpus sudore colliquescere existimet. Opitulantur hæc vaporaria podagricis, evacuando vel nimios, vel nocivos humores, ulcera interiora sanant, & valent ad multiplices corporum morbos: ut sunt spasma, ileum, siphylis, capitis & ventriculi dolores, ut videre licet apud Joan. Franc. Lombardum de balneis & miraculis Puteolanis. MEDICIS ODIOSA] Quod citra eorum operam, pharmaca, & quæstum, homines sine dispendio, & gratis sanantur.

233 VENTRICULO, CAPITI] ut jam dictum. VENERI] Morbo Campano, seu siphyli, ut etiam dictum. FIDISSIMA] Opitulantia. PILAS] Moles, seu structiones quæ fiunt in portibus, contra fluctuum incursus. Virg. lib. 9. Æneid. ℣. 710.

*Qualis in Euboico Baiarum littore quondam*
*Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante*
*Constructam jaciunt ponto.------*

Ausonius Epist. ad Paulum. 9.

*Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis.*

Sic enim legendum fore, docet ipse contextus, non *palis*. Et in hoc significatu nihil discrepat à mole, quæ vox dicitur de structuris in mari, aut juxta mare. Sidon. Apoll. Paneg. Anth. ℣. 57.

*---------itur in æquor*
*Molibus, & veteres tellus nova contrahit undas.*

Seneca Rhet. l. 2. Controv. 1. *Littoribus quoque moles invehuntur, congestisque in altum terris, exaggerant sinus.* Et inde Horat. de sui seculi luxu in ædificando queritur lib. 3. Od. 1. ℣. 33.

*Contracta pisces æquora sentiunt*
*Jactis in altum molibus.-----*

Intelligit hoc loco noster portus Baiani veteres pilas,

*Flumina, aquæductus, spiracula Charonæa,*
*Sulphureumque forum Vulcani? O numina ruris,*

pilas, ex cocto latere maximas, Puteolanæ molis instar, sumptibus immensis factas, inter fluctus, scopulorum instar extantes. Item & molem Neapolitanam, extra urbem ad plagam australem in littore maris artificiosissimè constructam, primùm à Carolo secundo Rege Neapolitano, deinde ab Alphonso primo maximè amplificatam, ad portus munimentum. Item & pilas Puteolanas, de quibus suprà, ad ℣. 230. Porrò & hic intelligi queant *pilæ*, quibus innituntur fornices cryptarum, & castellorum aquariorum, quibus refertissimum esse hunc tractum suprà docuimus. *Pila* enim Hadriano Junio quadrata est, & hoc discrepat à columna, quæ rotunda. Savarò *pilæ* sunt saxeæ & quadratæ, quibus ædificia fulciuntur, aut, ut Festus, parietes. Q. Curtius l. 5. c. 1. De hortis pensilibus super arce Babylonia: *Saxo pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt: super pilas lapide quadrato solum stratum est.* Rudiores, & neglectiores columnis fuisse *pilas*, indicat Sidon. Apoll. l. 2. Epl. 2. *Nec pilæ sunt mediæ, sed columnæ, quas architecti peritiores ædificiorum purpuras nuncupavere.* D. Paullinus Nat. 9. de S. Felice ℣. 393.

*Quæque priùs pilis stetit, hæc modò fulta columnis,*
*Vilia mutato sprevit cæmenta metallo.*

234. Flumina] Lirin, Vulturnum, Glanim, Sebethum, Sarnum &c. aut etiam euripos, fistulas, canales, per quos admittuntur, & repelluntur aquæ marinæ, ad usum piscinarum ut suprà. *Flumen* enim, ut Seneca statuit Nat. Q. l. 3. c. 12. *est fluens aqua:* & Ælius Gallus lib. 2. apud Festum l. 18. auctor est, quamvis aquam quæ fluit, rectè flumen dici. *Flumina* & rivi, apud J. Consultos in stillicidiorum servitute sunt, quorum hi minores & leniùs fluunt, illa copiosiora, majorique impetu decurrunt. Paulus l. 8. Digest. Tit. 2. leg. 20. *Fit gravior servitus: id est, pro stillicidio flumen.* Aquæductus] Fornicatis illis, & multiplici arcu conjunctis pilis, delabentia fluenta: ut passim etiam Romæ, intrà & extra muros, videre licet. Per hos ductus, aquam dulcem derivabant ex montibus, aut venarum collectione, in suas villas Romani principes, qui hanc oram Campaniæ frequenti secessu colebant; aut in alia loca, ut in littore ac maritimo illo tractu, semper copia aquarum dulcium præsto foret. Variæ etiam nunc aquæductuum reliquiæ visuntur, qui vel montes penetrabant, vel ambiebant circumducti, aut in fundis humilioribus, multos supra terram pedes erecti conspiciebantur. Spiracula Charonæa] Scrobes lethiferos spiritus exhalantes. Plinius l. 2. c. 93. *Spiritus lethales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi volucribus tantùm, alibi, præter hominem, ceteris animantibus: nonnumquam & homini, ut in Sinuessano agro & Puteolano sunt, quæ spiracula vocant alii, alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes.* Hæc adeas ad pedem rupis, quæ Anianum lacum ambit, eo in specu, quem alii venenosum, alii caninum antrum, Itali *grotta del cane*, vocant. In montem abit passus octo, vel decem, ac deorsum paullatim declinat, spiritum emittens adeò virulentum, ut nullum in eo vivum animal diu consistere patiatur. Ejus rei quotidianum pæne experimentum faciunt advenæ peregrini, immisso in specum cane, qui maturè extractus, exanimis, sine motu, & sensu apparet: sed lacui vicino immersus, aut frigidâ suffusus, sibi sensibusque restituitur. Inde nominis recentioris origo. Vide Leand. Pigh. Franc. Schott. pluraque apud Majolum.

235. Forum Vulcani] Campum Phlegræum, vernaculis *la solfatara*. Estque planities, quæ magnos ubique, per plura foramina, semper fumos exspirat, cum odore sulphureo, qui ventis nonnumquam Neapolim defertur. Cavernis siquidem sulphureis innititur, colore sulphureo prope candicans. Solum pedibus inculcatum aut pulsum, instar tympani sonat & strepitat; sentiunturque sub pedibus ferventes aquæ fluere, & fumi densi & igniti, per cavernas, vi exhalationum factas, sibilare. Vehementiam & impetum mirati sumus, grandi saxo in os foraminis unius immisso, quod mox, summâ vi fumi erumpentis, in nos rejiciebatur. Figuram ovi imitatur, in longum quingentos supra mille, in latum mille pedes exporrecta. Vertex olim præaltus extitit, nunc perpetuis ignibus depastus, in vallem profundam subsedit. Distat Puteolis Neapolim versùs, ultrà mille passus. Ejus meminit Strabo l. 5. *Supra Puteolos situm est forum Vulcani, campus undique ignitis inclusus superciliis, quà passim, tamquam è caminis incendia, magno cum murmure exspirant.* Plinius campum Phlegræum à flammis & ardore; colles ab albedine leucogæos vocari scripsit. Meminit & Silius lib. 8. ℣. 540.

*Sarni mitis opes; illic quos sulphure pingues*

*Quis genera enumeret pro valle & vertice vini?*
*Quis Surrentini vituli dictare palatum,*
*Mergellinarum aut valeat conchylia, quondam*
*Tantorum caussas bellorum? Quippe petulci*

*Phlegraei legere sinus, Misenus, & ardens*
*Ore gigantaeo sedes Ithacesia Baii.*

Item & lib. 12. ℣. 133. ---- *Tum sulphure & igni Semper anhelantes, coctoque bitumine campos Ostentant, tellus atro exundante vapore Suspirans, ustisque diu calefacta medullis Aestuat, & Stygies exhalat in aëra flatus.*

O NUMINA RURIS?] Obtestatio emphatica, quâ premat potentiùs vini Campani excellentissimam bonitatem.

236. PRO VALLE ET VERTICE] Pro cujusque loci, montium scil. & vallium genio, & feracitate. Montibus enim & vallibus gaudet Bacchus. VINI] Optimi scil. genera plurima, quorum principatum tenent, vinum Graecum Summanum, & lacryma; sic enim appellant hodie: ut taceam Caecubum, Gauranum, Falernum, Faustianum &c. Ceterùm tantâ abundantiâ Bacchus illic sua dona profundit, ut ex vitibus magnam aliquam arborem circum basiantibus, referat Leander ex ore colonorum, tantam quandoque uvarum copiam crevisse, ut succus inde expressus, duo ingentia dolia, majora scil. & quae XII. aut XVI. cados (Barilia vocant) capiant, implere potuerit. Quae si ad mensuram nostram Brabanticam reducamus, quodque dolium, ut minimum, sextarios nostrates CCCLXXXIV. vel IIXII. ceperit. Quae res est prodigiosa, & formidolosae fidei.

237. SURRENTINI] In agro Surrentino nati, pastique. *Surrentum* Picentinorum promontorium, extremum Campano in littore oppidum, à Sirenibus nomen accepit. Ei subjicitur ager vitibus, citreis, aliisque arboribus frugiferis consitus, & optimis pratis, pecudis pastioni valde opportunus. Inde vinum Surrentinum, quod commendat Ovid. Met. 15. ℣. 709.

*Inde legit Capreas, promontoriumque Minervae,*
*Et Surrentino generosos palmite colles.*

Laudabant prisci calices Surrentinos testaceos. Mart. lib. 14. Lemm. 102.

*Accipe non vili calices de pulvere natos:*
*Sed Surrentinae leve toreuma rotae.*

Sic & noster carnes Surrentinas. VITULI] Carnis vitulinae, quae Neapoli in deliciis, diciturque vulgariter, *vitella da Surrento* PALATUM] Saporem, gustum. Nam in palato & lingua, volunt residere sensum gustus. Horat. lib. 2. Sat. 4. ℣. 46.

*Ante meum nulli patuit quaesita palatum.*

Quintilianus de puerorum institutione verba faciens l. 1. c. 2. *Antè*, inquit, *palatum eorum, quàm os instituimus.* Id est, prius pueros docemus exquisitos cibos appetere, quam bene loqui. Dissentit Lactantius, qui lib. de opif. Dei c. 10. *Nam quod attinet*, inquit, *ad saporem capiendum, fallitur quisquis hunc sensum palato inesse arbitratur. Lingua enim est, quâ sapores sentiuntur.* Secutus Aristotelem qui lib. 1. Hist. animal. linguam vocat gustus instrumentum. Plinius in hominibus, gustus sedem statuit linguam & palatum; nec fallit nos proprius sensus, inquit Jul. Caesar Scaliger in Aristotelem.

238. MERGELLINARUM CONCHYLIA] Quae capiuntur sub Mergelinis, id est, villâ ad pedem Pausilypi, quàm Sanazarius quondam coluit, & celebravit sinui Neapolitano conterminam. Vide quae diximus Serm. 3. ad ℣. 80. fol. 37. Praestantia eo loco, quem mare alluit, conchylia leguntur, ostreis nostratibus non absimilia, quae veneunt passim Neapoli, & mensarum deliciis accensentur. Ostrea Baiana celebrat Ausonius Epl. 7. ad Theonem ℣. 1.

*Ostrea Baianis certantia, quae Medulorum*
*Dulcibus in stagnis reflui maris aestus epimat,*
*Accepi dilecto Theon, numerabile munus.*

Lucrina, Horat. Epod. 2. ℣. 49.

*Non me Lucrina juverint conchylia.*

Utraque Plinius lib 9. c. 54. *Ostrearum vivaria*, inquit, *primus omnium Sergius invenit in Baiano.* Is ille, qui *primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit.* Et Val. Max. l. 9. cap. 1. *Sergius aedificiis spatiosis & excelsis, deserta, ad id tempus, ora Lucrini lacus pressit; quo recentiore usu conchyliorum frueretur* Unde ne mitere, si etiam hodie paris praestantiae conchylia, in eâdem maris orâ sub Mergelinis reperiantur. Triplex igitur laus à terrae fructibus, animantium carnibus, & piscium deliciis, celebrat felicem Campaniam, quam Corona Pighius familiariter Italiae Paradisum nuncupat. Ut mirum non sit, eam tot votis & nationum studiis, olim & modò expetitam, bella atrocissima sustinuisse.

239. BELLORUM] Quae mox declarabimus.

PE-

240. *Ubertate locorum, inter se prælia miscent*
*Primùm vicini; mox Graia & barbara Enyo,*
*Heu quantis nitidos funestat cædibus agros!*
*Nunc placidâ Regni populos in pace gubernat*
*Belgica dotali per quem servatur amore.*
245. *Hîc mihi si fato dabitur considere, suades*
*Candida postponam nigris solatia curis?*
*Rus intervallo, at reliquùm laudabitis urbem.*
*Altera Carthago Capua hîc, quin assidet illi*

PETULCI] Invicem crebrò petentes. Nam *petulcus* dicitur, qui petit, eâ formâ, ut placet Charisio, quâ *hiulcus*, qui hiat. *Petulantes, & petulci*, inquit Festus, *etiam appellantur, qui protervo impetu, & crebrò petunt lædendi alterius gratiâ.* Ita solent hœdi & agni, dum in mutua sincipitia identidem arietant, & petulanter ludunt. Hinc Virgil 4. Georg. ỷ. 10.

------- *Neque oves hœdique petulci*
*Floribus insultent.* -------

240. UBERTATE LOCORUM] Rectè: nam ut Collenutius Inir. lib. 3. Historiæ Neapolit. *Regnum*, inquit, *Neapolitanum Palæstra quædam ambitiosorum esse videtur, multorum avarorum, tyrannorumque bellis, atque rapinis exposita. Atque hoc ei ob fertilitatem suam, aliasque dotes evenit; quòd ita rebus bonis plerumque eveniat, ut à multis expetantur.*

245 VICINI] Aborigines Thessalis mixti, Samnites, Romani, &c. Vide Dion. Halicarnassæum Livium & alios. GRAIA ET BARBARA ENYO] Bella Græcorum, & barbarorum. *Enyo* eadem, quæ Bellona Martis soror, pro bello usurpatur. Mart. lib. 1. Epl 24 ỷ. 3.

*Nec te decipiat ratibus navalis Enyo.*

Et verò Campania, multis barbarorum bellis, & incursionibus patuit; ut Visegothorum sub Alarico, Wandalorum sub Genserico. Sed mox Byfantino Græcorum imperio restituta, primùm Odoacris Herulorum regis, dein Theodorici Ostrogothi armis cessit, non abnuente Zenone Imperatore. Cùm verò Theodactus, quem præfecerat Amalasuntha Theodorici nata, & heres per mortem filii, quem in spem regni educaverat; suis esset odio, per Justinianum Aug. ducee Bellisario, Græcorum ad id tempus fortissimo, ab Ostrogothorum tyrannide, uti & reliqua Italia, vindicata est. Porrò in Gothorum potestatem postliminiò, per Totilam Hunnorum regem redacta, reducem Græcorum exercitum, Duce iterum Bellisario, infestum habuit, vario Marte nunc Gothis, nunc Græcis subjecta: donec Marses tandem dejecto Totilâ, illam Græcorum Imperio asseruit. Longobardos deinde, iterumque Græcos, Saracenosque ducente Sabba, admodum sibi infestos experta; sub Normannorum tandem tyrannidem concessit: inde ad Sabaudos, Andegavenses, & tandem ad Arragonios transiit; & hinc ad Reges nostros Catholicos. Hæc breviter ex Pandulpho Collenutio, & aliis; quos adire non gravabuntur, quorum curiositati hæc pauca non suffecerint.

242. HEU QUANTIS &c.] Ut fieri solet, furente Marte, & militari ferociâ.

243 REGNI] Neapolitani, cujus hodie fines hospes Romanus ingreditur, inter Tarracinam & Fundos. Itali simpliciter appellant, *il regno*.

244. BELGICA DOTALI] Philippus IV. Hispaniarum Rex, Belgicæ Princeps Clementissimus, pronepos Caroli V. Aug. abnepos Philippi Pulchri, seu Primi, qui ductâ Isabellâ Ferdinandi Regis Catholici filiâ, opulentissima Hispaniarum, Neapolitanorum, ac Siculorum regna, in filium Carolum, ejusque posteros, hereditario jure transcripsit. Vide quæ diximus suprà ad ỷ. 21.

245 FATO] Arbitrio ac voluntate Dei: hoc est, si Deus mihi indulserit habitare hanc regionem.

246. CANDIDA] Læta. NIGRIS] Mœstis, sollicitis, anxiis. SOLATIA] Dolorum & curarum oblivia, vel delinimenta, per terræ delicias & amœnitates.

247. RUS INTERVALLO] Ex intervallo, & quandoque rusticabimini, quod per bella in Belgio non licet. LAUDABITIS] Habitabitis, vel urbanam habitationem ruri præhabebitis.

248. ALTERA CARTHAGO] Altera patria, altera

*Africa Linternum, cælestis & eminet illis*
250. *Parthenope. O Napolis mea bella, quibus salibus te*
*Extulero linguæ? Curis gravioribus ævum*

tera Antverpia, vel Bruxella. Talis enim Capua fuit Annibali, Punici exercitus Imperatori, & Campaniæ debellatori. Capuanis enim deliciis inescatus, non ultra Carthaginem desideravit; quin & luxu, & mollitie discinctus, & enervatus, contra victos Romanos, victor ipse, movere exercitum, & victoriam suam prosequi turpissimè neglexit. De illo Sil. l. 11. ℣. 425.
*Altera jam patria, atque æquo sub honore vocatur,*
*Altera Carthago Capua.------*
CAPUA] Olim Metropolis Campaniæ, opibus, potentiâ, civium & rerum copiâ, adeò elata, ut cum Roma de principatu ausa sit contendere. Luxu Annibalis clara, agri ubertate, & rerum felicitate arrogans, ferox, superba. Inde natum adagium, *Campana superbia*. Alterum aliquando Romæ Cos. ex civibus suis postulavit. Certè Romæ æmula semper extitit. Hor. Epod. 16. ℣. 5.
*Æmula nec virtus Capua, nec Spartacus acer.*
Ausonius de Clar. urbibus.
*Illa potens, opibusque valens Roma altera quondã.*
Collenutius lib 1. Hist. Neapol. *Quo factum est etiam, ut M. Tullius dixerit post Romam, hanc* (Capuam) *Corinthum, aut Carthaginem, aptam fuisse, ad obtinendum orbis imperium.* A Genserico Wandalorum Rege capta, subversaque; ab Ostrogothis dein occupata, tandem à Longobardis, iterùm excisa & deleta fuit. *Capua* quæ extat hodie, nova est, alteroque lapide distat à ruderibus antiquæ Capuæ, ubi nunc fanum S. Mariæ, ad ripam Vulturni.

249. AFRICA LINTERNUM] Annibali scil. literninа tellus pro Africa. Pergit Noster in phrasi Siliana. Quemadmodum enim Capua, altera Carthago illi extitit, ita & terra Liternina, ad Liternum seu Clanim, Capuæ adsita, eidem pro Africa fuit. Liternum autem perantiquum Campaniæ oppidum, in angusto tramite, inter dextram *Literni* (ita scribendum censet Cluverius, non *Linterni*) ripam, & mare Tyrrhenum situm; cujus rudera hodie visuntur, quo loco specula, seu turris conspicitur, quam vulgus indigenarum, *la torre di patria*, nuncupat. Porrò P. Corn. Scipionis spontaneo exilio, maximè nobilitatum est; quo etiam respexit Scholirius. Quippe tribunitiis injuriis lacessitus magnus ille Africæ domitor, exilium sibi delegit, in villa Liternina; de qua re sic Livius Dec. 4. l. 8. c. 52. *Cùm invidiam & certamina cum tribunis prospiceret, die longiore producta, in Liternum concessit.* Et cap. 53. *Vitam Literni egit sine desiderio urbis. Morientem rure, eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt, monumentumque ibi ædificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret.* Inde auguratur Cluverius Ital. antiq. l. 4. c. 2. Turrim illam speculatricem, locum dictæ villæ obtinere. CÆLESTIS] Amœnissimo, ac quasi cælesti prospectu in mare, pulcherrima.

250. PARTHENOPE] Neapolis: vide suprà Serm. 3. ad ℣. 81 fol. 37. MEA BELLA] Campanorum vox est, *Napoli mia bella*, licèt aliàs communi Italorum judicio audiat; *Napoli odorifera, e gentile.* De Neapoli passim scriptores recentiores, uti & versus qui sequuntur. SALIBUS] Quâ elegantiâ, & sermonis ornatu, tuam pulchritudinem adumbrem? *Sales*, pro dictione arguta, ingeniosa, venusta, lepida, passim apud probatos in usu; id est suavitas quædam cum acrimonia, vel mordacitate conjuncta. Catullus Epig. 87. de Quintia & Lesbia:
*Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,*
*Recta est. Hæc ego sic singula confiteor.*
*Totum illud, formosa nego. Nam nulla venustas,*
*Nulla in tam magno corpore mica salis.*
Mart. idem ferè lib. 7. Epig. 24. in mal. poët.
*Nullaque mica salis, nec amari fellis in istis.*
Terent. Eun. 3. 1. 10. *Qui habet salem qui in te est.* Quo spectat proverbium, Ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ. *salsugo non inest illi.* Afranius apud Raderum: *quidquid loquitur sal merum est.* Plin. l. 31. c. 7. Indicat metaphoram esse sumptam ab usu salis, quod in omnibus cibis sit condimenti vice, & aviditatem invitet. *Adeò*, inquit, *necessarium elementum est, ut transierit intellectus, ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur: omnisque vitæ lepos, & summa hilaritas, laborumque requies, non alio magis vocabulo constat.* Atque hinc, *insulsa oratio*, quæ nihil habeat leporis: & *insulsus homo*, moribus inelegantibus. Vide *Erasm. Chil.*

251. CURIS GRAVIORIBUS] Reipublicæ, militiæ, negotiorum familiarium &c. Desumptum ex Silio, qui de Neapoli lib. 12. ℣ 31.
*Nam molles urbi ritus, atque hospita musis*
*Otia, & exemptum curis gravioribus ævum.*
ÆVUM] Vitam. Romanorum quippe primores de-

*Exemptum hîc quotquot duxistis, & hospita Musis*
*Otia, littoribus quondam celebrastis amœnis,*
*Dicite vos Tiberi, Nero, Vespasiane, Luculle,*
*Dicite Flacce, Maro, Porcelli, Valla, Petrarcha,*

defatigati publicarum rerum curis, ad otia Campana plerumque secedebant; ædificatis in hunc usum splendidissimis & amœnissimis villis. Ut suprà vidimus ad ℣. 228. de villis Cæsaris, Luculli & Ciceronis.

252. HOSPITA MUSIS] Ex Silio jam citato.

253. LITTORIBUS] Orâ maritimâ Campaniæ: puta Neapoli, Cumis, Baiis, Miseni, Puteolis &c.

254. TIBERI] Auguste. Enumerat aliquot Romanæ nobilitatis principes, qui agro Campano delectati, certis anni temporibus, ad divertendas curas, eò commigrarunt. Inter hos Tiberius Cæsar, cui & sua huic usui villa, ut diximus ad ℣. 228. Sueton. l. 3. c. 39. De Tiberio: *Orbatus utreque filio, secessum Campania petiit: constanti & opinione & sermone pane omnium, quasi neque rediturus umquam, & citò mortem etiam obiturus. Peragratâ Campaniâ Capreas se contulit.* Porrò quàm perniciosè isthic otiatus sit, disce ex iis, quæ ibidem subjicit Suetonius. NERO] Itidem Imperator, Campanis otiis maximè delectari solitus. Nam ut suprà vidimus ex Suetonio, piscinam inchoavit, à Miseno ad Avernum lacum. Tacitus lib. 15. Annal. c. 51. De Nerone: *Conjuratis tamen metu proditionis permotis, placitum maturare cædem apud Baias, in villa Pisonis: cujus amœnitate captus Cæsar crebrò eò ventitabat, balneasque & epulas inibat, omissis excubiis & fortuna sua mole.* Et lib. 14. Annal. cap. 4. ubi de eodem: *Quinquatrum festos dies apud Baias frequentabat. Illuc matrem elicit, ferendas parentum iracundias, & placandum animum dictitans.* Et ibi patrata Cædes Agrippinæ matris ejus. VESPASIANE] Imperator, qui, ut reliqui principes, hanc oram adamavit, & otiis suis celebravit. Fides penes Poëtam. Ego de illo nihil legi. LUCULLE] Cujus villas in Miseno, & è regione Aniani lacus, ad ℣. 228. expendimus.

255. FLACCE] Horati, qui non semel amœnitate hujus soli usus, canis ita l. 1. Epl. 1. ℣. 83.

*Nullus in orbe sinus Bajis prælucet amœnis.*

De Bajis ad Flaccum quemdam, nescio an hunc, Martialis lib. 11. Epig. 81. ℣. 3.

*Ut mille laudem, Flacce, versibus Bajas;*
*Laudabo dignè non satis tamen Baias.*
*Sed Martialem malo, Flacce, quam Bajas.*

Horatium autem animi gratiâ, frequenter usum Campano secessu multi tradunt. Fidem facit Hercules Prodicius Pighii fol. 455. quem lubet hic de Horatio, aliisque viris eruditis disserentem adducere. *Constat*, inquit, *Titum Livium Patavinum Historicum, Q. Horatium Flaccum, Statium Papinium, Cl. Claudianum, Poëtas celebres, Annæum Senecam philosophum, aliosque infinitos, qui ingenio, scriptisque suis præclaris nomen sibi pepererunt immortale, sæpius eò* (in Campaniam) *studiorum caussâ secessisse. P. Virgilium Maronem Neapoli diu suavissimè vixisse, atque Georgicorum libros ibidem compcsuisse legimus: & cum Brundusii moreretur, corpus suum eò transferri ac sepeliri voluisse.* MARO] Virgili, de quo jam dixit Pighius. Et ipse de se ad posteros transmisit, lib. 4. Georg. ℣. 562.

*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.*

PORCELLI] Poëta Neapolitane; qui patrio solo, dubio procul, admodum capiebaris. Porcellium poëtam, ut tradunt, Fredericus Urbinatium Dux admiratus est; eumque tam impensè coluit, ut acta sua ab eo celebrari voluerit. Qualisqualis fuerit, censuram Volaterrani non evasit. Hic enim de illo sic habet, apud Ger. Joan Vossium de Hist. Lat. l. 3. c. 1. *Vir erat absque labore & doctrina: in scholis eadem quotannis ferè & lectitabat, & vernaculâ linguâ enarrabat, tantùm carmina, quibus omnia refersit, naturâ faciebat, non tam bona, quàm facilia, & penè extemporalia.* Adstipulari videtur Gyraldus Sytagm. De poëtis: *In omni*, inquit, *Porcellii versu, naturam potiùs, quàm industriam laudaverim.* Floruit anno Salutis CIƆ. CCCC. LVI. VALLA] Laurentius Valla, seu Vallensis, Patricius & Canonicus, ut aiunt, Romanus, qui grassantem à Gothicis temporibus in Italia Latini sermonis barbariem extinxit, litterasque Romanas, à Leguleiorum, & Sophistarum corruptelis vindicavit. Scripsit ad Tortellium sex elegantiarum libros, quibus solius ferè Ciceronis & Quintiliani puritatem commendat, & inculcat, liberè damnans etiam graviorum scriptorum neglectam in eo curam. Contra Mancinelli Limam defenditur strenuè à

*Necnon cantator patriæ fidissime Stati:*
*Et vos Reguli ad hanc modò qui concurritis urbem:*
*Et tu Bacche pater, Nysæ qui collibus, uvas*
*Crederis & Summani & præposuisse Falerni:*
*Et tu Cyprigenia, Paphi quæ sede relicta,*

Florido Sabino Lect. subcis. lib. 2. c. 20. Uti & alibi, sicut habet Ger. Joan. Vossius Hist. Lat. l. 3. c. 7. Neapoli quoque vixisse, arguit id quod scribit Jovius elog. doct. Viror. *Flagellatis quoque regionum ludimagistris, uti multa bile redundans quòd nihil in aula Pontificis sibi placeret, Neapolim ad Alphonsum regem se contulit, apud quem de avitis bellis, in Hispania atque Sicilia gestis, Historia perscripta est.* Obiit Romæ, ac tumulatus in æde orbis principe Lateranensi, ubi cælatum legitur: LAURENTIO VALLÆ HARUM ÆDIUM SACRARUM CANONICO, ALPHONSI REGIS, ET PONT. MAX. SECRETARIO, APOSTOLICOQUE SCRIPTORI, QUI SUA ÆTATE, OMNES ELOQUENTIA SUPERAVIT. CATHARINA MATER FILIO PIENTISSIMO POSUIT. VIXIT ANNOS L. OBIIT ANNO CIↃ. CCCC. LXVII. AUGUSTI CAL. Franchinus Cosentinus ad tumulum lusit.

*Laurens Valla jacet, Romana gloria linguæ,*
*Primus enim docuit quâ decet arte loqui.*

PETRARCHA] Franciscus ille, auctor remediorum utriusque fortunæ, qui bonas litteras è Gothicis tumulis primus in Italia excitavit, Romanamque eloquentiam, unà cum imperii Majestate deperditam gloriosè reparavit. Ad Ancisam Hetruriæ vicum natus anno CIↃ. CCCIV. in Arquato prope Patavium denascitur anno CIↃ. CCCXL. Scripta illius recensentur à Ger. Joan. Vossio Hist. Lat. l. 3. c. 1. Numeratur etiam à Leandro inter campaniæ cultores, addito elogio amicitiæ, quæ inter ipsum & Robertum Regem Neapolitanum coäluit Robetto enim, ut ait Lipsius Monit. Polit. c. 8. n. 14. *Litteræ & litterati percari fuerunt, qui Petrarcham, & poësi, & sertis scriptis nobile ingenium fovit.*

256. CANTATOR PATRIÆ] Laudator patrii soli Campani, ut arguunt Musæ illius in Silvis. STATI] Papini Poëta sublimis. Hic multorum commentariis & notis claret, ac in primis Bernartii, ac eruditissimi nostri Casp. Gevartii, qui eum in visceribus habuit. Porrò P. Papinius Statius Neapolitanus, laudes patriæ in amœnissimis suis Silvis decantat frequenter, ut docet Ecloga, quâ Claudiam suam Neapolim secum secedere hortatur lib. 3. Sil. c. 5. ℣. 105. ubi narratis Campanis deliciis concludit:

*Mille tibi nostræ referam telluris amores.*

Baptista Mantuanus 6. silvar. ad Jovianum Pontanum.

*Te virides inter laurus, Baianáque Tempe,*
*Per loca, quæ fertur coluisse Papinius olim,*
*Pierides aluere dea. -----*

De gravitate Musæ Papinianæ nihil est, quod adjiciam, quando unus instar omnium canit Lipsius in Bernartiana Papinii Scholia. ℣. 2.

*Quis hic Papinius? Poëta magnus,*
*Vel dicam potiùs, Poëta summus?*
*Certè proximus est Poëta summo.*

257. REGULI] Viri principes, illustres, dynastæ, equites, nobiles. Idem Pighius Herc. Prod. fol. 455. de hac urbe: *Nostra hac ætate multi reguli, illustres & potentes viri, sua ibidem habent magnifica palatia, & splendidas ædes: in quibus plerumque vitam, pro anni majore parte, degunt.* Fusiùs Leander in Campania, de illustribus incolis Regiæ hujus urbis, qui concludens: *Quapropter*, inquit, *existimo paucas in orbe civitates reperiri, quæ, quod nobilitatem attinet, cum hac conferri queant.* URBEM] Neapolitanam, quæ in locum Capuæ successit, ac universæ non tantùm Campaniæ, verùm etiam omnium provinciarum Regno suo subjectarum Metropolis est.

258. NYSÆ COLLIBUS] Vinetis Nysæ, nascentibusque ibidem uvis, acinis, vino. Nysa urbs Arabiæ, vel, ut volunt alii, Ægypti, Arabiæ vicina, apud quam à Nymphis enutritus Bacchus. Unde conflato ex Jove & Nysa vocabulo, Διόνυσος dictus est, seu Dionysius.

259. SUMMANI] Vesuvii montis, quem Summanum etiam dici suprà monuimus ad ℣. 220. Sententia est: vinum Summanum & Falernum præstat Nysiaco. Ideò & Mart. l. 4. Epig. 44. de Vesuvio, ℣. 3.

*Hæc juga, quàm Nysæ colles, plus Bacchus amavit.*

260. CYPRIGENIA] Venus in Cypro genita. PAPHI] Civitatis Insulæ Cypri, quæ adeò Veneri devota extitit, ut puellæ dotem sibi paratu-

*Psaltricis volupe innumerâ tutaris honorem:*
*Pandite, Normannos, & quae movere Pelasgos,*
*Pœnorumque ducem, Solimannos, & Saracenos,*

raturæ, ejus honori in littore se prostituerent. Inde Venus etiam Paphia dicta.

261. PSALTRICIS] Cantatricis, ut suprà ỳ. 219. id est, Neapolios. VOLUPE INNUMERA] Multiplici voluptate, Allusum ad luxuriam & mollitiem Campanam. Mart. l. 4. Epig. 44. de Vesuvio. ỳ. 5.

*Hac Veneris sedes Lacedæmone gratior illi.*

Certè in portu Baiano Veneri spurcissimæ deæ templum extructum est, quod etiamnum extat. De illo vetus Epigramma apud Cluverium Ital. Antiq. l. 4. c. 2.

*Ante bonam Venerem gelida per littora Baia.*
*Illa natare lacus cum lampade jussit amorem:*
*Dum natat algentes cecidit scintilla per undas,*
*Hinc vapor ussit aquas: quicumque natavit, amavit.*

Notat priscorum libidinem, Papin. Silv. 3. Herc. Surrent. Pollii felicis Carm. 1. ỳ. 150.

*Et Lucrina Venus, Phrygioque è vertice Graias*
*Addiscis, Misene, tubas: videsque benigna*
*Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum*
*Certatus, & parva suæ simulacra coronæ.*

Martialis lib. 11. Epist. 81. ad Flaccum.

*Littus beata Veneris aureum Baias,*
*Baias superba blanda dona natura*
*Vt mille laudem, Flacce versibus Baias.*

Meritò tamen id fastidit Martialis, quod otium Baianum pugnet cum negotio litterario. Baiæ siquidem Senecæ Epl. 51. diversorium vitiorum esse cœperant, illic sibi plurimum permittente luxuria.

262. PANDITE] Dicite. Quasi innuat, Bacchum & Venerem auctores fuisse Normannis aliisque barbaris, aut etiam Græcis, invadendæ aut tutandæ sibi hujus regionis. NORMANNOS] Barbaros illos, à cladibus, quas omnibus pænè terris Europæis intulerunt notissimos, & per orbem infames. Primam eorum originem Lipsius à Saxonibus, qui classibus littora incursarunt, deducit: Pandulphus à Gothis, qui Cimbricam Chersonesum occuparunt, quæ nostrâ ætate Dania nuncupatur: inde Daniæ reges se etiamnum Daniæ Gothiæque reges inscribere. Colluvies hominum, ac primò exigua manus, mox pro successu auctis viribus, ingentes classes, per annos multos, imò secula, in Galliam, Britanniam, Italiam, Siciliam, Græciam ipsam immiserunt: quod Septemtrionalibus quibusdam regnis, solenne foret, servato filio natu primo, reliquos cum ingentibus copiis extra regni fines, domicilium sibi armis paraturos, dimittere. Sic Biergosta, à patre Leutrocho Daniæ rege, cum Astingo; & magnâ armatorum copiâ dimissus, Belgicam & Galliam universam graviter sauciavit, incerto tamen Normannorum dominatu, donec icto fœdere cum Carolo Simplice Galliæ Rege; ductâque ejus filiâ Gillâ, Christianus factus, Neustriam provinciam obtinuit Rollonens, Biergostæ in Normannorum imperium suffectus. Quæ pars Galliæ inde *Nortmannia*; hodie, *Normandia* nuncupata est. Ex hac regione, postmodum in Italiam penetrarunt, cum exercitu Robertus, atque Ricardus, & Campaniam miserrimè convulsam, sibi asseruerunt habitaruntque. Ita ut tandem ab Innocentio II. Pont. Max. missus sit Rogerius II. Normannus in possessionem ditionis Neapolitanæ. Vide Collenut. l. 1. & 3. Hist. Neapol. Leandrum, Lipf. lib. 1. Lovan. c. 3. &c. PELASGOS] Imperatores Græcos, qui cum ingentibus copiis, ad expellenda hostilia barbarorum agmina, huc ex Græcia trajecerunt. Vide dicta ad ỳ. 241.

263. PŒNORUM] Wandalorum, qui jam sibi sedes & tyrannidem in Africa, firmaverant; ut jure Pœni, seu Afri hîc censeri possint, quando non tam de vetere Annibalico, quàm de recentiore barbarorum bello, agere videtur Poëta noster. DUCEM] Gensericum, qui Romam & Campaniam diripuit. *Wandali* ex Schytia primùm digressi, à Vandalo Poloniæ fluvio, ad quem consederunt, nomen habent. Inde cum ad Danubium usque infesta castra explicassent, à Gothis repulsi, imperio Romano se submisere, impetratis sedibus in Pannonia. Aucti deinde divitiis & multitudine, rebellarunt, & in Galliam profecti gradu infesto, indeque à Gothis pulsi, Hispaniam invasere. Ubi sedes obtinuerunt, donec à Bonifacio Comite, Romanorum apud Afros præfecto, acciti, Africam, vivo etiamnum Doctorum apice S. Augustino occuparunt. Inde Imperatricis Eudoxiæ invitatu, quò mortem Valentiniani ulcisceretur, in Italiam trajecerunt sub Genserico Rege: Româque expugnatâ & direptâ, Capuam & Nolam, cui tunc S. Paullinus Antistes præerat, alia-

*Per mare, per terras, huc usque advertere, caussæ,*
*Atque extrema pati? Succurritis: audio: Aperti*
*Æstatis Zephyri, quin Brumæ perpetuum ver,*
*Et pergræcari qui invitat Vesvius, & vult*

aliaque Campaniæ felicis oppida, devastarunt. Tandem à Bellisario Duce superati, ducto etiam Constantinopolim Guilimero, ultimo eorum rege in triumphum, omnem Africam Imperio Romano restituere coacti sunt. Et hâc ratione Wandalorum nomen planè exstinctum est. *Collenutius, Chesneux*, & alii. SOLIMANNOS] Turcas sub Solimannis, id est Ottomanneis imperatoribus stipendia facientes. Frequentes enim in hanc oram irruptiones à Turcis factæ. Memorabilis illa, quæ jam pro foribus spectabatur, à Ferdinando I. Rege Neapolios, anno Dei hominis CIↃ.CCCC.LXXX. quæque totam Italiam ita territabat, ut Xystus IV. P. M. de fugâ in Galliam capessendâ cogitaret. Et certè sub Machumete II. classis Turcica ad oppugnandum Ferdinandum expedita, Hydruntem Calabriæ maritimam civitatem, post septem dierum obsidionem expugnaverat, & præsens jam erat discrimen, captis, vel crudelissimè jugulatis plurimis Christianorum millibus, inter quos Archiepiscopus suos ad constantiam Religionis imperterritè cohortatus, ferrâ ligneâ divisus, seu ut alii, vivus excoriatus est. Verùm suppetiis Italicis Ferdinandus victor evadens Turcas totâ Italiâ exegit. *Spondanus, Thuanus, Ioan. Cluverius, Onuphrius* &c. Anno deinde CIↃ.IↃ.XIV. sub Solimanno II. Sultano, alia classis oram maritimam Neapoli vicinam, impetens, duo oppida diripuit, & tam hinc, quàm ex Apulia, expilatis variis locis, magnam hominum & rerum prædam Bysantium abduxit. *Natal. Comes* lib. 8. Alias irruptiones Turcarum in Italiam reperias apud Historicos. Vide Thuani initia lib. 11. & 16. Turcarum originem à Schytis, eorumque progressus, disces ex Pandulphi Collenutii l. 1. Hist. Neapol. SARACENOS] Qui ex Ismaele Abrahami & Agaris filio prognati, sua multitudine tres Arabias occuparunt. Primo Ismaelitæ, deinde Agareni, postea pudore nominis, à Sara legitima Abrahami conjuge, Saraceni dici volverunt. Romanis Imperatoribus sæpe militarunt: verùm sub Heraclio, à thesauri præfecto, canes per contumeliam appellari, Mahometem extulerunt, qui scripto Alchorano, id est præceptorum synopsi, leges tulit, & rempublicam Christiano nomini perniciosam stabilivit. Iidem postea Turcis juncti, domiti, & subjecti, Græcorum imperium capto Bysantio occuparunt. *Pandulph.* l. 1. Hist. Neapol. Sæpe autem Saraceni in Italiam penetrarunt, imò & partem illius diu tenuerunt. Eorum incursiones ab anno IↃ.CCC.XXIX. usque ad IↃ.CCCC.LXIII. lege apud eumdem Pandulph. l. 2.

264. ADVERTERE] Appellere, quasi se, castra, aut classem vertere ad hanc terram. Terent. Eun. Act. 2. Scen. 3. ℣. 55.

*Illa sese interea commodùm huc advorterat*
*In hanc nostram plateam.-----*

265. EXTREMA] Cædes, clades, dum scil. inde expellebantur, ut suprà notavimus. SUCCURRITIS] Respondetis, mihi vos interpellanti. APERTI] Liberi ab umbra montium, & à plaga occidua, sine impedimento, perflantes totam hanc oram. Campania siquidem, ac in primis Neapolis, ad meridiem & occidentem, ferè mare respicit, ut inde patente aëre perspiretur.

266. ÆSTATIS ZEPHYRI] Omni anni tempestate flantes, & suâ lenitate refecentes æstatem. Alludit ad gratissimam, & moderatam cæli constitutionem in hac regione. Inde enim laudatur à scriptoribus Italia. Dionysius Halicarn. Antiq. Roman. Lib. 1. c. 37. ubi de laudibus Italiæ: *Omnium*, inquit, *pulcherrima est aëris moderata; ut anni tempus fert, temperies; qualis nec nimio gelu, nec immenso æstu, fruges lædat, aut animantia.* Ælianus var. Histor. lib. 9. c. 16. *In Italia permultos*, inquit, *variosque populos habitasse ferunt, plures quidem quàm in ulla alia terra: eam potissimùm ob caussam, quòd omnium anni partium, in ea sit moderata tempestas.* BRUMÆ VER] Moderatum frigus, quale veris tempore. Spectat istud Maronis Georg. l. 2. ℣. 144.

*Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas.*

267. PERGRÆCARI] Ad normam Græcorum perpotare. *Pergræcari*, inquit Festus, *est epulis & potationibus inservire.* Erant enim Græci in hoc genere intemperantes. Cic. Act. 3. in Ver. c. 66. *Discumbitur: fit sermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur.* Plau. Most. 1. 1. 21.

*Dies noctesque bibite, pergræcamini.*

VESVIUS] Vesuvius haud procul Neapoli, ut suprà ad ℣. 221. ubi vinum nascitur totius Italiæ

*Germanos erumpere*, Quare non lacrymasti
Partibus in nostris? *& passim jugis aquæ fons,*
*Circumvicinos Sarnus quique irrigat agros,*
*Unde olere, instruiturque forum, cui nomen ab ulmo,*
*Asparago, frago, ficu, pyro, & Ausone pomo*

liæ generosissimum, quod dicunt *vino graco di Soma*. Olim Pompeianum audiebat à Pompeiis oppido vicino. Aliud ramen genus est vini nigri, seu purpurei, illic vulgare, quod appellant *Lacrymam*, vel, ut quidam volunt, *Lacrymam Christi*. Estque vinum optimum & adiposum, ita ut epoto cyatho vitreo, videantur à suprema circum margine, sensim desidere, & ad fundum destillare, gutrulæ variæ, quibus aliquod lacrymarum instar est. An inde nomen traxerit (quod tamen omni vino crassiusculo, & meraciori commune est) an à sanguineis Christi Servatoris lacrymis in oliveto profusis, conjectura sit penes lectorem. Certum est, ob varia naturæ miracula, quæ in hoc tractu repetiuntur, præbitam esse occasionem, tam recentioribus, quàm veteribus, plurima fabulandi. Inde ad lacum Avernum, quemdam *Christi* montem designant, eo nomine appellatum; quod persuadeat sibi vulgus, victorem Christum illâc ex Averno, cum ingenti SS. Patrum turma, gloriosum ad superos rediisse. *Leander, Pighius*. Ceterùm Vesuvium à vino quod fert olim celebrem extitisse, innuit Mart. lib. 4. Epig. 44.

*Hic est Pampineis viridis modò Vesvius umbris:*
*Presserat hîc madidos nobilis uva lacus.*

268. GERMANOS] Qui à natura in Bacchi cultum propendent: & vina optima æstimare, & aliis quodammodò invidere consueverunt. ERUMPERE] Queri exclamando, & expostulare cum natura. LACRYMASTI] Tales lacrymas optimi vini non protulisti?

269. PARTIBUS &c. In patria nostra. Vide suprà de *partibus* Serm. 3. ad ỹ. 184. fol. 46. JUGIS AQUÆ FONS] Perpetuo saliens. Horat. l. 2. Sat. 6. ỹ. 2.

*Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquæ fons.*

Id est, continenter fluens. Et quidem Neapoli fontes sunt aquarum limpidissimarum, tam publici ubique per vicos, quàm privati & domestici, ad usum familiarem. Nam ex fontibus aquarum dulcium in alveum collectus Sebethus, & aquarum castellum, inde per aquæductus subterraneos, totam Neapolim fontibus irrigat, non tantùm vias publicas, verùm etiam palatia, diversoria, ædes, in illorum atriis & cœnaculis, aquas abundantes subministrat. *Schottus, Pighius*.

270. SARNUS] Flumen à Saro monte oriens, cujus ostia haud procul olim Pompeis. Muceriam intra mille passus, à Septemtrionibus præterfluit. Inde Sarrastes populi. Agro plerumque plano decurrit, hinc miris audit apud Silium lib. 8. Ceterùm aquam præbet non tantùm potabilem, sed etiam suavissimam. Inde & rigandis tam Mucerinis, quàm Pompeianis agris opportunus. Quare noster addit CIRCUMVICINOS] Scil. jam memoratos, auctore Virg. l. 7. Æneid. ỹ. 738.

*Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

Vide Philip. Cluver. Ital. Antiq. lib. 4. c. 3.

271. OLERE &c.] Omnia scil. quæ ex agris illis fœcundissimis inferuntur foro Neapolitano venalia. De olere consule suprà Serm. 14. ad ỹ. 8. fol. 66. AB ULMO] Neapolitanis dicitur *La piazza del ulmo*. Ubi non minùs hieme, quàm æstate prostant omnis generis fructus. Nominis rationem ducit Schraderus ab ulmo, ex qua præmia suspendebantur. Nam olim hoc in loco spectacula edebantur. Hodie verò à lautioribus & mercatoribus habitatur.

272. ASPARAGO] Notissimo cibo; cujus duplex species in Italia, silvestris una, quæ & *corruda*; altilis altera. Utriusque meminit Plinius lib. 19. c. 4. Priores Juvenali Sat. 11. ỹ. 68. dicuntur. ------------ *Montani*

*Asparagi, posito quos legit villica fuso:*

Posteriores sapidiores sunt, & nobis Belgis soli in usu. In mensarum deliciis fuisse indicat Juven. Sat. 5. ỹ. 80. ubi de pisce squilla & lance.

*Aspice quàm longo distendat pectore lancem*
*Quæ fertur domino squilla, & quibus undique septa*
*Asparagis, quâ despiciat convivia caudâ.*

Asparagi etiam dicuntur fruticum cauliculi teneri, & primum erumpentes: ut hodie sunt Srolones primi fœniculi, & lupi salictarii. Vide Had. Junium, & Lud. Nonnium de re cib. l. 1. cap. 16. FRAGO] Noto & obvio fructu, quem Belgæ vocamus *aerdbesie*. Sunt enim fraga, acini moris

*Atque Armeniaco, cerasо, nuce, amygdalo, & uvâ,*
*Et reliquis, quibus oblatis sub tempore mensæ,*
275. *Attonitus* CAROLUS *Quintus vix credulus hæsit.*
*Adde tribus castris secura palatia, sedes*

non absimiles, iis tamen magis turbinati, unde à Servio appellantur, mora in herbis nascentia. Vix memorantur priscis, quibus tamen non fuisse incognita indicat Virg. Ecl. 3. ℣. 92.

*Qui legitis flores, & humi nascentia fraga.*
AUSONE POMO] Hesperio, Aurantio, & Citrio omnis generis, quorum tantus hic est proventus, ut quasi nihili veneant, & à pueris se mutuò petentibus abjiciantur.

273. ARMENIACO] Malo præstantissimo, ex Armeniâ in orbem nostrum primitùs advecto, quod flavo & purpureo cortice tectum, cetera Persica maturescendo antevertit. Had. Junius Belgicè interpretatur *roode persen*, *vroeghe persen*. Posteriores Græci hæc mala nuncuparunt *βίρικοκκα*: inde apud nationes quasdam audiunt *abricocces*, uti & apud nos, *abrikocken*. Sed alii negant, Armeniaca esse præcocia illa jam exposita: de qua re consule Nonnium de re cibar. l. 1. c. 25. Sed parum interest hîc, quando intelligimus per Armeniaca omne genus Persicorum, sive sint Rhodacina, sive Præcoqua, sive Armeniaca: quorum omnium ingens copia est, & varietas, in paradiso Italia, maximè in Italiæ paradiso Campania. NUCE] Juglande, Avellanâ, pineâ, castaneâ, pistaciâ, & ut sequitur amygdalâ, tam dulci, quàm amarâ. Nonn. de re cib. l. 1. 57. & seq.

274. RELIQUIS] Fructuum generibus, & abundantiâ obstupendâ, quæ alibi solâ æstate vel autumno, & ægrè reperias

275. CAROLUS QUINTUS] Magnus ille Imperator, Philippi I. F. Maxæmilıani Aug. N. ex Augusta familia Austriaca & Burgundica, natus in Belgica, Belgicæ Princeps, quem referunt annales, à victoria Tunetana, ex Africa gloriosè reducem in Italiam, anno salutis CIƆ. IC. XXXV. sub finem Novembris Neapolim appulisse, ibidemque hibernasse, ac dies anteqnadragesimales, celebratis nuptiis filiæ suæ Margaritæ, cum Alexandro Medicæo Florentiæ Duce, epulis, choreis, pompis, ludis, spectaculis transegisse. Quo tempore, ut refert Poëta noster, cum rarissima quævis & exquisitissima fructuum genera, mensæ illius primùm offerrentur, quæ ob hiemis clementiam isthic, & olitorum industriam, eâ anni parte reperiuntur: quid mirum; si maximus ille Princeps, ad rem antè non visam obstupuerit, vix in animum inducens; naturam, has Comi gratias mensibus hibernis educere potuisse? VIX CREDULUS] De fide oculorum suorum dubius, verine & naturales fructus, an fuci vel arte facti; sibi hac anni tempestate offerrentur.

276. TRIBUS CASTRIS] Sauteremensi, Novo, & Ovi castro, quæ urbem & portum tutantur. *Santeremense*, vulgo, *castello di sant' Eremo*, loco urbis altissimo versùs continentem, inædificatum, longè munitissimum; detegit & despectat urbem, portum, littora, & insulas maris. Exstruxit Robertus Rex, auxit Carolus V. Imperat. Urbi conjunxit prolato pomœrio Philippus II. Rex Catholicus. *Castrum novum* seu neophrurion, vulgo *castel nove*, extructum à Carolo I. Rege, Andium comite, D. Ludovici fratre, ad urbis & portus præsidium. Expulsis gallis instauravit Alphonsus I. atque ita communivit, ut inter firmissimas Italiæ arces celebretur. Carolus V. Imperator, ejusque filius Philippus II. omni bellico apparatu instruxerunt. In medio arcis, prætorium ingens superbit, par Imperatori aut Regi cuipiam recipiendo. Hoc in palatio celebrantur regni conventus annui, & ipse Prorex quot hebdomadis factâ sui adeundi copiâ, querentium & postulantium libellos suscipit. *Castrum Ovi*, vulgo *Castello dell' ovo*, dictum à forma ovali ipsius scopuli marini, in quo conditum. Opus esse volunt Guilelmi III. Normanni, & inde diu vocitatum fuisse Normannicum. Alphonsus I. Arragonius instauratum exornavit. Scopulum hunc veteres Græci *μυάγραν*, id est, muscipulam, seu instrumentum quo mures capiuntur, appellasse ferunt, vel ob situm ipsum maris, quo undique cingitur, vel ob difficiles elapsus, quibus quasi capti videantur, qui hanc arcem habitant & defendunt. SECURA] Ab hostibus tuta, & contra illorum irruptiones validè communita. PALATIA] Palatium seu prætorium castri novi jam memoratum, cui muniendo, quaterni reges, suam quisque operam, contulerunt: dignum proinde, quod regum aspectu & habitatione, quaudoque sit illustratum, cui & hodie adjacet superbissimum pro-

*Quattuor antiquo certantes sanguine Regum,*
*Infractisque animis; minimis & ubique sacellis*
*Magna Monarcharum monumenta; & commoda censu*
*Cœnobia, & Monachorum inopum subsellia, sumptu*

Proregis prætorium, in cujus substructionem & ornatum, utriusque mundi aurum concurrisse existimes.

277. QUATUOR] Jam memoratorum, Caroli I. Alphonsi I. Caroli V. Philippi II. CERTANTES SANGUINE] Regiâ stirpe inclyti, Austriâ, Arragoniâ, Valesiâ, quibus clariores hodiernus orbis non suspicit.

278. INFRACTISQUE ANIMIS] Fortissimi, & heroica fortitudine inter se decertantes.

279. MONARCHARUM] Regum Neapolitanorum. MONUMENTA] Imagines, anathemata, donaria, statuas, cippos, cenotaphia, mausolea, & generatim omnia, quæ vitâ functorum memoriam vivis excitant. COMMODA CENSU] Opulentè dotata, annuo censu & proventu ditia.

280. CŒNOBIA] Loca & septa sacra, ubi vitam communem agunt, & sacris defunguntur officiis, tam viri quàm fœminæ: Latinè dixeris contubernia. Nam *Cœnobium* vox Græca est, *ἀπὸ τῦ κοινῦ*, quod est communis, *καὶ τῦ Βίυ*, quod est vita, in unum conflata, quasi vitæ communicata societas. Inde apud A Gellium lib. 1. c. 9. Cœnobium illud Pythagoricum, ubi *quod quisque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis.* Quo nomine nunc censentur contubernia & domicilia illorum, qui primævam vitæ Apostolicæ societatem æmulantur. MONACHORUM INOPUM] Pauperum, & mendicantium, qui quotidiano eleëmosynarum quæstu vitam tolerant, nullis aut per exiguis censibus gaudentes: ut sunt, qui sub præsidio Deiparæ virginis, sanctorumque Augustini, Dominici, & Francisci, Deo reipublicæ Christianæ, quà docendo & concionando, quà psallendo, sacris operando, & noxas piorum confitentium auscultando, magno cum fructu deserviunt. *Monachi* olim quasi unici & solitarii dicti sunt, qui procul ab hominum strepitu & consuetudine, Deo victuri secedebant. Hinc, qui modò etiam inter homines, aut ruri inter se, Deo soli vivunt, Monachi dicti, ac ipsorum septa monasteria appellata sunt. SUBSELLIA] Templa & monasteria sumptuosissima, ubi publicus populi confessus ad audiendum Dei verbum, ex ore virorum eloquentissimorum, quorum maxima, apud Ordines, ut vocant, Mendicantes, in Italia, est frequentia. *Subsellia* primis temporibus apud Romanos, dicebantur loca, ubi minora judicia exercebantur: nostrates dixerint hodie, *subalterna.* Varro lib. 4. de ling. Lat. *Vt subsipere, quod non planè sapis, sic quod non planè erat sella, subsellium dictum.* Usus tamen postea obtinuit, ut sedes honoratæ quorumcumque judicum, magistratuum, equitum, nobilium, *subsellia* vocentur. Inde & subsellia in Orchœstra, de quibus Martialis lib. 2. Epig. 29. ℣. 1.

*Rufe, vides illum subsellia prima terentem.*

Item & in Senatu. Cic. de cl. Orat. c. 290. *Locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal.* Et Philip. 5. c. 18. *Cùm inter subsellia Senatus versarentur latrones.* Hodie pro quolibet confessu publico usurpari queant. SUMPTU MAXIMA] Sumptuosissimè fabricata; quæ mirum dictu, quàm rapiant exteros, & urbem Regiam & amplissimam exornent, tam varietate, frequentiâque, quàm splendore & cultu prorsus aureo. In primis illud S. Augustini, ubi regalia planè conspiciuntur peristylia bina, surgitque hodie templum, mole, vastitate, symmetriâ, parergis, & ornatu omnis generis, cum primis & vastissimis urbis Ecclesiis quandoque certaturum. Item S. Joannis Carbonarii (ita vocant à loco situs) ubi superbissimum Mausoleum ex pario marmore artificiosissimè sculpto, Roberti Regis, ejusque sororis Joannæ. Utrumque Ordinis Eremitani S. Augustini. Item & celeberrimum istud S. Dominici, ubi servatur memorabilis imago Crucifixi, quæ proditur oranti D. Thomæ Angelico Doctori respondisse, *bene de me scripsisti Thoma.* In cella sacrarii spectes thecas inscriptas, Alphonsi I. Arragonii, Ferrandi I. & Ferrandi II. Isabellæ Ducis Mediolanensis, aliorumque nominibus, quorum ossa isthic deposita conservantur. Item varia magnificentissima, Ordinis S. Francisci monasteria, & Carmelitana, maximè istud, ubi colitur celeberrima illa, & quotidianis miraculis clara, imago Deiparæ Virginis, in templo splendidissimè exornato, quod summâ religione tam indigenis, quàm hospitibus Chri-

*Maxima, pupillis miseris fana erudiendis:*
*Quæque ministrantur Nidensi nobilitate*
*Ægrorum hospitia; & locupletibus atque misellis*
*Semper oportunum pietatis montem; animoso*
*Undique pragmaticûm strepitu sublime tribunal;*

Christianis, voti & opitulationis gratiâ frequentatur. Quibus accedat superbissimum illud, & Augustissimum fanum Societatis Jesu, quod Neapolitanis, alteram quasi Vaticanam Basilicam exhibet, quà mole, quà ornatu. Item & illud Montis Oliveti, ubi humata sunt ossa magni illius J. C. Alexandri ab Alexandro, quem doctissimæ Genialium dierum lucubrationes mundo celebrant: relicto exemplo quibuscumque aliis, ut priscam litteraturam, morum, rituum & legum Romanarum magistram, cum Astreæ studiis conjungant; & remisso quandoque culinario à rebus forensibus quæstu (quod cultioribus quibusque in usu) patrocinii sui rationes, ad puritatem prisci juris expendant. Item & splendida ædes D. Claræ sacra, quam Agnes Hispana Roberti Regis uxor, post mortem mariti, inter sacras virgines Deo devota, exstruxit. Aliaque prope innumera, quæ non capit commentarii brevitas. Legendi Leander, Pighius, Mercurius Italicus &c.

281. PUPILLIS MISERIS &c.] Pauperibus pupillis, quibus facultates, ad alimentum, vel artem quæstuosam perdiscendam non suppetunt. FANA] Loca ad fanum S. Mariæ, quam vocant annuntiatam. Huic enim contiguum est ἀπογοχομένων, seu pauperum hospitium, magnitudine atque structurâ municipii perampli instar, in quo supra duo pauperum millia, omnis generis ægroti, senes debiles, & ad operandum impotentes aluntur, & curantur. Sed, quod maximè huc spectat, plusquam octingenti utriusque sexus orphani, & expositii ibidem ab infantia educantur, litteris imbuuntur, ac artibus variis, pro cujusque ingenio diligenter instituuntur, usque ad ætatis maturitatem. Puellæ nubiles justa dote elocantur.

282. NIDENSI NOBILITATE] Id est, à Curia Nidensium nobilium, cui ex majorum legatione, vel aliunde competit hæc cura. In hac enim urbe aliquot nobilium cœtus seu curiæ sunt, *Seggi* nominant, quibus suæ cuique familiæ subjiciuntur, in iis, quæ jus & caussas earum attinent. Leander eas recenset quatuor: Capuanam, Nidensem, Montanam, & S. Georgii, alii plures & aliis nominibus. Nidensis autem Curia ceteras numero familiarum anteit.

283. ÆGRORUM HOSPITIA] Nosocomium, ubi ægri pauperes curantur & aluntur. Nam prgter illud jam memoratum D. Mariæ, alterum Neapoli est D. Mariæ popularis: cui & tertium accedit ægritudinum perpetuarum, seu incurabilium, quod aiunt; in quo verno tempore ultra tria millia ægrotorum, qui Guaiaci potione utuntur, curari solent. *Schraderus.* LOCUPLETIBUS &c.] Divitibus perinde, dum ætis præsentarii penutiâ laborant, ac pauperibus, quibus id frequens.

284. PIETATIS MONTEM] Notissimæ per orbem nostrum argentariæ publicæ sunt, quas appellant *montes pietatis*; ubi nullis vel exiguis usuris, deposito pignore, mutua donatur pecunia in usus pauperum, aut etiam eorum, quibus præsenti pecuniâ opus est. Et hæc Neapoli omnibus peropportuna, peregrinis juxta & civibus. Hoc institutum primitùs ex Italia ad nos ab hinc aliquot lustra deductum est: utinam majori pauperum solatio!

285. PRAGMATICUM] Advocatorum. *Pragmatici* olim Græcis dicebantur, qui mercede conducti oratoribus in judiciis se præbebant ministros. De his Cicero lib. 1. de Orat. c. 253. *Illi*, inquit, *disertissimi homines, ministros habent in caussis juris peritos, cùm ipsi sint peritissimi, & qui, ut abs te paulò ante dictum est, pragmatici vocantur.* Hodie autem hoc nomine censentur advocati, omnesque illi qui forensia negotia tractant; maximè tamen, qui jus ipsum docent & interpretantur, eoque fine consuluntur. Quintil. lib. 3. c. 6. *Græci*, inquit, *πραγματικοὺς vocant juris interpretes.* Juven. Sat 7. ṽ. 123.

*Inde cadunt partes, ex fœdere Pragmaticorum.*

In quem locum Lubinus: *Pragmatici Pediano advocati sunt, qui caussidicis leges monstrabant, & quos tamquam peritiores adibant, & consultabant.* STREPITU ANIMOSO] Acri concertatione, & quâdam eloquentiæ pugnâ. Ut fieri solet, quando homines disertissimi, inter se, ad docendam suæ caussæ æquitatem, animosè & cum calora digladiantur. SUBLIME] Altè sonans, vel ab

*Urbe vagos hortos, urbanaque prædia ruri.*
*Occurrunt equitum ludi, ampla petorrita; festa*

ab eloquentia perorantium maximè laudabile. Virg. Ecl. 9. ṽ. 29.

*Cantantes sublime ferent ad sidera Cygni.*

TRIBUNAL] Locus judicii, sellæ vel subsellia judicum, à quibus jus dicitur. Cujusmodi Neapoli sunt quinque: primum *S. Pauli*, in quo levia nomina expediuntur. Alterum quod vocant *la zecha*, in quo caussæ mercaturam attinentes deciduntur. Tertium *la vicaria*, ubi caussæ civiles & criminales actitantur. Quartum *summaria*, ubi de patrimonio Regis cognoscitur. Ultimum quod audit *sacrosancta*, ubi jurgia & controversiæ finiuntur.

286. URBE] In urbe. VAGOS] Latè patentes, amplos & porrectos. Sic Tibullo *vagus aër*, *vagus Araxis* lib. 4. paneg. ad Messal. & Horat. lib. 1. Od. 2. ṽ. 18. *vagum Tiberim* nominat. HORTOS] Qui sine numero reperiuntur in ipsa urbe, omni elegantiâ, & artis cultu exornati. Inter quos eminebant olim horti Garciæ Toletani, tam amplitudine, quàm omnis amœnitatis genere singulares, quos ferunt nexorum maledictis damnatos sæpius devotosque fuisse, quorum sudore & sanguine sunt elaborati. *Pighius* fol. 464. PRÆDIA RURI] Hortos & villas suburbanas, quæ potissimùm in agro littoreo spectantur, ædificiis & culturâ insignes. Videas isthic magno oblectamento fontium ædiculas, antra Nympharum, atque piscinas, coralliis & unionum ostreis, omnique conchyliorum varietate renitentes. Item porticus, ambulacra, scenas frondibus concameratas, florum fructuumque multiplici colore distinctas: parietes malorum punicorum tapetis vestitos, peristylia & exedras, picturis, signis, statuis, & marmorum antiquitatumque reliquiis decoratas, quibus horti magnatum, variis in locis resplendent. Pulcherrimi celebrantur Marchionis Vicensis, aliorumque principum: uti & in maris littore villa Bernardini Martziani, variis antiquitatum monumentis exornata. Item Regum secessus, amplissimum palatium à Ferdinando Arragonum Rege exstructum, vulgus Italicum vocat *Poggio Reale*, quo se à laboribus ac negotiorum fluctibus, tamquam in portum securum recipere solebat. Quæ & alia ubersimè describit Pighius fol. 465. *Prædium*, quælibet possessio est, tam in urbe, quàm ruri. Vide suprà Serm. 4. ad ṽ. 89. fol. 75.

287. OCCURRUNT] Tempore scil. Bacchanaliorum, seu illis feriis, quæ dies pisculentos vel quadragesimales ex Ecclesiæ instituto prævertunt. EQUITUM LUDI] Qui solent fieri à turmis equitum personatorum, quarum singulæ, suis coloribus, atque insigniis distinctæ, peregrinam vestitus varietatem præferunt, certantque inter se, non minus equorum generosorum pulchritudine, sumptuque ac pretio phalerarum, quàm militari velitatione vel hastarum concussatione. Apparatus sanè magnificentissimus, qualem ibidem in gratiam Herculis sui Prodicû institutum, refert Pighius, à Principe Sulmonense, ut præventis hac ratione Bacchanaliorum ludicris, gratissimum hospitem delectaret. fol. 471. AMPLA PETORRITA] Vehicula magna, non tecta supernè, sed patentia à personatis insessa, quæ pro more dierum istorum genialium, ad publicam populi hilaritatem, festivâ pompâ per urbem aguntur, magno spectantium plausu. Qualia Romæ etiam cernuntur integris quandoque theatris constrata, in quibus personati dramata, & ludos suos edunt. *Petorritum* vox Gallica, non Græca, ut docet A. Gel. l. 15. ṽ. 30. Gallicani vehiculi genus notat, pilento fortassis, aut shedæ (quæ item Gallica vox est) non multum absimile. Usum illius in spectaculis fuisse indicat Hor. l. 2. Ep. 1. ṽ. 192

*Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.*

Ubi commentator vetus intelligit vehicula captivarum famularum. Ad usum & fastum majoris census hominum extitisse, noto ex eodem lib. 1. Sat. 6 ṽ. 104. ---- *Plures calones atque caballi*
*Pascendi: ducenda petorrita. Nunc mihi curto*
*Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum.*

Velocioris vehiculi notam præfert apud Ausonium Epl. 8. Axio Paulo ṽ. 5.

*Cornipedes rapiant imposita petorrita mula,*
*Vel cisio trijugi, si placet, insilias.*

Scil. ut Paulus Rhetor properè veniat ad Ausonium. Sic & Epl. 14. ubi dehortatur eumdem à velociore cursu in via. ṽ. 14.

*Sed cisium, aut pigrum cautus conscende veredum.*
*Non tibi sit rheda, non amor acris equi.*
*Canteri moneo malè nota petorrita vites:*
*Nec celeres mulas ipse Metiscus agas*

Id est, ne incautus excutiatis. Metiscus enim Turni auriga à Juturna viragine, inter media lora temone excutitur apud Virg. lib. 12. Æn. ṽ. 469. FESTA] Festis his congruens, bella, commoda, & ad bene spectandum comparata. Ut solent ibidem

*Sella sine obloquio; ut que voles*, cave Rex, cave Princeps.
*Mappa & opistogrophum viridi circumdata limbo,*
Lucius & socii, Panum Dryadumque calores
Repræsentabunt hodie: plaudetur; adeste.

dem ad festorum ludorum spectacula conduci sedes, cui loca, unde spectent opulentiores, aut quibus grave non est, nummum dependere.

288. SELLA] Locus conductilis, vel sedes. In M. SS. poetæ reperio:

*Sella sine obloquio, vili conductilis ære.*

SINE OBLOQUIO] Ubi enim quisque sedet suo ære, non datur obloqnii anse, maximè iis, quos piget huic rei nummos impendere. UTQUE VOLES] Et si voles, seu tibi libuerit. Supple, edicere poteris locum à te condnctum occupere nitentibus, CAVE REX, CAVE PRINCEPS] Id est: non licet tuo injussu cuipiam, tuam sedem intercipere. Periphrasticè notat sellam conductilem.

289. MAPPA] Signum ludorum. Hic transit ad comœdias, & dramata, quæ solent eodem fere genialium dierum tempore, magno concursu populi, artificiosè ac dextrè pro ingenio Italico exhiberi; non tantùm hic Neapoli, sed in omnibus Italiæ primariis urbibus. *Mappa* eutem à veteribus non rerò pro ipsis ludis usurpatur. Juven. Satyr. 11. 191.

*Interea Megalesiaca spectacula mappa,*
*Idaum solenne colunt.* -------

Erat enim *mappa* signum committendorum ludorum, quod non nisi aut à prætore, aut editore, aut etiam à dictatore in hoc creato, mittebatur. *Mappa*, inquit Cassiodorus 3. var. *qua signum dat Circensibus, tali casu fluxit in morem. Nero prandens, flagitante populo missus, mappam abjici jussit per fenestram.* Itaque è sella editoris, qui plerumque prætor, in circum dejiciebatur meppa: quo signo accepto, feræ, currus, aut gladiatores committebantur: inde enim ludorum auspicium. Sueton. l. 6. c. 22. de Nerone: *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in hortis inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in circo maximo prabuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent.* Et magistratus quidem super fornices carcerum convivium curabant, eo scil. loco, unde spectabant; & inde mappa mittebatur, candida, & cujus usus tergendis in mensæ manibus, ut diximus serm. 5. ad ✠. 111. fol. 100. Hinc Mart. lib. 12. Epig. 29. ✠. 9.

*Cretatam prator cum vellet mittere mappam.*

Hanc eamdem *mappam*, Tertullianus de spectaculis damnat, ut præcipitati ab alto diaboli figuram. Vide Domit. Calderin. l. 3. c. 14. & Raderum in Martialem. LIMBO] Viridi fimbriâ, aut extremitate. Virg. l. 4. Æneid. ✠. 137.

*Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.*

Hoc viridi limbo suas mappas ornare solent ludiones: fortè ex prisco more. Nam auctore Baysio, mappæ olim ad limbum purpureis clavis variari solebant. Quò spectat, isthoc Mart. lib. 4. Epig. 46. ✠. 17.

*Et lato variata mappa clavo.*

Sed parùm interest, quando hoc loco intelligimus quamcumque telam, pannum, aut aliud quidvis, in quo sit OPISTOGRAPHUM] Id est, conscriptum quidpiam, antè & in tergo. Sic dicitur cherta *epistographa*, cujus utraque facies litteris exareta. Nam ὄπισθεν, Græcis est ponè, vel à tergo. Pleto enim lib. 1. de repub. *Καί με ὄπισθεν λαβόμενος τοῦ ἱματίου. Pone me prehendens veste.* Inde & ὀπίσθιος, id est, posticus, aversus, posterior. Hoc autem opistographo Mappæ invitantur spectatores, verbis ut sequitur.

290. LUCIUS] Femosùs quispiem histrio, aut histrionum magister, cum sociis suis ludionibus. PANUM DRYADUMQUE CALORES] Amores pastorales. Per *Pana* pestionis Deum, pastores; per *Dryades* ruris & silverum præsides, Nymphes rusticas intelligit. Quod ergumenti genus, plerumque sibi deligunt histriones, ut placeant populo, & à spectatorum frequentiâ quæstum uberiorem faciant.

291. REPRÆSENTABUNT] In scena. PLAUDETUR] Bellissima comœdia pleusum ciebit. Ita circumforanei merces suas extrudunt. *Plausus* proprius est theatris; nam ferè omnis elauditur comœdia, hoc epilogo: *Plaudite*, aut *plausum date*. Ut videre est apud Plautum & Terentium: quod innuit Plauti Cistellaria, ex more prisco fieri. Sic enim postremus versus:

*More majorû, date plausum postrema in comœdia.*

Est autem *plaudere*, gratulari manuum complosione, aut lætitiam manibus pedibusque præferre. Hodie in Italia vestigium prisci moris constet, ubi finitæ comœdiæ plerumque appleudit effusa omnium acclamatio, geminatâ particulâ: viva!

*Musica Pausilypo per grata crepuscula labens*
*Puppibus auratis, ipsum quâ raptet Ulyssem,*
*Non potis in vitâ, remeantem mortua Siren.*

viva! viva! ADESTE] Invitantur omnes, ut spectent, & sic actoribus quæstui sint. Naso Fast. 4. ✠. 187. pari ferè ratione.

*Scena vocat, ludique vocant: spectate Quirites.*

292. MUSICA] Cantus symphoniacus, seu concentus, tam vocum quam tibiarum, aliorumque organorum musicorum. PAUSILYPO] In mari ad radices Pausilypi montis; uti & hodie nominant: nam olim villa Vedii Pollionis hoc nomine celebrata est. Plin. l. 9. c. 55. *Pausilypum villa est Campaniæ, haud procul Neapoli: in ea, in Cæsaris piscinis à Pollione Vedio conjectum piscem, sexagesimum post annum exspirasse, scribit Annæus Seneca.* Et Dio lib. 54. scribit Vedium Pollionem Augusto legasse *Pausilypum villam Neapolim inter Puteolosque sitam.* Nomen invenit à sedando dolore. Græcis enim παύειν, est id, quod Latinis sedo, & λύπη dolor. Inde παυσίλυπος ἄμπελος cujusdam Poëtæ apud Athen. l. 2. Id est, *mæroris sedatrix vitis.* Ceterùm mons est seu rupes hodie omni amœnitatis genere ridens, optimi vini ferax, sub qua est specus, seu crypta Neapolitana, cujus meminimus Ser. 3. ad ✠. 79. fol. 37. & suprà, ad ✠. 218. fol. 183. Instar Promontorii in mare Siculum procurrit, pulcherrimam se navibus stationem commodat, solem noxiosque flatus arcet, oculos silvestri specie, & nares citreorum fragrantiâ demulcet. Huc mensibus æstivis certatim Neapolitani, PER GRATA CREPUSCULA] Sub vesperum, seu crepusculum vespertinum, diurno æstu pressi, provehuntur, & velut classe aliqua, longè latèque obtinentes æquor, instruunt epulas, fabulantur, canunt, rident, jucundantur, & suavissimis symphoniis littus omne personant. *Grata* dicit, discusso jam solis æstu. *Crepuscula*, sub solis occasum. *Crepusculum*, inquit Varro l. 5. de ling. Lat. *significat dubium. Ab eo dubia res dicta crepera, quod crepusculum dies etiam nunc sit, an jam nox multis dubium.* Nonius autem: *Crepera res propriè dicitur dubia, unde & crepusculum dicitur res dubia.* Ferè tamen intelligitur de noctis Crepusculo. Plaut. in fragm. Parasiti:

*Inde bene appotus primulo crepusculo,*
*Domum ire cœpi tramite rectâ viâ.*

Id est, primâ vesperâ. Et Prolog. Casin. ✠. 40.

*Cum conspicatus est primo crepusculo*
*Puellam exponi.--------*

Et Ovid. lib. 5. Fast. ✠. 455.

*Inde domû redeunt sub prima crepuscula mœsti;*
*Utque erat in duro procubuere toro.*

Hodie itaque bene addunt *crepusculo*, vocem *matutino*, quando sermo est, de dubia luce, quæ solis ortum antevertit.

293. PUPPIBUS AURATIS] Vario colore, & auro pictis navigiis, puta celocibus, phaselis, liburnicis, quarum usus in hoc littore. Ex his autem tantâ harmoniâ, & dulcedine consonantium tubarum, fidium symphonia, & gratissimarum vocum concentu, aures afficiuntur sub noctis silentia, ut quamlibet huic voluptatem posthabere possint. Et certè cum inter reliquas omnes Europæ nationes, arte, dulcedine, & cantus affectu, Itali palmam obtineant, non est quod miremur sequentem hyperbolen. QUA RAPTET ULYSSEM] Qui præternavigans in hac ora Sirenusas, inter insulam Capreas, & modicè circumflexum Minervæ promontorium, ubi Sirenum sedes statuit Cluverius; ne cantus dulcedine sisteretur, sociis aures cerâ obturavit, seque ad malum constringi voluit. *Hyginus* Mytolog. c. 125. Sirenes enim, eos qui hâc navigabant, ita suo cantu demulcebant, ac retinebant, ut de reditu in patriam non cogitarent. Hoc periculum ut vitaret Ulysses, à Circe præmonitus creditur, ususque consilio jam memorato. Ulysses Ithacæ & Dulichii rex, à bello Troiano, Homeri scriptis, & prudentiâ notissimus. Vide Serm. 1. ad ✠. 94. fol. 16.

294. NON POTIS IN VITA] Quæ non potuit Ulyssem adhuc viventem dum hâc præterveheretur suo cantu allicere, aut defigere. REMEANTEM] Ad superos, & iterum hâc navigantem. MORTUA SIREN] Licèt jam mortua, id tamen hujus symphoniæ adminiculo possit. Rectè *mortua*, quia ut refert Hyginus Mytol. c. 151. Sirenum fatum erat tam diu vivere, *quam diu cantantes eas nemo esset prætervectus: quibus fatalis fuit Ulysses. Astutiâ enim suâ cùm prænavigasset scopulos, in quibus morabantur, præcipitarunt se in mare. Nomina earum memorantur, Parthenope, Leucosia, Ligea.* Vide Ser. 2. ad ✠. 46. fol. 26. Item, Lamb. in Horat. & Phil. Cluver. Ital. antiq. l. 4. c. 4. Inde jam constat sententia hyperbolica: tantam audientibus voluptatem adfert æquorea hæc musica ad Pausilypum, ut Sirenes licet mortuæ, ejus adminiculo, si redivivus

295. *Littoris occurrit moles, crebræque triremes:*
*Prospectus Capreæ, quæ & vectigalibus ampla*
*Præda coturnicum, Prochyta, atque Ænaria, eremo*
*Et cellis sancti Martini, quas fovet alto,*

hâc prætervcheretur, Ulyssem raptarent, ac defigerent.

295. MOLES] Opus australi urbis plagâ extra muros in littore, ex mari evectum quadrato lapide, quingentos ferè passus in altum procurrens; & incurvi brachii formâ, contra fluctus & maris tempestates insigniter communitum. Vulgus latinâ voce nonnihil deflexâ, *Molle* nominat. Vide suprà ad ℣. 233. Eò per fistulas subterraneas ex urbe deductus fons in capite molis erumpere solet: cujus crater prisca Neapolitanorum numina, Sirenes, Hebonem ac Sebethum exprimit. Vide *Leand. Pigh. Merc. Ital. Moles* hoc loco denotat aggerem, aut quidvis aliud, quo mare excluditur. Cic. l. 9. Epl. 17. ad Attic. *Ab utroque portus cornu moles jacimus.* Et ad eumd. l. 4. Epl. 15. *Britannici belli exitus exspectatur. Constat enim aditus insulæ esse munitos mirificis molibus.* Vide quæ diximus ad ℣. 33. de *pilis*. TRIREMES] Naves oblongæ, quibus terni remorum ordines. Sic & quadriremes & quinqueremes passim apud idoneos invenias; quibus scil. sunt quaterni, aut quini remorum ordines. *Triremem* inventam esse ab Amocle Corynthio prodit Thucydides. *Perottus.* Hîc capiuntur pro navibus quibusque actuariis: qualium copia Neapoli; adeò ut Pighius referat fol. 461. visas sibi isthic fuisse in portu, triremes ferme quadraginta, exploratoriis, navibusque aliis exceptis. Procul dubio ad defensionem freti Siculi, contra Turcarum & piratarum irruptiones.

296. PROSPECTUS CAPREÆ] Qui capitur sereno, & lucido cælo. Inde enim spectes insulam *Capreas* aut *Capream*, è regione promontorii Minervæ sitam, & tribus millibus pass. inde distantem. Vulgo hodierno appellatur *Capri*, habetque duo oppidula, quorum majus, idem cum insula nomen sortitur. Est autem insula nemoribus & apricis locis, domesticarumque arborum fructibus undique cincta; aëris temperie, & piscatu maximè nobilis. Celebratur apud Sueton. frequenti secessu Augusti & Tiberii. Ovid. Met. 15. ℣. 709.

*Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ.*

VECTIGALIBUS] Ordina: & præda coturnicum, quæ ampla vectigalibus. Tanta enim coturnicum copia isthic capitur, ut insulam locupletet; & vectigal capturæ earum, amplum censum faciat Antistiti. Fessæ siquidem volucres, ab emetienda volatu Tyrrheni maris latitudine, hîc & in adjacentibus insulis subsidere, & quiescere solent. Inde amplissimum capturæ vectigal.

297. PROCHYTA] Exigua insula, inter Ænariam & promontorium Miseni, quæ pars quondam fuisse putatur Pithecusarum. Plin. lib. 3. c. 6. *In Puteolano sinu Prochyta, quia profusa ab Ænaria.* Papin. lib. 2. Sil. Carm. 2. ℣. 76.

*Hac videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret.*

Item & Juvenal. Satyr. 3. ℣. 5.

----- *Ego vel Prochytam præpono Suburræ.*

Ovid. etiam lib. 14. Metamorph. ℣. 89.

*Inarimen Prochytamque legit.* -----

ÆNARIA] Insula major aliquantò Prochytâ, naturæ miraculis, & thermis multis, tam olim, quàm nunc celebris. Hanc veteres alio nomine *Inarimen*, & *Pithecusas* dixère. Strabo lib. 5. commendat ab agri fertilitate, & auri metallis, quæ primùm à Genuensibus detecta anno CIↃ. CCCC. LV. perperam existimat vulgus. Hodie aliud nomen obtinet, & *Ischia* nuncupatur. Arcem habet munitissimam, inter duas terras saxo impositam. Prochytam & Inarimen ferè semper jungunt Scriptores, ut suprà videre est, quia olim insula eadem, sed deinde à se divulsa, duas fecit. Sic & Virgil. lib. 9. Æneid. ℣. 715.

*Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile*
*Inarime Iovis imperiis imposta Typhao.*

Vide Cluver. Ital. Antiq. l. 4. c. 4. & Thomam Segethum. EREMO] Ex eremo vel solitudine videntur: seu capitur prospectus Capreæ, Prochythæ, & Ænariæ.

298. CELLIS] Domunculis singulorum monachorum, quas ipsi cellas, à cellarum similitudine appellant: id est, ex cœnobio S. Martini. ALTO] In alto. Siquidem monachium istud exstructum est, loco altissimo, medio clivo in ascensu montis, cui Santeremense castrum impositum, unde prospectus amœnissimus in loca subjecta, & vicina. Cœnobium illud inprimis nobile, dives & elegans est, templo & sacrario superbum: divitias, splendorem, elegantiam, fastum, verè regales, cum summa admiratione con-

*Montium & agrorum Bruno & dominator aquarum.*
*Nunc extra portam, quæ à sancto Spiritu, equorum*
*Atque equitum sudans à summo manè palæstra,*
*Et domitoris vox Pintassii:* Ad intus, ad extra,
Gyra, stringe, leva, decurre, reverte, refræna.
*Nunc matronarum ornatus, oculata calyptra*

conspeximus. Monachi ex legum suarum præscripto, vitam degunt solitariam, nec congregantur nisi sacris officiis defuncturi, statisque diebus communi cœnaculo pascendi. Inde solitudo sive eremus, locus appellatur, ab ejusmodi solitariis habitatus; quamvis alioquin propter arduum montis ascensum, & molestos aditus, locus hic ab urbe reliqua discretus, & propter advenarum infrequentiam desertus quodammodò videri queat.

299. BRUNO] Sanctissimi istius instituti auctor, quem sectantur hoc in asceterio monachi, quos à primæva eremo *Carthusiâ*, in Gallia Narbonensi, *Carthusienses* vocant. DOMINATOR MONTIUM &c.] Quia prospectat hinc in montes, mare, agros subjectos, quod aliquâ ratione est in ea dominari. Et certè nihil habet Italia hoc prospectu delectabilius. Hic enim directo lumine licet contemplari placidum maris sinum, ad lævam Minervæ, ad dextram Miseni promontoriis terminatum; Pausilypi vireta, insulasque Prochytam & Ænariam: isthic arva lætissima, montem & altissima juga Vesuvii, urbes & vicos oræ Surrentanæ, insulam Capreas &c. Si deorsum conspexeris, Neapolis tibi ejusque portus & moles in oculis, naturæ dubites majus, an artis miraculum. *Capugn.*

300. EXTRA PORTAM] Urbis scil. id est, in agro suburbano. A SANCTO SPIRITU] Supple, nomen habet.

301. SUDANS A SUMMO MANE.] Quia à primo solis ortu equos sudare facit, dum docentur ad nutum ephippi se movere, & gressum formare. Junioribus enim, & indomitis equis, dum subiguntur frequens est sudor & spuma. PALESTRA] Spatium vastum, parietibus clausum, formâ quadrâ & oblongâ, quod proximè spectare licet sumptuosissima regis equilia, ubi generosorum equorum, quibus abundat hic tractus, armenta stabulantur. Horis antemeridianis hic perdomantur, & exercentur equi regii, ad imperium Hipparchi, qui ex nobilium optimatibus in hanc spartam à Rege legitur; ac ordine suis stabulis educti, & ab insessoribus tam capistro, quàm virgulâ directrice pressi, nunc tolutim procedere, nunc rectâ & ad parietem pressè gradi, nunc pernices currere, nunc leniùs, nunc agillimè se rotare, nunc se reflectere ocyssimè, nunc circulos glomerare, nunc in altum quadrupedare, &c. quæ omnia certis ab arte vocabulis imperantur, ut sequitur.

302. DOMITORIS] Magistri, seu hipparchi, qui palestræ præest. PINTASSII] Nomen proprium illius, qui ad ea tempora, quibus Poëta noster Neapolim lustravit, hanc palæstram moderabatur. AD INTUS, AD EXTRA,

303. GYRA, STRINGE &c] Voces sunt imperantis Hipparchi, ad ephippos, vel equisones, ut experimentum capiat, quàm equi proficiant in arte. Tibullus lib. 4. Paneg. ad Messal. ℣. 90. de varia equorum flexione.

*Aut quis equum celerémve arcto compescere freno*
*Possit, & effusas tardo permittere habenas,*
*Inque vicem modò directo contendere passu,*
*Nunc libeat curvo meliùs contendere Gyro.*

Hoc genus exercitationis, quo equi flectuntur in orbem, & circumaguntur, inventum aiunt esse Lapitharum. Sic enim Virg. 3. Georg. ℣. 115.

*Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere*
*Impositi dorso: atque equitem docuere sub armis*
*Insultare solo, & gressus glomerare superbos.*

Et Prop. l. 3 E. 14 ℣. 11. *Gyrum pulsat equis.*---

304. MATRONARUM ORNATUS] Superbus vestitus Neapolitanarum, quæ tam cultu quàm incessu, insignem præferunt magnificentiam, maximè patriciorum & nobilium conjuges. OCULATA] Unico dumtaxat oculo hians, seu ita ad vultum adducta, ut unica tantùm orbicularis fenestella oculorum trajectui pareat: ne scilicet noscantur, nisi ab iis, quibus se credunt, amatis vel amantibus. Quod ipsum usu venit tam hic, quam in reliqua Italia, pauperculis matronis, quæ ne cogantur erubescere publicitus mendicando, simili velo nigro vultum obnubunt, dum in com-

305. *Deque tribu levi amicarum, famulisque cuculli*
*A pedibus proprii, quibus hospita sancta Lucia,*

pitis aut templorum vestibulis, utroque poplite flexo, stipem levandæ egestati orant, affixâ pectori schedâ necessitatis indice, ore muto, manuumque alterâ tenente scutulam, vel excipulum in quem nummum conjiciant pii. Nostratibus etiam mulierculis in usu, ejusmodi operimentum propiùs vultum adducere, dum nolunt videntibus innotescere, sicque relictâ unicâ tantum rimâ, per quam videant, ipsam videntur calyptram oculare. CALYPTRA] Capitis tegumentum, seu velum nigrum à capite ad furas usque fermè promissum, ad usum jam memoratum. Ceterùm Hadr. Junio censetur generalius esse vocabulum, ad quævis operimenta fœminarum: derivatur enim ἀπὸ τῦ καλύπτω, quod est tego. Hîc autem propriè pro meretricio velamento.

305. DEQUE &c.] Ordo est: oculataque calyptra amicarum de TRIBU LEVI] Sal hîc ex ambiguo fricat, ut nescias, adjectivúmne sit τὸ *levi*, an substantivum: utrovis enim modo accipias, idem tropicè designat. Sicut enim apud Hebræos tribus Levi solis decimis ac victimis vitam tolerabat; ita & tribui amicularum ejusmodi, minimè amicarum, ex decimis amantium, & victimis aræ Cypriæ, tanquam prostituti pudoris pretio, victus suppetit. Tribum Levi sacerdotalem S. Pagina celebrat, tribum vero levem, desultorii amoris levitas, & inconstantia. *De tribu levi* refertur inter adagia Godofredi ex Rebuffo. *Tribus* est populi vel urbis pars. Varro l. 4. de ling. Lat. *Ager Romanus primùm divisus in partes tres, à quo tribus appellata, Tatiensium, Ramnium, Lucerum: nominata, ut ait Ennius, Tatienses à Tatio, Ramnenses à Romulo, Luceres, ut ait Junius, à Lucumone..... Reliqua tribus ab iis rebus, de quibus in tribuum libris scripsi.* Hic pro certo genere, aut multitudine mulierum usurpatur. FAMULISQUE CUCULLI] Ordinandum: cucullique proprii famulis à pedibus: id est, chlamydes cucullatæ, qualibus amiciebantur isthic famuli ævo scholiriano, imò & ipsi heri. Hinc optimè additur *famulis proprii*, ut distinguat à cucullis dominorum. Vocis originē deducit Cl. Salmasius in Jul. Capit. à Græco κόκκ☉, quod est Galea vel galerus. Inde *cucus* & per diminutionem *cucullus*, & *cucullio*. Vide Oct. Ferrar. de re Vest. P. 2. l. 1. c. 22. In conum tamen desiisse cucullum, ostendunt cuculli papyracei, quibus involvuntur semina, aut aromata. Nam de his Mart. l. 3. Epig. 2. ad librum suum. ỳ. 4.

*Vel thuris piperisque sis cucullus.*

Quod autem sit propriè illa pars vestis, quæ caput tegit; inde constare potest; quod pœnulæ Gallicæ genus, si cucullum non habet, *Bardiacus*, si habet, *bardocucullus* nuncupatur. De illo Mart. lib. 14. Lemm. 128.

*Gallia Santonico vestit te bardocucullo.*

Hocque interest, inter pœnulam & lacernam, quod pœnulæ cucullus assutus, à lacerna separatus, sed qui cum lacernâ indueretur. Pro tota tamen veste usurpatum invenias, ac primùm pro veste villosa, vel gaussapina, ad arcendas pluvias, & frigora: qualem adhuc servi remiges, ab humeris usque ad summas suras dependentē gestare solent Neapoli, & alibi; cetera nudi. Olim militibus, rusticis, nautis & piscatoribus, imò & hodie in Italia etiam aurigis in usu. De hac veste Juven. Satyr. 3. ỳ. 170.

*Contentusque illic Veneto, duroque cucullo.*

Servorum habitum primò fuisse, dein ad liberos transiisse docet Raderus in Mart. l. 5. Epig. 14. Nocturni operimenti genus fuisse indicat Epl. 16. Sidon. Apol. l. 7. ad Chariabaudem Abbatem: *Nocturnalem cucullum, quo membra confecta jejuniis, inter orandum cubandumque tegare, transmisi: quamquam non opportunè species villosa mittatur hieme finitâ.* Nocturnam & muliebrē vestem fuisse, docet id Juv. Sat. 6. ỳ. 117.

*Ausa Palatino tegetem præferre cubili,*
*Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.*

Ex genere *cucullorum*, etiam fuere Caracallæ: nam D. Hieronymus Epl. ad Fabiolam: *Efficitur palliolum mira pulchritudinis, perstringens fulgore oculos in modum caracallarum, sed absque cucullis.* Hæ sunt illæ *caracalla*, Gallicæ scil. pallæ, quæ cùm antè fuissent breves, ut innuit Mart. lib. 1. Epig. 93.

*Dimidiasque nates Gallica palla tegit.*

Talares ad usum Pop. Romani fecit Antoninus Aug. Severi F. qui inde agnominatus Caracallus; & Caracallæ, Antoninianæ. Porrò ducibus & militibus, imò & ipsi plebi usitatos fuisse cucullos, docet Columna Traiana Ciacconii num. 237. & 244. ubi tam plebis, quàm militum lacernas cucullatas spectare licet. Vide Alb. Rubenium de re vest. l. 1. c. 6. & Oct. Ferrarium P. 2. l. 1. c. 22. & Salm. in Æl. Spart. & Marc. Donat. in Jul. Capit. Pert.

306. A PEDIBUS] Famuli à pedibus dicuntur, quorum operâ ad eundum pedibus utimur. Cic.

*A Pedemontanæ redeant quoad æde beatæ*
*Turma ducum dominorum; & millia deliciarum,*
*Tædia quæ vitæ abbrevient, vitamque perennent;*
*Quæque ego vix narrem, neque vestrûm accrederet ullus.*

Cic. lib. 8. Att. Epl. 5. *Epistolam ad me referri volo, nec ullam ob aliam caussam, Pellicem servum à pedibus meum Romam misi.* Venustè ludit Martialis in voce *à pedibus*, lib. 3. Epig. 23. ad Invitatorem.

*Omnia cùm retro pueris opsonia tradas:*
*Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?*

Id est, cur non sternis mensam servis à pedibus? Eorum usum si deducamus ad mores hodiernos, non malè famulos à pedibus dicemus eos, quos Itali *Staffieri*, nostrates voce Gallica *Laquaien* nominant. HOSPITA] Hospitium commodat. SANCTA LUCIA] Pandocheum, aut diversorium ad littus maris extra Neapolim, haud procul Pausilypo, quod insignit nomen vel imago *sanctæ Luciæ.* Dum enim domini properant pedibus, descensu jam ex equis facto, ad divam Pedemontanam, sive ad pedem montis, ipsi dominorum equos in hoc stabulo curant interea, ac subinde ludunt, compotant, rident, jocantur, pro more otiantium. Inde non malè deduxeris fortè ex mente Scholirii, cucullum, vagè à suprema chlamyde in tergum dependentem, & cerâ formâ vel materiâ compositum servorum notam extitisse. Primam & secundam in *Lucia* à naturali quantitate hîc deflectit, licentiâ quâdam poëticâ, ut vulgari & abusivo accentui se accommodet.

307. PEDEMONTANÆ &c.] Templum extat in aditu cavernæ, ad pedem montis Pausilypi, Deiparæ Virgini Mariæ sacrum, quò religionis gratiâ frequenter & turmatim commeant nobiles & lautiores Neapolitani, solentque plerumque equites eò tendere, aut carpento vehi, ut sors & census eorum flagitant. Hos sequuntur servi à pedibus, usque ad S. Luciæ tabernam, ibidemque gradum firmantes, curant ut suprà. Vide Schraderi monumenta.

308. TURMA] Equitum caterva, ut discas potiùs equo, quàm pilento vehi hucservorum dominos. Turma enim equitum est. Var. l. 4. de l. Lat. *Turma*, inquit, *terma est. E. in V. abiit, quod ter deni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum fiebant.* Et Festus lib. 18. *Turmam equitum dictam esse, ait Curiatius, quasi terimam, quod ter deni equites ex tribus tribubus fiebant.* Hinc Papinius turmalem pro equestri dixit. Sic enim lib. 5. Sil. Carm. 2. Protrept. ad Crispinum. ℣. 15.

*-----Non te series inhonora parentum*
*Plebeiâ de stirpe tulit, non sanguine cretus*
*Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo.*

In quem locum Lipsius ad 3. Annal. Taciti c. 2. *Turmalem*, inquit, *sanguinem vocat, quia propria equitum turma.* Sic & Maro Æn. 5. ℣. 560.

*Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur*
*Ductores: pueri bisseni quemque secuti.*

DUCUM DOMINORUM] Qui ducunt, & præeunt sequentes à pedibus famulos.

309. TÆDIA QUÆ &c.] Multa enim tædia circumstant humanam vitam, à rerum mutabilitate. Nam ut est, inter excerpta Grotiana ex Diphilo fol. 797.

*Vita hominum res est admodum mutabilis.*
*Nulla usquam vita est plena quæ non sit malis,*
*Furtis, dolore, morbis, tormentis, metu.*

ABBREVIENT] Inductâ temporariâ oblivione, faciant videri minus longa, & eatenus toleratu minùs difficilia. PERENNENT] Producant in seram senectutem, seu annos quàm plurimos vivere faciant. Vox est composita ex *per*, & *annare*: unde legimus *perannare*, quod est durare in multos annos, uti & annare, in unum annum. Suet. tamen, sed καταχρηστικῶς accepit, lib. 8. c. 5. In Vespas. *Ideóque puella nata non perannavit.* Pro διετίζειν, *durare in annum.* Ut sit: non annavit, aut per annum vixit. Alioquin veteres Romani mense Martio soliti sacra facere Annæ Perennæ: ut liceret sibi non solum annare, sed perannare. Ovid. Fast. 3. ℣. 523.

*Idibus est Annæ festum geniale Perennæ.*

Vide Casaub. in Suet. producitur autem vita humana, per auream mediocritatem in rebus, quâ nec à curis anxiis & gravioribus perturbationibus opprimatur, nec gaudiis & voluptatibus nimiis dissolvatur. Quò præter animi cultum, à rerum cælestium spe petitum, ducunt amœnitates hujus terræ, dum curis, tædiisque nimiis occursant, veluti morbis animi cunctis panaceam suppeditantes.

310. ACCREDERET] Facilè crederet. Lucret. lib. 3. ℣. 874.

*Hinc per oliveta, & myrteta, & laurina prata,*
*Tendimus in Latium, regnum omni dote beatum,*
*Italiæ culmen, Regumque scopum omnium in orbe,*
*Regnum regnorum, cui præsidet inclyta Roma:*
*Roma caput mundi, Divûm sanctissima sedes;*

-----*Facilè hoc accredere possis.*
Plaut. Asin. Act. 3. scen. 3. ℣. 37.
*Quisnã isthuc accredat tibi, cinæde calamistrate!*
Horatius lib. 1. Epist. 15. ℣. 25.
*Scribere te nobis, tibi nos accredere par est.*
Accredere dicuntur qui aliis credentibus accedunt: quod uti tutius quàm solum, vel ante alios credere; ita & faciliùs acceditur, quod est accreditur.

311. OLIVETA] Oleis abundare Campaniam suprà docuimus; quæ maximè tamen in montibus spectantur, uti & in vallibus laurus. Describitur iter ex Campania in Latium, seu Romam versùs, ubi viatorum oculis se pandunt, montes, valles, & agri oleis passim, myrtis & lauris consita. LAURINA PRATA] Lauris vagè vestita. *Prata*, inquit Varro l. 4. de Ling. Lat. *dicta ab eo quod sine opere parata*, scil. ad fructum faciendum. Sic & sine opere parata sunt illic Laurorum viridaria, quæ passim viatoribus se offerunt in agro Capuano & Sinuessano, ad Lirin usque, quæ sine cultu prorsus videntur silvescere, & media hieme, gratissimo aspectu virescunt. Quare & prata dicuntur eâ ferè ratione, quâ Doctissimo Calepino visum est, prata etiam dicta fuisse, quæ nunc viridaria, ut plurimum buxo & lauro frequentata.

312. OMNI DOTE] Fertilitate, amœnitate, rerum afluentiâ, populi frequentiâ, & reliquis quæ sequuntur. *Latium* veterum scriptis maximè celebratum est, unde nolim hic actum agere. Duplex olim *Latium*, novum & vetus. Vetus, non ultra Anxur aut Tarracinam extendebatur; novum, loca omnia inter Tarracinam & Lirin amnem complectebatur: hodie vocatur *Campagna di Roma*.

313. ITALIÆ CULMEN] In media Italia situm, eidemque imperitans, tanquam Provinciarum regina. REGUMQUE SCOPUM &c.] Quo venerabundi concurrunt reges & principes orbis Christiani, aut eorum legati, & ad solium Apostolicum S. Petri se pronos, Ecclesiarum Principi & Legato Christi, substernunt. Lips. ad Lectorem libr. 1. de magnit. Rom. *Ipsi reges & principes, adeunt & inclinantur, & obnoxia capita uni huic capiti submittunt.*

314. REGNUM REGNORUM] Regnis & regibus cunctis, jus dicens, & legem præscribens potestate plusquam humana. INCLYTA ROMA] Decantata illa tot veterum monumentis gentium domitrix, terrarum regina, de qua Martial. l. 12. Epi. 8.

*Terrarum dea gentiumque Roma,*
*Cui par est nihil, & nihil secundum.*

Ovid. Met. 15. ℣. 736.
*Iamque caput rerum Romanam intraverat arcẽ.*
Certè mundi caput extitisse terreno principatu, tam luculentè probant omnium gentium scriptores, ut lucem soli meridiano inferre rentem, si quid adjecero. Lege Lips. de Magn. Rom. lib. 1. c. 2. Imò & totum opus. Poëta noster Latium commendat aliunde, scil. ab hodierno religionis dominatu, de quo sequitur.

315. ROMA CAPUT MUNDI] Potestate Divina orbi præsidens. S. Leo Serm. 1. In Natal. Apost. Petri & Pauli. *Illi*, inquit, *sunt* (scil. Principes Apostolorum) *qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis & Regia, per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ.* Lipsius præfat. ad Lect. ad libros de Magn. Rom *Nobis constat hanc ipsam Romam, & sacrum in ea imperium fuisse, & esse, velut anchoram fluctuanti diu Europæ.* DIVUM SANCTISSIMA SEDES] Domicilium Spiritus sancti, tam propter oracula Apostolica, quam infinitorum sanctorum Martyrum, ac inprimis Apostolorum Petri & Pauli lipsana, quæ aliquando ejusdem divini spiritus castissima extitere cubilia. Xystus V. Pont. Max. Constit. 23. de urbe: *ubi*, inquit, *Religionis est domicilium, ubi sacrarum indulgentiarum thesauri uberiùs dispensantur, ubi innumerabilium Martyrum sacra corpora, magno Dei munere requiescunt.* Item propter Pontifices, aliosque tam motum innocentiâ, quam vitæ sanctimoniâ conspicuos, qui Romam pedum suorum vestigiis bearunt, vel ibidem morte piâ, vitam hanc ærumnosam cum beatâ immortalitate commutarunt.

*Cujus in auspicio pulmonem rupero, nec quid*
*Dixero pro meritis, pro relligione locorum.*
*Percurram tamen extremis spectanda labellis.*
*Quæ fuerint Latio primæ cunabula gentis,*
*Stemmata Romulidûm; quis muro cinxerit Albam,*

316. AUSPICIO] Initio narrationis. Veteres quia nihil nisi auspicatò inchoabant, quandoque auspicari pro incipere usurparunt. Suet. l. 6. in Nerone. l. 7. *Auspicatus est jurisdictionem præfectus urbis.* Sententia est: si commemorare instituam cuncta, quæ Romæ admiranda, tanta rerum dicendarum copia succurret, ut me, vel ipsis initiis, vox deficiat. PULMONEM RUPERO] Exasperavero longâ laudum recitatione. Pulmo enim cavis intus fistulis spongiosus aërem haurit, refrigerando cordi; unde dum frequentiùs interspirando sermoni attollitur, & deprimitur, sine quietis intercapedine; fit non rarò, ut fatigatus & exasperatus officium vocis ori deneget, & ut Persius Sat. 1. ℣. 14. -------- *Pralargus anhelet.* Sic & Juven. Sat. 7. ℣. 117.

*Rumpe miser tensum jecur.* -------

Ubi per jecur intelligunt vicinum pulmonem; hìc enim esse volunt superbiæ inflatum, aut iræ: nisi quis fortè pro jactantia, & avorum gloriosâ & calidiore declamatione sententiam tulerit.

318. SPECTANDA] Spectatu digna, non omnia, sed principalia. EXTREMIS LABELLIS] Leviter & perfunctoriè, non prolixâ, aut latè deductâ oratione. Id est, ut adagium sonat, *summis labiis.* D. Hieron. Eplâ. ad Rust. Mon. *ut non levi*, inquit, *cetaroque sermone, & ut ita loquar, summis labiis hospites invitemus.* Vide Erasm.

319. LATIO CUNABULA] Primæ origines. Tractum à cunis, quibus innutritur & fovetur prima ætas. Primam Latii originem deducit Dionysius Halicar. l. 1. Antiq. Rom. à barbaris Siculis, quos deinde expulerunt Aborigines, qui mixti postmodum Pelasgis oppida construxerunt, & easdem sibi in Latio sedes tenuerunt; nomine etiam Aboriginum integrè servato, usque ad Æneæ adventum. Latini demum à rege Latino dicti sunt. Sed paullò aliter Virg. lib. 8. Æneid. ℣. 314. Ubi Evandrus ad sciscitantem Æneam:

*Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæq; tenebant*
*Gensque virum truncis, & duro robore nata,*
*Queis neque mos, neque cultus erat,* &c.

De nomine Latinorum Livius lib. 1. *Æneas ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solùm, sed etiam nomine essent, Latinos utramque gentem appellavit.* Halicarnassæus autem: *Troiani*, inquit, *unà cum Aboriginibus, à loci Rege, Latini nuncupati sunt.*

320. STEMMATA] Genus & familiæ Romanorum; id est, unde ducant ortum, quos habeant ramos aut gradus cognationis. Hoc significatu *stemma* usurpatur à Persio Satyr. 3. ℣. 28.

*Stemmate quod Thusco ramum millesime ducas.*

Propriè autem significare *sertum* vel *coronam*, docuimus Serm. 6 ad ℣. 76. fol. 131. Inde factum, ut pro statuis majorum coronatis ob aliquod insigne facinus, *stemmata* dicerentur. Porrò Dionysius Romanorum natalia deducit partim à Troianis, partim à Græcis: imò quia Troianorum genus refert ad Græcos, docet Latinos meros Græcos esse. Lib. 1. Antiq. Roman. Et verò regiam Romanorum gentem, à Troianâ nubilitate profectam prisci scriptores plerique tradiderunt. Æneas enim ductâ Laviniâ Latini regis filiâ, post mortem soceri regnavit annos tres: cui successit Ascanius ex Creüsa Priami natâ, Æneæ filius, qui jam tum mutato nomine Euryleon salutabatur. Mortuo fratri successit Silvius Æneæ ex Lavinia posthumus, ac inde per Æneam Silvium, Latinum Silvium, Albam, Capetum, Capyn, Calpetum, Tyberinum, Agrippam, Alladium, Aventinum, Procam, omnes Silvios, regnatum est ultra annos trecentos & quadraginta. Nempe ut Virg. l. 1. Æneid. ℣. 276.

*Hic jam ter centum totos regnabitur annos*
*Gente sub Hectoreâ: donec regina Sacerdos*
*Marte gravis geminâ partu dabit Ilia prolem.*

Nempe Amulius demortui Procæ patris sui regnum invadens, excluso Numitore fratre natu majore, ejusque virili stirpe interempta, Iliam seu Rheam Vestalem fecit, quæ unica, Numitori filia supererat: sed ex eâ Martis complexu gravidâ, prodiere Romulus & Remus gemini fratres, urbis Romæ, post patruum Amulium regno expulsum, conditores. Virg. l. 1. Æneid. ℣. 271.

*At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iülo*
*Additur &c.* ----- *regnumque à sede Lavinj*
*Transferet, & longâ multâ vi muniet Albam.*

*Unde merum Albanum; quæ sit Lavinia conjux;*
*Quæ Lupa; quis Faunus; quæ inventa sub ilicibus sus;*
*Qualia cum Rutulis fuerint fatalia quondam*

Hic enim abundante Lavinii multitudine, novam sibi urbem sub Albano monte condidit, quæ ab situ porrectæ in dorso urbis, longa appellata est. Hæc sub rege Tullo Hostilio diruta, civesque omnes Romam translati sunt.

321. MERUM ALBANUM] Quod Romæ in deliciis, ob suavitatem, & salubritatem. Olim etiam in pretio fuisse, docet illud Horat. l. 4. Od. 11. ℣. 1.

*Est mihi nonum superantis annum*
*Plenus Albani cadus.* -------

Ex quo patet, generosissimum olim fuisse Albanum, quod potuerit in nonum usque annum conservari. Athenæus lib. 1. c. 25. Jungit eum Falerno, & à bonitate celebrat. *Ex Italicis vinis suavissima*, inquit, *& gratissima sunt Falernum & Albanum.* A vetustate laudat Juv. Sat. 5. ℣. 33.

*Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de*
*Setinis, cujus patriam, titulumque senectus*
*Delevit multa veteris fuligine testæ.*

Id est, deletis à nimia vetustate notis, quæ fundum & annum nati & expressi vini apud veteres edocebant. Notas enim ejusmodi cadis inscribere, erat tritissimum. Item & Satyr. 13. ℣. 213.

----- *Sed vina misellus*
*Exspuit: Albani veteris pretiosa senectus*
*Displicet: ostendas melius &c.*

Inter generosa celebrat Plin. lib. 14. c. 6. *Albana urbi vicina perdulcia, ac rara in austero.* Et c. 2. *Austera* (cocolobis vitis genus) *transit in dulcem vetustate, & qua dulcis fuit in austeritatem: tuncque Albanum vinum æmulantur.* Hodie optima vina urbi inferuntur ex agro Albano, suavi austeritate gratissima, & virtute diuretica saluberrima: maximè illa quæ Cynthiano fundo ad speculum Dianæ, tribus passuum millibus Albâ, distante, nascuntur. Eorum flore non semel nos asperserunt, beatissima vineta Amicissimi & Clarissimi viri Petri Ruitii, inter fori Romani diverticula, & musarum amœnitates. De hoc loco plura mox ad ℣ 333. LAVINIA CONJUX] Latini regis filia, quam sibi ex fœdere pactam & desponsam duxit Æneas, ubi primùm in agro Laurente substiterat: moxque ad firmandas sibi sedes à benevolentia perpetua patris & filiæ, urbem condidit, quam à conjugis nomine Lavinium appellavit. Vide Livium lib. 1.

322. QUÆ LUPA?] Quæ Romulo & Remo ad Tiberim expositis infantibus submissas mammas adeò mitis præbuit: ut linguâ lambentem pueros, Faustulus regii magister pecoris invenerit: qui miratus rem naturæ maximè insuetam, & misertus pusionum, eos ad stabula, Laurentiæ uxori educandos detulit. *Sunt*, inquit Livius, *qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent: inde locum fabulæ, ac miraculo datum.* Meminit Virg. Æn. lib. 1. ℣. 279.

*Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus*
*Romulus excipiet gentem.* -------

Quis FAUNUS?] Rex Aboriginum, pater Latini, filius Pici: apotheosi post mortem consecratus. Virg. Æneid. 7. ℣ 45.

------- *Rex arva Latinus & urbes*
*Iam senior longa placidas in pace regebat.*
*Hunc Fauno & Nymphâ genitū Laurente Maricâ*
*Accipimus: Fauno Picus pater: isque parentem*
*Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.*

QUÆ SUB ILICIBUS SUS] Signum remissæ in Troianos deorum iræ; ut Tiberinus deus ipse loci, Æneæ sub Jove pernoctanti significat apud Virg. lib 8. Æneid. ℣. 42.

*Iamque tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)*
*Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus,*
*Triginta capitum fœtus enixa, jacebit,*
*Alba solo recubans, albi circum ubera nati.*

Hujus suis meminit Tertul. l. 1. contra Marc. & Juven. Satyr. 12. ℣. 72.

------- *Cui candida nomen*
*Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,*
*Et nunquam visis triginta clara mamillis.*

Varro lib. 2 de re rustica: *Antiquissimum* (portentum) *fuisse scribitur, quod sus Æneæ Lavinii* XXX. *porcos peperit albos. Itaque quod portenderit factum* XXX. *annis, ut Lavinienses condiderint oppidum Albam. Hujus suis ac porcorum etiam nunc vestigia apparent Lavinii: quod & simulacra eorum ænea, etiam nunc in publico posita, & corpus matris ab sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstratur.*

323. CUM RUTULIS] Turno Rutulorum Rege, cui ante Æneæ appulsum pacta Lavinia; quam dum indignatur advenæ, se posthabito, traditam; acerrimum Latino & Æneæ bellum intulit. Virgil. lib. 7. Æneid. ℣. 577.

*Turnus adest, medioque in crimine cædis & ignis*
*Terrorem ingeminat: Teucrosque in regna vocari,*
*Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.*

Li-

*Prælia Dardaniis; & commemorare feroces*
*Mezentî, Turnique animos: quæ sanguine utrimque*
*Fossæ exundarint; qui albebant ossibus agri:*
*Appia Brundusium quà duxerit antè Quirites;*

Livius lib. 1. c. 2. *Bello deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus Rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat: prælatum sibi advenam ægrè patiens, simul Æneæ Latinoque bellum intulerat.* Rutuli Latii veteris populi, ab ortu solis hiberni Latinis ad mare conterminі; Lanuvinorum, Latinorum, Laurentium, Antiatium, & Coriolanorum Volscorum finibus circumclusi. Qui populi olim à Latinis divisi; sed ut Strabo lib. 5. *Domitis Æquis, Volscis, Hernicis, & ante hos etiam Rutulis atque Aboriginibus, omnis horum ager Latium appellatum est.* FATALIA] Deorum fatis decreta, & Æneæ prævisa. Sic enim ad illum Sibylla Cumana l. 6. Æneid. ℣. 86.

*------ Bella, horrida bella,*
*Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.*

Tum etiam, quia prælia ejusmodi fatalia fuere Æneæ, Latino, Turno, Mezentio, regibus & belli imperatoribus clarissimis. Lege quinque postremos Æneidis Virgilianæ libros.

324. DARDANIIS] Troianis, à Dardano Troianæ gentis auctore. Virg. lib 8 ℣. 134.

*Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & auctor.*

Æneæ scil. sociis, qui illic primùm fatales sibi sedes firmaverant, easque acerrimè defensabant.

325. MEZENTI] Regis Hetruscorum potentissimi, ob opes Hetruriæ eâ tempestate florentes, ad quem Turnus Rutulique rebus suis diffisi confugerunt, eumque haud gravatè contra accolas Troianos in belli societatem traxerunt. Contemptorem divorum continenter nominat Virgilius, quod à Rutulis imperaverit sibi offerri primitias, quas diis offerebant. Inde refert Cato lib. 1. Orig. apud Macrob. l. 3. c. 5. Latinos omnes similis imperii metu vovisse hâc formulâ: JUPITER. SI. TIBI. MAGIS. CORDI. EST. NOS. EA. TIBI. DARE. POTIUS. QUAM. MEZENTIO. UTEI NOS VICTORES FACIAS. Virg. l. 7. Æneid. ℣ 647. ubi de bello contra Æneam:

*Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris*
*Contemptor Divûm Mezentius, agminaq; armat.*

TURNIQUE] Jam commemorati Rutulorum regis. ANIMOS] Generositatem & ferociam. SANGUINE UTRIMQUE] Latinorum & Arcadum, Rutulorum & Hetruscorum, illic non uno in prælio occisorum.

326. FOSSÆ EXUNDARINT] Fossæ murorum Laviniensium, & agri illis subjecti: ubi sæpius dimicatum acerrimè. Vide Virg. l. 9. 10. 11. 12. Æneid. Item Dion. Halicarn. lib. 1. c. 64. ubi, *pugnatum*, inquit, *est acriter non longè à Lavinio, & multis utrimque desideratis, nox diremit prælium. Corpus Æneæ, cum quæsitum nusquam compareret, alii conjectabant eum discessisse ad deos, alii necatum in flumine* (Numico) *apud quod pugnatum erat.* Vide Livium l. 1. c. 2. Cæterùm hic exaggerat doctissimus Poëta noster cædes factas in variis conflictibus: primò dum cæsus Mezentius, deinde dum occidit Camilla, adhæc dum interiit Turnus, postremò dum cecidit Æneas. De prioribus duobus Virg. lib. 12. Æneid. ℣. 35. ubi Latinus ad Turnum:

*----- Recalent nostro Tyberina fluenta*
*Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.*

ALBEBANT OSSIBUS] Insepultis, & à pluvia & aere albentibus. Argumentum magnæ cladis. Virg. lib. 5. Æneid. ℣. 864.

*------ Scopulos Sirenum advecta subibat*
*Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.*

Seneca Tragœd. Oedip. ℣ 94.

*----- Albens ossibus sparsis solum.*

Venustè in hanc rem Sidon. Apoll. lib. 3. Epl. 2. *Quantum doluisti, campos sepultos ossibus insepultis?* Id est, opertos ossibus, ac quasi tumulatos.

327. APPIA] Via illa tot veterum monumentis decantata, de qua cum summo elogio Papin. l. 2. Sil. Carm. 2. vil Sur. Poll. ℣. 11.

*------- Qua limite noto*
*Appia longarum teritur regina viarum.*

Longitudine enim superat omnes alias, etiam primi nominis, ad urbem vias, ut mox dicemus. Intererat enim gloriæ ac majestatis populi Romani, ut exteris quibusque, ex cunctis mundi regionibus, Romam commeantibus, dignus tam vastâ dominatione, magnificusque pateret accessus. Strabo lib. 5. *Appiam* inter nobilissimas primo loco recenset. Per eam orientales triumphi ducebantur. Nomen invenit ab Appio Claudio Censore, quem volunt silicibus ingentibus & quadratis adeò latam stravisse, ut duo currus auctore Procopio lib. 1. de Bel. Goth. ex adverso obvii liberè queant pervadere, & commeare.

*Nunc ubi deficiat; campos quâ parte Sabinos*
*Quæ secat ad Marsos properanti à Tibure nota;*

Nos inæqualem viæ latitudinem pro locorum fundo & situ, variâ parte deprehendimus. Margines saxis magis extantibus munitas fuisse, continendis silicibus intermediis, hodiernæ docent adhuc reliquiæ. Post singulos pedes duodenos singuli lapides excelsiores interjecti fuere, ut ex ijs viatores vel commodè in equos inscendere, vel onera reclinare, vel denique fessi pedites considere possent. Alii instar columellarum rariores, notis numerorum sulcati, milliaria designabant. Pro more scil. ejus temporis, posito ad quodque milliarium lapide. Inde primus, secundus, tertius, aut quartus ab urbe lapis. Et opportunè: nam, ut est apud Quintilianum lib. 4. c. 5. *Facientibus iter multum detrahunt fatigationis, notata inscriptis lapidibus spatia.* Appiam utrimque ornaverunt mausolea, sepulchra, ædiculæ, villæ, prætoria, diversoria, ceteraque id genus ædificia. Non ultra Capuam deduxit Appius. BRUNDUSIUM] Urbem Calabriæ & portum ad mare Adriaticum, quo iter instituebant, qui Româ in Græciam meditabantur, quòd hinc eò foret brevissimus maris trajectus. Cicer. Phil. 1. c. 7. *Cùm Brundusium, iterque illud, quod tritum in Græciam est, non sine caussa vitavissem.* Quis porrò Capuâ Brundusium usque produxerit Appiam, pro comperto non est; productam esse liquet. Horat. lib. 1. Epl. 18. ℣ 20.

*Brundusium melius Numici via ducat an Appi.* Strabo lib. 5 de Tarracina: *hic*, inquit, *primum mare attingit via Appia, strata à Roma Brundusium usque.* Longitudinem viæ ad CCCL. passuum millia extendit Onuphrius descript. urbis lib. 1. Id est, quantum vir expeditus decem dierum spatio non commodè emetiatur. QUA] Per quas terras: scil. desumpto initio intra urbem à septizonio Severi per portam Capenam, hodie S. Sebastiani, secundùm montem Albanum, Ariciam, inde per Pomptinam paludem, Tarracinam, Fundos, Formias, Minturnas, Sinuessam, Capuam, Nolam, Neapolim, Nuceriam, Salernum, ad Calorem &c. usque Brundusium, nunc indigenis *Brindisi*. Vide Antoninii Pii itinerarium apud Onuphrium loco citato. ANTE] Olim. QUIRITES] Romanos à Curibus Sabinorum metropoli sic appellatos. Receptis enim ad urbem Sabinis, Romulus Rex id illis dari voluit, ut geminatâ jam urbe, Romani ab se conditi etiam Quirites vocarentur.

328. NUNC UBI DEFICIAT] Ubique enim ferè mutila est, aut pontium & ædificiorum ruinis sepulta, aut silvis & dumetis obsita. Integra utcumque Tarracinâ præter Fundos, Formias, Minturnarum reliquias ad Lirin, quem nunc *Garigliano* nominant, secundum Suessam hodie Capuam ducitur.

329. QUA SECAT &c.] Construe, alioquin maneat dubia & conturbata sententia: qua parte (supple, duxerit via) quæ secat campos Sabinos, nota properanti à Tibure ad Marsos. Describit viam Valeriam, quam inter nobilissimas recenset Strabo l. 5. *Nobilissima viarum sunt Appia, Latina, Valeria. Valeria est quæ ad Sabinos pertinet usque ad Marsos..... à Tibure incipit, ducitque in Marsos, & Corfinium Pelignorum urbem primariam. Sunt in ea urbes Latinæ, Valeria, Carseoli, & Alba, & prope urbs Cuculum.* Locus hic diu me torsit: & nescio, cur viam hanc hodie minùs viatoribus tritam hoc loco celebraverit. Fortè quod ipse Tibure aliquando in Pelignos concesserit, Sulmone veneraturus Poëtam, ut supra narratum. Fuit & alia via Aurelia: nam duas fuisse, novam & veterem prodidit P. Victor. De hac Cicer. Phil. 12. c. 22. *Tres ergo ut dixi, viæ ad Mutinam: à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Item Onuphrius descript. urb. l. 1. *Via Aurelia vetus per maritimam Tusciæ ora, agros & silvas, Pisas usque extendebatur.* Utraque videtur ab auctoribus nomen obtinuisse. *Sabini* populi sunt haud procul Româ, ad Apenninos, Latio ad meridiem conterminis. *Marsi* populi itidem ad Apenninos, Pelignis & Sabinis finitimi. *Tibur* perantiquum veteris Latii oppidum, priscis scriptoribus plerisque nominatum: hodiernum vulgus *Tivoli* nuncupat. Situm est ad ripam Anienis, quam utramque olim occupasse auctor est Phil. Cluverius Ital. Antiq. l. 2. c. 4. *Tibure*, inquit Strabo l. 5. *Fanum est Herculis, & præceps aquæ dejectus (cataractam vocant) quem facit Anio navigabilis ab excelso loco in convallem dejiciens sese profundam, lucisque obsitam, ad ipsam urbem.* Aquis planè tam fontium, & Anienis ex alto præcipitantium, quàm aquæductibus rigatur, ut jure Horat. l. 3. Od. 29. *Udum* appellet *Tibur*. Et lib. 4. Od. 3. ℣. 10.

-----*Quæ Tibur aquæ fertile præfluunt.*

Locum olim in deliciis fuisse, & principum Romanorum secessu celebratum, indicant villarum anti-

330. ***Æmilia; & cinerum custos via dicta Latina;***
***Flaminia, & reliquæ: quo Circe gramina monte***

antiquarum rudera & ruinæ, tum Poëtarum Catulli, Horatii, Virgilii, Vopisci &c. litteraria otia, suis quoque in banc rem villis paratis & frequentatis. Ita placuit Horatio loci amœnitas, ut illic aliquando senectam exigere optaverit. Id enim arguit istud l. 2. Od. 6. ℣. 5.

*Tibur Argeo positum colono*
*Sit mea sedes utinam senectæ!*

Hodie adhuc quotquot Roma tenet advenas, huc mittit spectatores, & incomparabilis amœnitatis admiratores, inprimis elegantissimi Palatii, & Hortorum Cardinalis Estensis, de quibus uti & de Mæcenatis, Ælii Hadriani Aug. aliorumque villis tam antiquis, quàm hodiernis, omnibusque aliis & oppidum, & agrum Tiburtinum attinentibus, luculentè scripsit Athanasius Kircherus Latii veteris & novi l. 3. SECAT CAMPOS SABINOS] Per medios Sabinos, ad Marsos excurrit. Nam ut Strabo l. 5. *Ad Sabinos pertinet usque ad Marsos.*

330. ÆMILIA] Itidem via, quam M. Æmilius Scaurus, qui Cos. Censor, & Princeps Senatus fuit, de hostium manubiis stravit, triumphatis scil. Gatisceis, & Liguribus. *Onuph* Strabo l. 5. *Is est Scaurus, qui viam Æmiliam stravit, quæ per Pisas & Lucam, ad Sabbathos, indeque Derthonem ducit.* De alterâ Æmiliâ Lepidi, cum Latium non attineat, nihil hic, mox infrà dicemus. CINERUM CUSTOS LATINA] Sepulchris & Mausoleis inclyta. Ossa enim & exuviæ mortuorum, cineres nuncupantur, quòd cadavera cremabantur olim, & in cineres redigebantur. Latina nuncupata est, quòd in Latium mittat. Ejus meminit suprà Strabo, inter insigniores recensens Latinam. Cum autem Romanis Græcisque legibus vetitæ forent sepulturæ intra urbis pomœria, exceptis legislatoribus, quos intra muros honoris gratiâ funerare licebat: loca quæsita sunt extra, secus celebriores vias, condendisque cineribus ædificata monumenta, cum inscriptionibus ad viatores, mortuorum titulos, nomina, ætatem, honores indicantibus. Inde etiam nunc Christianorum tumulos decorant epitaphia, & paræneses ad viatores. Ceterùm Latina hæc, videtur frequentioribus & illustrioribus sepulchris insignita fuisse quàm reliquæ. Nam Juven. Sat. 1. ℣. 170.

*----Experiar quid concedatur in illos,*
*Quorum Flaminiâ tegitur cinis, atque Latinâ.*

Id est, in mortuos. Et Satyr. 5. ℣. 55.

*Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.*

Id est, sepulchra, quod moneant nos mortuorum, & maiorum nostrorum. *Latinæ* viæ cursum describit Strabo l. 5. *Incipit à via Appia ad sinistram, ab ea prope Romam deflectens, ac supra montem Tusculanum transit inter Tusculum urbem, & montem Albanum, descenditque ad Algidum oppidum, & Pictas diversorium. In Appiam incidit ad Cassinum urbem, distantem à Capua XIX. stadiis.*

331. FLAMINIA] A portâ flumentanâ initium habuit hæc via, posteaque portam sibi cognominem fecit, à C. Flaminio iterum Cos. per Tusciam & umbriam usque Ariminum perducta, cui per M. Æmilium Lepidum commissa est altera via Æmilia, quæ Placentiam. & inde Aquileiam perduxit Liv. lib. 29. *Cos. Æmilius pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Plura apud Onuph. de script. urbis l. 1. Ceterùm Flaminiæ per Umbriam adhuc, & inter Ocriculum & Romam, multa vestigia apparent; plurimaque cernuntur sepulchra, quæ vetustate consumpta, vix cognosci queunt. Ad hanc viam extitit sepulchrum pantomimi Paridis Ægyptii, Neronis liberti, de quo Mart. lib. 11. Epig. 14.

*Quisquis Flaminiam teris viator,*
*Noli nobile præterire marmor.*
*Urbis deliciæ salesque Nili,*
*Hoc sunt condita, quo Paris sepulchro.*

Extra urbis mœnia Julius III. Pont. Max. sumptuosissimo opere villam Juliam exædificavit, quæ hodie neglecta, licèt alioquin via hæc quotidianis ambulationibus, Cardinalium, Principum, Prælatorum, summatum & nobilium, aliorumque majoris censûs hominum, sub vesperum frequentetur, ut pæne locum etiam nunc inveniat istud Mart. lib. 10. Epig. 6. ℣ 6.

*Totaque flaminiâ Roma videnda viâ.*

ET RELIQUÆ] Tiburtina, Prænestina, Ostiensis, Lavicana, Collatina, Campana, Ardeatina, Numentana, Salaria, Portuensis, Cimina, Claudia &c. Quas videre licet apud Schradetum Monum. Ital. l. 2. & Onuph. urb. desc. l. 1. QUO MONTE CIRCE] Promontorio Circæo, de quo Strabo lib. 5. *Stadiis CCXC. ab Antio Circæus mons est, quem mare & paludes tantùm non insulam faciunt. Aiunt eum radicibus abundare,*

*Legerit & silvâ; quibus oris Juno Gabina;*
*Nymphæum; speculum Triviæ: quâ Fucinus undâ;*

*fortassis ut fabulæ de Circe accommodent. Est ibi Circes oppidum, & sacra Minervæ ara: aiuntque ibi pateram quamdam Vlyssis monstrari.* Olim insulam fuisse credunt: nunc promontorium est excelsum, mari rupibus imminens, continenti vadis & paludibus junctum, silvis & fructibus densum. Hic ferunt Circen solis & Perses filium hospites suos magicis, si non meretriciis artibus, in pecora & bellvas transformasse. Diodorus Siculus lib. 4. c. 46. narrat Circen mirabiles variarum radicum & herbarum naturas, & potestates adinvenisse, nupsisse Sarmatarum regi, veneficiis eum sustulisse, ejectam inde ad Oceanum confugisse, desertam insulam cum sociis occupasse; vel, ut alii, relicto Ponto, promontorium Italiæ Circæum habitasse. Virg. l. 7. Æneid. ℣. 10.

*Proxima Circææ raduntur littora terræ;*
*Dives inaccessos ubi solis filia lucos*
*Assiduo resonat cantu: tectisque superbis*
*Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.*

GRAMINA] Herbas, radices, &c. ad veneficia.

332. SILVA] Monte silvis magnam partem opaco. JUNO GABINA] Gabiis Latii oppido, in via Prænestina, medio inter Romam & Præneste itinere, ubi; quia Juno religiosissimè colebatur, Gabina dicta est. Virg. lib. 7. Æneid. ℣. 682.

*Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ*
*Iunonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis*
*Hernica saxa colunt. -------*

Et Silius Italicus lib. 12. ℣. 536.

*Algida, nec juxta Iunonis tecta Gabinæ.*

333 NYMPHÆUM] Subaudi flumen: aliis dicitur *Nymphæus*, estque fluvius inter Circeios & Asturam, ex fontibus amœnissimis sub oppido *Sermoneta*, apud celebrem vicum, cui nomen vulgare *la nimpa*, in mare Tyrrhenum se exonerans. Ejus meminit Plinius lib 3 c 5 Vide Phil. Cluver. lib 3. c. 7. SPECULUM TRIVIÆ] Lacus Nemoris, stagnum Dianæ, haud procul Aricia, de quo Naso Fast. lib. 3 ℣ 263.

*Vallis Aricinæ silvâ præcinctus opacâ,*
*Est lacus antiquâ relligione sacer.*

Strabo lib. 5 *Dianæ autem quod vocant nemus, in sinistra viæ parte est, quâ Ariciam ascenditur. Fanum in luco est: ante eum lacus, mari æmulus; supercilio montano & arduo circumcirca, templum & lacum continente, & in cavo, ac profundo loco includente.* Stagnum nemorale vocat Ovid. Met. 14. ℣. 331.

*Quæque colunt Schyticæ stagnū nemorale Dianæ,*
*Finitimosque lacus. -------*

Lacum Nemorensem Albani socium nominat Propertius lib. 3. Eleg 22 ℣ 25.

*Albanusque lacus socii nemoralis ab unda,*
*Potaque Pollucis Nympha salubris equo.*

Triviæ lacum Virgilius lib. 7 ℣. 516.

*Audiit & Triviæ longè lacus. ------*

In quem locum Servius, *Triviæ lacus est*, inquit, qui *Dianæ speculum.* Et paulò ante: *Nemus*, inquit, *locus est, haud procul Aricia, in quo lacus est qui Dianæ speculum dicitur.* Rationem adfert Kircherus Latii antiq. & novi cap. 7. *quòd Dianam ex monte Albano, in quo lacus* (scil. Nemorensis hic) *instar speculi rotundi & splendidissimi comparet, se ipsam contuitam fuisse fabulantur.* Ipsi lacus supercilio impositum olim, ob fani Dianæ celebritatem, oppidum Nemus dictum, cujus incolæ Nemorenses. De quo, uti & de Sacerdotio, & regno Dianæ Tauricæ, & sacris Schyticis, quæ olim isthic fiebant, fusè tractat Philip. Cluver, Ital. antiq. lib. 3. c. 4. de ipso Strabo lib. 5. *Secundùm Albanum montem in via Appia oppidum est Aricia*, CLX *stadiis à Roma. Dianæ autem quod vocant nemus, in sinistra viæ parte est, quâ Ariciam ascenditur* Hodie vulgò Italico dicitur *neme*, prisco retento vocabulo, estque oppidulum Frangipaniorum palatio nobile: & lacus ipse passim audit, *il lago di nemi*, uti &, *il lago di Genzano*. Hic latuisse Hippolytum ab Æsculapio vitæ restitutum volunt, & à Diana commendatum Egeriæ deæ, cum qua Numam nocturnos congressus habuisse crediderunt. Unde & hic clivus Virbius, sic dictus ab Hippolyto, qui jam ad vitam revocatus *Virbius*, quasi *bis vir* nominatur. Ejus situm Kircherus designat eo loco ubi modò est Asceterium Capuccinorum, unde jucundissimus prospectus in vicinos colles & valles, ipsumque oppidum Lanuvium. Locus autem hic Cynthianum est, oppidum vino & carnibus omnis generis, maximè Vervecinâ nobile, quod hodie Nemori, ab alterâ lacus ripâ, ad austrum respondet, & ex diametro opponitur. A Diana, quæ item Cynthia, nomen invenit: vulgus *Genzano* nuncupat; paretque cum subjectis agris Excellentissimo domino Duci Cæsarino, cui exquisitissima illa vineta, multo proventu censum locupletant, quem familiariter dicere solitum accepimus, plus sibi quæstus hic ab aqua, quàm

*Qui ripas Anienis habent; quo Cæculus auctor*
335. *Præneste intendit clivo cælestis haberi:*

quàm multis alibi à vino accedere. Vina enim quæ hic nascuntur generosissima, lymphæ triente diluuntur, dum adhuc in ipsis lacubus, à pedibus calcantium spumant. Quod hâc fini faciunt, ut vino aliàs robusto, salubritatem & gratiam à dulcedine concilient. Ceterùm extra oppidum viâ Aricinâ, ad integrum milliarium Xysta sive ambulacra planè regia conspicias, quadruplici arborum ordine consita, ut in toto Latio nihil magis excultum, aut magnificentiâ & amœnitate delectabilius reperias. Quæ utique, post aëris clementiam, quæ hic magna, ratio est, cur multi Prælati, curiales & litterati, maximè ex Belgis nostris, huc Româ frequenter secedant, & divertendis curis forensibus, ferias inprimis Autumnales, pro genio suo exigant. De duplici oppido, & speculo Dianæ, & antiquitatibus huc spectantibus, adiri potest Kircherus Latii cap. 7. Nobis certè volupe fuit, oppidum & Latina hæc Tempe identidem perambulare, & corpori affecto quartanâ, à cæli purioris salubritate remedium accersere. *Trivia* dicitur Diana, vel à trivio cursu lunæ sub Zodiaco, in latum, longum & altum; vel ob triplicem in cælo, terrâ, & apud inferos potestatem; vel quod triviis præsit, apud Græcos in triviis poni solita. Hinc Virg. lib. 4. Æneid. ℣. 511.

> *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

Et Ovid. Fastor. 1. ℣. 141.

> *Ora Vides Hecates in tres vergentia partes,*
> *Servet ut in terras compita secta vias.*

Qua unda] Qualis aquæ sit, seu qualem aquam profundat. Est autem aqua hujus lacus limpidissima, & prorsus vitrea. Virg. l. 7. Æneid. ℣. 759.

> *Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,*
> *Te liquidi flevere lacus.-----*

Fucinus] Celeberrimus Marsorum lacus, qui supermeatur Pitonio amne, unde aqua Martia in urbem. Plin. l. 2. c. 103. *Quædam verò dulces inter se supermeant alias, ut in Fucino lacu Pitonius amnis.* Ita locum corruptum restituit Phil. Cluver. Ital. Antiq. l. 2. c. 15. Apud quem Vibius Sequester: *Pitonius qui per medium*, inquit, *lacum Fucinum Marsorum ita decurrit, ut aqua ejus non misceantur stagno.* Inde, uti & ex Lycophrone restitutus locus Plinii l. 31. c. 3. sic habet: *Clarissima aquarum omnium toto orbe, frigoris salubritatisque palma, pratonio urbis, Martia est, inter reliqua, Deûm munere, urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia: fons autem Ipse Pitonia.*

334. Qui ripas Anienis &c.] Qui populi accolunt ripas Anienis. Sunt autem, vel potiùs fuerunt olim: Collatia, Corniculi, Tibur, Valeria, Laminæ, Carseoli, Sublaqueum, Treba, & alia oppida. *Anio* celebratissimus omnium in Tiberim defluentium amnis, qui ex suis fontibus prope Tribam defluens, agrum Latinum irrigat, ac à Tibure, ad confluentem usque Tiberim, per Sabinos & Latinos agros decurrit, & eos terminat. Silius lib. 8. ℣. 370.

> *Quique Anienu habent ripas, gelidoque rigantur Simbrivio.* ------- & lib. 12. ℣. 538.
> *Sulphureis gelidus qua serpit leniter undis*
> *Ad genitorem Anio, labens sine murmure Tibrim.*

Quo Cæculus auctor] Conditor Prænestis Cæculus Vulcani filius, de quo Virg. l. 7. Æneid. ℣. 678.

> *Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,*
> *Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,*
> *Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,*
> *Cæculus.* -------

In quem locum Servius: *Præneste locus est haud longè ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, ab ilicibus, quæ illic abundant. Ibi erant pontifices, & dii indigetes, sicut etiam Romæ. Erant etiam duo fratres qui divi* (alii ex Solino corrigunt *digitii*) *appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla, ejus uterum percussit, unde dicitur concepisse. Postea enixa puerum juxta templum Iovis abjecit: quem virgines aquatum euntes, juxta ignem inventum sustulerunt qui haud longè à fonte erat. Unde Vulcani dictus est filius.* Hunc quidam volunt Præneste condidisse. Alii tamen originem ejus ad Prænestem Ulyssis nepotem, alii ad Telegonum Ulyssis ex Circe filium referunt. Pro Cæculo tamen stant libri Prænestini. Ita Solinus Cap. 8. Cæculus dictus ab oculorum parvitate.

335. Præneste] Id est, prænestis. Nam præneste indeclinabile est, licèt apud aliquos reperiatur genitivus *Prænestis*, ut apud Propertium lib. 2. Eleg. 23. ℣. 41. vel Passeratio Eleg. 32. ℣. 3. Et apud Velleium lib. 2. Est autem *Præneste* oppidum ex celeberrimis prisci Latii, quod hodie dicitur *Palestrina*, paretque genti Barberinæ. Strabo lib. 5. *Apud Præneste autem fanum, & oratu-*

*Quis situs Asturæ, fugiens ubi Tullius hostem*
*Popilio cecidit, Conradinusque securi.*

*oraculum fortunæ celebre est. Vrbem Græcanicam esse dicunt, & fuisse nomen Polystephanon, quo multitudo coronarum significatur.* Copia rerum quibus affluit non semel ei calamitatem attulit propter seditiones Romanas. Hîc miserandum in modum interiit fortissimus vir C. Marius, de quo Livii epitomator lib. 88. *C. Marius Præneste obsessus à Lucretio Ofella, Syllanarum partium viro, cum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, mortem sibi conscivit: id est, in ipso cuniculo, cum sentiret se evadere minimè posse, cum Pontio Telesino fuga comite, stricto utrimque gladio concurrit: quem cum occidisset, ipse saucius impetravit à servo, ut se occideret.* De fano Fortunæ primogeniæ, & pavimento, seu lithostroto, ex innumeris ferè lapillis & frustis coagmentato, & ejus reliquiis hodie adhuc extantibus, cum ectypo & interpretatione, fortibusque, quæ olim isthic dabantur, pulcherrimè scripsit Athan. Kircherus Lat. vet. & novi part. 4. c. 3. & 4. CLIVO] Ubi præneste conditum. Inde Virgilius lib. 7. Æneid. ✠. 682. *Præneste* vocat *altum*: & Cato cum Sexto Pomp. dictum volunt Præneste quod montibus præstet: & Silius l. 8. ✠. 366.

------ *Sacrisque dicatum*
*Fortunæ Præneste jugis.* -----

Et ut suprà citatus pergit Servius: *Prænestinam civitatem in montibus condidit: & cùm ad ludos vicinos populos invitasset, cœpit eos hortari, ut secum habitarent, & pro gloria jactare se filium esse Vulcani. Quod cùm illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium comprobaret, omnes illius multitudinis chorus est flammâ circumdatus: quo facto commoti omnes simul habitaverunt, & Vulcani filium esse crediderunt.* CÆLESTIS] Deus, deo cœlesti prognatus, Vulcani filius, &c.

336. ASTURÆ] Oppidi, fluminis, insulæ. Plin. l. 3. c. 5. *Astura flumen & insula.* Aliis *Stura* dicitur. Strabo lib. 5. *Inter hæc est Stura fluvius, & ad eam navium piraticarum statio.* Oppidum fuisse arguit ubique apud Ciceronem omissa præpositio. Sic enim lib. 12. ad Att. Epl. 38. *Asturam sum à te profectus.* Et lib. 13. Epl. 26. *Ego locum habeo nullum ubi faciliùs esse possem, quàm Asturæ.* Et lib. 14. Epl. 5. *Hæc scripsi ad te proficiscens Asturâ.* Ceterùm locus hic situs est, inter Antium & Nymphæum flumen, ad ipsa pænè ostia amnis Asturæ; Ciceronis villâ, & ut quidam autumant, interitu celebratus. Ejus ipse meminit, & situm quodammodò indicat lib. 12. Epl. 20. *Est hic*, inquit, *locus amœnus, & in mari ipso, qui & Antio & Circeis aspici possit.* Ex duobus scil. promontoriis, inter quos situs. Memorabilem locum fecisse creditur mors Ciceronis, quem dicunt aliqui persecutionem M. Antonii Triumviri fugientem, à satellitibus ejus oppressum, exertoque è lecticâ capite, dum feriendum præbet jugulum, hic mactatum fuisse. Hos sequitur Noster, uti & nuper Kircherus Lat. p. 1. c. 7. Verùm Valerius Max. Caietæ, Plutarchus prope Caietam, in via ex Villa sua ad mare, trucidatum commemorant. Hæc est illa villa, inter Caietã & Formias sita, quam ipse Cic. nunc Caietã, nunc Formianum suum appellat. Valerium sequẽti versu producemus. Plutarchus verò, postquã Ciceronis fugam Tusculo Asturam, inde in Macedoniam ad Brutum meditantis, & incerto consilio è mari Asturam iterum revecti, enarrasset, *familiaribus*, inquit, *sese permisit, ad Caietam navigio uti se deferrent. Habuit prædia ibi, & villam æstivo tempore amœnam.* Et post paucâ: servi ostentis moniti: *Partim precibus, partim vi sublatum in lecticâ detulerunt ad mare.* Sed in viâ à percussoribus jugulatur. Consonat suasoria sexta Senecæ Rhet. ubi Livius: *M. Cicero sub adventum Triumvirorum cesserat urbe: primò in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus proficiscitur.* Villæ hujus sub utroque nomine meminit Cicero lib. 1. ad Att. Epl. 3. *Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum vidi: in Formiano sunt, quò ego nunc proficisci cogitabam. Illa omnia in Tusculanum deportabo: Caietam si quando abundare cœpero, ornabo.* Vide quæ obiter notavimus ad ✠. 229. TULLIUS] M. Tullius Cicero. HOSTEM] Antonium, seu illius satellites.

338. POPILIO] Lænate illo, quem rogatu M. Cœlii defenderat, non minore curâ, quàm eloquentiâ: quemque caussâ admodum dubiâ fluctuantem, salvum ad penates suos remiserat. Rei feritem & belluinam ingratitudinem refert Valerius Max. lib. 5. c. 3. *Popilius nec re, nec verbo à Cicerone læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proscriptum persequendum & jugulandum mitteretur: impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exultans, Caietam cucurrit, & virum salutis ejus auctorem, studio* pra-

*Procubuit Caroli; quò missa colonia quondam*
*Consulibus variis; ubi fontes Virginis, aut quo*

*praestantis officii privatim sibi venerandum, jugulum praebere jussit: ac protinus caput Romanae eloquentiae amputavit.* Plutarchus narrat, dum lecticâ deportaretur ad mare Cicero ex Formiano, in via percussores Herennium centurionem, & Popilium tribunum immotis oculis conspexisse, jussisque subsistere bajulis, jugulum crine nudum, extra lecticam feriendum protulisse. Caput, & manus quibus Philippicas scripserat, amputata, & mox Romae pro rostris posita fuisse. *Ita relatum*, inquit Seneca Rhet. Suasor. 6. *Caput ad Antonium, jussuque ejus, inter duas manus in rostris positum, ubi ille Consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversùs Antonium, quanta nulla umquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes lacrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant.* CONRADINUS QUE] Ultimus Sueviae Ducum, nepos Frederici II. Imp. filius Henrici, quem ex Constantiâ Ferdinandi Hispaniae Regis filiâ genuerat Fredericus. Is avi & patruorum suorum hereditario jure, dum regnum Neapolitanũ à Carolo Andium duce, S. Ludovici Gallorum Regis fratre invasum, armis sibi nititur vindicare; praelio decretorio ad Fucinum primùm victor, mox insidiis victus, prope Asturam cum Frederico Austriae duce fugiens, dum lembo conatur Pisas evadere, Asturam retrahitur: dein captivus à Carolo Neapolim abducitur. Ubi acto in vinculis anno, cum aliis aliquot regni optimatibus, ac Austriae duce expeditionis suae socio, productus in forum securi percutitur, cunctis miserandam sortem illustrissimi adolescentis deplorantibus; ipso Carolo rege crudele supplicium inspectante. Sunt qui putant Robertum Flandriae comitem, sua manu trucidasse eum, qui ausus fuerat immanem sententiam publicitus enuntiare. Vid. Collenut. Hist. Neapol. lib. 4. Pflaumern, & Lipsii exempl. Polit. l. 2. c. 14. n. 19. Ubi graphicè totius rei series describitur.

338. CAROLI] Regis Neapolitani, Andium ducis, ut suprà. QUO MISSA COLONIA] Antium Latii urbem. Volscorum caput ad mare Tyrrhenum, inter Asturam & Castrum Inui. Populus ejus olim potens navigatione maritimâ, & latrociniis, cui Ceno oppidulum maritimum erat navale simul, & forum rerum ad victum pertinentium. Ovid. Met. 15. ℣. 718.

*Et tellus Circaea, & spissi litoris Antium.*

Maximè clarum reddidit Antium Fortunae, seu geminarum Fortunarum templum, atque sortes, quae passim ab historicis memorantur. Hinc Horatius precaturus Caesari In Britanniam meditanti incolumitatem, Oden. 35. lib. 1. sic auspicatur.

*O Diva gratum quae regis Antium.*

Equestrem Fortunam hîc cultam fuisse, docet hoc Taciti Annal. 3. c. 71. *Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustae, equites Romani voverant equestri Fortunae. Repertum est aedem esse apud Antium, quae sic nuncuparetur.* Hodie non extat Antium: ejus tamen vestigium manet in promontorio, cui vulgaris appellatio *capo d'anzo:* & in speculâ ad latus occiduum vulgo dictâ, *Torre d'anzo.* COLONIA] Civium multitudo ex urbe missa ad colendum Antium. Solebant enim Romani, quo rem sibi firmarent, & in fide continerent exteros populos, eò mittere cives & colonos, qui locum habitarent & tuerentur: idque vocabant deducere coloniam; hacque ratione coercebant loci populum, hostium incursiones reprimebant, stirpem Romanam augebant, plebem urbanam aliquando tumultuaturam exhauriebant, vel tumultuantem sedabant, veteranosque milites praemiis afficiebant.

339. CONSULIBUS VARIIS] Diversis annis & temporibus. Scil. anno V. C. CCLXXXVII. Coss. T. Aemilio & Q. Fabio. Anno V. C. CCCCXVI. Coss. L. Furio & Cn. Moenio: à quibus triumphatum de Latinis & Volscis Antiatibus, quorum postremorum naves partim abductae, partim incensae. Ex rostris subductarum, suggestum in foro exornatum. Liv. l. 8. c. 13. Item deducta est Antium Colonia anno V. C. ɪↄ. CCC. LV. Nerone IV. & Cosso Corn. Coss. vide Onuph. descript. Imp. Rom. l. 3. UBI FONTES VIRGINIS] Aquae Virginis, quam ad urbem deduxit M. Agrippa, de qua Martial. l. 5. Epig. 21. ℣. 9.

*Campus, porticus, umbra, Virgo, thermae.*

Et lib. 14. Lemm. 163. Tintinnabulum.

*Virgine vis solâ lotus abire domum.*

Item Ovid. Fast. 1. ℣. 464.

*Hic ubi Virgineâ campus obitur aquâ.*

Locum unde in urbem ducitur insinuat Plinius l. 31. c. 3. *M. Agrippa & Virginem adduxit, ab octavi lapidis diverticulo 11. Mill. pass. praenestinâ viâ. Iuxta est Herculaneus rivus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit.* Clariùs ex Fron-

 tino

340. *Vota Capenatum audierit Feronia luco;*
*Plurimaque exuperat queis scriptorum chaos ingens,*
*Ducimus in vanum: muros scandamus & urbem,*

tino Marlianus lib. 5. c. 5. *Agrippa Virginem in agro Lucullano collectam Romam perduxit. Virgo appellata est: quod quaerentibus aquam militibus, puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderunt, ingentem aquae modum invenerunt. Aedicula fonti apposita hanc virginem picturâ ostendit. Concipiebatur Virgo viâ Collatiâ, ad milliarium VIII. palustribus locis, signine circumjecto, continendarum scaturiginum caussâ.* Ager Lucullanus idem est qui Tusculanus, id nominis adeptus, postquam Lucullus ad Tusculum pulcherrimam villam exstruxit. Vetere ductu collapso, aqua nunc concipitur ad pontem Salarium, ex fonte sive lacu, qui est in monte, vulgo *de Zoie* nuncupato. Hodie Romae vocatur *fonte di Trivio.* Instauratores habuit, ut testantur binae inscriptiones, quarum prima sic legitur: TI. CLAUDIUS. DRUSI. F. CAESAR. AUGUSTUS. GERMANICUS PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTES. V. IMP. XI. P. P. COS DESIGN. III. ARCUS. DUCTUS. AQUAE. VIRGINIS. DISTURBATOS. PER. C. CAESAREM. A. FUNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC RESTITUIT Altera verò sic: NICOLAUS V. PONT. MAX. POST ILLUSTRATAM INSIGNIBUS MONUMENTIS URBEM, DUCTUM AQUAE VIRGINIS VETUSTATE COLLAPSUM SUA IMPENSA IN SPLENDIDIOREM CULTUM RESTITUIT, ORNARIQUE MANDAVIT. AN. DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CIↃ. CCCC. LIII. PONTIFICATUS SUI. VII. Hodie eadem Virgo per meatus subterraneos in campum Agonis etiam devolvitur, ibidemque in medio quatuor fluvios profundit, ex rupe artificiosissimè facta, cui innititur obeliscus Pamphilius, notis hieroglyphicis exaratus, ab Innocentio X. Pont. Max isthic collocatus, impositâ apici columbâ, pacis oleam rostro praeferente; rupemque quatuor statuis colosseis constipantibus, & quaternas mundi regiones scitè repraesentantibus. Ubertas ingeniorum, quâ scatet Roma, inter ceteras etiam hanc profudit epigraphen: INNOCENTIUS X. P. M. QUATERNIS AQUAE VIRGINIS FONTIBUS, AD ORNATUM ET COMMODA URBIS APERTIS, MAGNIFICENTIAM PONTIFICIAM SUPERINDUCTIS REGUM AEGYPTIORUM ARCANIS, PATEFECIT. Res sanè magnificentissima, nec priscae urbis superbiae cedens. AUT QUO] In agro Capenate, ubi lucus Feroniae.

340. VOTA] Preces votivas. CAPENATUM] Civium oppidi Capenae, quod ad Tiberim Faliscis & Veientibus agris contermioum. FERONIA] Nemorum dea, à ferendis arboribus dicta. Quo etiam nomine, Lacones delati ad Pometinos Italiae campos, agrum ad quem primum appulerant, insigniverunt, in eoque templum construxerunt Divae Feroniae, cui & vota fecerant. Dion Halicarn. l. 2. c. 51. *Lucus* autem *Feroniae*, seu, ut alii malunt, *Feronia*, oppidum contermiinum fuit Veienti agro & Falisco, & monti Soracte haud procul Capenâ, apud Tiberis ripam. Livius de Hannibale lib. 26. c. 11. *Inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclytum divitiis. Capenates qui accolae ejus erant, primitias frugum eò, donaque alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant.* Dion. Halicarn. lib. 3. c. 44 *Fanum est, quod Sabinis aquè ac Latinis summâ religione colitur, sacrum deae Feroniae. Eò statis diebus conveniebant è circumvicinis oppidis, alii votiva facturi sacra, alii negotiaturi propter celebritatem, mercatores, opificesque & agricolae; quod forum illic erat totius Italiae splendidissimum.* Et Silius lib. 13. ℣ 83.

*---------- Itur in agros,*
*Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco,*
*Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.*

341. EXUPERAT] Abundat. *Superare* siquidem quandoque pro *abundare* reperias apud probatos. Virg. lib. 1. Georg. ℣. 189.

*Si superant foetus pariter frumenta sequentur.*

Imò & pro *superabundare*. Hor. l. 2. Sat. 2. ℣. 102.

*Quod superat non est meliùs quo insumere possis?*

Inde *exupero*; inquit Perottus, *à quo exuperantia pro abundantia, & exuperanter, abundanter.* SCRIPTORUM] Graecorum & Latinorum veterum, recentiorumque. CHAOS INGENS] Summa multitudo, nata gignere, tot, tantarumque rerum confusionem, in unius hominis memoria.

342. MUROS] Romanos. URBEM] Romam. Antonomasticè, seu per excellentiam. Sic passim apud Jure Consultos veteres, & omnis aevi eruditos. Quintilianus cùm alibi, tum lib. 6. c. 4. *Postquam Urbis appellationem, etiamsi nomen proprium non adjiceretur, Romam tamen accipi sit receptum.* Haec enim ut Virg. Ecl. 1. ℣. 25.

Hac

*Interpres modò quæ veri, quæ pluribus annis*
*Regia Pontificum, pacis celeberrima sedes,*
*Justitiæ speculum, thesaurus relligionis,*
*Arca voluptatis: mecum peragrate sodales*
*Fana, domos, vicos, & amœno vertice montes:*
*Cernite conatus in* CHRISTI *&* MATRIS *honorem,*
*Cernite marmoreas Sanctorum altaria moles,*

*---Hac tantùm alias inter caput extulit urbes,*
*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*
Posterioris ævi scriptores Latini urbem æternam nuncupavere. Sic in tabula marmorea portæ Portuensis, etiam nunc legitur, OB INSTAURATOS MUROS URBIS ÆTERNÆ.]

343. INTERPRES] Internuntia Dei, & æternæ veritatis: quod in urbe pleno successionis jure residet divina potestas, D. Petro Apostolo tradita, tanquam petræ solidissimæ, cui fide Euangelici oraculi CHRISTUS JESUS Ecclesiam suam inædificavit, eidemque tribuit primum, & privum pascendi Catholici gregis magisterium, numquam defecturæ fidei constantiam, supremamque ac solam irrefragabilem, de controversiis sacra orthodoxa attinentibus, cognoscendi dirimendique auctoritatem. PLURIBUS ANNIS] Jam inde à temporibus promulgati Euangelii, per Apostolorum Principem D. Petrum, locatumque ibidem Solium Apostolici Principatus.

344. REGIA] Basilica, sedes, solium, aula. Metamorph. 2. Ovid. ✝. 1.
*Regia solis erat sublimibus alta columnis.*
PONTIFICUM] Romanorum. Antonomasticè: utpote qui divini & supremi magistratus honore, & fastigio ceteris quibuscumque mundi Episcopis, seu Pontificibus præstantes, hodie soli pænè hoc nomine appellantur. PACIS] Tum quia raro bellis, ob reverentiam Apostolici culminis, impetitur, tum quia supremorum Præsulum curâ, & paternâ solicitudine, inter principes Christianos, illic aut pax stabilitur, aut rupta instauratur Lips. Præfat. ad l. de Magnir. Rom. *Quidquid tranquilli & pacati est, in re Christiana, id manat ab unico illo capite, quod auctoritate sacra nobis præest. Romanus ille dictator, ut sic appellem & Pontifex, fulcrum aut vinculum est, quod sustinet, quod ligat, labentes aut dissidentes, in malè compacto hoc ædificio partes.*

345. JUSTITIÆ SPECULUM] Quia jura tam civilia, quam Canonica, inde sumptâ origine, in reliquas orbis Europæi provincias corrivantur. Ut meritò Sidonio Apoll. l. 1. Epl 6. Roma sit *Domicilium legum.* Claudiano l. 3. Stilic. ✝. 136. *Armorum, legumque parens, quæ fundit in omnes Imperium, primique dedit cunabula juris.* Lipsius ibidem ut supra. *Mira Dei benignitas in hanc urbem: cum Legionum vim eripuit, legum attribuit; cùm armis imperare noluit, sacris indulsit: & sic quoque fecit eam decus, tutelam, & columen rerum.* Tum etiam, quia omnia Romæ tribunalia, jus quod cunctis nationibus præscripserunt, sanctissimè dispensant, & administrant. THESAURUS RELLIGIONIS] Propter rarissima monumenta Christi servatoris, ejusque intemeratæ Matris Mariæ, doctrinam & oracula Apostolica, S. Ritus, Sanctorum reliquias, Sacras stationes, copiam Sacerdotum, Cleri principatum, ceremoniarum magnificentiam, pœnarum laxamenta &c. quæ sequuntur in decursu.

346. ARCA VOLUPTATIS] Qua continentur omnes orbis deliciæ, seu sensum, seu animum spectes. Nam Athenæo l. 1. c. 17. Roma est ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, *Orbis compendium*, complectens ut sequitur, Auream Alexandriam, Antiochiam pulchram, Nicomediam speciosissimam, & splendidissimas omnium Athenas. MECUM &c.] Invitat convivas suos, ad visenda urbis loca

347. MONTES] Palatinum, Aventinum, Capitolinum, Quirinalem, Esquilinum, Cælium, Viminalem: item postea adjectos, Janiculensem, Vaticanum, Testaceum, Pincium; quorum alii sumptuosissimis palatiis, alii pulcherrimis hortis & fontibus, alii vineis & silvis amœnissimi.

348. CONATUS IN CHRISTI &c.] Quorum excellentissimis meritis Romani, cum ex æquo non possint, nituntur tam cultu religioso, quàm templis eorum honori & nomini dedicatis respondere. Servatoris templa octodecim numerat Schraderus, quinquaginta septem Virginis Matris.

349. MARMOREAS MOLES] Ad analogiam ope-

*Cernite cum statuis augusta palatia, quæ tot*
*Credideris Regum, quæ tot miracula mundi.*
*Audeo pro vobis: Simul hinc simul ibimus omnes;*
*Patria cara vale, donec Mansfelte ministro,*
*Mole ruat propriâ Batavûm vis consilii expers.*
*Mittamus veteres, satis est legisse, ruinas,*
*Nec Capitolinus custos Panarius ille*

operum Græcanicorum affabre factas, & in maximam altitudinem evectas, quæ passim in omni urbis regione spectandas se exhibent.

350. STATUIS] Tam antiquis, quàm novis artificiosissimè sculptis. PALATIA] Tam publica Pontificis maximi, quàm privata Cardinalium, Principum, Legatorum, Prælatorum &c.

351. CREDIDERIS REGUM] Supple, esse palatia. AUT MIRACULA MUNDI] Opera illa stupenda seu spectacula, quæ nusquam non decantat antiquitas. De illis Seneca de Consol. ad Polyb. c. 20. seu ut alii. 1. *Septem illa miracula, & siqua his multò mirabiliora, sequentium annorum exstruxit ambitio, aliquando solo æquata visentur.* Et A. Gellius ait lib. 3. c. 10. *Septem opera esse in orbe terrarum miranda.* Vulgò autem recensentur, licèt discrepent auctores, Dianæ Ephesiæ templum, Jovis Olympici simulacrum, Colossus Rhodius, Pyramides Ægyptiæ, Mausoleum, Muri Babylonici, Cyri regia. Vide Rhodig. lib. 23. cap. 6.

352. AUDEO PRO VOBIS] Supple, spondere, decernere, & sine deliberatione, ut solet in re quę liquet satis, & consilii non eget. HINC] Ubi flagrant atrocissima bella.

353. PATRIA CARA, VALE] Belgica, Brabantia, Antverpia. MANSFELTE] Petro Ernesto, filio notho Petri Ernesti, quondam Belgarum proregis. Hic verè spurius & degener à tanto patre filius, collectâ non contemnendâ militum manu, Frederico Palatino, ejusque fœderatis vario Marte diu militavit, Gritzilam aliaque Frisiæ orientalis oppida à se munita Batavis tradidit, missisque à Mauritio Nassovio Hollandici exercitus imperatore in Galliam, Angliamque; ibidemque impetratis novis copiis auxiliaribus, obsessis Bredanis succurrere non semel tentavit. Tandem variis cladibus attritus, profugus, & inglorius moritur, magno sanè Catholicarum partium gaudio, anno salutis CIↃ. IↃC.XXVI. MINISTRO] Adjutore, pessimorum consiliorum in Catholicos auctore, & executore, quà cædibus quà latrociniis violento.

354. MOLE RUAT &c.] Nimiâ violentiâ, audaciâque pessum eat. Desumptum ex Horat. lib. 3. Od. 4. ℣. 65.

*Vis consili expers mole ruit sua.*

Ita enim comparatum est, ut res bellica feliciùs arte & consilio, quàm viribus dirigatur; cùm non rarò vires eum percellant, qui ceteris se præstare existimat, maximè cùm securus sui, temerè se cum impotentiore committit. Eventum autem hunc nostratibus eâ tempestate sperare licebat, per cinctam & pressam Bredam à copiis nostris, & Martem tunc Catholicos, & Austriacos inprimis principes, fortunantem. Sed vanum Augurium fuisse, arguunt res Batavorum florentes, etiam post gravissima bella, quibus à pacta cum rege Catholico pace, multum quidem accisæ, minimè tamen fractæ sunt.

355. VETERES RUINAS] Quæ etiam nunc extant Romæ, & speciem exhibent priscæ magnitudinis. SATIS EST LEGISSE] Apud Latinos & Græcos scriptores, qualia scil. & quanta fuerint Romanorum opera. Iterum per præteritionem recenset aliquot veterum fabricarum ruinas.

356. CAPITOLINUS CUSTOS] Qui in Capitolio hodie spectatur, & quasi Capitolium custodit. Alludit ad Aram olim in Capitolio, Jovi Pistori seu Panario dicatam. Lactant. l. 1. de fals. Relig. c. 22. *Eodem tempore* (obsidentibus Capitolium Gallis) *Iovi quoque Pistori ara apposita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod habebant, panem facerent, & in hostium castra jactarent: eoque facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopiâ subigi posse Romanos.* Imò & Jupiter Optimus Maximus, tanquam Capitolii totiusque imperii Romani custos, olim ibidem in templo magnificentissimo colebatur.

357.

*Juppiter antiquis, nunc responsoris acerbi*
*Partibus horrendus, Marforius ad peracutos*
*Pasquini morsus rapiat vos; nec simulachra*
*Troiugenûm; non clara arcu victoria Nervæ;*

357. RESPONSORIS &c.]Qui modò fingitur Pasquini calumniis, cum sale & felle respondere.

358. PARTIBUS] Quas censetur agere contra Pasquinum. HORRENDUS] Formidabilis propter dictorum amarulentiam. MARFORIUS] Sic vulgo Romano hodie dictus; unde,incertum. Alii conjectant statuam eam esse Naris fluvii, quibus mutato N. in M. videtur dici Marforius tanquam *Mar* fluvius: alii quia in foro haud procul æde Martis positam repertête, fori deum augurantur, ut sit quasi *Mars fori*. Alii Jovis Panarii simulacrum fuisse existimant. Certè Jovis imaginem non refert, quamvis videatur circumcirca substratis panibus incumbere, cùm reverà ipsa corporis positio propiùs accedat, ad speciem fluminis alicujus scopulo incubantis. Ita enim exprimebantur olim amnes, cum urnis suis prostrati, ac jacentes. Vnde aliqui volunt fuisse signum Rheni. Locum olim habuit ad ingressum fori Romani, è regione sacræ ædis quæ D. Petro in carcere, ut vocant, modò constructa cernitur, supra carceres Tullianos: inde ad Capitolium migravit, occupavitque areæ latus dextrum, sub templo, & Arceterio, quod *aram Cæli* vocant. Hodie autem opere porticus dextrę completo, cessit impluvio ejusdem, propiùs ædem excelsam Fratrum Minorum, vocatam ut suprà.

359. PASQUINI MORSUS] Statuæ illius veteris turpissimè truncatæ, & hoc similis Marforio. Cernitur in vico *Hyperione*, hodie *Parione*, innixę domus cujusdam angulo, quâ ex vico transitur ad forum Agonis. Hæc convitiosis scriptis novum nomen fecit, *Pasquinatarum*, quod aiunt, aut *Pasquillorum*; quòd isthic quondam lucida ingenia morsus suos deponebant; jam inde à temporibus collocatæ statuæ, cui nomen à *Pasquino* celebri sartore. Hic cùm esset vir facetus & dicax, aleretque ingentem numerum operarum in officina, paris secum ingenii & maledicentiæ; magnâ libertate cum iisdem, summatum ac virorum principum vitia notabat: & quidem, quod in partem felicitatis & nominis trahebatur, impunè: imò plerumque cum laude ingenii. Illo verò è vivis erepto, dum ædiles viam sternendam apud domum ejus curant, statua quæ antea dorso gradum viatoribus præbuerat, ab operis rejecta, summo acclamantium plausu erecta est eo loco, ubi modò conspicitur; dictumque è vestigio, magistrum *Pasquinum* revixisse. Inde ingeniosi homines, dum convitiantur principibus, ne sibi fraudi sit dicacitas, nomen & personam *Pasquini* assumunt. Huic & altera, etiam truncata, Marforii statua solet respondere, ut vidimus suprà. SIMULACHRA] Imagines.

360. TROIUGENUM] Troianorum scil. simulachra, quæ Æneas Troià secum in Italiam asportavit, ac Lavinii primùm constituit. Albani reges deinde, ac Romani tandem summâ solicitudine custodierunt, erecto templo haud procul foro, & ut quidam volunt, in Palatino, quod Dis penatibus consecrarunt. Nam hos referunt simulacra Troiana. Ejus templi descriptionem habes apud Dionys. Halic. l. 1. c. 68. *Templum Romæ non procul foro ostenditur, secundùm viam qua ad Carinas fert compendio, supra modum obscurum nec magnum structurâ. Loci vernaculâ gentis linguâ dicitur Subvelia. In eo posita sunt Troianorum deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione* DENATES, *quæ Penates significat. Videntur enim prisci ante inventum P usurpasse pro eo D. Sunt autem hastati duo juvenes, habitu sedentium, admodum antiqui operis.* Penates dici volunt quidam quasi penites, quod sint dii penitissimi, alii quod per eos quasi penitus spiramus; nam Penates sunt præsides & custodes dii. Cicero à penu deducit, sive ab eo, quod penitus insident. Lib. 2. de Nat. Deor. c. 68. Penatium alii fuere totius humani generis, alii terræ, alii cæli, alii civitatis, alii privatæ domus. Vide Rosin. l. 2. c. 14. ARCU NERVÆ] Quem S. P. Q. R. magno cum ornatu triumphaturo Nervæ Traiano Aug. tot gentium domitori erigendum curavit. Sed triumphus actus non est, nisi post mortem, vectante Ælio Hadriano, Patris imaginem currui impositam, solenni & triumphali more per urbem. Hujus arcus meminit Dio l. 68. *Senatus cùm alia multa, tum verò arcum triumphalem in foro ipsius* (Traiani) *edificari jussit.* Et Cuspinianus in Ulpio Traiano: *Senatus triumphalem illi arcum in illius foro exstruxit, multo ornatu: licèt ille urbem posthac numquam introiverit.* Quo loco autem ruinæ hu-

***Septimii aut monumenta Titi cum fœderis arcâ:***

hujus arcus extent Romæ, non est in promptu conjicere. Ad forum Traianum extitisse non est dubium, istud ornasse vult Marlianus lib. 5. c. 1. Onuphrius arcum Traianum recenset inter ea, quæ sunt regionis VIII. Id est, fori Romani, meminitque solùm fori Traiani: nihil addens de foro Nervæ; quæ ratio me impellit, ut credam forum Nervæ & Traiani olim eumdem fuisse locum: fortè à Traiano amplificatum, quod Nerva, ædificari cœptum à Domitiano, jam antè dedicaverat. Certè Marcellus Donatus in Jul. Capitol. M. Antoninum Philosoph. multis probat, forum Ulpium, Nervæ, ac Traianum, à tribus nominibus ejusdem Imperatoris Ulpii, Nervæ, Traiani, eumdem locum fuisse. Unde hic non intelligo locum alium, quàm eum, quem ex vocabulo *arcus Nervæ*, corruperunt, & modò vulgò appellant *l'arca di Noe*. Adstipulatur Boissardus Topograph urbis Romæ; designatque arcus illos ad ædem S. Adriani pro foro Nervæ, quod & pervium, & transitorium ab historicis nominatur, quia per illud ad forum vetus, seu magnum & Romanum transibatur. Et hic prope volunt extare reliquias aliorum arcuum & palatii Nervæ. Ceterùm in epistylio detritis & truncatis litteris adhuc legitur vetus inscriptio. IMP. NERVA CAESAR AUG. PONT. TRIB. POT II IMP. II. PROCOS. Porrò Cocceius Nerva domitiano successit in imperium; optimus princeps, sed senex, de quo tantùm id ferè legitur memoratu dignum, quòd inter ceteras leges, duas celebriores sanxerit: alteram ne mares castrarentur, alteram nequis fratris sororisve filiam uxorem duceret. Item quòd forum transitorium dedicaverit, quod Traianum sibi filium adoptaverit, cùm aliàs non deessent propinqui; quòd imperii molem in humeros valentiores adhuc vivus transmiserit. *Nerva*, inquit Dio lib. 68. *qui propter senectutem contemptus erat, in Capitolium conscendit, ibique magna voce: quod felix faustumque sit, inquit, senatui P. Q. R. mihique ipsi, Marcum Vlpium Nervam Traianum adopto: eumdemque postea in senatu Cæsarem designavit, & ad eum sua manu scripsit:*

*Telis Nerva tuis lacrymas ulciscere nostras.*

Sicque Ulpius Nerva Traianus successit: princeps fortitudine & bonitate omnibus amabilis, ut passim in senatu postea locum invenerit, usitatum istud, *Augusto felicior: Traiano melior.* Sanè Senatus decreto optimi nomen obtinuit. VICTORIA] Non Cocceii Nervæ, cùm de illa nullum extet vestigium in historiis, fastis, numis, triumphis; sed Nervæ Traiani, cui senatus decrevit triumphos, quos ipse cuperet, ob multiplices victorias. Duos egisse constat ex triumphis Onuphrii anno scil. ab V. C. ꟾↃ. CCC. LV. De Pannoniis, Dacis, & rege Decebalo, ac anno V.C. ꟾↃ. CCC. LXX. de Parthis, Osroheneis, & rege Chosdroe ex oriente. Sed postremus is non nisi post mortem invictissimi principis actus, cùm ex partibus orientis vivus non redierit. De illo Ælius Spart. in Hadriano. *Cùm Triumphus ei* (Hadriano) *Senatus, qui Traiano debitus erat detulisset; recusavit ipse, atque imaginem Traiani curru triumphali vehit, ut optimus imperator, ne post mortem quidem, triumphi amitteret dignitatem.*

361. SEPTIMII] Arcus triumphalis, qui hodie adhuc visitur integer pæne ad radices Capitolii, in foro Romano. Marmoreus est, & opere scito fabricatus, insculptis utrimque terrestrium & maritimorum bellorum trophœis, supernèque volantibus Victoriis. Pars tamen illius sub terra latet, Roma tot ruinis barbarorum semet effetente. Supra legitur hæc inscriptio: IMP. CÆS. L. SEPTIMIO M. F. SEVERO. PIO PERTINACI, AUG PP. PARTHICO ARABICO, ET PARTHICO ADIABENICO, PONT. MAX. TRIB POT. XI IMP. XI. COS III. PROCOS ET IMP CÆS. M. AURELIO L. F. ANTONINO AUG. PIO. FELICI, TRIB POT. VI COS. PROCOS. PP OPTIMIS FORTISSIMISQUE PRINCIPIBUS, OB REMP RESTITUTAM. IMPERIUMQUE P R PROPAGATUM. INSIGNIBUS VIRTUTIBUS EORUM DOMI FORISQUE S. P Q. R. Fuit Septimius imperator verè severus, & in hostibus suis insectandis pertinax. Julianum enim à Germanicis copiis Cæsarem renuntiatum, ipsique mortem machinatum, in Capitolio obtruncavit. Pescennium nigrum, quem Syriacæ legiones imperatorem salutaverant, acie bis commissâ fregit & oppressit; fugibundo & ad Antiochiam latitanti præcisum caput, quod pilo infixum circumferri voluit. Albinum qui militiæ Britannicæ præerat, quemque antè oppressum Nigrum, Cæsarem ipse compellaverat, & in senatu participem imperii pronuntiaverat, in Galliâ debellavit, truncatùque caput Romam præmissum patibulo suffixit, ad amicorum ejus terrorem. Cetera bonus, & ut placet Cuspiniano, bellicosus, liberalis, litteratus, eloquens, mathematicus &c. De parthis, Arabibus, Adiabenis, triumphavit, sed per filium natu maximum, cum

quo

quo jam antè imperium communicaverat; quod ipse in curru ob morbum articularem consistere nequibat. Filii nomen docet inscriptio. MONUMENTA TITI] Arcus item triumphalis per quem hodiè ex foro Romano transitur ad Colosseum ut vocant, seu amphitheatrum Vespasiani, eo loci, ubi ad mentem Fulvii, olim summa via sacra erat, quæ ab arcu Constantiniano per forum in Capitolium ducebat. Arcus omnium vetustissimus, parvus alioquin, & à temporum injuriis nequaquam illæsus; integer tamen, & in cujus fronte adhuc legas priscam inscriptionem: S. P. Q. R. DIVO TITO D. VESPASIANI F. VESP AUG. Ob triumphum de Judæis, & excidium Hierosolymitanum erectum fuisse indicant utriusque lateris sculpturæ, de quibus mox. *Titus* Imperator ob beneficentiam in omnes, amor & deliciæ orbis terrarum nuncupatus est. Delatores flagellis ac fustibus cæsos venire jussit, & in insulas deportari. Cum patre Vespasiano triumphum egit; & imperium cum fratre Domitiano communicavit. De illo Ausonius in Cæsaribus:

*Felix imperio, felix brevitate regendi,*
*Expers civilis sanguinis, orbis amor.*
*Unum dixisti moriens te crimen habere;*
*Sed nulli de te, non tibi credidimus.*

FŒDERIS ARCA] Quam volunt Hierosolymâ asportatam in triumphum Romanum, & in ipso arcu repræsentari. Utrimque enim introrsum ad latera fornicis historia triumphi depingitur ipsâ marmoris cælaturâ. Marlianus lib 3. c. 8. Arcus Titi, *exstructus fuit devictis Hierosolymis, in quo intrinsecus ab uno latere sculpta sunt victoria cum arca fœderis.* Boissardus Itin. Romani die III. *In quo* (arcu) *victoria sculpta, & triumphi pompa, quo ferebantur templi spolia: nempe arca fœderis, candelabrum &c.* Concinit Nathan Chytræus in Itin. Roman.

*------ Titi conspeximus arcum*
*Sculpturâ sanè egregium: de more triumphans*
*In curru dux ipse sedet, victoria circùm*
*Læta volat, lauroque ducem victore coronat.*
*Fœderis arca sequens fasces gestata superbos*
*Præcedit currum: Solymi vasa aurea templi,*
*Et geminæ Mosis tabulæ, septemque lucernæ:*
*Et Iudæi etiam, vinctis post terga lacertis*
*Fornice marmoreo insculpti cernuntur ibidem.*

In Æde Lateranense D. Joannis in sacello lavacri Constantini asservatur arca, quam volunt esse arcam fœderis, & nos certè vidimus, notavimusque materiam ligni minimè duri, claviculorumque vestigiis passim hiantem. Omnia quippe exteriora ornamenta, quæ claviculis affixa fuerant, indidem detracta esse memorabant. Meminit Onuphrius de septem urbis Ecclesiis in æde lateranа: *Altare est*, inquit, *S. Ioannis Baptista, in quo multa reliquia sanctorum conservantur: in his arca fœderis, mensa Christi* &c. Cui etiam consonant Schraderi, & vetustissima ejusdem ędis monumenta. Cæterùm non desunt, qui negant Hierosolymis asportatam arcam fœderis, cum tempore excidii non fuerit in templo, sed latuerit, & etiam nunc lateat loco abdito, ubi reposita olim à Jeremia Propheta. Sic enim legimus l 2. Machab. c. 2. ℣. 7. *Ieremias culpans illos dixit; quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, ut propitius fiat; & tunc Dominus ostendet hac, & apparebit majestas Domini.* Et apud S. Epiphanium de vita Jeremiæ: *Hic est ille Propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, quæque fuere in eâ singula, & curavit ea absorberi in saxum. Addidit præterea: arcam hanc nec quisquam reserabit umquam, neque sacerdotum neque Prophetarum, excepto Moyse electo Dei. Tabulas quas continet ipsa, nullus explicabit prater Aaron. Ceterùm in resurrectione primùm arca resurget, & prodibit è saxo, inque Sina monte locabitur.* Plura his addit S. Dorotheus, refertque arcam conditam inter duos montes, in quibus sepulti Moyses & Aaron. Huic opinationi videtur quoque ipse Josephus, qui triumphum Titi præsens spectavit, adstipulari; dum enumerando cetera spolia Hierosolymæ, quæ in pompa Victori præferebantur l. 7. de bello Judaico C. 24 nullam arcæ mentionem facit: uti nec Hegesippus, aut alius quisquis est auctor, Excid. Hierosol. l. 5. c. 48. ubi tamen commemorat, Jesum unum ex sacerdotibus, se Romanis dedidisse, uti & vasa omnia sacerdotalium ministeriorum, lucernas duas, mensas, crateras, phialas &c. quod insignes illi & probatæ fidei rerum Judaicarum scriptores, neutiquam subticuissent, si arca verè in triumphum abducta fuisset. Quare istud qui negant, in arcu Titi sculptam confitentur mensam panum propositionis, minimè arcam. De hac controversia consulendi Corn. à Lapide in cap. citat. l 2. Machab. Bellarm. l. 1. de verbo Dei c. 15. Abulensis in Exod. c. 15. Becanus Analog c. 13. & alii. Porrò arca constructa fuit à Moyse formâ quadrangulari, duos cubitos & semis longitudine, sesquicubitum latitudine, altitudinecque complectens, ex lignis Setim inauratis; in hoc fabricata, ut leges Decalogi caperet, quæ una erat fœderis lex inter Deum & Hebræos. Desultorias sedes in tabernaculo; firmam & certam in templo

*Non Antonini, Thermæque Diocletiani;*
*Non Mausoleum; non Circus maximus; aut quæ*

plo Salomonis habuit, donec inde à Jeremia sublata, & in petram abdita fuit. Sunt qui dicant, aliam arcæ desideratæ similem, in templo Hierosolymitano, postea suppositam fuisse, & hanc in triumphum abstulisse Romanos, quod à vero non ita procùl abludit.

362. ANTONINI THERMÆ ] In radicibus Aventini, haud procul viâ Appiâ, ponè ædem sacram SS. Nerei & Achillei, quam putant fuisse Isidis, ab Antonino thermis suis adjunctam. Ingentes hic prorsus ruinæ, & propemodum integræ, extantibus adhuc columnis ex Ophite lapide, & labris marmoreis vastissimæ capacitatis. Spartianus in vita Antonini Caracalli, *reliquit*, inquit, *thermas nominis sui eximias, quarum cellam soliarem architecti negant posse ullâ imitatione, quâ facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum esse spatium, ut id ipsum fieri negent potuisse docti mechanici.* Fuit Aurel. Antoninus Bassianus Caracallus imperator ferox, in milites comis & benignus, in ordinem senatorium, equestrem, aliosque primores crudelis: multis cædibus & parricidiis infamis: homo sanguinarius, & incestis cum noverca Julia nuptiis pollutus, cujus in sinu, filium ejus Getam fratrem suum, paullò antea obtruncaverat. In Mesopotamia Macrini scelere sublatus est. *Thermæ* balneæ seu loca calida ad lavandum vel sudandum comparata: ἀπὸ τῶ θερμῶ, id est, calido: unde & sudatoria, & hypocausta, & balnea, nomine thermarum veniunt. Usus tamen invexit, eum lavandi mos veteribus pænè quotidianus fuerit, ut domestica & privata lavacra, balneas; publica, & in usum publicum ædificata, thermas nuncuparent. Usus illarum erat, ad pulveres sordesque abluendas, sudorem provocandum, aut certè ad valetudinem, vel voluptatem. Quidam interpretantur hoc interesse, quod *thermæ* sint aquarum naturâ calidarum, *balneæ* calefactarum, *nymphæa* frigidarum. Hoc autem perpetuum non esse, docent nos thermæ Romanæ, ubi necesse erat ad usus lavantium frigidas igne calefacere. Nam inter cetera prope infinita loca in thermis, varios ad usus & voluptates ædificata (Romanæ quippe thermæ instar provinciarum erant constructæ, si Amm. Marcel. lib. 16. credimus) quædam ad calefaciendam aquam habebantur, unde per siphones & fistulas in singulas balneas calidæ derivabantur. Erant & apodyteria, in quibus lauri vestes deponebant, erant areæ amplissimæ porticibus cinctæ, pavimenta lithostrota, xysti, nemora, & natatoria, populi ludis, deliciisque exposita. Hîc & principes quandoque cum populo promiscuè lavabant: imò leguntur aliquando septies octiésve uno die lavasse. Plura vide apud Marlianum lib. 4. c. 7. & Perottum. DIOCLETIANI] Thermæ scil. quæ dorso Viminalis inædificatæ admirandam præferunt vastitatem, eo loco ubi modò templum S. Mariæ Angelorum. Diocletianus & Maximianus Augusti immenso sumptu hasce thermas inchoarunt, damnatis ad illas constituendas XL. Christianorum millibus, qui annos XIV. in hanc Babylonem serviles labores ob Christi amorem æquissimâ & constantissimâ mente exanclare perstiterunt. Constantinus verò & Maximianus absolverunt & dedicaverunt. Hodie corrupto vocabulo locus appellatur *termine*; videturque adhuc ibidem aquarum castellum vastum, figuræ oblongę, sed inæqualis, quod vulgo dicunt, *la botte di termine.* M. Aurel. Valer. Diocletianus imperator fuit strenuus & prudens, qui ad imperii societatem, ob bellorum frequentiam, Valer. Maximianum Herculeum vocavit. Multis victoriis inclytus, sponte se unà cum socio, propter senium, Augustali dignitate abdicavit, & in Dalmatia annos decem privatam vitam egit. Fuit acris ingenii, & severitatem suam alienâ invidiâ implebat. In Christianos impius & crudelis.

363. MAUSOLEUM.] Sepulchrum Augusti Cæsaris, quod sibi, consanguineis, necessariis, ac successuris imperatoribus, in campo Martio inter Flaminiam & Tiberis ripam, altitudine CCCLXXV. pedum, regiâ prorsus magnificentiâ, tertio consulatu, construxit. In fastigio æneum Augusti simulacrum eminebat auro litum, sub aggere loculi tumulandis cognatis & familiaribus. Opus totum è candido marmore fabricatum, arboribus semper frondentibus, ad verticem usque coopertum: additus à tergo lucus ambulacris stupendi operis pulcherrimus Medio autem campo, busti ambitus, pari operis elegantiâ ex marmore niveo constructus, ferreis circum cancellis præsepiebatur, bissenis in orbem ostiis cælestium signorum numero referentibus. Molem utrimque bini obelisci LXXII. pedes & semis in altum surgen-

*Innumera antiquæ visuntur rudera Romæ:*
365. *Verùm, æternabit quæ sæcula nostra, venustas,*
*Divo tutori sacra augustalia* PETRO;

gentes ex ophite lapide Ægyptio, claudebant; de quorum altero infrà. Hîc tumulatum fuisse Marcellum Octaviæ sororis ejus filium, verosimile est, quando ita cecinit Poëtarum princeps Lib. 6. Æneid ℣. 872.

*Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem*
*Campus aget gemitus, vel quæ, Tiberine, videbis*
*Funera, cùm tumulum præterlabêre recentem.*

Hodie locus est ponè S. Rochi ædem in ripa, usque ad S. Caroli ad Flaminiam, omnibus pæne veteris structuræ ornamentis nudatus, ut vix conjectare liceat, quæ olim fuerit tantæ molis figura. Vide Marlian. lib. 5. c. 7. Porrò *Mausoleum* dicitur omne magnificum ac spleodidum monumentum, ducto exemplo ab eo, quod viro suo Mausolo Artemisia Cariæ regina construxit, inter orbis septena miracula celebratum, de quo vide A. Gell. l. 10. c. 18. & Plin l. 36. c. 5. Martial. lib. Spectacul. Epig. 1. ℣. 5. de Augusti Mausoleo idem lib. 5. Epig. 65. ℣. 5.

*Iam vicina jubent nos vivere Mausolea:*
*Cùm doceant ipsos posse perire Deos.*

CIRCUS MAXIMUS] Opus maximum & portentosum in valle Murcia, quod olim occupavit id urbis spatium, quod inter montes Palatinum & Aventinum, longitudine trium stadiorum & semis, latitudine quatuor jugerum porrigitur. Spatium describit Dionysius Halic. l. 3. c. 81. structuram Onuphrius de ludis Circensibus. Consuales ludos in Sabinarum raptu, primus spectandos præbuit Romulus; locum definivit Tarquinius Priscus; tectis porticibus cinxit Superbus. Varii hîc ludi fiebant, qui omnes à loco Circenses appellati. Ornamenta paullatim elegantiora evasere. Nam quæ primùm lignea, mox lateritia, dein marmorea, postremò aurea facta. Circum vel totum, vel ejus partem, læsum, collabentem, aut alio casu deformatum, instaurarunt, auxerunt, vel ornarunt, Cæsar, Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, Domitianus, Traianus, Marcus, Heliogabalus, Alexander. *Onuph.* lud. Circ. l. 1. c. 7. Capax erat circus CL. millium: vel, ut alii, CCLX. millium hominum, qui suis singuli locis spectacula facere commodè poterant. Rudera hodie supersunt & parietinæ, quæ vestigia prisci ambitus, & graduum ruinas aliquatenus manifestant. Area oleribus consita, horti specie, formam superbissimi Circi planè suppressit. Typum ruinæ hodiernæ edit Onuph. Pan. lud. Circ. l. 1. c. 4.

365. VERUM ÆTERNABIT &c.] Ordina: verùm venustas quæ æternabit secula nostra. Id est: non rapiat vos *Marforius* aut *Pasquinus*, non *arcus Nervæ*, aut *Septimii*, vel cetera antiquitatis opera; sed hodierox urbis venustas, quæ posteris memoranda, & perpetua nostra reddet secula: atque hâc ratione venustè transit ad censum eorum, quæ hoc ævo Romæ hospes conspiciat admiranda.

366. TUTORI PETRO] Apostolorum Principi, Catholicæ Ecclesiæ Pastori Catholico, Romano Episcopo, urbis ac orbis Protectori. AUGUSTALIA] Augustissimum, & magnificentissimum totius orbis templum, in monte Vaticano; ubi idem Apostolorum Princeps pedibus in sublime erectis, Neronis jussu cruci affixus, Christo vitam profudit, ibidemque tumulatus, operâ Anacleti Presbyteri ac deinde Pontificis, sacram nomini suo ædem meruit: ubi decreto ejusdem Anacleti, secuturi Pontifices, tamquam Apostolici muneris consortes, sepulchrorum vicinitate conjungerentur. Hæc fuit antiquissima S. Petri memoria, quam & martyrium ejus, vel confessionem prisci scriptores appellant; quam ab Heliogabalo destructam, in Basilicam centum marmoreis nobilibusque columnis sublimem commutavit Constantinus Imperator, duodenarium Apostolorum numerum, effossæ à se humi bis senis sportulis humero sublatis, veneratus. Successit vetustate jam deformatæ, moles illa superbissima, seu vastitatem, architecturam, symmetriam, seu operis elegantiam, ornatum, sumptus & divitias spectes, primum orbis miraculum: cui frontem & colophonem addidit Paullus V. Pon. Max. Aream spatiosam amplissimis porticibus, multiplici columnarum ordine, in formam hemicycli ductis, utrimque sepsit Alexander VII. P.M. Heroici animi Princeps, ad oroamentum & magnificentiam ædis Apostolicæ, quam altissimus obeliscus, de quo infrà, mirum in modum exornat, medius binos inter fontes & lacus capacissimos, in quos ex multiplicibus siphonibus, in figuram turbinis in altum, miro impetu salientium aquarum summa vis se præcipitat. Templi veteris descriptionem & historiam habes apud Onuph. de 7. urbis Ecclesf. Nobis abun-

*Sexque alia; attritâ quæ si pietate frequento,*

dè fit, digitum hîc intendisse in eam, de qua Innocentius III. Papa olim cecinit:

*Summa Petri sedes, hæc est sacra Principis ædes.*
*Mater cunctarum & decor & decus Ecclesiarum.*

AUGUSTALIA] Bene multitudinis numero efferi, quòd templum istud unicum, æquat plurima. Quælibet enim in eo porticus, seu recta seu transversa, maximi cujuspiam fant speciem præfert: ut nihil dicamus, de sacellis ingentibus, & multo sumptu exornatis, quæ minoris cujuspiam ædis magnitudinem referant. *Augustale* Imperatoris, seu ducis exercitus tabernaculum, uti disertè tradit Quintilianus lib. 8. c. 2. Item & domus Augusta, Basilica, Prætorium. Inde & principes Ecclesiæ, quasi domus augustæ vel regiæ, & ceteris antecellentes, apud sacros, Basilicæ nuncupantur Alioquin cùm sit hîc tabernaculum Principis Apostolorum, rectè præ aliis Augustalis nomine ac honore decoratur.

367. SEXQUE ALIA] Templa principalia, seu Basilicæ, quæ religionis ergò maximè frequentantur; tam ex priscâ Christianorum consuetudine & pietate, quàm ad consequenda pœnarum laxamenta, quibus summi Præsules eos impertiunt, qui inter cetera præscriptæ religionis operâ, septem urbis Ecclesias visitarunt. PRIMA est ædes Apostolorum Principis S. Petri in Vaticano, de qua jam egimus, omnium maximè, ob sacratissima illius ossa, quæ hîc recubant, frequentata. ALTERA est S. Paulli extra muros viâ Ostiensi, ab Imperatore Constantino, centum marmoreis ex Porphyrite columnis, exædificata, haud ita procul eo loco, ubi magnus ille gentium doctor capite minutus, Christum illustri martyrio confessus, vivere ac docere desiit; triplici cæsi capitis saltu, triplicem fontem, divinæ suæ facundiæ monumentum, excitando Rem celebrat ędes mille passus inde versùs mare distans, ubi ex trigemino fonte, tam indigenæ, quàm peregrini, saluberrimos latices delibare solent. TERTIA S. Sebastiani extra muros viâ Appiâ, operis vetusti, & quæ creditur ab ipso etiam Imperatore Constantino, veteri & per orbem venerabili S. Calisti Papæ cœmiterio, inædificata. Hic centum sexaginta millia Martyrum tumulata dicuntur, inter quæ Pontifices Romani XIV. Imò & Corpora SS. Principum Apostolorum, hîc in catacumbis, multos annos delituerunt. Structuræ formam, tam catacumbarum, quàm Ecclesiæ, vide apud Onuph. de septem Eccles. QUARTA S. Joannis Lateranensis in monte Cælio, ab eodem Imperatore Constantino Servatori Christo fabricata; quæ Lataranensis à loco & domo familiæ Lateranæ, Constantiniana à conditore, ab ornamentis Aurea est nuncupata. Varios habuit instauratores, de quibus lege Onuphrium ubi suprà. Romanorum Pontificum olim sedes erat; unde Synodis isthic coactis, & Canonicè celebratis nominatissima; & ipsa supra peristylium exterius, principis ædis notam barbaro charactere præfert:

*Dogmate papali datur, & simul imperiali,*
*Quod sim cunctarum mater, caput Ecclesiarum.*

Dedicata est Servatori Christo, ejusque prodromo Joanni Baptistæ, discipuloque Euangelistæ: à quibus hodiernum nomen profluxit. QUINTA S. Crucis, ut aiunt, in Hierusalem, ab Imperatore itidem Constantino, in atrio Sessoriano, juxtà Veneris & Cupidinis fanum, & amphitheatrum castrense, ædificata ad preces Helenæ Imperatricis: à variis dein instaurata, multisque ornamentis nobilitata. Inter quæ tria altaria sacelli D. Helenæ sacri, quæ Archidux Albertus Belgarum Princeps, tabulis manu artifice Petri Paulli Rubenii, pictorum nostro ævo Principis, scitissimè pictis, & pretiosissimo tabernaculo, mirum in modum illustravit. SEXTA S. Laurentii extra portam Esquilinam, quam hortatu S. Silvestri, in agro Veranio viâ Tiburtinâ, erexit idem laudatissimus Princeps Constantinus Augustus, marmoreisque XXXVI. columnis imposuit, eo loci, unde gloriosus Christi athleta ignis supplicio confectus ad Superos abiit: scilicet prope cœmiterium Cyriacæ, ubi & tumulatus, jam tum frequens à populo Christiano colebatur. Basilica est, tum sacris SS. Martyrum plurimorum, ac inprimis Stephani & Laurentii exuviis, tum cœmiterio seu cryptâ, ad quam per gradus aliquot est descensus, & lucerna decamyxa, seu decem ellychniorum, viginti librarum ex auro purissimo, nobiliter locupletata. SEPTIMA Liberiana, seu S Mariæ, quod aiunt, Majoris, in Esquilino colle, cujus portionem non exiguam huic ædi inædificandæ, à Deo ejusque Matre virgine, olim prodigiosâ nive nonis Augusti designatam fuisse commemorant. Templum inter cetera Augustum, elegans, operis musivi scitissimis passim figuris adornatum; pavimento operis tessellati, emblematisque vermiculati, & laquearibus inauratis insigne, vasis argenteis aureisque, & reliquo religionis apparatu opulentum. ATTRITA PIETATE] Animi puri, & expiati religione; nimirum,

*O quantum humanis deduco erroribus! Adde*
*Per Tiberim pontes, castrum sancti Angeli, utrasque*

mirum, quam stipet feria noxarum pœnitudo. Id est, per sacram exomologesin emaculatâ conscientiâ, sumptoque divino Corporis Christi pabulo. Hoc enim cælestis thesauri dispensatores Pontifices, ad faciendum gratiarum ejusmodi quæstum præscribere solent.

368. O QUANTUM! &c.] Emphaticè, ut premat virtutem operum ejusmodi, quæ minuendis, aut penitùs abolendis noxarum suppliciis temporariis paria sunt. DEDUCO] Detraho, decido: id est, quantum comminuo! ERRORIBUS] Errorum seu peccatorum pœnis, meritò à sacro judice inflictis, aut infligendis, aut post hanc vitam à divina nemesi expetendis. Notat frequentiam & magnitudinem gratiarum Apostolicarum, quibus locupletantur jam recensę septem Urbis principes Ecclesiæ, quando amplissimæ eas visitantibus, statis quibusvis diebus, & ritè comparatis Christianis, tribuuntur veniæ, seu remissiones operum pœnalium, quæ alioquin ad plenam noxarum abolitionem debeantur.

369. PONTES] Octonos, ex quibus hodie seni adhuc extant, quibus vincitur Tiberis. I. Binis passuum millibus extra portam Flaminiam, *Milvius* seu *Mulvius*, vel, ut in antiquissimis Sallustii codicibus, *molvius*, vulgò *ponte molle*. Hic fornices habet quatuor, binos mediocres, totidem parvos: à Nicolao V. P. M. instauratus. Aurelius Victor in M. Æmil. Scaur. item & Ammianus Marcellinus lib. 27. ab Æmilio Scauro censore, pontem Milvium fabricatum esse tradiderunt. II. Qui mare versùs proximè succedit Milvio, intra muros ad molem Ælii Hadriani, quæ hodie audit castrum S. Angeli, & hinc pons ipse nunpatur Ælius, & pons S. Angeli, & pons castelli: estque primus qui influentis in urbem Tiberis ripam conjungit, mole marmoreâ vastâ, amplissimâ latitudine; cujus loricæ stylobatas utroque latere, statuis ex candido marmore affabre sculptis, Angelos Christi patientis instrumenta manu gestantes repræsentantibus, novissimè Clemens IX. P. M. exornavit. Fornices habet quatuor, à Nicolao V. itidem instauratus. III Janiculensis seu Valerius olim, nunc Xysti: quòd ab Antonino Pio Imperat. ex marmore factus, dein civilibus bellis demolitus, à Xysto IV. P. M. restitutus sit. IV Fabricius, qui & Tarpeius Tiberis insulam urbi nectit. Conditorem, unde nomen duxit, indicat utriusque fornicis geminata inscriptio vetus: L. FABRICIUS C. F. CUR. VIAR. FACIUNDUM CURAVIT. Ejus meminit Flaccus lib. 2 Sat. 3. ỳ. 36.

*Atque à Fabricio non tristem ponte reverti.*

Hodie pons quatuor capitum nuncupatur, à quadrifronte Jano, aut terminis in citeriore ripa. Vetustate fatiscentem restituit Paulus III. P. M.

V. Pons est Cæstius, qui insulam transtiberinæ regioni jungit, formâ arcus triumphalis factus; fornice medio permagno, & utrimque parvo superincumbens. Dictus hodie pons S. Bartholomæi; quia & insula hoc jam nomine insignitur, à fano ejusdem Apostoli, olim Æsculapio dicato, quod continet. Veteres adhuc inscriptiones docent fieri, & dedicari jussum ab Imperatoribus Valentiniano, Valente, & Gratiano.

VI. Pons olim senatorius seu Palatinus, ita dictus, tum quod per illum senatores, cum Sibyllinos libros inspecturi, in Janiculum tenderent, de more prisco transirent: tum quod recto itinere mittat ad montem Palatinum. Hodie pons S. Mariæ Ægyptiacæ, scil. cujus fanum in propinquo est, nuncupatur. Reliquos omnes magnitudine superabat, seno fornice, & quinque pilis constructus, quod aquam ex utroque insulæ latere, gemino alveo cum impetu confluentem, accipiebat. Nunc verò, quia, quâ parte urbem jungebat, medium ejus hausit inundatio illa, post hominum memoriam maxima, quæ anno salutis CIↃ. IↃXC. VIII. Romæ facta est IX. cal. Januar. Clemente VIII. P. M. vulgo *ruptus*, sive *ponte rotto* nuncupatur: altero pontis medio, quo vincitur ora transtiberina, prorsus inutili, & sine usu populi hodie deserto. VII. Sacer ille & sublicius, à quo facto & sæpius restituto, pontifices nomen invenere, ut vult Varro l. 4 de ling. Lat. primo ligneus, dein ab Æmilio Lepido prætore lapideus (inde & Æmilius dictus) ab Antonino Pio marmoreus factus est. Ejus vestigia etiamnū extant ad radices Aventini ultra Senatorium.

VIII Olim inter Ælium & Janiculensem, dictus est Triumphalis, quòd per illum triumphi ducerentur in urbem. Ejus reliquias adhuc super extantes undis videre est, ponè celeberrimum & maximum urbis Xenodochium, quod à S. Spiritu nomen habet. CASTRUM S. ANGELI] E regione pontis Ælii trans Tiberim: molem Hadriani veteres dixere, quòd Augustus Ælius Adrianus hoc sibi & suorum condendis cineribus monumen-

370. ***Divorum Antonini Traianique columnas,***

tum fabricaverit. Pontifices Romani molem vallis communiendam curarunt, ut jure jam castrum audiat, & quidem altissimis fossis ab Alexandro VI. P. M. additis, munitissimum. Huc Pontificibus ex Palatio Vaticano per viam clandestinam commeare licet. Angeli nomine celebratur, quod D. Gregorio Magno, depellendæ pestilitati indictâ publicitus supplicatione, isthac transeunte, visus sit Angelus in apice molis sanguinolentum mucronem in vaginam recondere. Isthic anniversaria celebritate, festo & profesto die SS. Apost. Petri & Pauli, electique & Coronati Pontificis eo tempore moderantis, ignes hilares & festi suscitantur, funalibus passim accensis, machinis ignivomis & arte factis, molem in orbem collustrantibus, denso crepitantium millenorum pyrobolorum glomeramine in turbinis figuram cælum inautante, tormentorumque reboatu, urbis lætitiam ad agros & oppida vicina propagante. Nos ejusmodi festos ignes, dum alterum Pontificatus sui annum auspicaretur Innocentius XI. Pont. Maximus, cujus salutem fortunet Deus, ac inter eos, pyrium istum turbinem, quem vulgus Romanum *la girandola*. Nuncupat; ac lucida optimi max. patris insignia cum admiratione contemplati, ita fallendis otiis, Romæ in eosdem ex tempore lusimus:

*Angelus Æliace spargit sua lumina Castro,*
*Et radiata Petri templa salutat ovans.*
*Missilis, ex cunctis urbis regionibus, ignis*
*Nocturnum variâ sulcat inane face.*
*Ænea mox quatiunt laxata tonitrua montes:*
*Duplicat horrendos vallibus aura sonos.*
*Serpit humi vulcanus edax, atque ordine longo,*
*Æra subit parvo, quà patet, ore viâ.*
*Vi multa ingestos ructant mortaria truncos:*
*Æthera diffindunt fulmina, terra tremit.*
*Et simul ignivomæ solvuntur in aëra cannæ:*
*Omnia se produnt luce, vapore, sono.*
*Aureus hac inter stellarum mille figuris,*
*Turbo aspectantum lumina cuncta tenet.*
*Stridulus exeritur, mox scintillantibus alis*
*Pansus, ad occasus involat astra suos.*
*Evomitâ crepitat totâ virtute; caditque;*
*Hei mihi quàm subitò gloria tanta perit!*
*Deîn niveis terno sex ordine cymbia fundis,*
*Ex omni circùm mœnia parte rubent.*
*Ignea Punicei suprà rabit ira Leonis;*
*Fuscus & in flammis se Iovis ales agit.*
*Terna decussatis nitentia clavibus, omni*
*Regia serta micant imperiosa solo.*
INNOCUUS *sua signa* PATER *speculatus ab alto;*
*Gaudia sint, inquit, non mihi, sed populo.*
*Alta talent totam cunctorum vota per urbem:*
*Vivito Nestoreos,* OPTIME PAPA, *Dies!*
*Lux abiit, tenebræ per taca silentia clamant:*
*Sic transit mundi gloria* SANCTE PATER.

370. DIVORUM] Imperatorum, qui post mortem ex S. C. *Divi* appellati sunt, propter insignia in Remp. merita: ut fieri solebat temporibus priscis, etiam aliis Cæsaribus bene meritis, sed ferè post mortem, & ex S. C. At crevit postmodum adulatio, ut passim omnes, *Divi* dicerentur. Hinc & alii illud sibi, vivi etiamnum, tribuerunt. Divi autem propriè olim dicebantur Dii indigetes, qui ex hominibus tales facti. Qua ratione homines insigni vitæ sanctimoniâ illustres, post mortem in cælo cum Christo regnantes, non malè Divos appellamus. ANTONINI] M. Aurelii Antonini columna in campo Martio, etiam nunc post barbarorum ruinas superstes. Hodie ante Palatium Chisium præter viam Flaminiam conspicitur. Res præclarè gestas ab ipso contra Armenos, Parthos, Germanos exhibent saxa, quibus prorsus solidis, ut quidam aiunt XXVIII. tota quanta est columna constituitur. Cochlis in medio gradus habet CCVI. sed numerus is hodie deprehendi non potest, quòd plurimi ex iis dirupti sunt. Altitudo creditur CLXXV. pedum. Patet circumcirca rimis seu fenestellis LVI. ut lumen scandentibus commodet. Inter cetera, quę ars sculptorum elegantissimè in marmoribus expressit, etiam spectare licet, sub imagine Jovis pluentis & fulminantis, magnum istud prodigium, quod litteris ad S. P. Q. R. datis denarrat ipse Imperator. Apographon epistolæ extat apud Baronium, ex vetusto codice Bibliothecæ Vaticanæ desumptum, Tom. I. ad An. Christi CLXXVI. cum imagine Jovis Pluvii. Illustre Religionis Christianæ documentum. Inter cetera habet hæc epistola: *Eramus in media Germania montibus undique conclusi. Simul autem atque sese humi abiecerunt* (Christiani) *ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam; statim è cælo pluvia delapsa est, in nos quidem frigidissima, in hostes grando, ignis specie ac similitudine, & fulmina.* Nempe jam antè præmiserat Romana castra fame ac siti laborasse, quòd aqua dies quinque defecerat. Inde vis miraculo. Columnam flammis deformatam, & hinc inde hiantem, restituit Xystus V. P. M. collocatâ in apice,

æneâ

*Nunc* PETRO *&* PAULO *titulo meliore dicatas:*
*Augustis celebres obeliscos quattuor urnis*

æneâ inauratâ S. Pauli Apostoli statuâ, cujus hæc inscriptio. XYSTUS V. P. M. COLUMNAM HANC AB OMNI IMPIETATE EXPURGATAM, S. PAULO APOSTOLO AENEA EIUS STATUA INAURATA, IN SUMMO VERTICE POSITA, DD. ANN. CIↃ. IↃ. LXXXIX. PONT. IV. Vide Marlian. l. 5. c. 4. TRAIANIQUE COLUMNAM] Cochlidem item, ut D. Antonini, quæ olim in medio foro Traiano, nunc domibus adsita, ad pedem Quirinalis, transversè respicit ædem D. Mariæ Lauretanæ pistorum. Optimo Principi à Senatu ob victoriam Parthicam erecta, dum contra Dacos militabat, sed morte prævento minimè visa. Saxa solida XXIV. quibus constat, res ab ipso præclarè gestas artificiosâ sculpturâ declarant. Alta est pedes CXXVIII. sine basi, quæ olim tumulata, nunc erutâ & muro coërcitâ terrâ, tota conspicitur cum hac inscriptione: S.P.Q.R. IMP. CAESARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ. TRAIANO. AUG. GERM. DACICO. P.M. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. IV. PP. AD DECLARANDUM, QUANTÆ ALTITUDINIS MONS, ET LOCUS TANTIS OPERIBUS SIT EGESTUS. Fenestellæ XL. in quatuor partibus columnæ, id est XLIV. lumen intus subministrant scalis graduum CLXXXII. *Marlian.* l. 5. c. 1. Xystus V. P. M. positâ in fastigio æneâ inauratâ imagine S. Petri, columnam Apostolorum Principi dedicavit, ut testatur epigraphe in epistylio XYSTUS V. P. M. B. PETRO APOST. PONT. ANN. IV.

371. PETRO ET PAULO &c.] Ut jam dictum est. In columnas, DD. Petri & Pauli statuis decoratas à Xysto V. extat in Bibliotheca Vaticana distichon Castoris Durantis:

*Divorum signis decoras bone Xyste columnas,*
*Vt sapere hinc populus discat, & alta sequi.*

372. OBELISCOS] Quatuor, quos alibi in urbe vel confractos, vel obscurè sub tot ruinis latitantes, & altè tumulatos, eruendos erigendosque curavit heroici animi Pontifex Xystus V. nobilitate verè Romanâ, & principe dignissimâ. Quos antequam lectori subjiciamus, operæpretium fuerit cognoscere quid propriè sit *obeliscus*. Obelisci nomen ab obelo vel veru, quasi per diminutionem, derivatur: inde quæcumque præferunt formam teli oblongi, aut veru coquinarii, hoc nomine licet intelligere. Usus tamen obtinuit, ut notentur saxa illa ingentia, de quibus hic sermo. Sic autem definit Ammianus Marcel. Inir. Lib. 17. *Est obeliscus asperrimus lapis in figuram metæ cujusdam, sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens paulisper, specie quadratâ, in verticem productus angustum, manu levigatus artificis. Formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insignivit auctoritas.* Obelisci cum pyramidibus quamvis figurâ & magnitudine conveniant, differunt structurâ. Pyramis enim machina est acuminata, non uno, sed plurimis structa saxis, & intùs vacua: obeliscus quasi trabs lapidea, constat solido, & fermè uno tantùm, minimèque excavato saxo. Inde labor in erectione, & periculum machinis à pondere. Id tamen non esse perpetuum, docent obelisci, ex non una parte facti. Sic Plin. l. 37. c. 4. *Theophrastus tradit Ægyptiorum commentariis reperiri; fuisse apud eos in Iovis delubro, obeliscum è quatuor smaragdis, XL. cubitorum longitudine.* Quanta ab immenso pretio vanitas! In aliis autem summæ altitudinis, & arduæ erectionis, quàm stulta, & otiosa Ægyptiorum ostentatio! Hæc non in obeliscis tantùm, sed & in pyramidibus. Plinius l. 36. c. 12. Pyramidem unam, à CCLX. hominum millibus, annis XX. constructam fuisse prodit. Soli dicabant obeliscos Ægyptii: hinc quadantenus solis radios iis repræsentari volebant. Primus omnium eos instituit Ægyptiorum rex Mithres, qui Heliopolî Solis urbe regnavit. Vide Plin. l. 36. c. 8. & Onuph. Lud. Circ. l. 1. c. 17. Principes verò Romani, jam rerum in Ægypto potiti, magnam Obeliscorum partem inde Romam, ad urbis ornamentum, multo sumptu transvectarunt, & cùm alibi, tum in circis collocarunt. Verùm labente imperio, in communi clade, quam Gothi aliique barbari non semel urbi intulerunt; pleraque antiquæ urbis ornamenta dejecta sunt: & inter eorum ruinas etiam tumulati obelisci, donec Romana virtus in Xysto V. Pont. Opt. Max. rediviva, in eorum restitutionem incubuit. Primus itaque inter illos nobis occurrit Vaticanus, qui solus integer, & adhuc erectus visebatur: semisepultus tamen inter ruinas, in deserto, angusto, & lutoso loco, ponè adytum veteris templi S. Petri. Hic ut prodit. Plin. lib. 36. c. 11. à Nencoreo Rege Ægypti Sesostridis filio factus, rasus scil. & sine notis Hieroglyphicis, cum mole

le superaret omnes alios (si unicum demas Ramasseum, religionis reverentiâ Thebis in templo relictum) delectus à C. Caligula Imperat. qui ad urbem deveheretur. Quare fabricata summæ magnitudinis rate, de qua Plin.l. 16. c. 4. Sueton. in Claud. c. 20. & alii, Romam pervectus, in circo Vaticano, jam antè ab eodem Imperatore construi cœpto, statutus est, anno salutis nostræ XLII. Imperii Caligulæ III. Impositâque apici pilâ æneâ, in qua J. Cæsaris cineres extitisse creditum est, dedicatus est honori Imperatorum Augusti & Tiberii, extante etiam nunc hac inscriptione in duobus Obelisci lateribus. DIVO CAES. DIVI JULII F. AUGUSTO. TIB. CAES. DIVI AUG. F. AUG. s. Hunc Xystus V. Maximis sumptibus, & incomparabili industria Dominici Fontani architecti, primo demissum, & in viâ constratum, dein ad aream Vaticanam, ante fores novæ Basilicæ, cylindris provolutum, tandem sine læsione erigendum curavit, erectumque imposito nostræ salutis signo dedicavit. Abacus basios ad quatuor mundi regiones inscriptionibus novis rem testatur. Ad septemtriones autem est hæc: XYSTUS V. P.M. CRUCI INVICTÆ OBELISCUM VATICANUM AB IMPIA SUPERSTITIONE EXPIATUM, JUSTIUS ET FELICIUS CONSECRAVIT. AN. CIƆ. IƆ. LXXXVI. PONT. II. In ima basi versus orientem: DOMINICUS FONTANA EX PAGO MILIAGRINO NOVOCOMENSIS TRANSTULIT ET EREXIT. Structura universa à pavimento, usque ad summam Crucem in vertice, protenditur ultra pedes CXXXIV. Pondus obelisci rationibus architecti creditur æquare nongenties sexagies ter mille quingentas triginta septem libras; basios autem sexagies quinies mille, quadringentas sexaginta quinque. Historiam translationis & erectionis lege apud Hieron. Ferrutium suppl. Marl. Modum & instrumenta, numerum hominum & jumentorum &c. ipse Dominicus Fontana Hetrusco sermone conscripsit, quę in Latinum translata unà cum iconibus elegantissimè expressit Joan. Blaeuw inter admiranda urbis Romæ. II. Est Obeliscus Esquilinus, qui putatur unà cum compare suo, à Claudio Imperatore ex Ægypto devectus, Mausoleum Augusti, de quo suprà ad ℣.363. exornasse. Horum duorum videtur meminisse Plinius l 36. c. 9. *Sunt & alii duo: unus à Smarre positus, alter ab Eraphio, sine notis, XLVIII. cubitorum.* Unde deducitur mille & triginta annis ante natum Christum excisos fuisse. Erectos autem in Mausoleo quidam existimant, anno post Christum natum XLII. ibidemque remanserunt, usque ad communem cladem à Gothis illatam; quâ dejecti, sub ruinis latuerunt ambo, donec Xystus V. alterum ex ruderibus extractum, operâ ejusdē architecti Dominici erexit ante ædem Liberianam in Esquiliis, sanctæque Cruci dedicavit, ut docet inscriptio ad occidentē: XYSTUS V. PONT MAX. OBELISCUM EX ÆGYPTO ADVECTUM, AUGUSTO IN EIUS MAUSOLEO DICATUM, EVERSUM DEINDE, ET IN PLURES CONFRACTUM PARTES, IN VIA AD S. ROCHUM INVENTŪ. IN PRISTINAM FACIEM RESTITUTŪ, SALUTIFERÆ CRUCI FELICIUS HIC ERIGI IUSSIT ANNO CIƆ. IƆ. LXXXVII. PONT. III. Alterum verò nondum inventum, terra & ruinæ, domuumque fundamenta adhuc obruunt. Hic autem à terra usque ad summam crucem ultra LXXVI. pedes surrigitur. III. Obeliscus est Lateranensis, olim dictus Ramasseus, à Ramasse rege Æpyptiorum, multis ante dirutum Ilium annis excisus. Hic ab Augusto aliisque principibus intactus relictus est Thebis in Templo, ob reverentiam Solis, cujus numini dicatus erat: uti & jam antè Cambyses Rex Thebarum victor illi religionis ergò pepercerat. De illo Plinius l 36. c. 9. *Opus id fecisse dicuntur XX. millia hominum. Ipse rex cum subrecturus esset, vereretur que ne machinæ ponderi non sufficerent, quo maius periculum cura artificum denuntiaret, filium suum alligavit cacumini, ut salus ejus apud molientes prodesset lapidi.* Certè tanquam apicem inter ceteros obeliscos eminuisse, tradit Ammianus Marcellinus lib. 17. Quæ omnia nihil veritus Constantinus Magnus Imperator, Alexandriam obeliscum devexit, ea mente, ut novam Romam, suam urbem Constantinopolim eâ exornaret. Quo inter has curas mortuo, filius illius Constantius, mutato patris consilio, apparatâque nave, quæ trecentis remigibus agitaretur, Romam asportari jussit, illatumque Circo maximo, ad ornamentum urbis dedicavit. Quo labore & machinarum apparatu illic surrectus sit, docet Amm. Marcel. l. 17. Æneam sphæram apici impositam fulmen deiecit, quam mox flammæ volatilis figura supplevit. Senos hexametros quatuor abaci lateribus insculpi curaverat Constantius: sed ruptâ minutâque ad tres pedes basi, in nova erectione addi non potuere. Eos ne interirent, fideliter à se descriptos, Variar. Lect. Capiti 20. inseruit Joseph Castalio. Hunc à barbaris dejectum, & inter alias Circi maximi ruinas sepultum, factâ ex antiquitatum monumentis investigatione, è terra erutum tribus confractum partibus, immenso sumptu & labore, eodem architecto Dominico Fontana, restituendum, erigendumque curavit Xystus V. Pont. M.

*Quos Xysti erexit Fontanus montibus altis.*
*Plurima sunt veterum, nunc Sanctis sacra, deorum*

erectumque, impositâ itidem S. Cruce dedicavit IV. Id. Augusti. Testatur inscriptio in facie Boreali: XYSTUS V. PONT. MAX. OBELISCUM HUNC SPECIE EXIMIA, TEMPORUM CALAMITATE FRACTUM, HUMO LIMOQUE ALTE DEMERSUM, MULTO IMPENSU EXTRAXIT, HUNC IN LOCUM MAGNO LABORE TRANSTULIT, FORMÆQUE PRISTINÆ RESTITUTUM CRUCI INVICTISSIMÆ DICAVIT. A. CIↃ. IↃ. LXXXVIII. PONT. IV. Notis Ægyptiis totus est exaratus, ideoque vel maximæ æstimationis. Aliæ duæ inscriptiones historiam obelisci à Constantino Alexandriam, à Constantio inde Romam translati complectuntur. Altitudo ab ima basi, usque ad summam crucem superat CXLIV. pedes. IV. Obeliscus modò Flaminius nuncupatus, à loco ubi repositus hodie visitur ad portam Flaminiam; estque is, quem Augustus Cæsar Heliopoli ex Ægypto per Nilum Alexandriam, ac inde Romam deferri voluit. *Excisus primum*, ut vult Plinius l. 36. c. 9. *à Semneserteo Rege, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, CXXV. pedum & dodrantis, præter basim.* Heliopoli præcipuâ Hieroglyphicorum scholâ erectus fuit, nongentis annis ante natum Christum; notis pulcherrimis Ægyptiorum insignitus, rerum naturalium interpretationem, operaque Philosophiæ continet. Circo maximo illatus ab Augusto, ac inter duas metas collocatus, Soli dedicatus est. Ita inscriptio vetus: IMP. CAES. DIVI F. AUGUSTUS, PONT. MAX IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT XIV. AEGYPTO IN POTESTATEM P.R. REDACTA, SOLI D D. Deinde barbarorum immanitate, inter ruinas urbis tumulatus, multisque post seculis à Xysto V. inter rudera Circi maximi detectus, erutus, ac inde in campum Flaminium translatus, ad portam principem subrectus est, proximè cœnobium sodalium eremitarum S. Augustini, cui annexa ędes sacra D. Mariæ popularis: ibidemque hodie tres celeberrimas in urbis vias prospectat. S. Cruci VIII. Cal. April. consecratus est. Docet inscriptio: XYSTUS V. P. MAX. OBELISCUM HUNC A CAES. AUG. SOLI IN CIRCO MAX. RITU DICATUM IMPIO, MISERANDA RUINA FRACTUM OBRUTUMQUE, ERUI, TRANSFERRI, FORMÆ SUÆ REDDI, CRUCIQUE INVICTISSIMÆ DEDICARI JUSSIT. A. CIↃ. IↃ. LXXXIX. PONT. IV. Tota structura hodie à superficie terræ usque ad supremitatem crucis exsurgit ad CIX. pedes. Præter jam memoratos quatuor majores Xysti V. Obeliscos, extant hodie adhuc alii minores, ut *Sallustius* in hortis Ludovisianis, *Pamphilius* in areâ Agonali, de qua supra ad ℣. 339. *Barberinus* in Palatio Barberino, *Monticelius*, in hortis Mattheiorum, *Medicaus* in hortis Pincianis; *Mahutaus* ante ędem S. Bartholomei seu S. Machuti. His novissimè accessit minimus ille, qui basi & dorso elephantis arteficiosissimè sculpti insistens, decorat aream ante ędem B Mariæ supra Minervam, ut vocant, ordinisque Dominicani cœnobium. Alii visuntur adhuc extra urbem, alii adhuc latent, donec eruantur à Xysto quopiam, vel Innocentio Romanorum animorum æmulo. Notæ Hieroglyphicæ, erant characteres, seu picturæ rerum maximè animatarum arcanæ, quibus Ægyptii inprimis Sacerdotes exprimebant doctrinam, vel animi sui sensa, quæ non volebant, nisi à sacris & eruditis percipi. His plerumque insigniebantur obelisci, utpote qui vetustatem & ævum victuri credebantur. AUGUSTIS URNIS] Cineribus, aut sepulchris Cæsarum: nam ut antè diximus, in pila Vaticani Obelisci, creditum est, servari cineres J. Cæsaris: & Esquilinus decoravit jam olim sepulchrum seu mausoleum Augusti.

373. XYSTI MONTIBUS ALTIS] Insignivit tribus montibus, & stellâ eisdem impositâ, quam deinde excipit signum crucis in apice Obelisci. Stellam quippe in uno, tres montes præferebat in altero tæniæ transversæ latere, quâ scutum suum gentilitium secabat Xystus V. Allusum etiam ad nomen Nam idem Pontifex ante pontificatum *Montaltius* dictus est. Et inde horti illius Esquilini, Montaltii quoque dicti sunt: imò & montes suos unà cum stella tribuit urbis regioni, quam Burgum nuncupant. FONTANUS] Dominicus Fontana architectus Pontificius, de quo suprà.

374. VETERUM DEORUM] Gentilium, quos coluit Roma nondum Christiana. SANCTIS] Deo vero, uni & trino, in honorem Sanctorum consecrata. PLURIMA] Verè: extant enim etiam nunc plurima Sanctorum fana in urbe, quæ olim fuerunt diis gentilibus dedicata. Ut sunt inprimis S. Mariæ in ara cæli, olim Jovis Feretrii, S. Mariæ, quam vocant rotundam, olim Pantheon, seu deorum omnium. S. Apollinaris, olim Apollinis. S. Laurentii in Lucina, olim Junonis Lucinæ. SS. Cosmæ & Damiani, olim Romuli &

375. *Delubra, & simulachra novis immixta vetusta.*
*Vasa Ducis campo, peregrinis obvia Dirce,*
*Zethus & Amphion taceantur; Bucephalique,*

& Remi. S. Priscæ in Aventino, olim Herculis. S. Mariæ Ægyptiacæ, olim Fortunæ virilis. S. Martinæ, olim Martis ultoris. S. Mariæ de gratia, olim Vestæ. S. Mariæ novæ, olim Solis & Lunæ, & alia supra quadraginta, quæ brevitatis ergò præterimus,

375. DELUBRA] Templa. *Delubrum* propriè locus, in quo deorum simulacta dicata sunt, aliquando etiam ipsum simulacrum denotat. Nam, ut Sext. Pompeius, *delubrum* dicebant fustem delibratum, hoc est decorticatum, quem venerabantur pro Deo. SIMULACRA NOVIS] Signa, imagines, statuæ, tam antiqua, quàm nova, quæ jam nunc commemorare instituit.

376. VASA DUCIS CAMPO] Immania illa labra, seu lacus, è quibus fons ad utrumque latus fori Farnesii, quod Romæ audit *piazza del duca*, desilit, in suppositum aliud longè grandius labrum, triginta & amplius pedes protensum. Oblonga vasorum figura, ab imo ad summum, non nihil in morem turbinis, seu ad majorem latitudinem sensim exurgens, lateribusque adsculptæ ansæ, referunt nobis speciem lacus aquarii ex ære fabricati, quo nos Belgæ vina refrigeramus. PEREGRINIS OBVIA] Facilè spectanda exteris, ob comitatem dominorum, omnibus spectandi copiam facientium. DIRCE] Statua Dirces.

377. ZETHUS ET AMPHION] Item statuæ quæ etiamnum asservantur in magnifico Palatio Farnesiorum, à Paullo III. Pont Max. priori seculo artificiosè & superbè constructo: exhibentque Zethum & Amphiona tauri cornibus Dircem alligantes. De hoc opere Plinius lib. 36. c. 5. *Zethus & Amphion, ac dirce & taurus, vinculumque ex eodem lapide, Rhodo advecta, opera Apollonii & Taurisci.* Præstantissimorum eâ tempestate sculptorum. Nota est fabula Dirces ex 7. Hygini. *Antiopa stuprata*, inquit, *ab Epopeo, à Lyco viro suo ejecta est. Hanc viduam Iupiter compressit. At Lycus Dircen in matrimonium duxit, cui suspicio incidit, virum suum clam cum Antiopa concubuisse.* Hinc auctor extitit marito, ut Antiopa in vincula conjecta duriùs haberetur; sed illa, miserantis Jovis ope, vinculis erepta, in Cythetonem montem aufugit, ubi Zethum & Amphionem gemellos peperit: qui postquam adoleverant, quò matrem jam cognitam, ulciscerentur; interfecto Lyco, Dircen indomito tauro alligaverunt. Meminit fabulæ Propertius lib. 3. Eleg. 15. ℣. 19.

*Tu reddit pueris matrem, puerique trahendam*
*Vinxerunt Dircen, sub trucis ora bovis.*

Dirce autem Liberi patris beneficio, cujus Baccha fuerat, in fontem sui nominis conversa est. De illo Lucan. l. 3. ℣. 174.

*Baoti coiere duces, quos impiger ambit*
*Fatidica Cephissos aquâ, Cadmeaque Dirce.*

Et Seneca Tragœd. Thebaid. Act. 1. ℣ 125.

------*Et Cadmi nemus*
*Serpente notum, sacra quo Dirce latet.*

Facetè Plautus, Pseud. Act. 1 sc. 2 ℣ 65.

-----*Te quasi Dircam olim (ut memorant) duo*
*Gnati Iovis devinxere ad taurum, item hodie*
*stringam, ad Carnarium: id tibi*
*Profectò Taurus fiet.*-----

Hinc patet non ad caudam equi indomiti vinctam fuisse Dircen, quod quidam existimant, sed ad taurum, ut constat ex Propertio & Plauto, & ex hoc opere vetustissimo Apollonii & Taurisci, quod etiam modò Romæ spectatur. TACEANTUR] Ac si dicat: minimè taceri possunt. BUCEPHALIQUE] Ingentium equorum statuæ Colossææ, in monte Quirinali, in facie Palatii Papalis, quas volunt à celeberrimis sculptoribus ad æmulationem factas fuisse. A multis creditæ fuerunt referre Bucephalos, & astantes equisones, Alexandros: quòd ex quadam traditione minùs literata testatetur id inscriptio, quam in basi operis Phidiæ à pontificatu Xysti V. legere fuit. Verùm Urbanus VIII. quod Phidias & Praxiteles coævi non fuerunt, & priores Alexandro, manifestum errorem sublatis inscriptionibus correxit: relictâ solâ epigraphe: OPUS PHIDIÆ, ET OPUS PRAXITELIS. *Bucephalus* à bubuli capitis figura dictus, equus ex Thessalia venum adductus ad Philippum Alexandri patrem, cùm ob feritatem à nemine domari posset, ab Alexandro solo domitus est, qui eumdem postea semper mirâ submissione sibi obsequentem habuit, retentâ in ceteros quoscumque veteri ferociâ. Huc respicit Noster, ex communi errore equos Bucephalos, equisones Alexandros appellando. Porrò equi isti duo, cum totidem equisonibus, ad latus eos freno continentibus, advecti Romam, & Neroni dono dati creduntur à Tiridate Armenorum rege; quamquam non desint, ut Angelus Rocca, in

*Monte Quirinali flammis armisque superstes*
*Praxitelis Phidiæque manus, domitorque triumphis.*
380. *Magnus Alexander, strepitu qui assurgit aheni,*

in Bibliotheca Vatican. qui Praxitelem videri in urbe suum opus sculpsisse contendunt, & proinde alterum aliunde potuisse advehi. Restituti dicuntur in thermis Constantinianis, inde ad Quirinalem translati. Inscriptio Xystina, dicit hæc signa Alexandri Magni, celebrisque ejus Bucephali marmore ad vivam effigiem expressa, à Fl. Constantino Max. è Græcia advecta, suisque in thermis collocata fuisse.

378. MONTE QUIRINALI] Quam hodie ab equis jam memoratis appellant, *monte cavallo*. Olim à Quirino seu Romulo nomen sortitur, quòd illic templum sibi dedicatum habuerit. Ovid. lib. 2. Fast. ỳ. 475.

*Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino,*
*Qui tenet hoc nomen Romulus antè fuit.*

Et infrà ibidem ỳ 511.

*Templa Deo fiunt: collis quoque dictus ab illo.*

Festus tamen à Sabinis, qui Curibus Romam commigrarunt, illumque collem insederunt, *Quirinalem* dictum existimat. FLAMMIS ARMISQUE SUPERSTES] Barbarorum scil. qui Romam ferro & igne non semel devastarunt: in nobiliora quælibet priscorum Romanorum opera, ad abolendam eorum memoriam, crudeliter & barbarè grassati.

379. PRAXIT. PHID. MANUS] Opus manu Phidiæ, & manu Praxitelis artificiosissimè factum. *Manus* pro opere ponitur, ut diximus suprà Ser. 4. ad ỳ. 78. fol 65. *Phidias* & *Praxiteles* duo nobilissimi sculptores: hunc Olympiade CIV. illum LXXXIII. floruisse produnt. Inter statuarios celebrat Quintilianus l. 12 c. 10. *Quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcameni dantur. Phidias tamen diis quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur. In ebore verò longè citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Ælide Iovem fecisset: cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur, adeo majestas operis Deum æquavit. Ad veritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optimè affirmant.* Plin. l. 34. c. 8. *Ante omnes Phidias Atheniensis, Iove Olympio facto ex ebore quidem & auro. Sed & ex ære signa fecit.* Praxiteles autem in Græcia Italiæ (id est in magna Græcia, quæ olim Campaniam & reliquum Italiæ tractum versùs austrum, imò & Siciliam complectebatur) luci editus, civitate Romana donatus, cum ipsis oppidis, est. Opera complura fecit; marmore felicior, & ideo clarior, ut vult Plinius lib. 34. c. 8. & innuit Papin. lib. 4. Carm. 6. ỳ. 26.

*Æra, laboriferi vivant quæ marmora cælo*
*Praxitelis, quod ebur Pisæo pollice rasum.*

Bigas etiam & quadrigas fecit, equis semper sine æmulo expressis. Quare volunt alterum illum Colosseum Bucephalum, ad æmulationem Phidiæ, ab ipso fore elaboratum, ex Pario marmore. Fuere prætereà Romæ adhuc alia Praxitelis opera: Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis, boni eventus, & bonæ Fortunæ signa in Capitolio, Mænades &c. *Domit.* DOMITORQUE TRIUMPHIS] Victor tot terrarum, & nationum.

380. MAGNUS ALEXANDER] Macedonum Rex, solo nomine notissimus, cui *Magno* cognomentum à rebus bello fortissimè gestis, & felicissimè partis. Nimirum, ut jam diximus, ex communi errore eorum, qui ephippum caballo Colosseo adstantem, Alexandri Magni signum esse arbitrati sunt. Atque hac ratione alludit ad Maximum illum, invictissimum, & inclytum Heroëm ALEXANDRUM FARNESIUM Parmæ ac Placentiæ Ducem, qui summa animi moderatione, comitate, virtute, armis, prudentiâ, omnibusque artibus Imperatoriis, superiori seculo Belgas, sub obedientiam & fidem Principis sui Philippi II Regis Catholici tam feliciter reduxit; ut qui ægrè excussum frenum admissuri videbantur, victores se crediderint, postquam victi. Dignus proinde, cui tanquam optimo civi triumphatrix Roma statuam in Capitolio dedicaverit, inscripto elogio: QUOD ALEXANDER FARNESIUS PARMÆ ET PLACENTIÆ DUX III. MAGNO IN IMPERIO, RES PRO REP CHRISTIANA PRÆCLARAS GESSERIT, MORTEMQUE OBIERIT, ROMANIQUE NOMINIS GLORIAM AUXERIT: S P Q. R HONORIS ERGO, MAJORUM MOREM SECULIS MULTIS INTERMISSUM, REVOCANDUM CENSUIT, STATUAMQUE CIVI OPTIMO IN CAPITOLIO VIRTUTIS. SUÆQUE IN ILLUM VOLUNTATIS EX S. C. P. CLEMENTIS VIII. AN. II. Ita & modò Romę virtuti locus est. STREPITU AHENI] Aheno-tympanorum, aut tubarum clangore, vel æneorum tormentorum laxatione. Nam & Palatium pontificium ejusmodi tormentis armatum est, & ex

*Æstivam quoties in Pontificalibus aulam*
*Farnesius petit; Austriaco tutamine gratus?*
*Artificesque lithostroti testudine templi,*

propinquo milit aribus equitum & sclopetariorum peditum exc ubiis observatur. Solent autem adventanti Principi cuipiam, turbæ in ordinem redactæ, honorem & reverentiam deferre, tuborum explosione, aut profunda inclinatione, aut tubæ cantu, aut quocumque demum alio modo à magistratibus imperato.

381. ÆSTIVAM AULAM] Quò ex Palatio Vaticano ad S. Petri, divertere solent æstivis mensibus Pontifices, ob aërem isthic tunc salubriorem, aut minus noxium. Marmora enim illa, portam Palatii Quirinalis respiciunt in hoc monte, qui immi oet urbis parti freqoentissimæ, unde pulcherrimus in civitatem prospectus. Palatium autem amplissimis hortis, hiberno quoque cælo viridantibus, fontibus, organis hydraulicis, porticibus virgultorum contextu fragrantibus insigne, amœnissimam passim præbet ambulationem. IN PONTIFICALIBUS] Solenni pompâ, vestium ornamentis, splendido nobilium assectarum comitatu, & famulitio Cardinalibus aut Principibus usitato, dum palàm cognosci & salvere desiderant. Id enim sonat parœmia hoc ævo trita, *in pontificalibus*. dom quisquam summo, quo potest, cultu ac pompâ procedit in publicum. Tractum à more Pontificum seu Episcoporum, qui pontificalibus indumentis utuntur, dum re sacrâ, & ex Ordinis sui ministerio defunguntur: aliis alibi pro usu quotidiano, & non sacro, vel minùs solenni.

382. FARNESIUS PETIT] Princeps Odoardus Farnesius, Alexandri Farnesii, ad quem alludit Poëta, ex Maria Lusitana filius, frater Rainuccii, Parmæ ac Placentiæ Ducis IV. à Gregorio XIV. inter Diaconos Cardinales titulo S. Eustachii relatus, qui postea Episcopus Tusculanus obiit anno hujus seculi XXVI. Id est, quoties accedit aulam pontificiam, ut vel S. consistorio assistat, vel concilio, aut privatim cum Pontifice sermonem conferat. Hoc enim hîc adfert Noster, ut premat merita ejusdem Alexandri, Belgarum olim Proregis, in rempublicam Belgicam, potissimùm verò nostram Antverpiensem, quam memorabili decem mensium obsidione, Religioni ac obedientiæ sui Principis restituit. AUSTRIACO TUTAMINE] Partium Austriacarum tutelâ. Gens enim hæc illustrissima, ex quo Octavius Farnesius Parmæ ac Placentiæ Dux II. Margaritam Austriacam Caroli V. Aug. filiam, sibi duxit conjugem, semper rebus Hispaniensibus, & Austriaco-germanis impensè studuit, vicissim ab Austriacis culta, eorumque præsidio secura. GRATUS] Nobis Belgis, aliisque Principum Austriacorum partibus & ditioni devotis.

383. ARTIFICESQUE] Architecti nobilissimi variorum Pontificum à Julio II. usque ad Paulum V. qui opus absolvit: quamquam & postea tam interiori Basilicæ maxima ornamenta accesserint, per varios Pontifices, operâ architectorum prioribus nihil concedentium. Inter Principes recensentur Michaël Angelus Bonarotus, Carolus Maternus, Dominicus Foorana, Joannes Laurentius Berninus; ut nihil addamus de statuariis. LITHOSTROTI TESTUDINE TEMPLI] Maximæ & sacratissimæ ædis S. Petri in Vaticano, quam incepit Julius II. Pont. Max. consummavit Paulus V. relictis inter eos mediis bis octo pontificibus. Etenim hæc Basilica opere prodigioso lithostrotam habet altissimam illam testudinem, sive tholum (Hetruscis *Coupola*) cui parem vel elegantiâ, vel arte, vel pretio, vel symmetriâ, vel celsitudine non vidit orbis. *Lithostrotum* Græcis dicitur, qood Latinis est, lapidibus stratum. Ex usu tamen communi denotat propriè pavimentum segmentatum & vermiculatum, & sic inter musivi opera numeratur, ut sit idem lithostrotum in pavimento, quod in parietibus & cameris est opus musivum. De musivo opere & Lithostroto curiosus lector adire potest Cl. Salmasium, Isaac. Casaubonum, & Marc. Donatum, omnes in Ælium Spart. ad hunc locum in Pescennio Nigro: *Pictum de musivo inter Commodi amicissimos, videmus sacra Isidis ferentem.* Et Casaubon. in Suetonii Jul. Cæsarem quem cap. 46. refert *in expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse:* quod exponit marmoris crustas & tesseras, quas circumferebat Cæsar, ut quoties castra metandum esset, pavimenta ex iis in prætorio, picta de musivo struerentur: ideoque prætorium in castris propter magnificentiam templo comparasse Josephom. Hic notasse sufficiat, *musivum* aliud non esse, quàm opus ex varicoloribus lapillis simul compactis, figuram qoamvis repræsentans. Hoc primùm in solo fiebat, deio ad cameras deductum est. Plin. l. 36. c. 25. *Lithostrota cœptavere jam*

*sub*

*Naturâ & varias ipsâ admirante tabellas,*
*Belgicus atque Italus quibus insudavit Apelles?*
*Fabrica Pontificum, è longinquo flumina Mosis,*
*Munera tot Regum, instructissima bibliotheca,*

*sub Sylla parvulis certè crustis: extatque hodie quod in fortuna delubro Præneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta, in cameras transiere.* Unde intelligendus nobis est locus hic Poëtæ, de testudine sive tholo variis opere musivo picturis decorato, ac in primis quatuor illis Euangelistis colosseis, super quatuor immensarum pilarum moles, expressis io quatuor partibus fornicia, quæ totam testudioem sustinent.

384. ET VARIAS TABELLAS] Picturas, seu tabulas pictas tam in ipsa testudine, quam in reliqua æde, maximè illas, quæ aras exornant; tam scitè factas, ut naturam invidere arti existimes.

385. BELGICUS APELLES &c.] Præstantissimi pictores tam indigenæ Itali, quam advenæ Belgæ; qui artis perdiscendæ, ac delineandarum veterum ac recentiorum, quæ Romæ sunt artificiosissimæ, tabellarum gratiâ, frequentea eò commeant. *Apelles* hic est, æmulus quisque pictorum Principis, qui in Græcia floruit, & ad artis ejus excellentiam proximè pertinens.

386. FABRICA PONTIFICUM] Aula Quirinalis pontificia, à variis Pontificibus fabricata & aucta. Ut à Gregorio XIII. Xysto V. Paulo V. & novissimè ab Alexandro VII. E LONGINQUO] Vigesimo nimirum, & vigesimo secundo ab urbe milliario, orta, collecta, deducta. FLUMINA] Aquæductus perpetuò fluens. Nihil enim, ut supra vidimus ad ℣ 234. fol. 189. flumen, quàm fluens aqua. Designat footem aquæ Felicis ad viam Piam in monte Quirinali. MOSIS] Marmoreo Moysis, virgâ rupem ferientis, simulacro insignita, cum triplice fornice, ac reliquo operis apparatu magnificè fabricati, cui hæc inscriptio: XYSTUS V. P. MAX. PICENUS, AQUAM EX AGRO COLUMNÆ VIA PRÆNEST. SINISTRORSUM MULTARUM COLLECTIONE VENARUM DUCTO SINUOSO, A RECEPTACULO MIL. XX. A CAPITE XXII. ADDUXIT, FELICEMQUE DE NOMINE ANTE PONT. DIXIT. COEPIT PONT. ANNO I. ABSOLVIT. III. CIↃ. IↃ. LXXXVII.

387. MUNERA TOT REGUM] Variis Regum, Imperatorum, Principum donis aucta, & libris vetustissimis & membranaceis; diversis temporibus locupletata, & solicitè conservata. Quæ inter, sunt Acta Apostolorum Innocentio VIII. Pont. Max. à Cypri regina submissa, Græcè aureis litteris descripta, sed auro & gemmis quibus fulgebant, à Borbonianis postea militibus denudata. Accessit hoc seculo insigne illud additamentum Ferdinandi II. Aug. de quo ita urbis nostræ decus Casp. Gevartius Introit. Ferdin. in Ferd. II. *Bibliotheca Palatina ingenti Principum Electorum, cum Ptolomeis Attalisque regibus magnificentiâ certantium, studio & impensis maximus undique congesta, ac præcellentium in omni disciplina auctorum veterum, Hebræorum, Græcorum, & Latinorum monumentis membranaceis, & manu exaratis codicibus instructissima, Romam velut in triumphi pompam avecta, & Gregorio XV. Pont. Max dono data, Vaticanæ Bibliotheca illata est.* Agit de victoria Ferdinandi II. Imp. de Frederico Comite Palatino reportatâ, ejusque Bibliothecâ captivâ. Vide supra sermo 1. ad ℣. 48. fol. 11. & serm. 5. ad ℣. 293. fol. 120. BIBLIOTHECA] Vaticaoa illa & Apostolica, vetustissimis omnium Disciplinarum artiumque libris, cum Græcis & Hebraïcis, tum Latinis, calamo in membranis olim exaratis, & à multis seculis cumulatis instructa, & inclyta. cui parem non habet Europa. Eam mirum in modum tam picturis, quàm aliis exornavit Xystus V. quæ cum adscriptis titulis singulari libro elegantissimè complexus est, rarissimæ vir eruditionis Angelus Rocca, ex Ord. Erem. S. Augustini Episcopus Tagastensis, Bibliothecarius Pontificius, & sacrarii Apostolici præfectus. In porticu Bibliothecæ, in lapide Porphyretico extat inscriptio, quæ rem hanc illustrat: digna proinde quæ lectorem non fugiat. XYSTUS V. P. M. BIBLIOTHECAM APOSTOLICAM, SANCTISSIMIS PRIORIBUS ILLIS PONTIFICIBUS, QUI B. PETRI VOCEM AUDIERŨT, IN IPSIS ADHUC SURGENTIS ECCLESIÆ PRIMORDIIS INCHOATAM, PACE ECCLESIÆ REDDITA, LATERANI INSTITUTAM, A POSTERIORIBUS DEINDE IN VATICANUM, UT AD USUS PONTIFICUM PARATIOR ESSET, TRANSLATAM, IBIQUE A NICOLAO V. AUCTAM, A XYSTO IV. INSIGNITER EXCULTAM, QUO FIDEI NOSTRÆ, ET VETERUM ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ RITUUM DOCUMENTA, OMNIBUS LINGUIS EXPRESSA, ET

*Et Matthæiorum viridaria? Farnesiorum*
*Hortus ad invidiam pulcher; topiaria Hetrusci;*
390. *Montalti Exquiliæ; prætoria successiva*

ALIORUM MULTIPLEX SACRORUM COPIA LIBRORUM CONSERVARETUR AD PURAM ET INCORRUPTAM FIDEI ET DOCTRINÆ VERITATEM PERPETUA SUCCESSIONE IN NOS DERIVANDAM TOTO TERRARUM ORBE CELEBERRIMAM, CUM LOCO DEPRESSO, OBSCURO ET INSALUBRI SITA ESSET, AULA PERAMPLA, VESTIBULO, CUBICULIS, CIRCUM ET INFRA, SCALIS, PORTICIBUS, TOTOQUE ÆDIFICIO A FUNDAMENTIS EXTRUCTO, SUBSELLIIS PLUTEISQUE DIRECTIS, LIBRIS DISPOSITIS, IN HUNC EDITUM, PERLUCIDUM, SALUBREM, MAGIS OPPORTUNUM LOCUM EXTULIT, PICTURIS ILLUSTRIBUS UNDIQUE ORNAVIT, LIBERALIBUSQUE DOCTRINIS, ET PUBLICÆ STUDIOSORUM UTILITATI DICAVIT ANNO CIƆ. IƆ. LXXXVIII. PONT. SUI IV. Plura videas in Onuphrii non editis apud Andream Schottum de Bibliotheca Vaticana. Huic quadamtenus accedere possit Bibliotheca Angelica ad ædem & Monachium S. Augustini in campo Martio, urbis hodie frequentissimæ umbelico, magno rei litterariæ adjumento comparata, & publico volentium usui dedicata: quam nuper aliorum etiam munificentiâ auctam, & nobiliter locupletatam, elegantissimo ædificio, cum reliquo tam interno quàm externo apparatu, amplissimis scalis, Pluteis, abacis &c. exornavit Litteraria & generosa cura sodalium ejusdem cœnobii, deputatis etiam tribus ex eodem ordine fratribus, inter quos vir semper eminentissimæ eruditionis, qui studio ibidem vacaturis præsto sint, libros tradant & reponant Primævam institutionem docet altera inscriptionum, ad januæ dextram collocata. F. ANGELUS ROCCA, CAMERS, ORD. FF. EREM. S. AUGUSTINI ALUMNUS ET APOSTOLICI SACRARII PRÆFECTUS, BIBLIOTHECAM OMNI ARTIUM ET SCIENTIARUM GENERE REFERTISSIMAM, VIRORUM ITEM ILLUSTRIUM ICONIBUS AD VIVUM EXPRESSIS ORNATAM, LONGO TEMPORUM SPATIO, MAGNOQUE LABORE, AC SUMPTU COMPARATAM, CŒNOBIO S. AUGUSTINI, URBIS, STUDIOSORUMQUE OMNIUM, NON SOLUM RELIGIOSORUM, SED ETIAM CLERICORUM ET LAICORUM COMMODITATI, DAT, DICAT, DONAT: UT ANIMI GRATI PIETATEM ERGA FAMILIAM AUGUSTINIANAM, PARENTEM, ALTRICEM SUAM, ET ERGA LITTERATOS, LITTERARUMQUE AMATORES PROPENSIONEM, VIVIS POSTERISQUE PATEFACIAT, ANNO SALUTIS M. DC. IV.

388. MATTHÆIORUM VIRIDARIA] Horti Matthæiorum in monte Cælio, propè ædem S. Mariæ, ut vocant, in Dominica, longe amœnissimi, xystis, marmoreis signis Herculis, Cleopatræ, capitis Ciceronis, aliorumque ejus ævi procerum statuis, capitis item Alexandri Magni, ex Aventini ruderibus effossi, insignes. Extant ibidem colossea Pastoris & Nymphæ, ac Hispani & Galli saxis certantium ludicra simulacra, & obeliscus cujus hæc inscriptio: S. P. Q. R. CYRIACO MATTHÆIO, OBELISCUM HUNC SUMMO CONSENSU DARI DECREVIT, UT HORTORUM EIUS PULCHRITUDO, PUBLICO ETIAM ORNAMENTO AUGERETUR. *Viridaria* loca sunt arboribus seu plantis virentibus amœna.

389. HORTUS FARNESIORUM] Foro Romano imminens in monte Palatino, antiquis ruinis, statuis, ambulationibus, xystis, reliquoque plexorum apparatu insignis. TOPIARIA HETRUSCI] Horti Medicæi seu magni Ducis Hetruriæ, in monte Pincio, fontium multitudine, sepimentis, arborum ordinibus, paradromidibus, aliisque opere topiario confectis venustissimi. Statuis item, marmoribus, pulcherrimisque antiquitatibus illustres. Hic Niobes unà cum liberis pereuntis, Veneris Aphroditidis, Agrippinæ, duorum marmoreorum leonum, ac Marsiæ ab arbore pendentis signa, magnâ statuariorum attentione spectantur. *Topiarium* proprie opus est, quod in hortis ex arbore, aut frutice, aut herba, vario plexu, ornatus vel amœnitatis gratiâ fieri solet: puta ex buxo, hedera, rusco silvestri, lauro, aliisque, quibus natura sequax & flexilis est, ad varias formas & figuras: vide Alexandrum ab Alex. lib. 3. cap. 25.

390. MONTALTI] Cardinalis Montaltii. EXQUILIÆ] Horti Esquilini, seu in Exquiliis ad latus Basilicæ Liberianæ siti, qui olim à Xysto V. P. M. constructi, amplitudine & jucundissimo situ, tum ædificiis & aquis celebres, ab ipso Cardinale Montaltio, dein fontibus & statuis bellissimis, aliisque ornamentis exculti sunt. *Exquiliæ* seu *Esquiliæ* dictæ sunt ab excubiis, quæ ibi tempore Romuli collocatæ. Unde & mons Esquilinus, unus ex septem Romanis collibus, in quo ho-

*Coccineatorum, veneranda & ianthina Patrum?*
*Purpuræ ad occursum sine motu rheda Tetrarchæ,*
*Ceteraque integri queîs gratia perditur orbis?*
*Immeritò Romæ quis detineatur amore?*
*Nutatis socii? Nutatis: quippe ruinæ,*
*Sacra, artes, moles, sunt & sua gaudia Belgis.*
*Appositè: nec luxuries hæc consilii sit*

hodie extat maximum & sumptuosissimum templum S. Mariæ Majoris. Olim à salubritate commendatas fuisse innuere videtur illud Horat. l. 1. Satyr. 8. ỷ. 14.

*Nunc licet Esquiliis habitare salubribus.---*

Quare Mæcenas illic domum pulcherrimam exstruxit, in qua Augustus æger cubare solitus: & Tiberius ad quietem se conferens, è Carinis & Pompeiana domo Esquilias in hortos Mæcenatianos commigravit. Varro de Ling. Lat. l. 4. *Esquilia duo montes habiti, quod pars Cispius mons suo antiquo nomine etiam nunc in sacris appellatur.* PRÆTORIA ] Palatia seu amplissima domicilia. Licèt enim prætoria propriè in castris sint Prætorum seu Imperatorum tabernacula, sive loca in quibus Prætores jus dicunt, non rarò tamen pro Principum vel optimatum domiciliis usurpantur: quin & villas omnes elegantiores non usus rustici, prætoria dici ex Suetonio docet Lipsius in Tacit. Annal. l. 4. c. 59. SUCCESSIVA] Quod uni demortuo, aut inde in aliud migranti, plerumque succedant ejusdem ordinis ac dignitatis Principes.

391. COCCINEATORUM] Cardinalium, Ecclesiæ Romanæ principum, qui coccineis seu purpuratis vestibus amiciuntur. Inde & cœtus purpuratorum Patrum. Vide suprà ad ỷ. 153. fol. 171. IANTHINA ] Domicilia seu Palatia Episcoporum aut Prælatorum, qui ianthinis vestiuntur. Sunt enim ianthina operimenta violacea, seu violarum colorem referentia. Violæ enim Græcis ἴα, flores ἄνθη, dicuntur, inde ἴανθη, quasi violarum flores, & ἴανθον, quod colorem violæ præfert. Mart. lib. 2. Epig 39. ỷ. 1.

*Coccina famosæ donas, & Ianthina mœchæ.*
*Vis dare quæ meruit munera? Mitte togam.*

PATRUM ] Episcoporum vel Prælatorum ut suprà, quibus vestes ianthinæ. Eorum magna copia Romæ, & opera in conciliis & sacris senaculis, vel juris dicundi, vel politiæ, vel religionis curandæ gratiâ. Sunt enim illi tanquam Prisci Patres conscripti, & Senatores Ecclesiæ Romanæ, in quos delegante Apostolicâ tiarâ, sub Præsidio Eminentiss. Cardinalium moles universæ Christianitatis reclinatur.

392. PURPURÆ AD OCCURSUM ] Occurrente in via Cardinale quopiam, cum famulitio, & usitatâ comitum pompâ, rhedis & equis phaleratis, & fronte semniscatis, ut fieri solet dum palàm nosci & salutere desiderant. SINE MOTU] Subsistit, non promovetur vel protrahitur ultra, donec prætervectus fuerit Cardinalis; nempe ut hoc observantiæ symbolo, ac profundâ capitis inclinatione Principem Ecclesiæ revereatur. TETRARCHÆ ] Principis aut summatis cujuspiam. Licèt *tetrarcha* propriè denotet eum, cui paret quarta regni pars: indiscriminatim tamen pro procerum vel optimatum quolibet invenias. Horatius lib. 1. Satyr. 3. ỷ. 11.

*------ Habebat sæpè ducentes*
*Sæpè decem servos: modò reges atque tetrarchas,*
*Omnia magna loquens.------*

Et Lucanus lib. 7. Pharsal. ỷ. 226.

*----- Sicci sed plurima campi*
*Tetrarcha, regesque tenent, magnique tyranni.*

393. PERDITUR ] Comparata cum venustatibus Romanis, vilescit, nihili est: ac si dicat: Quæ omnia jam memorata si contuleris cum reliquarum nationum ritibus & grariis, contemni possint, præ magnificentia, splendore, & majestate Romana.

394. ROMÆ] Visendæ, colendæ, habitandæ.

395. NUTATIS? ] Dubitatis, hæretis adhuc, iter nondum decernitis? In hoc significatu eâdem voce usus Cicero l. 2. fin. c. 6. *Nunc autem dico ipsum Epicurum nescire, & in eo nutare.*

396. SACRA, ARTES &c. ] Quemadmodum Romæ, & in Italia, ita in Belgica nostra spectari queunt.

397. APPOSITE ] Optimè, aptè, verè. LUXURIES] Abundantia rerum ejusmodi. CONSILII] De adornando itinere in Italiam.

*Caussa movens nostri; longè majora supersunt.*
*Invenies alibi? Communis patria Roma est:*
*Illic nemo roget, de sede an sis Capuanâ,*
*Aut de Nidensi, num sis clarissimus. Adfer*
*Unde domi vivas, egeas nullius opellâ,*
*Gratus es, & magnis fautoribus affluis: aut si*
*Sorte jaces omni, hæc nutricula paupertatis*
*Ingenuæ. Quâ parte solet fortuna jocari,*
*Respueris nidum? Diversi murice ponti*

399. INVENIES ALIBI?] Ac si dicat, non invenias in Belgica, aut aliis terrarum oris, quæ jam subjiciam, & recensebo. COMMUNIS PATRIA] Olim, & nunc. Seneca ad Helviam c. 6. de Roma: *Ab hac*, inquit, *civitate, quæ velut communis patria potest dici.* Dicti rationes paullò antè illustraverat. Plin. lib. 3. c. 5. *Omnium terrarum alumna & parens, numine Deûm electa, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Prud. l. 2. cont. Sym. ỷ. 611. de prisc. Roma:

*Ius fecit commune pares, & nomine eodem*
*Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit:*
*Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si*
*Cives congenitos concludat mœnibus unis*
*Vrbs patria, atq; omnes lare conciliemur avito.*

Et Claud. l. 3. Stilic. ỷ. 150. de eadem:

*Hæc est in gremium victos quæ sola recepit,*
*Humanumque genus communi nomine fovit*
*Matris, non dominæ ritu, civesque vocavit*
*Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.*

Optimè proinde de Roma Christiana Sidon. Apoll. l. 1. Epl. 6. *Videris patriam libertatis, in qua unica totius orbis civitate, soli barbari & servi peregrinantur.* De hodierna verò luculentè Segethus in [illegible]c. Ital. *Peregrini ad urbem tanquam ad communem patriam ingenti numero convolant: ubi nullius persona acceptio est, nulla inter nationes statuta discrepantia. Omnes brevi temporis spatio in albo civium describuntur, primosque civitatis honores non multo negotio adipiscuntur, & meliùs fortasse quàm alibi, ingenii industriæque suæ fructum, præmiumque consequuntur. Denique fortunæ suæ favore, & virtutis ductu adspirare possunt ad maximas aulæ & Ecclesiæ dignitates, imò ad supremum quoque honoris gradum, quem sæpè consecuti sunt sordido loco nati, & ejusmodi homines, qui alibi vix potuissent egestatem suam aliquatenus sublevare.* Plura de hoc argumento apud veteres, & apud Hieron. Magium Misc. l. 4. c. 11.

400. DE SEDE CAPUANA] Nobilis Neapolitanus Curiæ vel sedis Capuanæ, unius scil. ex nobilium cœtibus, de quibus suprà ad ỷ. 282. fol. 200.

401. NIDENSI] De qua ibidem. CLARISSIMUS] Id est, non rogat quispiam Romæ, an sis nobilis, nobilior, nobilissimus, modò vivas tuâ quadrâ, & proprium salem lingas.

402. UNDE DOMI VIVAS] Census vel reditus, quibus te alas in patria. NULLIUS OPELLA] Ærariâ vel pecuniariâ: nam hîc manus hominum Italorum strictæ sunt, ac tenaces; quando plerique damnosam comitatem refugiunt, si cultum amicitiæ demas. Nam in colendis amicia generosi sunt, & minimè sordidi; hospitii leges, parcimoniæ studio præhabentes.

403. FAUTORIBUS.] Omnes tibi favent, etiam Principes & optimates, suis in te officiis intenti, dum damni metu solvuntur, ab elegantia morum tuorum, & opibus quibus polles.

404. SORTE JACES OMNI] Dejectus omni fortunâ, & penitùs pauper, despiceris, negligeris, langues. Hoc enim hîc est jacere. Cic. Tusc. Q. l. 1. c. 4. *Iacent ea semper; quæ apud quosque improbantur.* Et Plaut. Trinum. 3. 2. 38.

*In occulto jacebis cum te maximè clarum voles.*

HÆC NUTRICULA] Roma scil. pauperes honestis & ingenuis parentibus natos nutrit; illos primum parvis quibusdam ministeriis adhibendo, quibus pedetentim scandant altiora.

405. INGENUÆ] Honestæ. liberalis, ex legitimo toro, & qui patrem Catholicum ciere possint. Sic & artes ingenuæ dicuntur liberales, dignæ quæ discantur à liberis, honestis, & ingenuis. JOCARI] Blandiri, favere.

406. NIDUM] Domicilium, seu habitationem.

Di-

*Officiosa nitent ubi consistoria? Patres*
*Non ubi solliciti de natis multa parando,*
*Sed de continuò poliendo? Nam patienti*
*Virtuti locus est, ubi gloria summa tiaræ*

DIVERSI PONTI] Tincturâ diversarum regionum. MURICE] Purpureo indumento, id est, Cardinalibus diversarum provinciarum. *Murex* pisceis marinus ex concharum genere, qui à piscatoribus ictus, succum fundit purpureum tingendis vestibus exquisitum: cujus color etiam murex vel conchylium appellatur. Virg. l. 4. Æn. ℣ 262.

-----*Tyrioque ardebat murice lanâ.*

Muricem pisciculo Purpurâ latiorem describit Plin. lib. 9. c. 25. tribuitque illi virtutem illam scriptoribus adeò celebratam, quâ ferunt Echeneidem pisciculum, quem alii Remoram vocant, plenis ventis prolabentia navigia sistere. Esui etiam opportunum innuit vox ejus apud Mart. lib. 13. Lemm. 87.

*Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas*
*Induis, & , non est hoc satis, esca sumus.*

Vocem *murex*, quandoque usurpari pro saxi acumine eminente, censet Servius ad id Virg. lib. 5. Æneid. ℣. 205.

*Concussæ cautes, & acuto in murice remi*
*Obnixi crepuere.*-------

407. OFFICIOSA] Vel propter officia, quæ Cardinalium quilibet Ecclesiæ impensum venit, vel certè quod reliqui, dum singuli ex ordine ad aurem admissi, colloquuntur cum Pontifice (quod fit palàm & antequam secretò caussę publicę tractantur) soleant magna cum venustate, comitateque, & liberalibus observantiæ officiis invicem compellare. NITENT] Morum & vestium gratiis placent, & resplendent. CONSISTORIA] Concilia seu congregationes, quæ quot hebdomadis coguntur, ad caussas publicas Ecclesiæ, constantque solis Cardinalibus & Pontifice. Unde sicut rerum pondere quæ illic pertractantur; ita etiam Patrum Purpuratorum excellentiâ, quoscumque alios, per urbem & orbem, conventus anteeunt. *Consistorium* Græcè *συνέδριον*, à consistendo formatum, apud posteriorum seculorum scriptores, significat locum, in quo deliberat Princeps, & audit se adeuntes. Am. Marcel. l. 16. *Inductis quadam solemnitate agentibus in rebus in consistorium.* Ex Suida quidam definiunt, quod sit conventus & congregatio, ubi deliberationes habentur, legati, aliique Principem adeuntes audiuntur, & caussæ cognoscuntur. Indè volunt consistorianos à S. Ambrosio dici, qui conventui consistoriali interveniunt. Et certè erant *consistoriani* propriè amici, comitesque Principis, qui admittebantur in secretius, atque interius consilium, in quo de summa republica agitabatur, legati audiebantur, de majoribus imperii negotiis differebatur. Erant autem ejusmodi, primi ordinis, primæque nobilitatis viri, quorum nomine jam optimè censeri possint, quos *consiliarios status* vulgo dicimus. Sub posterioribus Imperatoribus, etiam comites intra consistorium, vel comites consistorii dicebantur. Alii qui secundi, & tertii ordinis comites audiebant, inferioris dignitatis erant: ut jure optimo *consistorium* Romanis jam appelletur cœtus Eminent. Cardinalium, cum Pontifice Maximo consistens. Inde Sacerdotia, seu beneficia, ut vocant, consistorialia, caussæ consistoriales, Advocati consistoriales, &c. Olim quilibet locus in quo consistebatur, consistorium dictus est. Sic Tertul. de resurrect. Carn. c. 20. terram in qua homines consistimus, consistorium vocat. Et ad Uxor. 2. lupanaria, publicarum libidinum consistoria appellasse videtur. *Precedit*, inquit, *de janua laureata & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Sidon. Apol. l. 2. Epl. 2. *Interjecto consistorio perangusto, ubi somnolentia cubiculariorum dormitandi potius, quam dormiendi locus est.* Vide Marc. Donat. Salmasium in Trebel. Casel. Lect. Var. lib. 1. c. 19. Savarum in Sidon. &c.

408. DE NATIS PARANDO] Ut ampla patrimonia filiis suis post mortem relinquant.

409. SED POLIENDO] Ut quotidie bonis artibus & litteris, prudentiâ, eloquio, moribus excolantur, in rem suam, quò patronorum interventu, ad obsequia & Palatia Cardinalium, Principum, aut ipsiusmet Pontificis dignè commendati & admissi, dum se fert fortuna, sensim ad altiora evehantur. Plurima enim Romæ, ministeria, Sacerdotia, munera, idoneos expectare ministros, nemo nescit; quando non modò urbi, sed & orbi, hîc magistratus præficiuntur. PATIENTI] Patienter expectanti, ac interim fideliter servienti, & in Ecclesię obsequio persistenti.

410. VIRTUTI] Dignitati, merito, præstantiæ;

*Standonico Belgæ speranda; ubi symmetra corde*
*Fiet inops magni, nihili coligonius heros.*
*Præterea Romæ distinguitur usus ab usu:*

tiæ: id est homini, doctrinæ, fidei, morum, vel religionis præstantiâ, aut rerum agendarum dexteritate prædito. In hoc enim significatu apud Nonium Marcellum usurpavit vocem *virtus* Plautus Mil. glor. Act. 3. sc. 1. ỷ. 130.
*Sicut merci pretium statui, pro virtute ut veneat.*
Id est, pro merito vel dignitate. Et Mostel. 1. 3. 17.
*Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.*
Id est merito & præstantiâ formæ. LOCUS EST] Ad opes & dignitates. GLORIA SUMMA] Supremus & maximus pontificatus, quo nihil in orbe Christiano eminentius. TIARÆ] Symboli, aut insignis pontificii principatus. Ita enim vocant pileum triplici corona redimitum, signum regni, quo Pontifices Romani coronari solent, cum sacrosanctum hunc adeunt magistratum. Ceterùm alium ferè usum non habent *Tiara*, nisi in coronatione, & in pompa publica, dum variæ gemmis & inæstimabilis pretii unionibus ac monilibus prætextæ ac tremulæ, Pontifici solenniter præferuntur. In sacris enim functionibus usus est mitræ, ad designandum Pontificale Sacerdotium, regno & dominatu quolibet temporali præstantius. Quamquam Mitræ Episcopales etiam quandoque dictæ sint *Tiaræ*. De qua re videri potest Lupus Dissert. in Syn. Ephes. c. 2. Tiara antiquissimis temporibus Persarum regum capita ornabat. Hanc existimat Had. Junius similem fuisse hodiernis Turcarum Pileis. Et certè Thracum & Schytarum in usu fuisse, innuit Albertus Rubenius de re vestiat. l. 2. c. 16. De hac re, uti & de hoc Pontificis insigni plurima prodit Jos. Stephanus de coronatione Pontific.

411. STANDONICO BELGÆ] Pauperculo cuipiam, Standonicæ domus Lovaniensis alumno: qualem fuisse Adrianum VI. Pont. Max. pro comperto est. Porrò hæc domus pauperum, sive, ut vocant, collegium Standonicum, auctorem habet Joannem Standonck Mechlinensem, sacrarum litterarum Doctorem Lutetiæ, qui & ibidem adolescentium egenorum habitationem erexit, obstrictis alumnis ad mensam tenuem & pisculentam, ad obedientiam patri (ita præfectum nominant) præstandam, ad castitatem, statas preces, cucullum, aliosque ritus monasticos; donec ibidem habitant: nam migrare inde, ut libuerit integrum est. In Belgio quatuor ejusmodi collegia dotavit, conquisitis undique in hanc rem piorum eleemosynis; nempe Lovanii, Cameraci, Valencenis, & Mechliniæ; & unum longè celeberrimum Parisiis. Vide fastos Valer. And. Premit hîc Poeta mirabilem fortunam Adriani Florentii Belgæ Batavi Ultrajectini, qui Standonicæ domus Lovaniensis alumnus, post plurium annorum studia, ac docendi munus, S. Theologiæ Doctor renuntiatus, ac Decanus ædis S. Petri Lovanii, mox Carolo V. Aug. præceptor datus, inde Derthusensis Ecclesiæ Antistes, ac in cœtum purpuratorum Patrum à Leone X. ascitus, regnorum Hispaniæ Præses, absens Pontifex creatur anno Christi CIↃ. IↃ. XXII. v. Id. Januar. coronatur prid. Cal. Septemb. Vixit annum unum, menses octo, dies quinque: in Basilica S. Petri sepultus, dein in æde S. Mariæ Teutonum seu de *anima*, ubi hodie obtinet splendidum & magnificum ex Alabastro monumentum. Lovanii ante Pontificatum construxit dotavitque amplissimum collegium eorum qui S. Theologiæ operam navant, quod inde Pontificium nuncupatur. SYMMETRA CORDE] Vir liberalis ingenii, animi moderati & integri, quique sua sensa nullius adminiculo audeat expromere & tueri, nemini servire aut adulari doctus. In M. SS. auctor: *Symmetra corde*, inquit, *vir integer, aut* εὔστασιν *habens animi, id est constitutionem*. Nam συμμιτρεῖς qui se ipse commetitur, & σύμμετρος rectè commensus dicitur, tralatitiè moderatus & modum servans. Qualis scil. Adrianus VI de quo Epitaphium in S. Mariæ de anima: OB PROPE DIVINAM CASTISSIMI ANIMI MODERATIONEM, CAROLO V. CÆSARI AUGUSTO PRÆCEPTOR ASCITUS.

412. FIET INOPS MAGNI] Licet pauper & fortunæ dejectæ, magni fiet: contrà NIHILI COLIGONIUS] Pravus, ineptus, vitiosus, indoctus, adulator, & rebus privatis intentus. *Coligon*, inquit ibidem in M SS. Poeta noster, *qui privatâ utilitate, in publica commoda peccat, laudando, adulando Coligonibus*. Anagrammatismum vocis *Coligon* disce Serm. 6. ad ỷ. 84. fol 133. HEROS] Heroum sanguine superbus, nobilis, lautus, potens &c.

413. DISTINGUITUR usus AB USU] Mirâ celeritate cognoscitur quis pravus, quis probus; quis usus, quis abusus. Italica siquidem natio utrisque

*Hinc ordo, hinc ratio, tota hinc Lex, atque Propheta.*
*Quidquid enim validis sancivit legibus orbis,*
*Bis senis veluti tabulis præscribitur urbi.*
*Delinquat monachus, mulier, pannuceus, aut dux;*
*Ducitur in Pontem: nulla est exceptio Papæ*

utrisque assucta promptissimè dignoscit bonos à malis, & hinc districtè observat, & animadvertit in sceleratos; justitiâ vindice exquisitas pœnas decernente, quarum metu reliquos malè feriantes contineat.

414 HINC ORDO, HINC &c.] Hoc primum & novissimum, imum & summum, totam juris plenitudinem complectitur; inde desumitur omnis politica, publicique regiminis ratio. Matth. 22. ỷ 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet & Propheta.*

415. VALIDIS] Severis,& certa remedia adferentibus. ORBIS] Omnis per orbem respublica,ad civium tutelam & tranquillitatem decrevit.

416. BIS SENIS &c] Quasi inter duodecim tabularum leges consecratur. Duodecim tabulis Decemviri selectissima jura & leges, tam ex patria consuetudine, quàm ex Græcanicarum civitatum statutis petita descripsere. Missis namque ex Romanis civibus in Græciam, qui populorum leges fideliter accuratèque describerent, indeque reversis, creati sunt à populo Decemviri, quibus datum summum jus sine provocatione, ut leges ex Græcia allatas corrigerent, digererent, interpretarentur, perferrent. Primo anno decem tabulæ perlatæ: secundo anno duæ alteræ adjectæ: atque ita duodecim tabulæ appellatæ. Earum ferendarum auctorem Hermodorum quemdam Ephesium in Italia exulem, extitisse commemorant. Dion. Halic. l. 10. Liv.l.3. Alex. ab Alex. l. 6. c. 10. Harum legum commendationem habes apud Cic. l. 1. de Orat. c. 195. ubi Crassus, *fremant*, inquit, *omnes licet, dicam quod sentio: Bibliothecas mehercule omnium Philosophorum, unus mihi videtur* XII. *tabularum libellus, siquit legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.* Injuriâ temporum tabulæ hæ, quas æneas & palam in foro populo expositas fuisse ferunt, perierunt. Earum quædam fragmenta reperias apud Cic. Dionys. Livium, Jus civile, & multos recentiores, ut Alex. ab Alex. lib.6. c.10. & alios Jureconsultos. PRÆSCRIBITUR URBI] Exactissimè observandum Romæ.

417. MONACHUS] Cœnobita quispiam. *Monachi* à solitudine dicti, quòd olim ab urbium strepitu semoti solitariam ruri vitam agerent, Deo, studiis & contemplationi vacantes. Modò si paucos eximas, ad urbes translati, & more Apostolico conviventes in cœnobiis, ad uberiorem quæstum Ecclesiæ, quà agendo, quà contemplando, suæ & aliorum saluti laudatissimam navant operam; priscumque nomen retinent. Sententia est: in leges politicas peccet facinorosus quispiam monachus, clericus, seu laicus; mulier, seu vir; pauper, seu dives; nobilis, seu obscurus; dynasta, seu plebeius; æquâ in omnes pœnâ animadvertitur. PANNUCEUS] Vile mendicabulum, pauper pannosus, multis iisque rudioribus panniculis contectus. Pers. Satyr. 4. ỷ. 21.

*Dum ne deteriùs sapiat pannucea Baucis.*

*Baucis* Turnebo est quævis anus vilissima: item muliercula oleraria &c. Eum vide l. 28 c. 33. & l. 15. c. 3. AUT DUX] Dynasta, Princeps, vel Primorum quispiam, Ducis dignitate insignis.

418. DUCITUR] Græcis ἀπάγεται, quod peculiari notione dicitur de illo qui ad carcerem vel supplicium rapitur, quod ipsum Latinis est *duci*. Seneca Apocolocynt. Claudii Cæsaris. *Ille autem febrim duci jubebat; illo gestu soluta manus, & ad hoc unum satis firma, quo decollare homines solebat. Jusserat illi collum præcidi.* Sueton. l. 4. Calig. 27. *Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo intra porticum mediam, à calvo ad calvum duci imperavit.* Id est, ut exponit Beroaldus, jussit ut carnifices ducerent ad supplicium custodias omnes, incipiendo ab uno Calvo qui erat primus, & eundo ad alterum calvum qui erat novissimus. Vide Nannium miscel lib 9 c. 8 IN PONTEM] In Regionem Pontis, ubi locus supplicii Romæ proximè pontem Ælium. Olim quatuordecim urbis regiones fuisse liquet ex monumentis veterum: posterioribus seculis, Româ scil. à barbarorum immanitate, ac à clade paulatim restitutâ, multumque immutatâ, tredecim tantùm regiones recensebantur. Quartam decimam Xystus V. P. M. addidit, indito nomine Burgi, qui

*Personarum, nemo pio servabitur auro.*
*Nocte ferâ quisquam blatiat se haud esse ferendo*
*In loculis nummo, clamosum & Stentora vincat;*
*Non titillatu grati modulaminis ausit*
*Autolycus proferre manus: pavet Hostius atros*
*Et Telesilla equites: noctis promiscua compes*

erat olim regionis Leoninæ. Inter has quatuordecim una est, quam *Pontem* nominant, complectiturque eam urbis partem, quæ ponti Ælio, seu S. Angeli, vicina est, refertque pontem in umbone gentilitio. Secus aditum hujus, qui Antonomasticè hoc nomen *pontis* obtinuit, sumuntur supplicia de noxiis: hinc per *τὸ ducitur in pontem* nihil aliud intelligas, quàm rapitur ad supplicium. PAPÆ] Pontifici Maximo, qui rerum isthic potitur. *Papa* Græcis idem quod pater. Hoc nomen honoris gratiâ ob curam spiritalem olim omnibus Presbyteris datum. Unde & apud nostrates ac Germanos usus obtinuerat, ut *Papa* passim Presbyteri dicerentur. Verùm ex quo hæretici eo nomine ad contumeliam Sacerdotum abusi sunt, significatio vulgaris desiit, nec usurpatur nisi convitium facientibus. Olim dicebatur & *protopapa*, id est archipresbyter, ut notat & probat Lupus in Append. ad Ephes. Latrocin. Act. 7. postea invexit usus, ut soli Episcopi Papæ nuncuparentur, ante omnes tamen Patriarchæ Romanus & Alexandrinus. At verò Gregorius VII. Pont. M. id nomen, ceteris quibuscumque tandem abrogatum, unicum esse in mundo Romanis Episcopis voluit.

419. PIO AURO] In datorem, cui gratiam conciliare solet apud alios. SERVABITUR] A pœna, morte, vel supplicio.

420. NOCTE FERA] Quâ regnant feri grassatores, fures, sicarii, & id genus homines noxii. BLATIAT] Incondité, altè, ac instar cameli clamet, ut latè audiatur. *Blatire* seu *blaterare* proprium camelorum: inde receptum, pro ineptè aut furiosè clamare. Horat. l. 2. Sat. 7. ✠. 35.

*----Cum magno blateras clamore, fugisque.*

At Nonio Marcel. usurpari creditur pro confingere, aut inconditè ac inaniter; & ut Festo stultè ac percupidè loqui. Plaut. Epid. 3. 1. 13.

*---Tu mihi aliquid aliunde ab aliquibus blatis.*

421. IN LOCULIS NUMMO] Crumenam sibi adeò fartam nummis, ut non nisi incommodè portet: hyperbolicè, ut præ pondere portare non possit. Exaggerat viarum securitatem etiam noctu tantam Romæ, ut quivis sine metu lavernionum aut sicariorum, per eas cum omni apparatu suo, etiam cimeliis & thesauris onustus, commeare queat. ET STENTORA VINCAT] Vociferando. Juven. Satyr. 13. ✠. 112.

*Tu miser exclamat ut Stentora vincere possit.*

*Stentor* in Græcorum exercitu ad Troiam, quinquaginta hominum clamorem, vocis magnitudine obtundebat. Inde ferream illi, aut æream vocem fuisse fabulantur; quod est acutam & firmam. *Homerus* Il. 5. Originem hinc duxit Hyperbole proverbialis: *Stentore clamosior*. Erasm.

422. TITILLATU] Illecebrâ, aut illectamento ad clependum. Horat. lib. 2. Satyr. 3. ✠. 179.

*Præterea ne vos titillet gloria.-----*

Id est, alliciat. GRATI MODULAMINIS] Nuntii bellissimæ occasionis, ad furta, & ad faciendum quæstum.

423. AUTOLYCUS] Fur aut Lavernio quispiam, Autolyco non absimilis. *Autolycus* fur nominatissimus. De illo Naso Met. 11. ✠. 313.

*Nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne.*

Filius scil. Mercurii ex Chione, de quo & Mart. lib. 8. Epig. 59. ✠ 3.

*Ne contemne caput, nihil est furacius illo:*
*Non fuit Autolyci tam piceata manus.*

HOSTIUS] Ferox quispiam & audax, & qui non temere timeat, qualem fuisse Hostium prodit Livius l. 1. c. 12. ATROS EQUITES] Funestos, & sceleratis metuendos apparitores, qui noctu excubatores, cum sociis urbem ambiunt equites, noxiis infesti, ad publicam tranquillitatem.

424. TELESILLA] Virago quæpiam imperterrita. *Telesilla* poëtria, fœminas Argolicas duxit contra Spartanos virtute bellicâ clarissimos, eosque fugavit cum primùm se eis ostendisset, effecitque ut sociæ mortem nihil expavescerent. *Clement Alex.* Strom. 4. PROMISCUA COMPES CRIMINIBUS] Hypallage, pro eo quod est promiscuis criminibus compes seu carcer datur. Id est: omnes malefactores cum præsentibus, & spectantibus, sive nocentes fuerint sive innocentes, noctu deprehensi, sine discrimine vinciuntur,

*Criminibus; vigor ut sit ubi rigor: orta sequens lux*
*Discutiet caussas, & culpæ & pondere legis.*
*Voltis ut his aliquid de spiritualibus addam?*
*Hinc iter est cælo nullis anfractibus: omnes*
*Ante Parasceven post Bacchanalia Soles*
*Diversâ statione exclamant*, Tolle grabatum, &

tur, & in ergastulum abducuntur, ut postridie vel facti fidem faciant, vel de facto respondeant, aut puniantur.

425. VIGOR UT SIT UBI RIGOR] Parœmia hoc ævo trita: *ubi rigor, ibi vigor*. Quod dicitur de omni loco severè ac promptè de legum transgressoribus pœnas postulante: ab his enim, legibus vigor accedit. Fortè præeunte in simili Diogeniano: ἵνα δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς. *Vbi timor, ibi pudor*. And. Schot. proverb 5. Diog 30. SEQUENS LUX] Postera dies.

426. DISCUTIET CAUSSAS] Pro æquitate ac meritis caussæ, pronuntiatâ sententiâ, litem dirimet.

428. CÆLO] Ad cælum. Dativus pro accusativo cum præpositione. Virg. l 5. Æneid. ℣ 451. *It clamor Cælo.* --- NULLIS ANFRACTIBUS] Directum, sine circuitu vel obliquitate. Premit sacras pœnarum gratias, seu amnestias, quas facit Pontifex iis, qui opera quædam actuosa à se præscripta Romæ exercent, visitando Ecclesias, orando, eleëmosynas erogando, jejunando &c. quas nunc recepto vocabulo indulgentias nuncupamus. SOLES] Dies.

429. ANTE PARASCEVEN] Jejunii quadragesimalis tempore, ante pridianum Sabbathi sancti, quod Christianum Pascha Dominicæ Resurrectionis prævertit. Hunc enim ex usu Catholico jam designat *Parasceve*, diem scil. anniversarium, quo Servator Jesus probrosâ cruce suffixus, semet obtulit increato Patri cruentum piaculum, in humani generis redemptionem: Soteria Junius nominat. BACCHANALIA] Dies solenne jejunium quadragenarium antevertentes, ut alibi non semel exposuimus. Vide Serm. 5. ad ℣ 272. fol. 118. Notat sacras Stationes Romæ in quadragesima quotidianas, cum veniis & gratiis multiplicibus.

430. DIVERSA STATIONE] Diversis locis & templis, in quibus ex Pontificio præscripto statio obitur. Desumptum à statione militari in castris ad excubias. Solebat enim populus Romanus olim cum Episcopo suo, ad Dei laudes decantandas, ad certa loca, seu ædes sacras aut cœmiteria concurrere, ibidemque tota die, maximè tamen tempore incruenti sacrificii consistere, & quasi in Dei castris contra hostes invisibiles excubare. Alii à stando deducunt, quod Clerici psallentes in chori loco stent, aut populus olim præsertim Dominico die, non nisi stans precaretur. *Lupus* in can. 20. Nicen. & *Polyd. Virg.* l. 8. c. 1. Stationes primus instauravit, & in certum ordinem redegit Gregorius Magnus, quem, in designandis aliis templis, alii Pontifices secuti sunt: ut jure Xystus V. Pont. Max. Const. 23. An. CIƆ. IƆ LXXXVI. Id Febr. Pont. 1. *Egregia populi Romani pietas, magnis SS. Patrum laudibus celebrata, præclara adhuc religiosæ antiquitatis monumenta conservat: inter quæ vetus admodum est, ab Apostolicis usque ducta temporibus sacrarum stationum consuetudo, in quibus fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum Martyrum memorias conveniens, hymnis & canticis spiritualibus Deum in sanctis suis mirabilem laudabat, & salutaribus immaculatæ Hostiæ sacrificiis placabat, & adversus multiplices antiqui hostis impugnationes, tanquam in castris Dei, statione tutissima consistebat. Quam memoriam à majoribus acceptam, nunc etiam Romæ antiquissimis urbis Basilicis, & Martyrum Ecclesiis visitandis, statis Dominicis, aliisque solennibus, inprimis verò sacro adventus Domini, & Quadragesimæ tempore, magnâ populi frequentiâ, anniversariâ celebritate devotè observat.* Hæ stationes Romæ magno piorum concursu celebrantur, quandoque etiam Pontifice Max. vel sacris operante, vel præsente: stipante etiam ingenti Patrum purpuratorum & Episcorum Prælatorumque catervâ. Stationes Quadragesimæ versu edidit Pomponius Lætus, quarum est hoc initium:

*Quæ tua præsidio sanctorum crimina tolli*
*Quæsieris, voti, me duce, compos eris.*
*Festa Quadragena, nec sit grave, tempora serva.*
*Quæque dies veniam continuata dabit.*

EXCLAMANT] Altè monent pauperes, eleëmosy-

*Ambula; ad hoc sacris plena indulgentia valuis.*
*Quæ reliquo spatio meritoria? Scalæ sanctæ,*
*Gratia Pontificis non extra mœnia, septem*
*Sive novem delubra, parata pedum oscula Petri,*

narum quæstui attendentes. TOLLE GRABATUM &c.] Vox est, ad pauperes claudos, paralyticos, debiles, truncos &c. quibus sine lectis esse non licet, ut eosdem, quos solent in viis publicis sternere, aut etiam rotis imponere, ad commovendam viatoribus misericordiam, transferant quotidie ad alia loca, quà populo transeundum ad designati templi stationem. Detortum ex Euangelio Marci 2. ubi Christus ℣ 9. *Tolle grabatum tuum & ambula*. Nota *grabatum* esse vilem, & viliorum, *lectum* verò divitem, & nobiliorum. Cic. lib. 2. Divin. 129. *Venit enim jam in contentionem, utrum sit probabilius, Deósne immortales rerum omnium præstantiâ excellentes, concursare omnium mortalium, qui ubique sunt, non modò lectos, verùm etiam grabatos*. Et Mart. l. 6. Epigrammate 39. ℣. 4.

*Sed in grabatis tegetibusque concepti,*
*Materna produnt capitibus suis furta.*

Græci efferunt κράββατος, vel à capitis recubitu, vel παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, à suspendendo gradu.

431. SACRIS VALVIS] Ad portas & valvas sacrarum ædium, affixis tabulis vel schedis indulgentiarum indicibus. Ex usu Christiano Catholico, per Europam recepto. PLENA INDULGENTIA] Omnis pœnæ, quantumcumque magnæ, venia vel relaxatio. Dicitur *Indulgentia*, quòd hâc factâ gratiâ, Ecclesia Mater in filios suos videatur indulgentior, aut quòd non tantùm reatui seu culpæ, sed etiam noxarum pœnis clementer indulgeat.

432. RELIQUO SPATIO] Alio extra quadragesimam tempore. MERITORIA] Demerenda. Id est: quid mereri licet homini religioso, reliquo anni spatio? SCALÆ SANCTÆ] Secùs Basilicam Lateranensem, duodetriginta graduum, ex Pario marmore, Hierosolymâ è Pilati domo advectorum. Hos orante ex vulneribus sanguine imbuisse Servatorem, dum per eos toto corpore saucius, ad Pilatum & quæstionem raptabatur, arguunt adhuc aliquod guttarum vestigia, cancellis, ne prorsùs deterantur præsepta. Continua genibus nitentium reptatio (pedibus enim calcare fas non est) moltis ex detrimento cavitatibus permolestos reddidit. Pertinacem tamen advenarum & indigenarum religionem animat Pontificia liberalitas, impertitâ cuilibet gradui flexis poplitibus coascenso, trium annorum totidemque quadragenarum indulgentiâ, & veniâ trientis omnium peccatorum.

433. GRATIA PONTIFICIS] Exuberans illa, & quæ nunsquam terrarum, tanto copiæ cornu effunditur. EXTRA MŒNIA] Romanæ urbis, ejusque cœmiteria. Nam ut suprà ad ℣. 315. Xystus V. *Roma religionis domicilium, ubi indulgentiarum thesauri uberiùs dispensantur*.

434. SIVE NOVEM] VII. Basilicas piorum visitatione celeberrimas descripsimus suprà ad ℣. 366. Illis eorumdem religio duas alias addidit, opportunitate loci ad viam, per quam transeundum erat, adductorum. Quod ipsum olim factum narrat Onuphrius, dum quinque Patriarchalibus, hoc disticho comprehensis:

*Paullus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Ioannes,*
*Hi patriarchatus nomen in urbe tenent.*

Eadem visitantium religio duas alias Basilicas adjecit. Scil. S. Crucis, & S. Sebastiani, & sic septem factæ. Novissimè verò adjectæ sunt pietate illorum, qui ædem S. Paulli in via Ostiensi frequentabant, ob situs nimirùm vicinitatem, Ecclesia SS. Vincentii & Anastasii ad tres fontes, & S. Mariæ, quam vocant annuntiatam extra moros; haud ita procul dictâ S. Paulli Basilicâ. Sic & indultu Papali, visitare licet fanum B. Mariæ de Populo, ut aiunt, dum itineris molestia prohibet longiùs ad S. Sebastiani defatigatos procedere: relictis tamen illi Ecclesiæ priscis privilegiis, gratiis & indulgentiis; licet stationes Papales inde Xystus V P. M ad eamdem D. Mariæ popularis ædem intra muros transtulerit. Vide Xysti V. Const. 23. §. 6. PARATA] Exposita cuilibet cultori Christiano, Vaticanam Basilicam introeunti. PEDUM OSCULA PETRI] Statuæ antiquæ æreæ, S. Petrum sedentem & alterum pedem educentem, repræsentantis, ad dextram intrantium principem ejus ædem, paullò antè quam ad ejusdem martyrium perveniatur. Consuetudo & religio mittit eò tam peregrinos quàm indigenas, pedem, quem extensum in id exhibet statua, reverenter osculaturos, eidemque ver-

*Candida virga, manus Patris indefessa per urbem;*
*Et celebranda dies lætis sine fine quotannis*
*Templorum auspiciis; privataque jubila mille.*
*Concio deficiens numquam, exemplaria vitæ,*
*Ossaque Sanctorum, miracula, mystica, ritus.*

verticem submissuros, subjectionis & obedientiæ contestandæ gratiâ.

435. CANDIDA VIRGA] Pœnitentiariorum Apostolicorum, qui hâc in humeros rei absoluti leniter demissâ, significant gratiam dimissorum criminum illi esse factam à Deo, ejusque in terra Vicario. Summus Pontificis Pœnitentiarius, ex Cardinalium collegio deligitur, penes quem est amplissima potestas absolvendi, quoscumque à quibuscumque etiam maximè exhorrendis criminibus. Illi subserviunt vicarii, per tres urbis nobiliores Basilicas, scil. Lateranensem, Liberianam; & Vaticanam distributi: leguntúrque ex diversis per Europam nationibus & linguis, ut cum omnibus, eò absolutionis gratiâ confluentibus, sermonem conferre possint. Sedi seu sacro tribunali ipsorum in Ecclesia semper præfixa manet virga delibrata, seu pertica candida ad usum ut suprà Ex triplice ordine hi assumuntur, habentque ad suas quique Basilicas habitationem Pontificiis impensis sibi destinatam. Sodales Ordinis S. Dominici Esquilinam, observantes S. Francisci Lateranensem, Vaticanam Societatis Jesu presbyteri obtinent, quotidianasque postulantium confessiones auscultant. MANUS PATRIS] Potestas, cura, & auxilium supremi Antistitis per suos administros. Cic. l. 14. famil. Ep. 2. *Verùm hac non sunt in nostrâ manu.* Tusc. 4. c. 68 *Cui in manu sit, quem esse dementem velit.* Pro lege Manil. 24. *Mithridates autem & suam manum jam confirmaverat.* Item & Virg. lib. 11. Æneid. ℣. 311.

*Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.*

Pomponius lib Enchir. Digest. 1. T. 2. Q. 2. *Omniaque manu à regibus gubernabantur.* Hinc forsan originem habet tritum istud:

*Nescitis longas regibus esse manus?*

Id est longam & protensam potestatem. INDEFESSA] Obvia, prompta, & semper parata ad accipiendos reos, eosque cum Deo reconciliandos. Hujus enim versus posterior pars refertur ad priorem, intelligendo potestatem sacerdotalem S. Tribunalis. Ut sensus sit: potestas Apostolica & Pontificia quoscumque sceleratos absolvendi, à quolibet crimine, per urbem communicata est, cum dictis pœnitentiariis, qui in præfatis Basilicis impigrè, ac sine intermissione noxas audiunt, & absolvunt.

436. DIES LÆTIS AUSPICIIS &c.] Cuilibet templo quotannis suus dies festus agitatur, cum populi lætitia, & indulgentiarum gratiis. SINE FINE] Omni die: numerus enim Ecclesiarum Romæ, æquat anni dies: adeòque dum earum cuilibet semel totius anni decursu, plena pœnarum amnestia conceditur, poterit Christianus quilibet ritè comparatus, quotidie istarum gratiarum proventum eas visitando accersere.

437. PRIVATAQUE JUBILA] Gaudia populi, & festi ignes, quæ Romæ frequentia sunt, dum, Sanctorum solennia celebrantur, maximè eorum, quorum memoria & apotheosis recentior. Hos enim accensis noctu lucernis, & ex cœnaculis in vias publicas promissis, aut funalibus ardentibus, populus Romanus hilari studio veneratur.

438. CONCIO] Sacra oratio vel exhortatio, quæ ad populum frequens pronuntiatur, à viris summâ eloquentiâ præditis. *Contio*, ut placet A. Gellio, significat locum, verba, suggestum unde verba fiunt, & cœtum populi vel auditorum. Eum consule l. 18. cap. 17. DEFICIENS NUMQUAM] Omni anni tempore frequentissima, ac in primis Dominici adventus & quadragesimæ diebus. Æstate quoque post solennia Pentecostes, quando in plerisque templis parochialibus, maximè Monachorum, bis dicitur ad populum, tam festis quàm Dominicis, ante & post meridiem. Cui addere liceat conciones, quæ æstivo item & pomeridiano tempore in triviis & compitis, sub divo ad obviam turbam ab Ascetis oratoribus declamantur. Ut nunquam & nusquam in salutem populi disertissima Roma conticescat. EXEMPLARIA] Mores & acta hominum sanctissimorum, tam mortuorum, quàm viventium. Acta enim ejusmodi, seu litteris consignata legantur, seu narrata audiantur, seu videantur, vera sunt Christianæ integritatis exempla, quibus populus instruitur, & ad capessenda salutaris vitæ remedia provocatur. VITÆ] Ad leges Christi instituendæ.

439. OSSAQUE SANCTORUM] Sacra Lipsana

440. *Qualis erit nunc vere novo vicesima quinta*
*Martii, ad innuptam cùm* URBANUS *dote Minervam*
*Fortunaturus centum pro more puellas*
*Procedet, mutilum quæ turres ponè Caraffæ*

Apostolorum pæne omnium, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, quorum Romæ sine numero numerus; ut suprà monuimus. MIRACULA] Prodigia divinitus olim facta, quæque indies fiunt ad invocationem Sanctorum. MYSTICA] Mysteria seu mysticæ significationes, & notæ arcanæ rerum divinarum. RITUS] In sacris Ecclesiarum Canonicis & Pontificalibus.

440. QUALIS ERIT &c.?] Erotesis vehemens ad augendam admirationem; ac si dicat: quâ magnificentiâ, pompâ, splendore, populi frequentiâ, agitabitur? VERE NOVO] Proximi veris initio. VICESIMA QUINTA] Dies angelicæ legationi ad Mariam Virginem, seu annuntiationi sacra VIII. Cal. Apriles.

441. URBANUS] Urbanus VIII. Pont. Max. qui eo tempore, quo editus hic sermo, Ecclesiam moderabatur. Creatus enim Pontifex VIII. Id Aug. An. CIƆ. IƆC. XXIII. vitâ & supremo Magistratu defunctus IV Cal. Aug. AN. CIƆ. IƆC. XLIV. AD INNUPTAM MINERVAM] Ad locum, ubi olim innupta Minerva templum sibi dedicatum habuit. Alludit ad cælibatum Minervæ, quasi vel propterea illi cura & præsidium sit innuptarum. Designat hîc amplissimum fanum, supra ruinas & rudera priscæ Minervæ ædificatum, quod ab hoc eventu, *B. Mariæ supra Minervam* nuncupatur. Hodie sodalium S. Dominici domicilium, collegio Theologico ab Episcopo Chuscæ erecto, & hebdomadario Eminentissimorum DD. Cardinalium, sancti, quod aiunt, officii quæsitorum, & aliorum, in idem delegatorum conventu insigne. Templum duorum Pontificum Leonis X. & Paulli IV. plurimorum Cardinalium, & illustrium virorum sepulturâ decoratum: inter quos Joannes à Turre Cremata Hispanus, ex Ordine Prædicatorum S. R. E. Cardinalis Episcopus Sabinensis, qui amplissimos reditus maritandis inopibus puellis legavit. Ejus rei monumentum extat in sacrario ejusdem ædis versibus descriptum:

*Ne malè patrandis stupris, quod avara merendo*
*Forma puellaris sæpe coëgit inops:*
*Annua pauperibus stips est hîc pensa viritim,*
*Dosque maritandis condita virginibus.*
*Munus & officium sancti celebrate Quirites,*
*Dum* VICENA *venit Martia* QUINTA *dies.*
*Terrestri ut sensu cælestia regna paretis,*
*Pollicita & vobis centupla messis erit.*

Vitâ defunctus est An. CIƆ. CCCC LXV. Piissimi hujus legati distributio mox tanto cum plausu, & æstimatione accepta est, ut Pontifices Maximi quotannis solenni pompâ eidem interesse voluerint. Quocirca ipso Annuntiationis sacro die, magno Cardinalium comitatu, & innumerabilium hominum concursu, Pontifex ex palatio ad suprà memoratam ædem splendidissimè procedit, singulasque puellas candido amictu vestitas ad pedis osculum admittit. Inde Xystus V. P. M. Constit. 23. § 8. *Anniversario*, inquit, *die annuntiationis Beatissimæ semper Virginis Mariæ, Pontificalem Capellam facientes apud Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam, dotesque de more pro maritandis puellis distribuemus.*

442. FORTUNATURUS] Dotes, ut supra, dispensaturus. CENTUM] Numerus certus pro incerto. Annuis enim redditibus seu messibus respondent dotes, quarum numerus etiam incertus, ob incertos proventus. Sæpe enim mendaces fundi. Et dotes aliquando majores distribuuntur. Sunt qui scribant ultra trecentas dotari annuè.

443. MUTILUM GLADIATOREM] Pasquinum de quo supra fol. 221. ad ℣. 358. Statua autem illa turpiter mutilata naso, manibus & pedibus trunca, olim creditur fuisse signum gladiatoris. Hinc periphrasticè *mutilus gladiator* pro Pasquino dicitur. TURRES PONE CARAFFÆ] Retro vel secus Palatiū Caraffæ: hodie illustrissimæ gentis URSINÆ, quę in agros & oppida lacui Sabbatino, nunc Braccianensi vicina, opulentè ac principali splendore dominatur; maximè in nobile oppidum Braccianum, quod etsi à Romanis ut scribit Capugnanus, multa fuerit perpessum, à Domicellis tamen suis clarum evasit, & Ducatus titulo, arcisque munitissimæ lacui imminentis fastigio eminet. In eo claret Canonicorum collegium, & Asceterium S Mariæ, ut vocant, Novellæ, Sodalium Eremitarum S. Augustini, peramplis proventibus ab eâdem nobilissimâ gente dotatum, ac in eo gymnasium Studii, ut aiunt, generalis, ex quo doctissimi aliquando emersere. Nobis ibidem biennium ferme pro genio habitis, volu-

*Incendunt gladiatorem? Quâ nobilitate,*
*Quâ serie Cleri læta ad solemnia candens*
*Præferet Ostrinis Paranymphum asturco catervis?*
*Quanta ibi miratrix, aditu mox antè recluso*

volupe fuit priscas Musas & Naiades Sabbatinas inter strepitantium undarum placidissimos susurros, excolere, & Latinorum sonorum melos continenter auscultare.

444. INCENDUNT] Celebriorem reddunt; fabulantem fortè, vel convitiantem, aut ludentem de puellarum, dota donatarum, pudicitia vel virginitate parum cautè custoditâ, stupratorum artibus, vel procorum ludibriis &c. Nam cum locus hic in umbilico urbis situs sit, populi frequentiâ & vulgi rumoribus celeberrimus, Pasquini mordacitatem insigniter acuit. *Incendere* locum veteres dicebant pro eo quod est, celebriorem reddere, ut apud Varronem *incendere annonam*. Plaut. Trin. Act. 3. Sc. 2. ℣. 49.

*Si isthuc, ut conare, facis indicium, tuum incendes genus.*

Simili ferè Phrasi Augustus Cæsar, *nos forum*, inquit, *aleatoribus excalefecimus*. Corn. Severus in Ætna: *nunc opus artificem incendit*, id est admirabiliorem reddit, ut caussæ accuratiùs exquirantur. *Scaliger* apud Taubm. Si quis porrò per *incendunt* intelligere volet, ad iram concitant, non gravatè feram: sic enim Terent. Phorm. 1. 4. 9. *Loquarne? Incendam*. Id est, ad iram provocem. QUA NOBILITATE] Principum, Ducum, Comitum, ac nobilium factionis Hispanicæ, longâ serie & pompâ, ab aula Legati Hispaniarum, ad Basilicam Vaticanam, pridie Apostolorum Petri & Paulli sub vesperam equitantium, sine ut sequitur ad ℣. 446.

445. QUA SERIE CLERI] Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum, Pontifici Maximo ad limina & fores Ecclesiæ assistentium. *Clerus* vox Græca, Latinis sortem significat, seu notam quam vasi sortitionis immittimus. Hoc nomine nunc censetur Ordo sacer vel Ecclesiasticus, seu dignitas Clericalis. Nam ut Gratian. Dist. 4 c. 4. *Omnes Clerici in sortem Domini vocati*. Sic Divus Thomas in istud S. Petri Epl. 1. c. 5 ℣. 3. *Dominantes in Cleris. Id est, inquit, in dignitatibus sorte divina electionis obtentis*. LÆTA AD SOLENNIA] Ad solennem hunc ritum, & pompam.

446. PRÆFERET] Ducet. OSTRINIS CATERVIS] Cœtui Pontificis & Purpuratorum Patrum. *Ostrinus* color idem qui Purpureus, Sarranus, conchyliatus, Tyrius &c. *Ostrum* enim muricis seu conchylii percussi liquor, sanguis, vel sanies est, ad panni tincturã. Vide quæ diximus fol. 239. ad ℣. 406. PARANYMPHUM] Legatum Regis Neapolitani & Siciliæ, qui & Hispaniarum, ejus nomina hæc auspicia captantem, seu profitentem Pontifici jus clientelæ. *Paranymphus* in nuptiis auspex erat, qui nomine viri capiebat auspicia. ASTURCO CANDENS] Candidus equus tolutarius, seu tolutim incedere doctus, vel ut placet Plinio, cui mollis alterno crurum explicatu glomerario est. Hypallage, pro eo quod est: paranymphus præferet candentem asturconem, superbissimè ornatum &c. Notat Ceremoniam annuam Romæ, quæ totius urbis gaudio & concursu peragitur, die profesto Sanctorum Apostolorum Petri & Paulli: quando Pontifici Maximo, assistentibus Cardinalibus & Clero, solenniter defertur & sistitur asturco crumenam auro fartam, aut tabellam collybisticam dorso portans, à Legato Hispano: ut significet Regis sui nomine, Neapolitanum ejusdem regnum Pontifici, tanquam supremo Domino obnoxium esse, & à se possideri jure, ut nunc vocant, beneficiario & clientelari. Ita enim convênit inter Clementem IV. Pont. M. & Carolum Andegavensem S. Ludovici Fratrem, ut feudi titulo, octo millia ducatorum, ac equus candidus ab eo creando Neapolitos Rege, omni anno Ecclesiæ Romanæ penderetur. Et hac ratione Hispaniarum Monarcha, regni Neapolitani heres, annuæ huic professioni obnoxius est.

447. ADITU MOX ANTE RECLUSO] Apertâ portâ, quod aiunt, sanctâ, jam antè tertio mense, pridie scil. Natalis Domini: ut fit de more anni jubilei, qui quolibet anno vigesimo quinto Romæ solet celebrari, summo nationum Christianarum confluxu. Auspicia hujus anni jubilei, ex Dei oraculis, & lege Mosaica originem ducunt. Ita enim Deus Levit. 25. ℣. 8. ad Moysen: *Numerabis quoque tibi septem hebdomades annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem: & clanges Buccinâ, mense septimo, decimâ die mensis, propitiationis tempore in universa terra: sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cun-*

*Gratiæ, ab extremis concurret turba columnis?*
*Quis Bullam Cœnæ Domini, festivaque Petri*

*cunctis habitatoribus terra tua, ipse est enim jubileus* Quem morem imitatus Bonifacius VIII. Pont. Max. annum quemque centesimum propitiationis & veniæ esse voluit, & jubileum consecravit; suspensis ubique terrarum, quibuscumque pœnarum abolitionibus, ut ad demerendas ejusmodi gratias populus Christianus ex toto orbe concurreret: primusque solenni ritu portam Basilicæ Vaticanæ, unam scil. ex reliquis aperuit, largissimâ peccatorum omnium veniâ illis decretâ, qui urbis inquilini triginta ejusdem anni diebus, qui peregrini sive advenæ quindecim diebus, sacra exomologesi lustrati, & sacrosancto Christi corpore pasti, ad sacra religiosè per illam intrassent. Clemens VI. deinde ad quinquagesimum contraxit, alteramque portam Basilicæ Lateranensis addidit: quibus etiam temporis processu, augente se pietate, duæ aliarum Basilicarum portæ adjunctæ sunt: scil. Liberianæ & Paullinæ viâ Ostiensi. Atque ita quatuor portæ, opere lateritio obstructæ intermedio tempore, patefiunt ad horas vespertinas pridie Natalis Domini: nam inde annus sanctus initium sumit. Vaticana à Pontifice, tres aliæ à tribus Cardinalibus earumdem Basilicarum Symmystis. Et sic annus jubileus Christianorum, quinquagesimo Hebræorum respondebat, & hominum vota ad gratias anni centesimi, non protelabat. Ludis quippe secularibus, qui Romæ centesimo quoque anno fiebant in honorem Apollinis & Dianæ, rectè clamabant præcones: *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est.* Et hinc ultra processit gratia Pontificum. Xystus enim IV. P. M. intersitium temporis à quinquagesimo anno, ad vigesimum quintum contraxit, ratus vitam hominis mille casibus & periculis expositam, infrequenter extendi ad quinquagesimum; ideò gratiæ expertem fieri infinitam hominum multitudinem. Unde profluxit consuetudo, ut quisque annus vigesimus quintus, sanctus & jubileus habeatur. Notat igitur, & bene premit hîc Poëta annum hujus seculi XXV. quo sciebat ab Urbano VIII. tunc P. M. aditum portæ Vaticanæ, ex more reclusum, & majori pompâ, magnificentiâ, frequentiâ, quæ quotannis Romæ solent, anno Jubilei, peractum iri.

448 GRATIÆ] Cujus auspicium, & indicium facit ceremonia portæ, quæ manu pontificiâ, lateres adhibito malleo incutiente, reseratur & panditur. TURBA MIRATRIX] Hominum multitudo ritus & elegantias Ecclesiæ Romanæ, antè non visas miratura. EXTREMIS COLUMNIS] A finibus mundi, quos veteres statuerunt in extrema Hispaniæ ora, ad fretum Gaditanum, ubi volunt esse columnas ab Hercule consecratas. Quales autem fuerint, æneæ ant vitreæ columnæ, an promontoria formam columnarum referentia, non convenit inter scriptores. Strabo lib. 3. ex Possidonio existimat inprimis fore probabile, columnas æreas intelligendas esse, octo cubitorum, quæ Gadibus sunt in Herculis templo: ad quas eum navigatione finita pervenissent itinerantes, factis Herculi sactis, famam vulgaverunt, ibi maris terræque finem esse. Inde locus Poëtarum fabulis, ut illic solem occumbere, & Oceano mergi crederent. Papin. Sil. 3. Carm. 1. ℣. 183.

----- *Solisque cubilia Gades.*

Ceterùm de *columnis* frequens est veterum scriptura. Meminere Polybius l. 2. & 3. Diodor. Siculus l. 5. c. 25. & passim alii. Inde Adagium *ad columnas*, quo significant inaccessa esse, quæ ultra Gades. Pindarus Ode 3. Olimp. de Therone

*Attigit Herculis columnas*
*Vltra quas sapientibus & insipientibus*
*Inaccessum est.-----*

Gloria Caroli V. Augusti prætergressa inscripsit: ULTERIUS, seu PLUS ULTRA. Silius lib. 1 ℣ 141.

*Atque hominum finem Gades Calpemque secutus,*
*Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis,*
*Occumbit savo Tyrius certamine ductor.*

Idem lib. 17 ℣ 642.

*Terrarum fines Gades, ac laudibus olim*
*Terminus Herculeis Calpe.-----*

Et nostrates nautæ, ut auctor est Abr. Ortelius, Gades finem terræ nuncupant. Designat proinde hic Poëta homines ex longinquis & remotissimis mundi plagis ad Pontificias gratias, & Romana pomparum solennia concursuros.

449 QUIS] Supple celebret & exponat. BULLAM] Diploma illud Apostolicum & execratorium, quod in certa quædam scelerum genera, maximè in refractorios & perduelles, ac sacræ immunitatis violatores suas egerit, cum justissima pœna, abominationes. Hoc est, ritus & ceremonias, quibus idem diploma promulgatur è podio excelso Vaticanæ Basilicæ. COENÆ DOMINI] Ipsa Jovis die, quartâ ante Pascha, quæ sacra est memoriæ Christi cum discipulis extremum

*Et Paulli, extantem & decimâ cervice cathedram?*
*Majestas sacris, gravitas condigna profanis:*
*Gratia inest civi, tersæ & facundia linguæ.*
*Est modus in cultu; talari prodit amictu*
*Et sacer & conjux; quin vulgo seria vita.*
*Præsidet obtutu tabulis Astræa severis,*
*Ceu prudens teneros inter matercula natos.*

mùm cœnantis, quolibet anno pronuntiari consuetam. Solet autem ad hunc ritum concurrere omnis populus, patentissimâ areâ duarum porticuum hemicyclis conclusâ, bonis precationibus supremi Præsulis adesse, ut mereatur pœnarum venias, solis præsentibus demerendas. Pontifex itaque ad superius Vaticanæ Basilicæ solarium delatus, assistentibus sibi qui solent Clericis, post promulgatum diploma, cereum accensum in terram dejicit, in detestationem eorum, quos societate ac communione credentium intercluserit: populoque in area Vaticana spectanti conspicuus, ipse per amplissimam fenestram, solenniter benedicit: interim explosis è castro S. Angeli tormentis, irati Pontificis minas intonantibus. FESTIVAQUE PETRI &c.] Gaudia & publicæ lætitiæ signa, quæ eduntur IV. & III. Cal Julias cujusque anni, die festo & profesto Apostolorum Petri & Paulli, ut diximus fol. 228. ad ỷ. 369.

450. EXTANTEM &c.] Pontificem sellæ insidentem, & à decem lecticariis sublatum, & supra omnium humeros eminentem. Solet enim Pontifex ob reverentiam supremæ in terra potestatis, sellæ gestatoriæ impositus, levari hominum humeris, & per ecclesiam deferri. Numquam tamen majori cum pompa, quàm dum sacratissimâ Corporis Christi luce, in solenni supplicatione, per Leoninæ regionis partem, ipse sedentis minùs, quàm genua flectentis specie, super aram manu complectens Hierothecam Eucharisticam, circumfertur; omnibus cleri ordinibus ac Ecclesiæ Principibus mitratis, cunctisque curiæ ministris, religiosa cum pompa præeuntibus. Quò credo hic respexisse Poetam. Mos desumptus ab usu Romanorum, qui quos Imperatores faciebant, in humeros sufferebant. Vide Amm. Marcel. l. 22. EXTANTEM] Eminentem. Juven. Sat. 10 ỷ. 36.

*Quid si vidisset Prætorem curribus altis*
*Extantem.-----*

DECIMA CERVICE] Numerus certus pro incerto. Plerumque tamen sunt sex, aut octo lecticarii homines, veste talari purpureâ induti, qui Pontificem bajulant. Juven. Sat. 1. ỷ. 64.

*-----Cum jam sexta cervice feratur.*

CATHEDRAM] Sellam gestatoriam. Vide Lips. Elect. lib. 1. cap. 19.

451. SACRIS] Episcopis, Presbyteris, Canonicis, Clericis &c. PROFANIS] Laicis, nobilibus & liberalibus, & quibusvis ad Curiæ officia semet elocantibus.

452. GRATIA] Morum venustas, elegantia, lepos, & in agendis rebus, caussisque propriis perorandis singularis dexteritas. TERSÆ LINGUÆ] Hetruscæ seu Italicæ, quæ Romæ & Florentiæ ac in tota Hetruria maximè pura & tersa. FACUNDIA] Illam quia à pueris didicere, & procedente ætate, versando inter omnis generis, sortis, & nationis homines insigniter exercuere: mirum non est, si ceteris præstant facundiâ civili & perurbanâ, ut nihil sit, quod quempiam vulgari plebeiorum civium sermone offendat: tanta omnibus in differendo comitas, & gratia.

453. MODUS] Moderatio quædam superbiæ & luxus. IN CULTU] Corporis scil. id est, vestitu. TALARI] Ad talos usque demisso, atro ac plerumque serico. *Talus* pedis pars, aut os circa calcaneum exuberans.

454. SACER] Clericus. ET CONJUX] Profanus vel laicus conjugatus. Id enim in usu plerisque laicis, quibus negotia sunt in aula, advocatis, medicis, doctoribus &c. VULGO] Plebeis. SERIA VITA] Attenta, rerum suarum studiosa, prudens, modesta, sine moris aut oris petulantia.

455. OBTUTU] Vigili curâ, & solerte inspectione. TABULIS] Edictis seu decretis, ne quies vel utilitas publica interturbetur.

456. CEU PRUDENS &c.] Comparatio justitiæ cum matre liberos moderante, inter quos adhuc tenellos media, id curat anxiè, ne quisquam à quoquam puerili petulantiâ lædatur. *Astræa* justitiæ

*Denique, quod nusquam est, ignoscat Belgica Mitra,*
*Tanta affabilitas Sarranis, quanta probatur*
*Vel præfecturæ vel mystæ alicunde minori.*
*Res ibi tam multæ venerando jure rotantur,*
*Quàm simul unitis in Regum quattuor aulis.*
*Plus ibi proficies errando per atria tantùm,*
*Quàm lucubrando reliquis in partibus orbis.*
*Parcam ut hyperbolicis, tot sunt solatia Romæ,*
*Elysio citat Anchises quot gaudia campo.*

stitiæ antistita, quam fabulantur aureo seculo in terram descendisse, sed hominum noxis offensam inde postliminio remigrasse. Adeundus Naso lib. 1. Met. ubi ℣. 149.

*Victa jacet pietas: & virgo cæde madentes*
*Vltima cælestum terras Astræa reliquit.*

457. NUSQUAM EST.] Quod nusquam terrarum reperias. IGNOSCAT] Episcoporum & Prælatorum Belgii veniam & pacem sibi præfatur. MITRA] Episcopi vel Prælati, quibus mitra caput ornat. *Mitra* olim Mæoniorum, Lydiorum, & Sidoniorum capita tegebant; imò & fœminarum. Inde Turnus Æneæ mitram probro vertit, cujus vox est apud Virgil. lib. 4. Æneid. ℣. 216.

*Mæoniâ mentum mitrâ, crinemque madentem*
*Subnixus, rapto potitur -----*

Postea nomen extensum ad principale capitis ornamen, quod Regibus diadema, Episcopis apex vel cidaris; bicornis scil. illa, quæ utriusque instrumenti peritiam, Episcopo tanquam plebis doctori, necessariam designat.

458 AFFABILITAS] Comitas, facilitasque in admittendo audiendoque se adeuntes, in præstandis consiliis, ope, obsequio, patrocinio &c. SARRANIS] Purpuratis Ecclesiæ Principibus Cardinalibus. Vide quæ attulimus Serm. 5. ad ℣. 204. fol. 112. de colore *Sarrano*.

459. PRÆFECTURÆ] Minori cuipiam magistratui. MYSTÆ] Episcopo, Canonico, Presbytero, Clerico &c. ALICUNDE] Ex alio aliquo loco originem, vel natalia ducenti.

460. RES] Caussæ, lites, controversiæ. VENERANDO JURE] Exactâ, promptâ, & expeditâ justitiâ. ROTANTUR] Finiuntur seu absolutè conficiuntur. Allusum ad nomen *Rota*, quo significatur illud Romæ tribunal, quod de omnibus totius orbis controversiis sacerdotia attinentibus, ac caussis civilibus ditionis Pontificiæ, aliisque à Pontifice delegatis, viâ provocationis cognoscit. Assessores illius magnæ dignitatis Prælati sunt, doctrinâ, prudentiâ, ac rerum usu præstantissimi, ac duodecim numerantur. Primus nomine Franciæ plerumque Decanus, alter Germaniæ, tertius Hispaniæ, quartus Arragoniæ, quintus Lusitaniæ, sextus Mediolani, septimus & octavus Bononiæ, nonus Perusiæ, decimus ac undecimus Romæ, duodecimus reip. Venetæ. *Segethus*. Cùm ergo huc devolvantur totius Christianitatis caussæ, quid mirum, si dicantur tot hîc forensia negotia tractari, quot in quatuor regum curiis? Rectè Schraderus aulam Papalem ait, omnium Christianorum Principum magnificentiam, tam procerum, prælatorum, ac ministrorum multitudine, quàm curialium, & famulorum numero superare: servatâ ubique tantâ disciplinâ, ut ne quidem Cardinales, qui Regibus & Principibus æquiparantur, absque Pontificiâ sibi factâ potestate, urbe excedant.

462. PROFICIES] In arte aut praxi forensi, aut juris pragmatica, solùm vestibula obambulando, & pragmaticorum strepitus audiendo.

463 LUCUBRANDO] Gnaviter noctes diesque studiis incumbendo. *Lucubrare*, noctu est ad lucernam aliquid operari vel componere. Inde & *lucubrationes* eruditorum, item & muliebres ac rusticanæ, quæ noctu vel ad lucem evigilantur.

464. HYPERBOLICIS] Fidem excedentibus. *Hyperbole* oratio falso proxima; seu dictio fidem superans, augendi vel minuendi gratiâ. Et hîc nova hyperbole, quæ specietenus hyperbolen rejicit, quam maximè adhibet, sale & risu poëtico.

465. ELYSIO] Ubi Anchises filio Æneæ omnia loca, & Beatorum gaudia & solatia monstrat & recenset. Vide Virgil. lib. 6. Æneid. &

quæ

*Dixit, & infuso mandat carchesia Baccho,*
*Propinatque viæ comiti. Respondet uterque,*
*Proficiat, latus ad dextrum. Quid plura? Resolvunt,*
*Aptanturque ocreæ, tumidisque abiere crumenis:*
*Nec redeunt: quid enim toto expectavimus anno?*
*Aut Sole Urbano, mundi inter Sidera, fervent;*
*Aut grunnire illos alicujus frigore Circes,*
*Aut puto, consultò rebus sic stantibus absunt.*
*Fautorem Italiæ ne te testemque leporum*

quæ de Elysio diximus suprà ad ℣. 167. fol. 175.

466. MANDAT] Supple sibi dari & expediri. CARCHESIA] Majores aut capaciores calices, quibus consilium suscipiendi itineris dedicetur, & aspergatur. *Carchesium* Athen. l. 11. poculum est oblongum, in medio leniter compressum, auribus ad fundum usque descendentibus. Virg. Æneid. 5. ℣. 77.

*Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho,*
*Fundit humi, duo lacte novo &c.*

Juppiter Alcmenæ aureum carchesium noctis pretium dedit. *La Cerda* Nomen habet à forma carchesii nautici in suprema mali parte. Lucil. lib. 3. Sat. in reliq. Dousæ n. 14.

*-----Summi superat carchesia mali.*

Vide quæ diximus Serm. 5. ad ℣. 194. fol. 111.

467. VIÆ COMITI] Cuicumque de cœtu se comitem condicturo. Hoc enim ritu tentat & explorat, num cui libido secum in Italiam proficiscendi. Qui enim prælibatum cyathum, benè bibenti precando, admittit, etiam promittere ac condicere censetur ex more compotantium & jocantium. UTERQUE] Duo scil. qui ad dextrum convivatoris latus discumbebant, & se ad iter offerebant.

468. PROFICIAT] Prosit. Benè precandi formula, ut sit saluti, haustus sit felix & faustus, Deus benedicat &c. Hâc formulâ hoc loco acceptatur, & utrimque confirmatur iter. RESOLVUNT] Decernunt iter assumere. Vox Poetæ.

469. OCREA] Necessariæ muniendis pedibus & tibiis adversùs celi & viarum injurias. TUMIDIS CRUMENIS] Benè nummati.

470 NEC REDEUNT] Hinc collige, sermonem hunc ab auctore compositum post annum XXV. hujus seculi: quamvis res quæ toto sermone gesta memoratus, respiciat annum XXIV. ut monuimus in proecthesi. EXPECTAVIMUS] Frustra scil. spem nostram ipsis fallentibus, non redeundo ad tempus decretum.

471. SOLE URBANO] Amore ac sanctitate Urbani VIII. Pont. qui urbis & orbis Sol. Argutiæ ex ambiguo jocantur, ut tam cælum & solem Romanum vel urbanum, quam Urbanum Papam intelligas. INTER SIDERA] Cardinales, qui lumen & splendorem à sole Pontifice mutuantur.

472. AUT GRUNNIRE &c.] Transformatos esse in porcos: id est amoribus teneri. FRIGORE] Veneficio, incantamento, id est amore alicujus Circes, dementari: quod dicunt proverbia *apud Sirenas, aut Lotophagos hærere*: seu *decrevisse ad Sirenum scopulos consenescere*. Rectè *frigore* veneficium exponitur, nam ut Isidorus l. 12. *Omne venenum frigidum est* Quia nimirum, ut ibidem, *serpentes naturâ suâ frigida sunt, nec percutiunt nisi quando calescunt*. Virg Ecl. 8. ℣ 71.

*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Juvenalis Satyrâ 7. ℣ 206.

*Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.*

Seneca Tragœd. Agamemen. ℣. 849.

*Audivit sonitum crepitante lamna*
*Frigidus custos.-----*

Id est, Draco venenosus, pervigil custos Hesperidum horti CIRCES] Veneficæ vel meretricis de qua supra ad ℣. 331. fol. 213 Circen autem Ulyssis socios in porcos transformasse, auctor est Homerus, & Ovid. Met. 14. quò spectat istud *grunnire*, quod porcorum. Sic & Juven De sociis Ulyssis & Elpenore supra Ser. 6 ad ℣. 213. fol. 146.

473. REBUS SIC STANTIBUS] Belgicâ ira, ut nunc, constitutâ, inter medias turbas & arma.

474. FAUTOREM ITALIÆ] Te, Dux ARSCHOTANE, qui Italiam meritò maximi facis, eique

475. *Suspensum teneam, si fortè quid aptius istis*
*Attulerint dictis, solitâ brevitate monebo:*
*Quis scit, an his, aut his varii moriemur in oris?*

impensè faves. TESTEMQUE] Omnium eorum quæ in Italia miranda lustravimus.

475. SI FORTE &c.] Si alia plura, plurisque æstimanda, quàm ea, quæ præsenti sermone complexus sum, nobis reduces attulerint: atque ita de reditu in Italiam, nobis salivam moverint. QUID APTIUS] Ad hoc propositum. Pers. Sat. 1. ỳ. 45.

*--- Si fortè quid aptius exit.*

477. QUIS SCIT &c.] An reduces fortasse, in Italis, vel alibi moriemur. Metalepsis, quasi dicat; quis scit an non simus redituri, sedes firmaturi, & morituri in *Italia*?

# SERMO VIII.

## AD AURELIUM MALINÆUM

### BRABANTIÆ CONSILIARIUM.

### POTATORUM RIXÆ.

ARgum. Poëta sibi à destillatione sub initium Autumni malè metuens, ad præscriptum Medici sumpta potione in cautelam; invisitur ab amico quodam sexagenario: qui post officia formularum civilium, ultro citroque interjecta, quò hilaritatem & risum cieat Poëtæ, ludicram memorat & festivam duorum combibonum rixam, quæ heri acciderat, altero Nobilium, altero Mercatorum partes calidè defensante. Hæc recensitis, exprobratisque suis utrimque hominum ordini, longâ serie, vitiis; ad ultimum in colaphos desinit, Poëtâ ad amici relationem affatim ridente, & maturatâ pharmaci virtute alvum stimulatam sentiente.

*QUidam notus homo sat honesti nominis, annis*
*Liber ab excubiis, jejunio, amore, duello,*
*Cunctantem Laribus reperit me: fortè catharro*
*Lazarus obveniens, Phœbe præscripserat orbâ*

1. HONESTI NOMINIS] Vir honestus, & fide dignus. ANNIS] Ætate, seu potiùs ætatis privilegio. Horatius etiam sic inchoat ỳ. 31. lib. 1. Satyr. 1.

*Quidam notus homo, cùm exiret fornice. ----*

2. LIBER AB EXCUBIIS &c.] Lege solutus. Id est, qui per ætatem in urbe sua non cogitur excubare, jejunare, amare: & qui duellum rejicere, etiam ex usu & consuetudine perversorum, sine honoris detrimento potest. Tales sunt sexagenarii, quos lege Ecclesiæ censent non teneri jejunare, uti nec per rempublicam civilem militare. Senectuti enim post labores indulgenda requies, cui perhonestum est, detrectare amores, duellum, & excubias. Nam ut Ovid. 1. Amor. Eleg. 9. ỳ. 4.

*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*

Periphrasis ergo hæc est hominis sexagenarii.

3. CUNCTANTEM LARIBUS] Me domi continentem ab injuriis aëris ob sumptam potionem medicam. CATHARRO] Destillationi humorum ex capite ad os & fauces.

4. LAZARUS] Celeberrimi nominis medicus, cui cognomen *Marquis*, pater Guilielmi, quem nuper è vivis ereptum luxerunt cives & periti.



Ille

*Drachmam aloës lotæ, quia jam rex ansere cæso*
*Accensis opifex peragebat justa lucernis.*
*Excipio blandè. Post Salve, & , tu quoque salve,*
*Quî soboles valet & conjux, quâ parte laboras?*
*Qui medicè vivit, miserè vivit; similesque*
*Cultorum, ut perhibent, formas; ad fulgida fascis*
*Considens, Nihil, inquit, habes? Prorsus nihil, inquam;*

Ille familiarem patris sui medicinam ab aloë lota petitam, & arcendis morbis nusquam non præscriptam, mundo probaturus, scripsit librum cui titulus: *Aloë morbifuga in sanitatis conservationem concinnata.* OBVENIENS] Occurrens, seu remedio arcens destillationem, evacuando materiam pituitosam. PHÆBE ORBA] Lunâ jam latente, ac privatâ suo Phœbo: id est: tenebricosâ Lunâ, decrescente, paucis diebus ante novilunium. Nam cùm alia sidera, tum Luna inprimis dominari creditur in humana corpora: ideòque momenta illa, seu crescentis seu decrescentis Lunæ, quando non est in mora periculum, à Medicis observari solent. Sic & rectè Ovid. de remed. l. 1. ỷ. 131.

*Temporis ars medicina ferè est: data tempore prosunt,*
*Et data non apto tempore vina nocent.*

5. DRAGMAM] Octavam partem unciæ. ALOES LOTÆ] Succo rosarum, endiviæ, acetosæ, vel aliar. maceratæ, seu in usus medicos secundùm artem præparatæ. De aloë diximus Serm. 3. ad ỷ. 278. fol. 56. REX ANSERE CÆSO &c. Quia jam autumnus prospectabatur, celebratis Vulcanalibus. Lepida periphrasis, & descriptio appropinquantis autumni. In M. SS. Auctor noster, *Vulcanalia*, inquit, *describuntur per anseris regem.* Vulcanalia Romæ olim celebrabantur X. Cal. Sept. quòd Vulcano tunc *feria*, inquit Varro l. 5. de Ling. Lat. *& quòd eo die populus pro se in ignem animalia mittit.* Proprium autem studiosis fuisse, lucubrationes suas Vulcanalibus ipsis auspicari, probat Lips. in Tacit. l. 4. An. c. 36. ex Plinii verbis Epl. ad Macrum de avunculi sui vita studiisque: *Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causâ, sed studendi.* Nostrates ignes suos lucernarios Vulcano consecrant, cessantibus jam noctibus contractioribus, incurrente Septembre, quando lucubrationes suas post solis occasum occipiunt mechanici, caventes tamen, nondum cæso ansere id attentare. Vetusti enim moris est, apud nostrates, ut eâdem anni tempestate, quâ anseres esui maximè opportuni sunt, opificum collegia conveniant ad convivium, isque qui ex sodalibus certatim baculis, eum petentibus, suspensum è pertica anseris jugulum primus ruperit, ac dejecerit, rex convivii salutetur. Quo ritu consecrato, sibi ducunt fas esse horis nocturnis ad lucernam operari, tam antelucanis quàm post solis occasum. Antiquis tamen antelucana lucubratio ferior fuit. De hac Juven. Sat. 14. ỷ. 190.

*Post finem autumni media de nocte supinum*
*Clamosus juvenem pater excitat: accipe ceras,*
*Scribe puer, vigila, caussas age, perlege &c.*

Accuratè & anxiè Noster hîc autumnum describit, ut innuat se, non temerè adhibitâ medicinâ, morbo præcavisse. Nam ut Serm. 3. ad ỷ. 252. fol. 53. ex Rhodigino diximus, tunc scaturiunt ægritudinum agmina.

6 PERAGEBAT JUSTA] Præstabat opera debita. *Iusta* enim Ciceroni etiam sunt opera debita & consueta. Sic enim l. 1. Off 41. *Qui ita jubent uti, ut mercenariis ad operam exigendam, & justa prabenda.*

8 QUA PARTE LABORAS?] Quo morbo tenêris, aut quæ pars tibi corporis affecta, ut sibi de medicina cogitatum sit.

9. QUI MEDICE &c.] Adagium hodie tritum jacitur in eos, qui nimis religiosè ac anxiè observant medicorum præcepta, aut qui victu nimis exquisito & frugali utuntur.

10. CULTORUM] Hominum politiorum, supra plebem cultorum, & quosvis civilitatis apices callentium. FORMAS] Familiariter ac perurbanè colloquendi, ac invicem compellandi. FULGIDA] Ad fulgorem flammæ fascem lambentis, & conclave illuminantis. FASCIS] Virgultorum coactorum, quæ Brabantis in usu familiari, ob copiam, & facillimam accensionem. Brabantiam lignis abundare diximus ad ỷ. 108. Ser. 3. fol. 40.

11. CONSIDENS] Collocatus à me ad focum


lucu-

*Non vidi Carolos: dubiæ nec murmura famæ*
*Scisco Verhoevæum dictamen, donec & usque*
*Historias narret vicinia concita veras:*
*Aut ubi Malderus epinicia* Te Deum; *& ignes*
*Sub summo turris cantu solennè Senatus*

luculentum. NIHIL] Novorum de publicis rebus, vel rempublicam attinentibus. Quod plerumque primum esse solet in colloquio & congressu cultiorum. INQUIT] Senex.

12. CAROLOS] Novorum nuntiorum helluones, & præcones. Id est, nondum audivi Carolum Schot, & Carolum van Hove. Hi duo enim ad id tempus novis semper rumoribus abundabant, & plerumque diversarum partium studio distracti, contraria nuntiabant. DUBIÆ] Cui certam fidem nemo tribuat, nisi dictorum veritatem exitus evicerit: quod ipsum lectores monebantur, ut mox patebit.

13. SCISCO] Non laboro ut sciam, seu non investigo, non consulo ejusmodi tabellas. Hoc sensu Palmerius in Andria Terent. legit. 2. 5. 1.

*Herus me relictis rebus jussit pamphilum*
*Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,*
*Scisceret.-----*

Plaut. Amphit. Act. 5 Scen. 1. ✝ 17.

*---Ocyus accurro, ut sciscam quid velit.*

Inde *scitari*, & *sciscitari*, pro inquirere: vide spicil. Palmerii. VERHOEVÆUM DICTAMEN] Diaria, neangelmata, seu tabellas rerum pridem per orbem gestarum nuncias, ab *Abrahamo verhoeven* dictatas seu compositas, & typis ejus evulgatas: uti etiam nunc, in aliis per orbem civitatibus fieri assolet. Nostratibus *courranten*, quasi rumores currentes: Italis *li auvisi*, gallis *relationes* & *gazeta* nuncupantur. *Dictamen*, inquit, Perottus, *id quod dictatur*. Porrò dubia ejus dictaminis fama rectè hic dicitur; quòd auctor plerumque lectorum fidem suspenderet, juberetque eosdem dubitare de veritate eorum quæ referebat, adjectâ passim hâc, aut simili clausulâ: *Hæc an vera sint, tempus edocebit*. Inde in proverbium abiit, *Abrahamus Verhoeven*, ut tunc familiariter eum cieamus, cùm rem nondum satis compertam affirmari audimus, & significatum volumus, à tempore vel eventû adhuc probandam esse. Quò spectat & istud quod sequitur. DONEC ET USQUE] Quod nunc passim, ad significandam temporariam moram, seu exspectationem, etiam eruditorum sermonibus se inserit.

14. VICINIA CONCITA] Terra hostilis Batavorum ditioni subjecta, à rei sibi sinistræ, nobis dextræ nuntio perturbata, & afflicta. Id est, donec ipsi hostes vel inviti cladem suam fateantur.

15. MALDERUS] Episcopus Antverpiensis, qui postquam Doctor Theologus, Regio, ut vocant, seminario, Regiæque cathedræ, summa cum laude præfuisset, cathedram Pontificalem ejusdem urbis optimè moderatus est; vir doctrinâ, moribus, & scriptis laudatissimus, quem optimum Pastorem anno XXXIII. hujus seculi XII. Cal. Novemb. à grege suo mors protsus lamentabilis divulsit. EPINICIA TE DEUM] Carmen victoriale, sive Hymnum SS. Ambrosii & Augustini, qui solet ex ritu Ecclesiæ solenniter decantari, in publica gratiarum actione, ob partam victoriam, aut rem quamvis publicè lætam & utilem. Id autem fieri non solet, nisi ad imperium Episcopi, generatim & per omnia templa; Senatu profano in id etiam concurrente *Epinicium* carmen, quod ob partam victoriam pangitur: sic & ignes triumphales *epinicii* dici possint, ut discrepent à festis, qui aliâ de causâ construuntur.

16. SUMMO CANTU TURRIS] Sonante maxima, principe, seu gravissimi toni & ponderis campanâ, ut solet reboatus ille latè auditus, ubique per urbem ferè signum esse accendendorum ignium, ad publicam lætitiam decretorum. *Turris* hic intelligatur primaria, & Ædis principis Marianæ, de qua Serm. 7. ad ✝ 90. fol. 163. egimus: renetque campanas non tantùm Ecclesiæ, verùm etiam eas, in quas solus urbis senatus jus habet. SOLENNE] Solenniter. SENATUS JUSSERIT] Concurrente utroque, sacro scil. & profano, ut jam diximus, Magistratu in eadem solennia, ut sacra in templis, profana foris peragantur. Porrò fuit Amplissimus Senatus Antverpiensis, gravissimâ suâ auctoritate, semper in rem Principis & patriæ vigil, nec umquam communi ob partas victorias gaudio defuit: sed in exequendis ejusmodi pro regia magnificentia, secundum jam seculum splendidissimè versatus est, seu Principum & Legatorum in urbem introitus, seu promulgata fœdera, seu nuptias, natalia, justa Principum, seu deni-

*Jusserit, hæreticis cum Sole cubantibus. Ergo*
*Si ridere lubet, si fantem admiseris, audi*
*Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicerri*
20. *Hesternam, jecoris vitio & pulmonibus aptam*
*Plùs rheo & agarico, plùs linctibus atque trochiscis.*

denique victorias spectaveris. Quæ omnia quantis animis, fastu, decore, pompâ, sumptu, artificum industriâ & excellentiâ, majestate denique præstita sint, virorum doctissimorum Joan. Bochii, & Casp. Gevartii lucida & immortalia ingenia ad posteros transmiserunt.

17 Hæreticis cum sole &c.]Batavis copiis ad hiberna se recipientibus. Aptè, nam autumni tempore milites agros deserunt, & ad præsidia refugiunt, ob pluvias aliaque cæli & viarum incommoda, ut tota hyeme quasi cubent & dormiant. Veteres enim,uti est apud Rhodig. lib 14. c. 9. noctem hiemi, autumnum vespertino tempori compararunt, uti & æstati meridiem, horas matutinas veri. Sicut ergo agricolæ, diurnis laboribus confectis, ad solis occasum rus deserunt, & unà cum sole ad cubilia sua cubitum recedunt: ita & milites confecto æstate bello, ad stativa se recipiunt. Quod ipsum etiam pueri Antverpiæ, dum turmatim sub vesperum inter se luctantur, solent opprobrare fugientibus, & è platea domum properantibus, ingeminantes isthæc *slaepen! slaepen!* quod est *cubitum! cubitum!* supple concedite.

18. Si fantem admiseris ] Si audire non pigebit. Præfatur longiorem attentionem.

19. Sarmenti ] Ejus qui mercatoris partes tuetur. Scurræ ] Parasiti, & qui risum ab audientibus captat. nullâ verecundiæ aut dignitatis habitâ ratione. Porrò sicut olim *Sarmentus* fuit eques Romanus,qui scurrilitate sub Augusto floruit; de quo in parasitum quempiam, ut eum dehortetur, Juven. Satyr. 5. ℣. 3.

*Si potes illa pati,qua nec Sarmentus iniquas*
*Cæsaris ad mensas, nec vilis Gabba tulisset.*

Ita & hîc noster Sarmentus infra sortem suam, nam tacitè dives erat, & hinc ad ℣ 70 Crœsus nominatur, se abjiciebat parasitando, & serviliter adulando &c. Pugnam ] Litem, rixam, altercationem. Messique Cicerri ] Qui nobilium partes tuetur. Nomina desumpta sunt ex Horatii Sat. 5.lib.1. ubi de simili ferè rixa ℣ 52.

----- *Nunc mihi paucis*
*Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicerri,*
*Musa velim memores.*-----

20. Hesternam ] Recentem adhuc, utpotè quæ heri usu venit. Jecoris vitio ] Curando vel tollendo jecoris vitio. Pulmonibus ] Meatuum obstructione impeditis,& minùs liberè pectus ventilantibus. Risus enim,cui ciendo par est hæc rixæ fabella,ejusmodi impedimentis egerendis admodum prodesse creditur, quòd viscerum ac inprimis splenis,unde gignitur, & pulmonum agitatione fiat. Juven. Satyr. 10. ℣. 33.

*Perpetuo risu pulmonem agitare solebat*
*Democritus, quamquam non essent* &c.

21. Rheo] Rhabarbaro. *Rheon* sive *Rhecoma* aut *Rhacoma*, quod Plinio *Rhea, Rheon* aut *Rha Ponticum* dicitur, pharmocopæis Rhabarbarum est, afferturque ex his quæ supra Pontum sunt regionibus. Usum ejus lege apud Plin.l.27. c. 12. Educit flavam bilem atque pituitam, febrium omnium materiam blandè subtrahit:jecur propriè expurgat,uti & ventriculum,quem etiam firmat. Icterum & cachexiam sanat. *Fernelius.* Agarico] Usitato pharmaco de quo Plin. lib. 16 c 8. *Agaricum Galliarum glandifera maximè arbores ferunt. Est autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens,nocte relucens.* Crassam ac lentam pituitam,ac utramque bilem expurgat: maximè quidem à ventriculo, mesenterio, jecore, liene, utero, & pulmonibus, quorum obstructiones, atque in iis genitos inveteratos morbos tollit. *Fernel.* Linctibus ] Illinctus intellige, qui Græcis sunt Ecligmata, ad curanda pulmonum & jecinoris vitia, à medicis familiariter præscribi solita; à lingendo sic dicta, quasi delictoria: cùm ecligma propriè sit id, quod lambendo illingitur. Ejus usus frequens est, ac plerumque totius thoracis destinatur affectibus: glutinosæ plerumque substantiæ, ne præproperè in ventriculum subsidat, sed quasi subsistendo thoracem & pulmones sua virtute imperiiat. Trochiscis] Orbiculis complanatis in morem lupinorum,latinis pastilli, aut parvi panes dicuntur. Ex pulveribus ac plerumque ex metallis fiunt, ac blando igni,vel in umbra sensim exarescunt. Distant à pul-

*Ibam fortè viâ quâ mœnia scandimus urbis*
*Gallorum ad feretrum, cùm præter me gradientem*
*Undosè video quemdam: versúsque salutat,*
*Occupat, arridet: Quò tu dulcissime rerum?*

à pulvere, quod hujus soluti vires promptiùs dissipari & vanescere, pastilli verò, utpote solidioris & compactioris, meliùs retineri & conservari credantur. *Fernel.*

22. IBAM FORTE VIA &c.] Chidorpiâ, unde nomen Chidorpianæ portæ Antverpiæ, in Campaniam Brabantorum, & Germaniam mittentis. Ab Horatio desumptum l. 1. Sat. 9. ℣. 1.

*Ibam fortè viâ sacrâ, sicut meus est mos.*

MŒNIA] Illa amplissima & amœnissima, quæ ex urbe ad portam properantibus, ad dextrum ejus latus scanduntur, quinis tiliarum ordinibus consita, & præ aliis maximè civium ambulatione frequentata.

23. GALLORUM AD FERETRUM] Catachresis, pro ad busta seu tumulos Gallorum: nisi fortè quis à ferendis Gallorum ossibus ita dictum existimet. Auctor ipse in M. SS. portam ipsam hac periphrasi describit: *Porta*, inquit.

*Gallorum ad feretrum me commissariū habibat.* Scil. ob vicinitatem. Nam in mœnibus portæ Chidorpiæ ad lævam urbem ingredientium, ingens mactatorum Gallorum numerus tumulatus proditur, quo tempore Franciscus Hercules Valesius Dux Alensonius, quò se ordinum provinciarum Belgicarum, ad quarum gubernacula ascitus erat, imperiis expediret: & suo non illorum arbitratu regeret, armis sibi asserendam Antverpiam existimavit XVI. Cal. Febr. anno CIↃ. IↃ. LXXXIII. sed eventu votis non respondente, tanta Gallorum, qui mediam fere urbem occupaverant, strages ab armatis civibus edita est, ut dicta urbis porta Chidorpiana, Alensonianorum cadaveribus obstructa, nec ex urbe fugituris exitum, nec in urbem subventuris copiis introitum præberet. Cadaveribus humandis biduum insumptum est; destinataque mœniorum pars jam descripta; *Busta Gallica* quidam scriptores nominant, perpetuum Gallicanæ cladis monumentum. Sic olim Romæ Gallorum busta mediâ urbe, Gallorum à Camillo cæsorum conditorumque ossa tegebant. *Locus ad busta Gallica*, inquit Varro l. 4. de ling. Lat. *quod Româ recuperatâ, Gallorum ossa qui possederunt urbem, ibi coacervata ac consita.* Porrò Cladem Antverpiæ factam cæsorumque numerum describit Famianus Decad. 2. l. 5. Porta introrsum urbem respiciens, hoc Chronographico auxiliati Dei opem perpetuò effert.

AVXILIVM sVIs DeVs.

Hic ergo describitur via & mœniorum pars, quam suæ ambulationi delegerat senex ille ludicri narrator. PRÆTER ME] Juxta vel ultra me, sive me prætergredientem, & passu maturato prævertentem.

24. UNDOSE] Undoso gradu: exponit ipse in M. SS. *id est jactanter & solutè*; quod idem significat fluctuatim, in isto Afranii apud Nonium, *magnificè volo fluctuatim ire ad illum.* Ubi fluctuatim, pro jactanter & solutè exponitur, probantibus doctis: quod convenit gloriosis qui solent incedendo clunes leniter crispare, chlamydemque vibrare & quatere. Plaut. Epid. Act. 3. Sc. 3. ℣. 54.

*Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor, Suam qui undantē Chlamydem quassando facit?* Vestis undans Had. Junio, est quæ in incessu crispatur, præsertim dum succussatur corpus: qua ratione Virg. lib. 12. Æneid. ℣. 471.

*---Manibusque undantes flectit habenas.*

Quasi undatim crispantes, dum ab aurigante commoventur. Sic & Georg. lib. 2. ℣. 437.

*Et juvat undantem buxo spectare Cytorum.*

Quò spectat istud Arnobii lib. 2. Adversf. gentes: *Saltitaret & cantaret, orbes saltatorios verteret, & ad ultimum clunibus & coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret?* Ad quod Heraldus: *Graphicè*, inquit, *nam fluctus leniter impulsi propriè crispi tor esisque.* Vide Taubm. in loc. Plaut. citat. Describitur hic hominis cujuspiam gradus ex more crispans & fluctuans, quem hoc modò notatum voluit. VERSUSQUE] Jam me prætergressus respicit, & converso corpore caput aperit, & inclinat in signum bene precantis & salutantis, ut solent amici & familiares.

25. OCCUPAT] Sermonem præripit, loquendo me anteverrit Plaut. Rudent. 1. 4. 28.

*Occupat præloqui, quæ mea est oratio.*

Phœdrus lib. 2. fabulâ ultimâ ℣. 5.

*Quoniam occuparat alter, ne primus foret.*

Imitatur Poëta Flaccum suum lib. 1. Sat. 9. ℣. 6.

*Cùm affectaretur: numquid vis? Occupo: at ille: Noris*

*In dextram, in lævam, vel rectà, commodus ut vis.*
*Campestres ederes fungos? Non litigo, nec me*
*Spero gravem cuiquam. Sub Cervo, Umbonéve? Susque*
*Deque habeo; hîc etenim non gratis; solvitur illic.*
*Pergimus ulteriùs per mœnia, jamque palæstram*

*Noris nos, inquit: docti sumus.-----*
ARRIDET] In signum benevolentiæ & amicitiæ. Quò TU] Supple, vadis. Ellipsis frequens. DULCISSIME RERUM?] Formula civiliter compellandi amicos nobis in via occursantes, aut alio modò præsentes. Sic Horat. lib. 1. Sat. 9. ℣. 4.
-----*Quid agis dulcissime rerum?*

26. IN DEXTRAM &c.] Ut voles. Vox est Senis nostri & narratoris. COMMODUS] Facilis, & me tibi accommodans. Horat. de arte. ℣. 257.
*Commodus & patiens-----*

27 CAMPESTRES] In Campis vel locis neglectis natos, exquisitos illos, & Autumni tempore mensis Apicianis inferri solitos, de quibus Horat. lib. 2. Satyr. 4. ℣. 20.
-----*Pratensibus optima fungis*
*Natura est; aliis malè creditur.---*
Ubi per pratenses non intelligi illos, qui in loco humili & uliginoso, sed in terra putri, & aëria magis, nascuntur: id est *campestres*, quos propter vias & in locis neglectis (ad quorum fructus percipiendos falce dumtaxat opus, quòd sint sinè opere parata, ut ad ℣. 311. ser. 7. fol. 208. insinuavimus) crescere, docet Torrentius. Fungi autem amant arboreta, quòd non nisi ex arborum pituita excrescunt, ut tradit Plin. l. 22. c. 23. apud quem præ aliis celebrantur Suilli & Boleti, quos novissima gulæ irritamenta nuncupat. Juven. Satyr. 5. ℣. 146.
*Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,*
*Boletus Domino.-------*
Ancipites vocat fungos, de quibus dubites innoxiíne sint, an mortiferi. Nisi enim ante tertium diem ex quo nati sunt legantur, lethiferi sunt, & totas sæpe familias, & convivia sustulerunt. Inde Nero dicere solebat fungos deorum cibum esse, quod boletorum esu Claudius esset in Deos relatus. De quo vide Dionem, Sueton. & Rhodig. lib. 9. c. 12. De generibus & virtute fungorum, videri potest Sterrebekius nostras, qui nuper de illis vernaculo sermone, tam doctè, quàm luculentè, accuratèque conscriptum librum edidit, omnium manibus tritum, & usu comprobatum. EDERES FUNGOS] Invitat ad esum fungorum, quorum fortè sciebat hominem esse percupidum, ut gulam ejus proritaret. NON LITIGO] Placet, non recuso. Responsum Senis.

28. GRAVEM CUIQUAM] Supple futurum, id est, importunum, incommodum: symbolam dabo ne tibi damno sim: seu eranistam me addico, ero tibi de symbolis, ut loquitur Terentius. Symbolæ enim erant pecuniæ, quas erogabant singuli ad cœnam collatitiam: quod nunc dicamus: solvam partem capiti meo; vel ex æquo tecum solvam, cauturus impensis tuis. SUB CERVO, UMBONEVE?] Securus jam de dandâ symbolâ, quærit alter, quam cauponam deligat symposio; an illam, quę *Cervi*, an alteram quę *Umbonis* signum præfert. Duo enim hæc pandocheia ævo Scholiriano celeberrima erant, & nulli procerum utriusque gulæ non nota, in amplissimo urbis vico, quem *Meram* nominant, de quo Serm. 3. ad ℣. 256. fol. 54. vulgo *den Hert*, & *den Schilt*.

29. SUSQUE DEQUE HABEO] Senex iterum respondet: parum curo, perinde mihi fuerit, nihil meâ refert, non laboro. Plaut. Amph. 3. 2. 5.
*Atque id me susque deque habituram putat.*
Dicitur etiam *susque deque ferre*: quod utrumque proverbiali schemate dictum exponit A. Gellius l. 16. cap. 9. pro æquo animo esse, & quod accidit non magni pendere: interdum negligere & contemnere, valetque propemodum, quod Græcis dicitur ἀδιαφορεῖν, quod est indifferens esse. Lucil. dixit Sat. l. 3. in reliq. Dousæ n. 6.
*Verùm hæc ludus ibi, susque omnia deque fuerunt,*
*Susq. & deque fuere (inquam) omnia ludu' jocusq.*
Id est, parvi facienda, vel parum curanda. Subnectit dicti rationem Senex. HIC ETENIM NON GRATIS &c.] Utrobique solvendum est. Epexegesis sive Synonymia, nostratibus admodum usitata, dum innuunt sibi non esse curæ, utro venditore mercem emant, cum utrobique dependendum sit. Vernaculo enim sermone dicunt: *Den eenen betaelen, den anderen gelt geven.* Quod est, *uni solvere, alteri pecuniam dare.*

30 PALÆSTRAM] Aream mœnibus, intra urbem, substratam, quà parte maximum illud propugnaculum medio itinere inter Chidorpiam &

*Utriusque pilæ perlabimur, ordine certo*
*De rebus patria decernimus. Obvius alter*
*Composito veluti, cùm sic se miscuit: Omne*
*Trinum perfectum; nolitis protinus, ex hoc*

& Cæsaream portam ambulantibus se offert, publicum & omnibus patens urbis Sphœristerium. Nostrates nuncupant *de Balenplacke*.

31. UTRIUSQUE PILÆ] Palmariæ seu manuariæ, & pugilatoriæ: illa manu, hæc brachio, muricibus ligneis circùm loricato, impellitur: estque pila scortea vento impleta, hinc & ventosa dicitur & follis. His autem duabus hoc loco tantùm luditur Antverpiæ, quare bene, *utriusque*. Cæterùm Romanis olim quatuor pilæ genera fuere, quibus ludebant. Primum *follis*, pila magna ex aluta, vento farta: quæ si major, brachiis impellebatur, & absolutè pila dicebatur. Propert. l. 3. Eleg. 14 ad Sparten ℣. 5.

*Cum pila veloces fallit per brachia jactus.*

Horat. lib. 2. Sat. 2. ℣. 11. ---- *Seu pila velox, seu te discus agat.* ----- Si minor follis, pugnis ejiciebatur, undè nomen obtinuit pugilatorii. Imò aliquando suspensum pugnis eum pugiles insectabantur. Hinc Plaut. Rud. 3. 4. 16.

--- *Extemplo hercle ego te follem pugilatorium*
*Faciam, & pendentem incursabo pugnis.* ----

Alterum genus, *trigonalis pila*, eratque parva: sic dicta à triquetra ludentium figura. Stabant enim tres eo ordine, ut triangulum viderentur efficere. Tertium *paganica pila*, à pagis quibus in usu, nomen obtinuit. Major erat trigonali, minor folle, hoc durior, illâ mollior. Mart. l. 14. Lem. 45.

*Hæc quæ difficilis turget paganica plumâ,*
*Folle minùs laxa est, & minùs arcta pilâ.*

Quartum genus erat *Harpastum*, pila parva è corio facta, quam longissimè ejectam alter alteri conabatur præripere, maximo excitato pulvere. Valentiorum & virorum hic ludus erat, & à Græco ἁρπάζω, id est rapio, nomen habet. Mart. lib. 4. Epig. 19. ℣. 6.

*Sive harpasta manu pulverulenta rapis.*

Idem meminit quatuor eorumdem generum l. 7. Epig. 31. & lib. 14. Lem. 45. & tribus seq. Vide Hieron. Mercurialem de arte Gymn. & Dempster. in l. 5. c. 1. Antiq. Rosin. PERLABIMUR] Prætergredimur, transimus.

32. DECERNIMUS] Disserimus, statuimus, judicamus. OBVIUS ALTER] Tertius quispiam neutri priorum incognitus.

33. COMPOSITO VELUTI] Quasi ex composito, compacto, collusione; ac si binos istos inter scurras antè ita convenerat. Terent. Phorm. 5. 1. 29. *Composito factum est.* Virg. de Sinone l. 2. Æneid. ℣. 129.

*Composito rumpit vocem, & me destinat aræ.*

Liv. l. 1. c. 53. *Sextus filius ejus transfugit ex composito Gabios.* Plautus dixit *compacto*, vel *de compacto*. Capt. 3. 1. 24. & 29. *Compacto* effert Lipsius Elect. 1. c. 12. Apuleius apol. 1. *de composito*. SE MISCUIT] Sermonibus & fabulis nostris, interrumpendo his verbis:

34. OMNE TRINUM PERFECTUM] Adagium hoc ævo jactatum, cum duabus rebus vel personis jam junctis, tertia quæpiam accedit. Originem sumit à numeri ternarii perfectione, quem volunt omnia in se complecti. Aristoteles ex sententia Pythagoricorum lib. 1. de cælo c. 1. *Omnia*, inquit, *ternario numero terminantur*. Et rationem subjicit, quòd *in hoc numero, principium, medium, & finis*. Idem ferè Plut. l. 9. Symp. *Ternarius numerus omnium est princeps, cùm principium, medium, & finem habeat.* Notat Servius hoc numero deorum omnium ferè potestatem signari. Jovis trifidum fulmen; Neptuni tridens; Plutonis canis triceps; Apollo, sol, liber, unum numen; tres furiæ; tres parcæ; triplex Diana; Hercules trinoctio conceptus. *Utimur hoc numero*, inquit Aristotel. ut suprà, *ad cultum deorum*: atque hoc homines à natura imbibisse. Nempe gentium sapientes, quamvis ignari, vi quadam naturæ incognitâ, rapiebantur ad Sanctissimæ Triadis mysterium: in quo uno, ut Christianis in comperto est, summa unius veri Dei perfectio latet. Fuisse quædam ogeniæ veritatis documenta à majoribus accepta, ait Goropius, apud veteres; sed quid illis significaretur ignorasse omnes, aut quàm plurimos. Inter hæc recenset illa: tria esse omnia, nihil esse perfectum quod non constet ternario, & quidquid constet tribus, esse perfectum. Aditi potest Hierogl. l. 6. Huc volunt spectare & illud Virgil. Eclog. 8. ℣. 75.

-----*Numero Deus impare gaudet.*

Quod exponunt de *ternario*, tanquam inter impares primo & maximè perfecto. Impares enim numeros paribus nobiliores habitos fuisse, arguit id,

35. *Vester ero. Annuimus. Quin te, prior inquit, ad offam*
*Interpello hodie (miseros ambosque sciebam*
*Sectari solitos alienâ pocula quadrâ)*

id, quòd diis superis impares, inferis pares sempes hostias mactarint. Inde propter dies pares inferis Februarius sacer erat: superis autem Januarius propter dierum imparitatem. Numerus impar etiam mas, par verò fœmina creditus est. Ejus usus frequens fuit in superstitionibus gentilium, maximè in veneficiis & incantationibus. Theocrit. Pharmaceut.

*Ter libo, ter & hac pronuntio mystica verba.*

Virg. quoque Pharmaceut. seu Ecl 8. ℣. 73.

*Terna tibi hac primùm triplici diversa colore*
*Licia circumdo, terque hac altaria circum*
*Effigiem duco. Numero Deus impare gaudet.*

Ovid. Fast. 2. de anu incantatrice ℣. 573.

*Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.*

Apud Nemesianum Mopsus Ecl. 4. ℣. 63.

*Ter vittis, ter fraude sacra, ter thure vapore*
*Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem.*

Lege Macrob. in Som. Scip. l. 1. La Cerda, in Virg. Rhodig l. 4. c. 24 lib. 22. cap 6. & L. 28. c. 6. de numeri ternarii perfectione differit copiosè S. Augustinus lib 9 de Trinit & sex sequentibus. Lege etiam Gryphum ternarii apud Auson. Edyl. 11. ubi panduntur omnia ejusdem mysteria, clauditque. ℣. 88.

----*Tris numerus super omnia Ter Deus unus.*

NOLITIS PROTINUS ] Quamvis omninò noliis. Est enim ellipsis præpositionis adversativæ, Ut Horat l. 1. Sat. 2. ℣. 7.

-----*Noris nos inquis, docti sumus.*-----

*Protinus* hîc pro penitus, prorsus, omninò. Virg. lib. 3. Æneid. ℣. 416.

-----*Cùm protinus utraque tellus*
*Una foret, venit medio vi pontus.*----

Multiplicem ejus particulæ usum, copiosè docet Perottus.

35. VESTER ERO] Comes: id est vobiscum spatiabor. Familiaris modus se immittendi in alienum consortium, qui tamen hîc non vacat notâ parasiticæ libertatis & impudentiæ. ANNUIMUS ] Admittimus hominem ad societatem. QUIN TE] Immò. PRIOR IPSE] Antequam nos quidpiam loquebamur. OFFAM ] Panem jure maceratum, aut opsonium quodvis liquidius in pultis modum. In hoc enim significatu ferè hodie usurpari videas. Hoc sensu jactatur triviale istud in Germanos:

*Per mare, per terras currit Germanus ad offas:*
*Cochlear & cultrum portat ubique suum.*

Ceterùm *offa* apud veteres plerumque vel lucanica, id est longanones ex porcinis carnibus & arvinâ factos, vel partem seu absegmen pecoris, vel frustum carnis significat: inde *offa penita* apud Plaut. Mil. glor. Act. 3. Sc. 1. ℣. 162.

*Aufer illam offam penitam.*-----

Arnob. lib. 7. adversf. gentes: *Quid offa? Non vulgi, sed quibus est nomen, appellatioque penita.* Quod exponunt partem carnis porcinæ cum cauda. *Penem*, inquit Festus, *antiqui codam vocabant, à quâ antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in cœnis puris, offa penita vocatur.* Vide Palmerii Spicilegia. *Offa* etiam massam quamlibet & pultem, vel quid iis affine apud idoneos veteres videtur significasse. Innuit istud Juven. Sat. 2. ℣. 32.

*Cum tot abortivis fœcundam Iulia vulvam*
*Solveret, & patruo similes effunderet offas.*

Et Virg. libro 6. Æneid. ℣. 420. ubi Sibylla Cerbero cani tricipiti objicit

*Melle soporatam & medicatis frugibus offam.*

Id est, Cynadem, vel canum propriam apomagdaliam, id est panis medullam. Vide La Cerda. Aptè hîc parasitus de offa, quia canum cibus. Sicut enim canes heris adulantur gulæ gratiâ, ita & fortunatis parasiti, quorum proinde cibus *offa*. Sic parasitus apud Plaut. Mil. Glos. 1. 1. 48. *Offa me monet.* Id est, offa acquirenda memoriam mihi suggerit. Ita & hîc parasitus senem nostrum ad escam suam parasiticam invitat.

36. INTERPELLO. ] Invito. MISEROS AMBOSQUE] Sic ordina: sciebam ambos miseros, & sectari solitos &c. MISEROS ] Paupertate, vel avaritiâ, vel parasitandi impudentiâ.

37. POCULA] Compotationes, vel convivia. ALIENA QUADRA] Alienis impensis, pro more parasitorum. Sic Juven. ad quemdam ejusdem commatis parasitum Sat. 6. ℣. 1.

*Si te propositi nondum pudet, atque eadem mens est,*
*Ut bona summa putes alienâ vivere quadrâ.*

*Quadra* hîc pro pane, qui victus & impensæ præcipua pars. Solebat enim in quadras dispertiri panis. Unde Horat. l. 1. Epl. 17. ℣. 49.

*Et mihi dividuo findetur munere quadra.*



Et

*Quo-me-cumque rapis, præstò sum. Devia triga*
*Cauponæ sequimur tum proximioris odorem,*
*Mille modis lurco quâ strinxerit ingluvie rem.*
*Ostrea tunc mensæ, variâque paropside fungus,*
*Crura bovis, lactes, majalis pernula, cancri,*

Et vetus auctor Moreti, quem volunt quidam Virgilium fuisse ℣. 49.

*Et notat impressis æquo discrimine quadris.*

Item & Martialis lib. 3. Epigram. 77. ℣. 3.

*Nec te liba juvant, nec secta quadra placentæ.*

Quare & hos panes, ut insinuat Athenæus lib. 3. c. 30. appellabant Romani quadratos. Dabant autem unicuique suam quadram, id est portionem, & sic pro parte symbolæ, quam quisque eranista in collectam pendit. Vide Jos. Scalig. in Moret. Aliàs quadræ sunt utensilia mensaria, quibus conscissæ dapes imponuntur; olim etiam ex pane ad eum usum aptato fieri solitæ; ut innuit Virgil. l. 7. Æneid. ℣. 115.

*------ Patulis nec parcere quadris.*

Quæ quidem humi fusis Troianis pro mensis erant, ut sequitur in textu Virgilii. An ab his secti panis formis, orbes & quadræ in usu mensario nomen invenerint, conjectura esto penes eruditos & Criticos.

38. Quo me-cumque &c.] Tmesis, pro quocumque me. Vox est Senis omnia annuentis. Devia] Deflectens, seu devians à via ad latus dextrum. Triga] Nos tres sodales. *Triga* vehiculum, quod tribus equis vel jumentis trahitur, quasi *triiuga*; ut quadriga, quæ à quatuor.

39. Proximioris] Quæ, per mœnia facto itinere, indidem descendentibus apud portam Cæsaream seu S. Georgii, ad dextram viatoribus se offert, quò qui declinant, viam ad ulteriora mœnia & aream castri deserunt, & ambulationem suspendunt. Odorem] Nidorem culinarium, aliaque ganeam edocentia, & ganeones illectantia.

40. Mille modis.] Quos signo exposito præfert caupona, cui nomen *mille modia* seu *modi*, vulgo nostrati, *de duysent middelen*. Lurco] Ganeo quispiam, nepos, vel decoctor. Strinxerit] Stringere, oblimare, vel dilapidare potis est. Ingluvie] Gulâ & consuetudine symposiandi, compotandique. Rem] Patrimonia, census, & fortunas suas.

41. Ostrea tunc mensæ] Supple erant: id est, ornabant & opimabant mensam ostrea illa, ex vicino nobis Oceano Britannico quæsita, & sub Autumni frigora prostantia. De illis Plinius l. 9. c. 54. ubi de ostreis Lucrinis loquitur, videtur meminisse his verbis: *Nondum Britannica serviebant littora.* Juven. Sat. 4. ℣. 140. de quodam hellunne.

*----- Circeis nata forent, an*
*Lucrinum ad saxum, Rutupinóve edita fundo*
*Ostrea, callebat primo deprendere morsu.*

Ubi Rutupinus fundus designat oppidum Rutupas in ora Angliæ XII. passuum millibus à Darverno & Cantuariâ distans. *Ostrea* pisces in pretio fuisse olim, indicat illud Plinii lib. 32. c. 6. *De ostreis non potest videri satis dictum esse, cum palma mensarum diu jam tribuatur illis.* Item & l. 9. c. 54. ubi de vivariis ostreorum exstrui cœptis. Auson. Epl. 9. ℣. 1.

*Ostrea nobilium cœnis, sumptuque nepotum*
*Cognita, diversoque maris defossa profundo.*

Variaque paropside] Variè conditus seu coctus, ut varia paropside expediri debuerit. *Paropsis* hoc loco scutulam designat, licèt alibi quandoque pro ipso cibo vel opsonio capiatur. Mart. lib. 11. Epig. 28. ℣. 5.

*Cui portat gaudens ancilla paropside rubra*
*Halecem, sed quam protinus illa vorat.*

42. Crura bovis] Ossa, seu tibiæ medullam refundentes, in mensæ pinguedinem. Lactes] Isicia, quibus ovium *lactes* infarciuntur, sive hillæ tenuiores, vulgo *worstiens*. Vide quæ diximus Serm 3. ad ℣. 204. fol. 48. ubi exponimus, quid sint hillæ vel hilla. Auctor ipse in M. SS. *ovinm*, inquit, *de lactibus hilla*. Lactes sunt intestina tenuia, per quæ fæces delabuntur. Aliis animantibus esse ilia, homini & ovi *lactes*, innuit Plinius lib. 11. c. 37. Earum usum etiam in sacris fuisse arguit id Persii Satyr. 2. ℣. 29.

*---- Aut quidnam est, quâ tu mercede Deorum*
*Emeris auriculas pulmone, & lactibus unctis.*

Maialis] Porci castrati. Solebant enim verres castrati Maiæ Mercurii matri sacrificari: inde originem nomen habet. Varro l. 2. de re rust. c. 4. *Castrantur verres commodissimè anniculi, utique ne minores quàm semestres: quo facto, nomen mutant*

*Et quibus ablatis raucescit gallus, amaræ*
*Scitamenta gulæ; nec non justis elementis*
45. *Assorum struices: nec defuit optima cantrix*
*Pneumaticis edocta modis. Nos jungere vocem*
*Cantibus interdum trivialibus. Affabre! amœnè!*

*tant, atque à verribus dicuntur Maiales.* Affinitate nominis allusum fortasse ad pernam Moguntiacam, quæ Gallis est; *Iamben de Maiance*, quòd præcipua hodie ejus est gloria. Westphalicam nos nominamus, quòd ex Westphalia pernæ ad nos mittantur, uti etiam indidem Maguntiacum, ubi majori ex parte veneunt, & inde per Galliam distribuuntur. PERNULA] Ut suprà perasunculus Serm. 3. ℣. 211. fol. 49. De perna egimus Ser. 5. ad ℣. 256. fol. 117. CANCRI] Pisces testaceo operimento loricati, nobis notissimi & mensis familiares. Plin. l. 9. c. 31. *Cancris vita longa; pedes octoni omnes in obliquum flexi: fœmina primus pes duplex, mari simplex. Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his movetur, inferiori immobili. Dextrum brachium omnibus maius.*

43. ET QUIBUS ABLATIS &c.] Gallorum testiculi. Auctor in M. SS. alibi de iis meminit:

*Ficedula electa, recreent quod pluris emantur*
*Ostrea, testiculi gallorum, cristulæ, & omne*
*Quod rarum & carum comedat.------*

RAUCESCIT] Canere desinit, vel admodum raucè sonat. Plin. lib. 10. c. 21. de Gallis: *Desinunt canere castrati, quod duobus fit modis, lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus: mox ulcere oblito figlinâ cretâ: faciliùs ita pinguescunt.* AMARÆ] A gulâ enim bilis, & amaror.

44. SCITAMENTA GULÆ] Gulam provocantia, vel cientia. Sunt enim *scitamenta* edulia quædam lautiora, sciti & elegantis saporis, ut quæ etiam saturorum orexim excitare possint. De illis Plaut. Menæch. Act. 1. Sc. 3. ℣. 25.

*Iube nobis tribus apud te prandium accurarier,*
*Atque aliquid scitamentorum de foro opsonarier.*

Et Cn. Matrius in Mimiambis apud A. Gellium lib. 20. cap. 9.

*Dein sequensi vasa cuncta dejectat:*
*Nequámve scitamenta pipulo poscit.*

JUSTIS] Debitis, & mensario decoro congruentibus. ELEMENTIS] Opsoniis quibus constant ciborum struices, quemadmodum omne corpus constat quatuor elementis.

45. ASSORUM] Ad ignem sine condimento, vel adjumento alieni saporis coctorum. *Assum* enim idem ferè valet, quod solum, aut merum. Inde *assa* vox, id est sola vox, sine instrumentis symphoniacis, & aliis. Inde Plauto Curc. *assa bubula.* & Asin. *piscis assus.* & Most. 5. 1. 66. ubi servus ignem sibi minanti hero:

*Ne faxis: nã elixus esse, quàm assus, soles suavior.*

STRUICES] Exstructiones in mensa, patinarum assa capientium. Inde Plauto *struices patinaria.* Menæch. Act. 1. Sc. 1. ℣. 25.

*Cereales cœnas dat, ita mensas extruit.*
*Tantas struices concinnat patinarias.*

*Strui* sic dicuntur convivia, epulæ, fercula. Inde & coquus structor. *Struices* autem Festo, ab antiquis dicebantur omnium rerum exstructiones. Ita etiam Livius *struices saxeas* dixit: & Nævius teste Servio, *struix malorum.*

46. PNEUMATICIS MODIS] Musicis modulis cantare docta, ad Organum pneumaticum, aut aliud quodvis instrumentum; sive etiam cantando, organum aut clavicymbalum unà pulsare, nam hoc virginibus in more. Quare & posterius instrumentum polychordum, quidam absolutè *virginale* nuncuparunt. Ceterùm nihil aliud videtur hîc significari, quàm musicè, & ex arte cantare gnaram. Organum enim absolutè ac famosè dicimus hodie, compendium istud omnium instrumentorum pneumaticorum, cujus usus in sacris & templis Christianis frequentissimus, varietate mira harmoniæ, troporum, & sonorum compositum; quo sine rarò nunc ibidem symphonia. Polyd. Virg. l. 1. de Rer. Invent. c. 15. *Organorum usus nunc in templis est perquam frequens. Inflantur follibus, unde multis meatibus, quasi ticutis imparibus vox erumpit, concentumque efficit. Auctor nostri organi non proditur, cum magna ejus nominis jactura.* Pneumatica autem instrumenta dicuntur, quæ vento acta, vel inflata canunt.

47. TRIVIALIBUS] Inconcinnis, & minimè ex arte, ut solet cantus unius aliorum quoque numeros prolicere, regnante in primis rosâ. AFFABRE &c.] Scil. occinimus, inclamamus, *affabre! amœnè!* & applaudimus cantatrici.

*Nictamus numeris, & gesticulamur ovantes.*
*Jam sapimus sciolos, aperit præcordia Liber,*
*Fucatumque vafer commiscet caupo Falerno,*
*Cùm sic, cui dedimus partes nomenque Cicerri,*
*Importunus ait Sarmento: Si urceolos tres*
*Evacues istos, (heminæ creditur haustus)*
*Intactos hodie loculos me rege reportes:*

48. NICTAMUS NUMERIS] Nictu, seu oculorum certa compositione conamur respondere modulationi. *Nictare*, Festo est, *& oculorum & aliorum membrorum nisu sæpe aliquid conari:* magis tamen propriè oculorum, quòd à *nuo* deductum volunt. Plaut. Asin. Act. 4. Sc. 1. ℣. 39.

*Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.*

Quem versum citans Nonius: *Inter nutare & annuere & nictare veteres hoc interesse voluerunt, ut nutare capitis, annuere vel innuere narium vel labiorum, nictare oculorum significantiam esse decreverint.* Dicitur & adnictare, ut docet isthoc Nævii in Tarent. apud Lambinum in citatum locum Plauti.

*Alium tenet, alii adnictat, alibi manus*
*Est occupata, ast alii percellit pedem.*

GESTICULAMUR] Digitos, brachia, aut etiam pedes commovemus, ad carmina & modulos. De Nerone Suet. l. 6. c. 42. *Super abundantissimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, lascivèque modulata, etiam gesticulatus est.* Id est ad numeros carminum gesticulatus est, aut saltavit. Ovid. lib. 2 Amor. Eleg 4. ℣ 29.

*Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,*
*Et tenerum molli torquet ab arte latus.*

OVANTES] Lætantes, *ab eo* scil. *clamore*, ut inquit Festus, *quem faciunt ex pugna victores milites, geminatâ O litterâ.*

49. SAPIMUS SCIOLOS] Effecta Bacchi enarrat: videmur nobis sapere, & jam de rebus arduis & magnis, tanquam earum apprimè gnari, instar sciolorum disserimus. Id est, tam sapimus quàm scioli sive semidocti, qui se existimant scire plurima, cum quàm paucissima non ignorent. Sic dixit Persius Satyr. 1. ℣ 11.

*Cum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite.---*

Ita solet usu venire iis, quibus jam cornua Bacchus addidit. APERIT PRÆCORDIA] Totum pectus, arcana mentis, ut nihil lateat: nam *vino clausa patent:* & ut Tragœd. incerta Ephippi, apud Grotium in excerptis:

*Vis multa vini multa cogit eloqui.*

Horatius lib. 1. Satyr. 4. ℣. 89.

*Condita cum verax aperit præcordia liber.*

Id est Bacchus. Vide dicta Serm. 4. ad ℣. 146. fol. 84. Lepidè anus vinum *liberi leporem* nominat apud Plaut. Curc. Act. 1. Sc. 2. ℣ 1.

*Flos veteris vini meis naribus objectus est.*
*Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.*
*Vbi ubi est, prope me est. Evax habeo. Salve anime mi,*
*Liberi lepos. Vt veteris vetusti cupida sum!*

50 FUCATUM] Vitiatum, non sincerum, aquâ, vappâ, aut deterioris notæ vino depravatum. VAFER] In rem suam dolosus & astutus.

52. IMPORTUNUS] Importunè, propter legem potandi importunam, quam rogatum it, & artem parasiticam, quâ nititur se eximere à pendendâ symbolâ, post sedatam gulam. URCEOLOS] Calices capaciores & instar urceolorum, qui olim erant vascula aquaria. Juven. Sat. 3. ℣. 203.

*Lectus erat Cedro Proculâ minor, urceoli sex.*

53. HEMINÆ &c.] Semisextarii, quem nos Brabanti *pintam* appellamus. Sextarius enim qui erat sexta pars congii apud Romanos, quamvis non planè, proximè tamen accedit dimensum nostrum Brabanticum *pot*, cujus proinde dimidium sit *hemina*. Sensus est: si tres hosce crateres, simul capientes sesquisextarium, duxeris.

54. INTACTOS &c.] Integram & indemnem crumenam tibi servaveris. ME REGE] Symposiarchâ nomen omne expuncturo. Ita lepore parasitico ad parasitum parasitus. Rex parasitorum propriè dicitur is, cujus illi cœnas captant. Ita parasitus Plautinus Capt. 1. 1. 24.

*Nam postquam meus rex est potitus hostium.*

Et alius apud eumdem Asin. Act. 5. Sc. 2. ℣ 68.

-----*Nam ni impetro regem perdidi.*----- Id est patronum seu divitem, cujus mensam obsidere soleo. Et Juven. Sat. 5. ℣. 14.

*Fructus amicitiæ magna, cibus: imputat hunc rex.*

Reges etiam dicebantur quilibet amici potentiores,

55. *Sin objurgari soleâ reverebere rubrâ,*
*Te Mæcenatem volumus vice vindice nostrâ.*
*Méne columbum adeò reputes, vel naris obesæ?*
*Sarmentus replicat: prima isthæc retia barbæ*

res, quorum favores & tutelam sectabantur clientes. Horat. lib. 1. Epl. 17. ℣. 43.

*Coram Rege suo de paupertate tacentes.*

Item qui convivio præsidebant, forte, ex Græcorum more, ad hoc lecti. Talis enim vel Astragalis regna ejusmodi sortiebantur, ut esset qui leges recumbentibus præscriberet, ac de bibendi modo ac ritu decerneret. Quò spectat hoc Horat. lib. Carm 1. Od. 4. ℣. 18.

*Nec regna vini sortiere talis.*

Et Tacit. Annal. 13. c. 15. *Festis Saturno diebus, inter alia æqualium ludicra regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni.* Cui loco illustrando adfert Lipsius hæc verba Arriani lib. 1. Dissert. Epicteti: *Saturnalium diebus rex eligitur. Is imperat, tu bibe, tu misce, tu expelle, tu abi, tu veni. Paret ne meâ causâ solvatur ludus.* Quem morem & nos *observamus mordicus*, inquit Had. Jun. Animad. l. 2. c. 5. *Veluti per manus traditum pridie ejus diei, quem Epiphania Græca voce indigitamus; patriâque linguâ, quem sors præsidem dederit, regem nominamus cum Græcis, qui eumdem quoque Βασιλῆα vocant.* Hic Varronis testimonio modiperator Latinè nuncupatur.

55. Objurgari] Vapulare: mitiùs dictum, ut acerbiùs convitietur. Exprobrat enim uxoris in ipsum imperium. Solea rubra] Crepidulâ purpureâ, & muliebriter ornatâ. Hac enim feroculæ de viris suis imbelles pœnas exigere creduntur. Juven. Sat. 6. ℣. 610.

*Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,*
*Et soleâ pulsare nates.-----*

Meretricum ferulam fuisse innuit Terentius Eunuchi Act. 5. Scen. 7. ℣. 4.

*Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.*

Hæc audet in adolescentes amatores meretricia petulantia. Inde & Persius Sat. 5. ℣. 169. quod sibi hoc loco sumpsit Noster.

*-----Soleâ puer objurgabere rubrâ.*

Est autem *solea*, quæ tantùm plantas pedum tegit, ut ex A. Gellio diximus Serm. 4. ad ℣. 85. fol. 76. aliquando tamen pro alio genere usurpari videas, sed ferè mulierum, & à toro surgentium. Sic meretricula puerperam mentiens apud Plaut. Trucul. Act. 2. Sc. 8. ℣. 1.

*Datin' soleas? Atque me intrò actutum ducite.* Sic & apud Horat. l. 2. Sat. 8. ℣. 77. *soleas poscit* surrecturus de triclinio. Quod idem usu venit Adolescenti Plautino Truc. Act. 2. Sc. 4. ubi ille ℣. 12. *sedo soleas mihi: properate, auferte mensam.* Solebant enim Romani tantùm in triclinio & cubiculo soleis uti: verùm foris calceis. Quare vitio datum Verri à Cicerone, quod soleatus incesserit. Sic enim Act. 5. cap. 85. *Stetit soleatus Prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in littore.* Item & Clodio. Harusp. Resp. c. 44. *P. Clodius à crocota, à mitra, à muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, est factus repente popularis.*

56. Mæcenatem] Convivatorem, regem, symposiarchen, qui collectam solvat. Doctorum, inprimis poëtarum, usu delectatum fuisse Mæcenatem, & in eos munificum extitisse notum est. Inde quicumque fautores hodie adhuc Mæcenates dicuntur: illi potissimùm qui munificentiâ præstant, & eruditorum studia alunt, & egestati eorumdem subveniunt. Noster respiciendo munificentiam, traduxit ad regni mensarii, seu convivalis liberalitatem.

57. Columbum] Timidum instar imbellis columbæ. Columbi enim ob innatum timorem in alto nidificare creduntur. Naris obesæ] Stupidum, minimè vafrum, & crassi ingenii hominem. Horat. Epod. 12. ℣. 3.

*-----Nec firmo juveni, nec naris obesæ.*

Nasum dicacitati & irrisioni, item censuræ ac acri judicio dicatum esse, supra diximus Serm. 1. ad ℣. 88. fol. 15. & Serm. 5. ad ℣. 22. fol. 89. Unde & non rarò pro ingenio & judicii acrimonia usurpatur. Mart. lib. 1. Epig. 4. ℣. 6.

*Et pueri nasum Rhinocerotis habent.*

Et Horat. l. 2. Sat. 2. ℣. 89.--- *non quia nasus illis nullus erat* --- Obesæ itaque naris dicitur, cui crassum & minimè vafrum judicium: quemadmodum pingues olim vocabantur obtusi & hebetes, perinde ac si corporis habitus ingenium afficeret.

58. Prima isthæc &c.] Hæc est fraus primæ lanuginis, seu adolescentuli: ac si dicat, tu adolescentule mihi fraudulenter crumenam accidas? Retia] Machinamenta & astum, quibus me capias

*Innumeris contexta dolis. Hîc prosilit alter:*
*O Syllæ periture malo, túni dente procaci,*
*Túne pares nostri morsu lacerare canino?*
*Antiquo insurgat generi sine gente beatus.*
*Filiolus, cujus pridem pater incola factus*

capias ad dependendam collectam. Sidon. Apol. Carm. 2. ℣. 175.

*Argumentosis dat retia syllogismis.*

Ovid. Amor. 1. Eleg. 8. ℣. 69.

*Parcius exigito pretium, dum retia tendis.*

Id est, dum machinaris capere amarores, ne ipsi fugiant, detectâ fraude. Nam ut idem de remed. Amor. lib. 2. ℣. 120.

*Quæ nimis apparent retia vitat avis.*

Ac si dicat hic Sarmentus: frustra, puer, jacitur rete ante oculos pennatorum, ut est in proverbiis. PRIMÆ BARBÆ] Pueritiæ, vixdum ex ephœbis egressæ. Senec. Hippol. ℣ 645.

*Cum prima puras barba signaret genas.*

Ætatem illi primæ barbæ exprobrat, quòd speret annosam vulpem decipere.

59. DOLIS] Quîs me capias, vel vino mactandum, vel ære mulctandum. PROSILIT ALTER] Cicerrus excandescens sibi pueritiam objici, in convitium erumpit cum impetu & furore. Sic Horat. lib. 1. Epl. 19. ℣ 7.

*Ennius ipse pater numquam nisi potus ad arma*
*Prosiluit dicenda.-----*

Id est, erupit cum impetu quodam Poëtico, & Bacchi œstro stimulatus.

60. SYLLÆ MALO.] Phthiriasi, seu morbo pediculari, quo Puteolis in Campania extinctus est L. Cornelius Sylla, postquam dictaturam deposuerat, constitutâ jam republicâ, quam antè oppresserat. De illo in vita Plutarchus: *Vlcere intestinorum caro corrupta*, inquit, *tota in pediculos abibat: adeo, ut quàm plurimis noctu & interdiu interemptis, longè plures subnascerentur, quorum priores, nec pars fuisse videbantur. Tunica omnes, therma, pollubra, dapes, sordium illuvie exundabant, tanta vis epullulabat. Quare in dies natando sæpius membra, sed sine fructu, mundare nitebatur: mox enim invalescebat conversio, & padoris magnitudo, omnia purgamenta superabat.* PERITURE] Digne vel apte qui pereas. Notat fortasse sordes Sarmenti, & neglectum corporis cultum, ut possit quis vel inde conjicere, hunc non nisi ejusmodi pediculorum satellitio coronatum, procedere consuevisse. DENTE PROCACI] Maledictis & convitiis. Scilicet indignatur læsam ab obscuro nobilitatem suam, ætate primâ in vitio positâ. Sic mordere, aut dente rodere dicuntur, qui carpunt, reprehendunt, & suggillant opera, aut scripta cujusquam. Naso Libro 4. Trist. Eleg. 10 ℣. 123.

*Nec, qui detrectat præsentia, livor iniquo*
*Vllum de nostris dente memordit opus.*

Sic Cicero ad Q. fratrem l. 2. Epl. 14 *Dentatam chartam* nominat, quæ mordax est, & carpit; cui contraria *edentula*.

61. PARES NOSTRI] Nobiles. MORSU CANINO] Ore maledico. Canum enim est rodere ac mordere, quod transferunt ad maledicentiam, quâ homo hominem mordet. Sic Adag. *Canis caninam non est*, dicitur de paris maledicentiæ hominibus. Mart. l. 5. Epig 61. in detractorem:

*Allatres licèt usque nos & usque,*
*Et gannitibus improbis lacessas:*
*Non deerunt tamen hac in urbe forsan,*
*Pellem rodere qui velint caninam.*
*Nos hac à scabie tenemus ungues.*

Ita Martialis licèt se mordacem profitetur, caninam tamen rodere detrectat, ne detractori famam conciliet.

62 ANTIQUO &c.] Vetustam meam & illustrem progeniem rodat. SINE GENTE] Sine domo aut ingenua stirpe; id est obscurus, ignobilis. Horat. lib. 2. Satyr. 5. ℣ 15.

*Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus*
*Sanguine fraterno, fugitivus -----*

Sic *gentiles* dicuntur Ciceroni Top. c. 29. *qui inter se eodem nomine sunt: qui ab ingenuis oriundi sunt: quorum majorum nemo servitutem servivit: qui capite non sunt diminuti.* Inter *gentem*, & *familiam*; item inter *genus*, & *stirpem*. hoc volunt interesse, quòd *gens* & *genus* latiùs pateant, adeò ut uni *genti* plures sint familiæ, & uni *generi* plures stirpes. BEATUS] Dives.

63. INCOLA STYGIS] Ob lucri usurarii, aut aliàs injusti iniquitatem, ad inferos detrusus. Alludit ad parœmiam, quam celebrant Itali sermone patrio: *Beato il figliuolo, chi ha il padre in casa del diabolo*. Id est, *beatus filius, cujus pater est*

in

*Est Stygis, & magnis versuris qui arrigit aures?*
*Si tibi plus fundi, si plus erit æris in arcâ:*
*Bis comedas, gemines cœnas & prandia luxu,*
*Non isthoc majoris eris; mihi dum sit olivo*
*Brassica perfuso, vervex, & fæcula Coa,*
*Rideo despectos claro sine sanguine nummos.*
*Tum magis accenso gliscit violentia Crœso,*
*Nam tacitò prædives erat. De paupere regno*

*in domo diaboli.* Utique propter lautam rem sibi à patre mercatore, aut trapezita injusto legatam. Exponit idem Belgicæ nostræ Epictetus Joan. Havræus consularis Gandensis Arc. virt. Sat. 1. ℣. 184. fol. 19.

*Vnde per Ausonias est sparsa paræmia gentes,*
*Felicem natum, cujus pater æstuat orco.*

64. MAGNIS VERSURIS] A patre factis olim, & ipse pecuniis abundans, sed fortè alienis per iniquas versuras. *Versuram facere* dicuntur qui æs alienum ex alieno solvunt. Vide quæ diximus suprà Sat. 4. ad ℣. 54 fol. 71. ARRIGIT AURES] Superbit, se extollit. Desumpta translatio ab equis aliisque jumentis, quorum aures arrectæ animos, demissæ metum aut defatigationem significant. Hinc in proverbiis, *arrecta aures* Contrarium expressit Horat. lib. 1. Satyr. 9. ℣. 20.

*Demitto auriculas, ut iniqua mentis asellus.*

65. SI TIBI PLUS &c.] Si me ditior es.

66. BIS COMEDAS, GEMINES &c.] Duplica annonam, vive luxuriosè inter nidores patinarios, commessare &c.

67. ISTHOC] Ob isthoc. Ellipsis præpositionis. Terent. Eun. Act. 5. Sc. 6. ℣. 4.

*---Nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.*

Et Andr. 1. 1. 130 *Et nunc id operam do.* Id est, propter id. OLIVO PERFUSO] Hypallage, pro brassica oleo perfusa. Id est scitè condita.

68. BRASSICA] Species pro genere. Olus aut prosphagium quodvis dilutius, nostratibus, Gallis & Anglis *petage*, Italis *minestra*. Brassica autem ex usu Italico conditur oleo. Flaccus lib. 2. Satyr. 3. ℣. 125.

*Vngere si caules oleo meliore, caputque*
*Cæperis impexâ &c.-----*

Et Persius Sat. 6. ℣ 68. *---Impensiùs unge, unge puer caules--* idem de pulmento, quod etiam in genere opsoniorum ejusmodi esse posse, suprà docuimus Serm. 5. ad ℣. 123. fol. 103. extulit Plautus Pseud. 1. 2. 84. *Ipse ego pulmento utor magis unctiusculo.* Id est, pulmento seu prosphagio adipato magis. VERVEX] Vervecina caro elixa & assa. FŒCULA COA] Condimentum quodvis sapidius. Est enim *fæcula coa* condimenti genus ex fœce vini Coi factum, acrimoniam habens. Vide suprà Serm. 5. ad ℣. 122. fol. 103. *Cos, coos*, aliis *lango*, insula est Asiæ versùs oram littoralem Cariæ, LXX. milliaribus Halicarnasso distans, patria Apellis, qui inde *Cous* appellatur. Ovid. de art. 3. ℣. 401.

*Si venerem Cous numquam pinxisset Apelles.*

Pecoribus & vino abundasse, arguit adagium apud Eustath. l. 14. Iliad. *Quem Cos non nutrit, hunc neque Ægyptus.* De vino *Coo* albo aluum ciente Horat. lib. 2. Satyr. 4. ℣. 29.

69. DESPECTOS NUMMOS] Contemptibiles, viles & abjectas opes, sine generis nobilitate.

70. ACCENSO] Irato. GLISCIT] Crescit, & propriè de ignis incremento intelligitur. Virg. lib. 12. Æneid. ℣. 9.

*-----Accenso gliscit violentia Turno.*

CRŒSO] Diviti Sarmento. Id est magis irascitur. CRŒSUS] Lydorum Rex ditissimus perpetuum divitiarum exemplum. De illo Propert. lib. 2. Eleg. 26. ℣. 23.

*Non si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,*
*Dicat de nostro surgo, poëta, toro.*

71. NAM TACITO PRÆDIVES &c.] Plerisque id ignorantibus, quod opes suas neglecto corporis cultu & moribus celabat. Respondet Phrasi nostræ Belgicæ. *Stil-rijck.* Ac si dicat: quamvis solitus esset alienâ quadrâ sectari pocula; id tamen compendii ergo, stimulanteque avaritiâ factitabat. DE PAUPERE REGNO] Inopis & dejectæ sortis. Jactatum illud hodie proverbii vice, ubi sermo de re angusta domi. Desumptum ex Papin. lib. 1. Theb. ℣. 150. *--- Nuda potestas*

*Armavit fratres: pugna est de paupere regno.*

*Nobilis hesternus centussem ut servet, edatque,*
*Vel nodum in scirpo quæret. Vir maxime, novi,*
*Quis coquat abscessus, quæ te porrigo lacessat:*
*Ut me despicias, qui præ te despicis omnes,*
*Nil moror: at satiùs Graiis tua somnia vendes,*
*Androgeo, Sthelenô, Tisandro, seu Menelao*
*Stemmata derivans; ignotis creditur illic:*
*Diceris hîc soboles rupicum, genitorque secundus*

72. NOBILIS HESTERNUS ]Novitius,heri aut pridie nobilitatem mercatus. Elegans tapinosis, à Persio desumpta. Sat.3. ℣.106.

*Hesterni capite induto subiere Quirites.*

CENTUSSEM UT SERVET] In marsupio: sive ne centum asses in symbolam dependat, ac interim symposietur, alienum salem lingens. Opprobrat parasiticas sordes adversario, & dolos artesque malas in suam indemnitatem. *Centussis* apud Romanos erat omnium æreorum nummus maximus, ut vult Varro l. 4. de Ling. Latin. dum ait: *Tricessis à tribus* (scil. decussibus) *sic proportione usque ad centussis, quo majus æris vocabulum non est*. Pretium ejus erat centum assium, id est, nostratis fermè Philippei, sive pataconis.

73. VEL] Etiam. NODUM IN SCIRPO]Anxiè captat, & investigat quamlibet occasionem, quâ se à solvendo eximat, etiam minimam quamvis arripiendo. Adagium totidem verbis refertur à Plauto Menæch. 2. 1.22. & à Terentio Andriæ 5. 4. 38. Et ab Ennio apud Festum:

*Quæris & in scirpo, soliti quod dicere, nodum.*

Lucil. lib. 1. Sat. inter rell. Dousæ. n.24.

*Nodum in scirpo insanè facere vulgus.*

Est autem scirpus junci species levis atque enodis, unde tegetes fiunt. Ut sensus sit: etiam quæris, ubi reperire non possis. VIR MAXIME] Ironicè, & cum insigni contemptu.

74. COQUAT] Premat. Cicero de Senect. 1.

*O Tite si quid ego adjuto, curámve levasso,*
*Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa.*

Id est, premit vel angit. ABSCESSUS] Apostema, morbus Tralatitiè pro animi vitio: ac si dicat, scio quo morbo premaris, vel quâ parte labores. PORRIGO] Fœdum capitis vitium. de quo Horat. l. 2. Satyr. 3. ℣ 126. ------- *Caputque*

*Cœperis impexâ fœdum porrigine---*

Et Juvenalis Satyr. 2. ℣. 80.

*Unius scabie cadit, & porrigine porci.*

Q. Serenus hanc turpitudinem sic describit:

*Est insensibilis morbus, sed noxia forma,*
*Cum caput immensâ pexum porrigine ningit,*
*Copia farris uti frendentibus edita saxis.*

Dum scil. furfuraceis squamulis oblitum caput est, & pexum instar nivis defunditur.

76. GRAIIS] Græcis, de generis sui vetustate & claritudine, nusquam non gloriantibus; quibus eris incognitus, & majori fortean fide dignus, quàm apud nos.

77. ANDROGEO] Filio Minois Cretensium Regis, de quo Virgil. lib.6. Æneid. ℣.20.

*In foribus Lethum Androgeo: tum pendere pœnas*
*Cecropidæ jussi (miserum) septena quotannis*
*Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.*

STHELENO, TISANDRO, MENELAO] Notis ex rebus gestis ad Troiam; quorum posterior rex Lacedæmoniorum. Hi omnes per funem cum reliquis ex equo Troiano delapsi sunt. De illis Virg. l.2. Æneid. ℣.259.

*Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras*
*Reddit equus, lætique cavo se robore promunt*
*Tisandrus, Sthenelusque duces, & dirus Ulysses,*
*Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeus.*

Ab Athenæo & Papinio *Thersandrus* dicitur, voluntque ita corrigendum hunc locum Virgilii.

78. STEMMATA DERIVANS] Decora & tamos generis tui. De stemmatis videsis Serm 7. ad ℣ 320. fol.209. Serm 6 ad ℣. 76. fol. 131. Sensus est: dic & jactita apud Græcos, originem te ducere ab antiquissimis Græcorum principibus, qui Ilium subverterunt. Inde enim apud omnes historicos Græcos sumitur initium historiæ, ac nobilitatis. Nam ut verè Greg. Turon. *Dat cuncta vetustas Principium phrygibus*. IGNOTIS] Externis, & quorum majores non noverunt, suam nobilitatem crepantibus creditur.

79. RUPICUM] Durorum & agrestium *Rupicer*, inquit Festus, *à rupinis. aliter à petrarum asperitate*

*Noscitur Automedon, vetulæ vesica beatæ*
*Temporibus diris quem evexit. Si patriam rem*
*Non oblimasses, non quosvis aspide linguâ*
*Invidus attereres; unde es cælo, solo, & Orco*
*Invisus, rediens velut ad præsepia. Sed quid?*
*Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.*
*Exuperas animis? Est simia, simia, gestet*

*asperitate, & duritia petrones dicti.* Sic & iidem varrones à varris dicti, qui stipites sunt rudes, prædurî, & enodes. Extat apud Franc. Dousam in Reliq. ex incert. illud Lucilii n.41.

*Varronum ac rupicum squarosa incondita rostra.*

Id est, rustica progenies. GENITORQUE SECUNDUS] Avus tuus, à te scil. secundus pater.

80. AUTOMEDON] Auriga vel Rhedarius. Virg. Æneid. 2. ℣. 476.

*-----Equorum agitator Achillis*
*Armiger Automedon-----*

Ovid. lib. 1. De arte Amand. ℣. 5.

*Curribus Automedon, lentisque erat aptus habenis.*

Juvenalis Satyr. 1. ℣. 61.

*---Puer Automedon, nam lora tenebat.*

VETULÆ VESICA BEATÆ] Conjugium opulentæ & vitiosæ vetulæ. Catachresis & phrasis est Juvenalis Satyr. 1. ℣. 38.

*---In cælum quos evehit, optima summi*
*Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ.*

Id est, divitis. *Beatus* apud veteres frequenter pro divite usurpatur. Plaut. Curcul. Act. 3. ℣. 1.

*Beatus videor: subduxi ratiunculam*
*Quantum æris mihi sit.---*

Sensus est: probrosis amoribus emit nobilitatem & divitias, ac libertatem vendidit: nam, ut rectè Seneca Contr. 6. *Insolens malum est beata uxor.*

81. TEMPORIBUS DIRIS] Sæviente rebellium hæreticorum tyrannide: quando fortasse non poterat alium nancisci maritum, quàm petronem aut varronem quempiam, ut fuit avus tuus. Juvenalis Satyr. 10. ℣. 15.

*Temporibus diris igitur, jussúque Neronis.*

Item Satyr. 4. ℣. 80.

*Temporibus diris tractanda putabat.---*

Id est, malis & calamitosis temporibus. PATRIAM REM] Patrimonia & bona tua.

82. OBLIMASSES] Decoxisses, aut detrivisses, gulæ aut libidinis æstu in transversum raptus. *Limare* est *limâ* polire, quod non fit, nisi deterendo. Horat. lib. 1. Satyr. 2. ℣. 62

*Rem patris oblimare, malum est ubicumque.---*

ASPIDE LINGUA] Vehementer virulentâ. Enallage substantivi pro adjectivo. In proverbiis est, *morsus Aspidis*, pro lingua venenata. *Aspidis* autem serpentis præsentissimum venenum est, quo contacti, somno lethifero corripiuntur, & intra horas quatuor, ut vult Ælianus, vivere desinunt. Lucanus lib. 9. ℣. 701.

*Aspida somniferam tumida cervice levavit:*
*Plenior huic sanguis, & crassi gutta veneni*
*Decidit: in nulla plus est serpente coactum.*

Plinius l. 8. c. 23. docet *colla aspidum intumescere, nullo ictus remedio, præterquam si confestim partes contactæ amputentur.*

83. INVIDUS] Eorum fortunis & famæ. ATTERERES] Lacesseres, & existimatione sua minueres. CÆLO, SOLO, ET ORCO] Id est, Omnibus, vel ut Adagium, *Diis hominibusque invisus.*

84. REDIENS AD PRÆSEPIA] Ad pristinam sortem & humilitatem. Ex adagio sumptum *ad pristina præsepia*, quod in eos torquetur, qui à vita lautiore, ad veterem tenuitatem rediguntur. Græcis apud Suidam Εἰς ἀρχαίας φάτνας, *ad antiqua præsepia*, sensu ut suprà Vide Adag. Schotti. Tractum ab animantibus, quibus nota familiarisque, gratissima solent esse præsepia. Sensus est: à rusticana rupicum progenie factus repentè nobilis, ad rusticanam & priscam vilitatem redactus. SED QUID?] Supple, quid dicam.

85. NATURAM EXPELLAS &c.] Dictum Horatii lib. 1. Epl. 10. ℣. 24. quo significatur proverbialiter hodie, quæ semel natura nobis indidit penitus, difficulter dediscì, etiam adhibita vi, quam exprimit furca rusticorum armatura. Quasi dicat Noster: difficile est, ut ex paupere rustico factus repente nobilis, tueatur moribus & opibus nobilitatem, & non recidat ad rusticanam ignobilitatem & inopiam.

86. EXUPERAS ANIMIS?] Jactantiâ arrogantiâ, rerum gloriâ, fumo superbiæ? Seu spirásne ali-

*Aurea quantumvis insignia. Deerit Erynnis*
*Huic capiti numquam, numquam pus atque venenum?*
*O fortunatum te, quòd cere-comminuit-brum*
*Nemo tibi ferventior hactenus! utque feroci*
*Parcas, imbelles timeas. Nocitura parant; nam &*
*Formicis sua bilis inest. Vitia hi tua vafri*
*Inquirunt, jaciuntque loco, & gaudent redeuntes*
*A furno scire & stabulis: hinc tu & tua cuivis*
*Ludibrio. Abstineam mordaci illudere vero?*

aliquid generosi, quo superes alios? EST SIMIA, SIMIA &c.] Fortunam non indolem mutasti. Adagium ex Luciani apologo desumptum, apud quem cum facetus quispiam spectator saltatricibus simiis personatis, auroque & purpurâ indutis, nuces objecisset, magno astantium risu, dilaceratis vestibus, contritisque personis, de nucibus inter se depugnare cœperunt. Monet adagium ornamentis fortunæ, non mutari hominis ingenium.

87. ERYNNIS] Maledicentiæ & amarulentiæ stimulus, seu innata cupiditas maledicendi & alios rodendi, quæ animi ignobilitatem arguit. Vide quæ diximus de *Erynnide* Serm. 6. ad ℣. 208. fol. 145.

88. HUIC CAPITI] Tibi Cicerre. PUS ATQUE VENENUM] Linguæ virulentia, quâ proscindis & inficis omnes; seu ingenium improbum, mores odiosi, invidia &c. quo sensu Hor. l. 1. Sat. 7. ℣. 1.

*Proscripti regis Rupuli pus atque venenum.*

*Pus* inter contumeliosa verba recenset Palmerius in spicileg. & sic emendat legitque Plauti locum Truc. Act. 1. Sc. 1. ℣. 71.

*Eum isti suppositum it puerum, pus, pessuma.*

Motus isto Lucilii l. 15. Sat. in reliq. Dousæ. n. 4.

*In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multo*
*Obmarcessebat febris, senium, vomitus, pus.*

89. CERE-COMMINUIT-BRUM] Tmesis, pro comminuit cerebrum. Ennius alibi--- *saxo cere-comminuit-brum.* Sensus est felix quod nemo tibi caput incusserit.

90. FERUENTIOR] Ferocior, violentior, impetuosior. UTQUE] Et quamvis. FEROCI PARCAS] Metu scil. talionis, utpote qui possit, & gaudeat tuam in se injuriam retaliare.

91. IMBELLES] Inermes, & quibus latus non accingitur ferro, uti nobilibus & militibus. NOCITURA] Corpori, fortunis, & famæ tuæ.

92. FORMICIS SUA &c.] Adagium Græcum ἔνεστι κἂν μύρμηκι χολή: *est & formica sua bilis.* Cui consonat alterum, *ἄγροικον μὴ καταφρονήσῃς ῥήτορος, rusticum ne contempseris rhetorem.* Vide proverbia Schotti 4. Diog. 48. Monet parœmia, neminem licèt minimum temerè contemnere, cùm non sit animal tam imbecillum, quod non excandescat, & injuriam vindicare possit.

93. JACIUNTQUE] Evomunt & in vulgus spargunt. Cicero pro Cn. Plancio c. 30. *Iacis adulteria.* Tacitus Annal. 1. c. 15. *quædam de habitu ejus jecerat.* LOCO] Ubi sors locum, tempus, & sermonis opportunitatem commodaverit.

94. A FURNO] A tabernâ panariâ, seu loco ubi venit panis, qui furnus dicitur, quia furno in quo coquitur panis, proximus est, cùm plerumque in eadem domo, & furnus & taberna. Horat. lib. 1. Satyr. 4. ℣. 37.

*Gestiet à furno redeuntes scire, lacuque.*

ET STABULIS] Diversoriis, aliisque locis ubi frequens hominum est constitio, & colloquium. Non enim hìc intelligit equilia vel ovilia, seu alia quævis præsepia, ubi stabulantur armenta, cum nomen *stabulum* generalius sit, sed locum ubi consistitur ab hominibus, qui solent inter se de rebus novis, ac rumoribus variè disserere. Stabulum enim à stando & sistendo dictum est. Et inde *vestibulum* & *prostibulum*, quod in vestibulo, id est loco vel area ante stabulum, vel cauponam, prostare olim solebant. Vide A. Gellium lib. 16. c. 5. Id est, passim tua vitia recensentur etiam à proletariis in vulgo. *Stabulo* pro pandocheio utitur Martialis lib. 6. Epig. 94.

*Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro.*

Inde *Stabularius*, ut ad ℣. 178. libri 7. fol. 175. exposuimus. TUA] Acta scil. & facinora, quæ indies factitas.

95. MORDACI VERO] Exprobrando tibi res veras,

*Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet. Hisce*
*Portentis commotus ego, piperata jubebam*
*Mitti, scurrilem fæcem sapientiæ, meque*
*Convivatorem addixi. Deflectitis, inquam,*
*Ambo: utut est, naturâ, homini cuicumque, suapte,*
*Debet homo; seu tu superaris Fuggerios tres,*

veras, quæ te pungant & mordeant. In quo significatius, eadem voce usus etiam Persius Satyrâ 1. ℣. 107.

*Sed quid opus teneras mordaci illudere vero*
*Auriculas? -----*

96. Qui quæ vult &c.] Terentianum est. And. Act. 5. Sc. 4. ℣. 17.

*Si mihi pergit, quæ volt dicere: ea quæ non vult audiet.*

Ex Homero fortè desumptum qui l. 20.

*Quale dixeris verbum tale audias.*

96. Portentis] Conviciis aliquid acerbius portendentibus: nam à portendendo *portentum* dictum, quod valet ferè ostentum vel prodigium, futurum aliquid portendens. Pro commento, mendacio, aut re nihili & ridicula utitur Cicero 1. Tusc. c. 11. *Quid negotii est hæc Poëtarum & pictorum portenta convincere?* Piperata] Mordaces argutias, cavillos, sive ingrata illa & invisa dicteria, instar piperis, quod linguam mordet, malè alterumvis afficientia. Sic Sidon. Apol. de triplicibus trochæis satyricis secundini lib. 5. Epl. 8. *Quid illic inesse mellis, lepòris, piperatæque facundiæ, minimè tacitus aspexi?* D. Hieron. Epl. 11. l. 8. *eademque cùm non pauca piperata, mellea multa conspiceres.* Vide Savarum.

98. Mitti] Dimitti, vel taceri. Scurrilem fæcem sapientiæ] Ea quæ scurrarum ignobilem proterviam, & plebeias exprobrationes, seu inverecunda convitia olebant, vel sapiebant. *Scurra* dicitur qui turpiter facetus, risum captat audientium. Inde scurrilitas turpis & procax dicacitas.

99. Convivatorem addixi] Promisi me nomen symbolæ extincturum, & soluturum, quidquid in symposium dependendum erat; ne scil. rixari de collecta pergerent. Et fortè hoc fine de compacto scurrilis hæc rixa agebatur, ut ita circumvento sene, uterque immunis à symbolis esset. Deflectitis] A via rationis & honestatis.

100. Ut ut est] Quodcumque fuerit de veritate, aut æquitate alterutrius partis. Terent Adelph. 2. 2. 30.

*Vt ut hæc sunt facta, potius quàm lites sequar,*
*Meum mihi reddatur. ------*

Natura suapte] Ex instituto & instinctu suæ cujusque naturæ.

101. Debet homo] Omni hominum generi obstrictus est. Mutuis enim officiis alimur, & vivimus rerum plurimarum indigi. Nam ut rectè Seneca de ira lib. 1. c. 5. *Homo in adjutorium mutuum generatus est.* Inde adagia: *Homo res sacra homini:* Et *homo homini Deus.* Item *manus manum fricat.* Optimè Erasmus de homine; *Nec fari novit, nec ingredi, nec cibum capere, vagitu tantùm implorat opem: ut vel hinc conjici possit, solum hoc animal totum amicitiæ nasci, quæ mutuis officiis & coit, & cohæret potissimùm.* Seu tu] Sarmente mercator. Superaris] Viceris, iis scil. ditior. Fuggerios tres] Tres quosvis opulentissimos: id est, opes tuæ superent trium ditissimorum hominum census. *Fuggeri* Antverpiæ dicuntur ditissimi quilibet Mercatores, deflexâ nonnihil ortographiâ, *Fockers*, ductâ translatione ab Antonio Fuggero, qui multos ibidem annos negotiatus, immensas divitias posteris reliquit. De illo Guicciardinus in Antverpia: *Omnium verò quos jam diximus mercatorum ditissimi, maximèque illustres fuggeri sunt, homines ortu Germani, & ab Augusta Vindelicorum. Cujus quidem gentis caput, Dominus nempe Antonius, mercatorum sine controversia princeps, nuper in ipsa patria sua defunctus, testamento reliquit supra sex coronatorum milliones: ne quid addam ab aliis illis prope immensis illustris hujus & splendidæ gentis opibus, negotiandi industria, intra annos circiter septuaginta, quæsitis. Vnde ad Statuum quoque & Toparchiarum dignitates & titulos, non in Germania modò, verùm in aliis quoque Europæ Provinciis, & ipso adeò novo orbe ascenderunt.* Arcum *fuggerorum* videas apud doctissimum Bochium in pompa & introitu Principum nostrorum Al-

*Obfusces seu tu majoribus Arschotanum.*
*Sed labor incassum. Pariter nos novimus, aiunt,*
*Invicem ab antiquo, nec habent vim verba necandi.*
*Subsideo paucis. Frustrà comœdia, desint*
*Si spectatores: rugosâ currite sannâ.*
*Messius ergo iterùm: Populi pars infima nostri*
*Mercator statuet, quæ nobilitatis origo?*
*Unde isthæc terræ soboles, quæ fulget in auro?*
*Dispensatorem nummorum vidimus illum,*
*Qui vertère solum, Licinorum. Novimus istum*

berti & Isabellæ cum hac inscriptione: UT FIDEM AUGUSTISSIMÆ AUSTRIACÆ DOMUI S.R. IMP. FIRMAMENTO DEBITAM TESTENTUR, ALBERTO ET ISABELLÆ, AD INFERIORIS GERMANIÆ PRINCIPATUM FELICITER ACCEDENTIBUS, OBSERVANTIAM SUAM PROBENT, MARCUS, JOANNES, ET JACOBUS FUGGERI FRATRES, BARONES IN KIRCHPERCH ET WEYSSENHORN, PRIVATI SUO ÆRE PONI DECREVERUNT.

102. OBFUSCES] Vincas, uti lumen majus, quod aiunt, infuscat minus. TU] Cicerre nobilis. MAIORIBUS] Proavorum gloriâ, & stemmatibus. ARSCHOTANUM] Gentem Croiacam, quâ, apud Belgas illustrissimâ & principe, natus Dux Arschotanus. Nobilissimæ hujus familiæ laudes adumbrat Lipsius in suo Lovanio, ejusque originem deducit ab Hungariæ regibus. Vide Heverleam ad calcem operis.

103. SED LABOR INCASSUM] Frustra sum, frustra exhortor. NOS NOVIMUS &c.] Dictum celebre, ac per ora jactatum in Belgio, *jam olim novimus invicem*: vulgariter *wy kennen malcanderen van outs.*

104. NEC HABENT VIM &c.] Verba non laniant cutem, ut est in proverbiis, quod vernacula phrasi dicimus: *de woorden en gaen in t' lyf niet.*

105. SUBSIDEO PAUCIS] Subsisto dictis his paucis, & conticesco, tacitè cum animo meo pensirando, & loquendo hæc sequentia. FRUSTRA COMOEDIA &c.] Frustra agitur comœdia nemine spectante.

106. RUGOSA CURRITE SANNA] Et hinc quasi concludendo, intra me, ut pergant inceptam comœdiam peragere. *Rugosa* dicitur *sanna*, quòd fiat eo gestu, & oris distorsione, quæ rugas in faciem aut nasum, inducit multiplices. Sic & Persius Sat. 5. ℣. 91.

*-----Sed ira cadat naso, rugosaque sanna.*

Et Juven. Satyr. 14. ℣. 325.

*Hac quoque si rugam trahit, extenditque labellũ.*

Ubi frons corrugata, signum est indignationis.

107. MESSIUS] Cicerrus ergo iterùm prior infit. INFIMA] Vilissima & abjectissima.

108. STATUET &c.] Ausit, vel sciat judicare de antiquitate illustrium gentium & domorum?

109. TERRÆ SOBOLES] Incerti generis, non potis ciere avos & proavos, nec ulla gaudens cognatione cum nobilibus, nisi penes primos parentes ex terra ortos. Tertull. Apol. advers. gentes, *terræ filios*, inquit, *vulgus vocat, quorum genus incertum est.* Cicero l. 1. ad Att. Epl. 10. *Huic terræ filio nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo.* Persius Sat. 6. ℣. 57. dixit, *progeniem terræ.* Græcis *αὐτόχθονες* dicuntur, qui non aliò, quàm ad terram originem referunt. De variis mercatoribus variè nugatur. IN AURO] Vestibus, & utensilibus auro splendicantibus.

110. DISPENSATOREM] Quæstorem, quem vulgo vocant capsarium, id est. *Cassier*: cujus est, accipere & expendere pecunias ad jussum domini, sub justis rationibus. Dispensatores à Jureconsultis appellantur servi, qui familiæ rationes dispensant, peculiique administrationem habent. Mart. lib. 5. Epig. 43. ℣. 5.

*Dispensatorem fallax spoliabit amica.*

111. QUI VERTERE SOLUM] Aliunde huc commigrarunt, aut hinc aliò: obærati scil. & ob metum custodiæ. Juven. Satyr. 11. ℣. 49.

*Qui vertère solum, Baias, & ad ostia currunt.*

LICI-

*Incerti patris genitum. Verpo ille creatus:*
*Quin recutitus adhuc observat Sabbata, nullo*
*Sumine pollutus. Caret hic cognomine, lætus*
*Solo adjectivo quo fur à judice notus*
*Sæpiùs apprensus. Lacero cubito, pede nudo,*
*Venit in hanc nuper Convalla famelicus urbem.*
*Pluribus infames hi, conditione, parente,*
*Moribus, obloquio, conatu, carcere, culpâ.*
*Serpite lumbricorum animæ, quin fœnore turpi*
*Ludite scutatorum heroica facta virorum;*

LICINORUM] Locupletium quidem mercatorum, sed qui creditoribus suis decoxerunt. Primus enim Licinorum, qui divitis cognomentum obtinuit, si Plinio credimus lib. 33. c. 10. creditoribus suis decoxit.

112. INCERTI PATRIS GENITUM] Expositiium, aut matre vagi concubitus natum. VERPO] Judæo, cui, ex legis Mosaicæ præscripto, ademptum præputium. Notat mercatores quosdam Lusitanos, quorum non pauci hâc Judaici ritus famâ laborant.

113. RECUTITUS] Cui resecta cutis. OBSERVAT SABBATA] Diem hebdomadis novissimum, qui Judæis à Dei & Synagogæ cultu sacer est: uti nobis Christianis ex instituto Apostolico primus, quem à Domino nostro Jesu Christo à morte redivivo Dominicum appellamus.

114 SUMINE POLLUTUS] Suillâ, seu carne porcinâ. Pars pro toto. *Sumen* venter suillus est, ab umbelico usque ad pubem, quasi *sugimen*, quòd ea parte sunt ubera scrofæ. Inter delicatiores dapes recenset Juven. Satyr. 11. ỳ. 138.

*Sumine cum magno lepus atque aper-----*

Placebat antiquis potissimum mox à partu exsectum. Mart. lib. 13. Lemmate 44.

*Esse putes nondum sumen: sic ubere largo*
*Effluit, & vivo lacte papilla tumet.*

Interdictum tamen esu Judæorum Deuter. 14. ỳ. 8. *Sus quoque quoniam dividit ungulam, & non ruminat, immunda erit. Carnibus eorum non vescemini, & cadavera non tangetis.* Et Levit. 10. ỳ. 7. LÆTUS] Contentus. Horat. libro 1. Epistolâ 10. ỳ. 44.

*Lætus sorte tua vives sapienter Aristi.*

115. SOLO ADJECTIVO] Adjectâ vel inustâ tergo tuo notâ. A JUDICE NOTUS] Ex qua liceat judici cognoscere, eum, cui furti actionem intendit, ejusdem criminis damnatum, aliquando pœnas exolvisse.

116. SÆPIUS APPRENSUS] A Prætore, aut ejus vicariis, & ad pœnam postulatus, & cum notâ criminis indice dimissus. CUBITO, PEDE &c.] Laceris & detritis vestibus, malè calceatus, tibialibus hiantibus &c.

117. CONVALLA] Nomen fictum, aut anagrammatismo inflexum. FAMELICUS] Pauper, miser, omnium rerum inops.

118. PLURIBUS INFAMES HI] Non unâ sed pluribus notis, & stigmatis deformes. CONDITIONE] Professione, arte, statu, vel sorte. PARENTE] Lenone fortè, furcifero, aut tortore &c.

119. MORIBUS] Ad omnem vitæ licentiam solutis, aut incultis, barbaris, agrestibus, facinorosis &c. OBLOQUIO] Obgannientis populi justissimo, & de iniquitate vel criminibus vindictam postulantis: aut certè, protervâ magistratibus obloquendi libertate, ac audaciâ. CONATU] In attentando crimine, aut proditione. CARCERE] Apprehensione, nexu, vel publicæ justitiæ custodiâ. CULPA] Crimine patrato.

120. SERPITE] Per sordes, & limum avaritiæ, & usurarum, ad divitias. Insignis & despicans sarcasmus. LUMBRICORUM ANIMÆ] Lumbrici: eo ferè sensu quo suprà terræ sobolem mercatores appellavit. *Lumbrici* metaphoricè sunt homines vilissimi, qui, ex imis sordibus ad magnas fortunas subitò assurgunt, quod è terra quasi vermes & lumbrici repente emergant, & prorepant. Hoc sensu Plautinus Euclio Aulul. 4. 4. 1.

*Foras, foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modò,*
*Qui modò nusquam comparebas.-----*

FŒNORE TURPI] Iniquis usuris, & lucris.

121. LUDITE] Fallite, depilate. SCUTATORUM HEROICA &c.] Scutatos Heroës, sive nobiles,

*Præsagus velut inter vos mos obtinet : unde*
*Myriadem credis, nullo præstante, viris his,*
*Et securus rhonchissas ; si patricius quis,*
*Jugera bis denis cujus vertuntur aratris,*
*Natam antistitio commendaturus, egebit*
*Mille coronatis, opus est oppignoret agrum*
*Berchemium, solvat scribæ, vel siqua sagaci*
*Sportula consulto. Sarmentus : Vah, periit frons*

les, quibus per natalia illustria licet scuta sua gentilitia, patente galeâ aliisque ornamentis equestribus insignire. Ac si dicat : Lumbrici mercatores, non terræ intestina, sed nobilium census rodite, multiplices extorquendo usuras &c.

122. PRÆSAGUS MOS] Quo soletis præsagire & ominari, quanto amittendi periculo, mutui caput ad vos sit rediturum. Nam pro sortis periculo, & fide mutuantis, metiuntur usuras.

123. MYRIADEM] Millia decem. NULLO PRÆSTANTE] Sine pignore, nemine prædem dante. VIRIS HIS] Tui similibus, mercatoribus,

124. RHONCHISSAS] Altùm dormis, securus & sine metu vel curâ jacturæ. PATRICIUS] Vir nobilis aut senatorii Ordinis, qui patrem Cos. aut Senatorem ciëre potest.

125. JUGERA] Agri. BIS DENIS &c] Apta periphrasis viri locupletis, à numero aratrorum, quibus opus in proscindendo fundo illius. Sic & Naso lib. 1. Amor. Eleg. 3. ℣. 9.

*Nec meus innumeris renovatur campus aratris.*

126. ANTISTITIO COMMENDATURUS] Ut fiat antistita, & prima inter vestales suas dignitate præfulgeat, in lauta quapiam Abbatia, ut vocant, cum ejusmodi abbatialia cœnobia frequentia in Brabantia & Flandria. quibus Antistitæ, ab ipso principe designantur. *Antistitium* est dignitas & excellentia Antistitæ Notat haud dubiè nobilem quempiam sui ævi, cui id usu venisse non temerè suspicemur.

127. CORONATIS] Aureis nummis. OPPIGNORET] Pignori det, confectis tabulis, quibus oppignorationis fides fiat.

128. BERCHEMIUM] Situm ad pagum Berchemium, vulgò *Berchem* qui Antverpiâ distat duodena stadia, seu itineris horam mediam. Ponitur hîc ager certus pro incerto : ut sensus sit: si præsentariæ pecuniæ egens, mille sibi coronatos fœnori sumere decernat, opus erit oppignorare fundum suum, ut Trapezitam securum reddat, qui alioquin sui generis hominibus idem sine pignore præstet, minimè solicitus jacturæ. SOLVAT SCRIBÆ] Nec eo contentus fœnerator, insuper stipulatur à nobili, ut mercedem confectarum tabellarum persolvat. *Scriba* hîc est scripturarius, aliis libellio, vel tabellio, quem recepto nunc pænè per orbem Europæum vocabulo, *notarium* appellamus : quamquam olim *notarius* tantùm dicebatur, qui brevibus notis, & verborum compendiis scribebat. Vide notas Ciceronis apud Gruterum in Corp. inscript. VEL SIQUA] Supple solvenda sit : scil. ad cautelam, & majorem fœneratoris securitatem, ne uspiam in tabulis contra numinis juris apices peccetur, vel ut arctiùs obligetur patricius. SAGACI] Sollerti, callido, & qui fœneratoris damno insigniter caveat.

129 SPORTULA] Salarium, quod jure consultis in operæ mercedem penditur. De sportulis in Codice extat Tit. secundus lib. 3. Leg. 1. Meminit illarum Trebonianus, sed alibi pro mercede advocatis debita intelligitur : ut apud Cæcilium l. 2. *In media Basilica tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur, ex judicio in judicium pari mercede transitur.* Alciatus Dispunct. l. 3. c. 17. Ceterùm *sporta* vel *sportula*, apud veteres erant fiscellæ, in quibus cibi in quotidianum usum singulis dati, ferebantur. Hinc & pro cibis, vel cœnâ rectâ, & pro pecuniis in vicem ciborum, usurpantur. Juven Sat. 1. ℣. 95.

*----- Nunc sportula primo*
*Limine parva sedet, turba rapienda togata.*

Manè quippe clientes togati vel comitabantur vel salutabant patronos magnates, & sic sportulâ donabantur, quæ plerumque si cibi non dabantur, centum quadrantium seu assium. XXV. erat. Hinc Mart. l. 1. Epig. 60.

*Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum,*

*Inter*

*De rebus, verte folium & canta. Generoso*
*Per somnum, si quis, similis tibi, pungitur œstro:*
*Vulnus alit venis vigilans pro tempore, donec*
*Concita vertigo; proavos mentitaque signis*
*Stemmata tum eructat, narrat grassamina patris*
*Puniti, furtivo aviæ nec parcit amori,*

*Inter delicias quid facit ista fames?*
Indicat & Juven. Sat. 1. ℣. 120.
--*Densissima centum quadrantes lectica petit.*--
Dicebaturque Græcis *σπυρίχνιον*, & *δεῖπνον ἐν σπυρίδι*, quod est *cœna in sporta*. Vide Lubin. & Turneb. l. 11. c. 27. CONSULTO] Prudenti & sapienti viro, qui consilii caussâ ab imperitioribus aditur, quacumque demum de re. Horat. Carm. lib. 1. Od. 34. ℣. 2.
*Insanientis dum sapientia*
*Consultus erro.* -----
Hîc autem pro Advocato seu jureconsulto accipitur, & plerumque additur res, cujus peritiam profitentur consulti. Sic Livius Numam Regem laudat l. 1. c. 18. *Ut consultissimum virum omnis divini humanique juris.* Adhiberi ita & hîc Advocatus potest, si trapezita, ad majorem capitis securitatem, eum adhibitum voluerit; quo casu cogit etiam nomina professum sportulas eidem solvere, se indemni. SARMENTUS] Supple, contrà inclamat. PERIIT FRONS &c.] Sublatus est omnis pudor, periit rerum facies! ac si dicat, quæ impudentia! Frons enim pudoris templum: unde *frons perfricta*, pro impudenti. Pers. Sat. 5. ℣. 103.
*Exclamet Melicerta perisse Frontem de rebus.*--

130. VERTE FOLIUM &c.] Satius sit dicti tui contrarium affirmare. Adagium hodie tritum in triviis, desumptum est à Musicis, qui dum ultra pagellam aliquid canendum restat, monentur folium vertere hoc lemmate: *Verte folium & canta.* Veteribus, quod sciam, nec notum nec probatum. Usus hodiernus in eo est, ut venustè innuamus, potiùs verum esse contrarium ejus, quod sibi assumpsit adversarius. Hoc ut prorsus immutatum ederet noster, maluit dicere licentiâ cæsuræ *verte*, quàm *vertas*. GENEROSO] Uti vos quidem vocatis, nobis verò, arrogante ac penitus superbo.

131. PER SOMNUM] Subito impetu, vel vagâ quâdam cogitatione, aut noctu inter dormiendum. SIMILIS TIBI] Nobilis hesternus, & cui nihil inest veræ nobilitatis, sed stulto desiderio velit se nobilem haberi. PUNGITUR OESTRO] Stimulatur cupidine, ut nobilis censeatur. *Oestrum* muscæ genus est, æstate bobus infestum: pro stimulo & furore passim à probatis usurpatur. Juven. Satyr. 4. ℣. 123.
------- *Sed ut fanaticus œstro*
*Percussus Bellona tuo divinat.*----

132. VULNUS ALIT &c.] Stimulantem continenter cupidinem, quâ velit se nobilem dici. Virgil. l. 4. Æneid. ℣. 2.
*Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

133. CONCITA] Jam prorsus agitata. VERTIGO] Capitis affectus, quo circumagi cuncta, & oculi non nisi scintillas multa caligine mistas intueri videntur. Id est: donec novus iste dementiæ spiritus, per crapulæ, superbiæ, aut iræ impulsum erumpat. PROAVOS] Majores. SIGNIS] Scutis, vel scutorum imaginibus.

134. STEMMATA] Gesta fortia, & statuas coronatas majorum. ERUCTAT] Effundit & projicit jactabundus. NARRAT] In lucem revocat, manifestat. GRASSAMINA] Grassationes, latrocinia, vestium exspoliationes. Glossarius enim exponat *λωποδυσίας*, id est, grassationes in vestimenta, seu vestium detractiones. Sic & *λωποδύτης*, grassator, & qui vestimentis spoliat seu denudat. De hac voce nihil legi apud probatos.

135. PUNITI] Publicitus manu carnificis. FURTIVO AMORI] Adulterio, aut stupro aviæ, aut quovis illegitimo congressui, ex quo patrem aut matrem suam progenitos doceat; & sic avum suum impetit, ut quadret istud Met. 9. ℣. 24.
*Iuppiter aut falsus pater est, aut crimine verus:*
*Matris adulterio patrem petis.*-----
Furtivus amor, seu furta, dicuntur ea, quæ clam conjugibus, vel amatis, cum aliis perpetrantur. Mart. lib. 6. Epig. 39. ℣. 5.
*Materna produnt capitibus suis furta.*
Et Ovid. Metamorph. l. 9. ℣. 557.
*Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.*
Vide suprà Serm. 4. ad ℣. 106. fol. 79. *furari* pro tegere.

*Ut recipi possit, galeasque aperire sacellis.*
*Quid potuit Prætor? Jam trita est fabula: servat*
*Stultorum hunc numerus, junctæque umbone phalanges.*
*Obvius ergo notat limo, prior anne salutem:*
*Nec teget ille latus cujusquam junior horum,*
*Quos putat obscuros: tutò jaculatur in omnes;*
*Ob verbum afficiens leviter, Plutonia jurat*

136. RECIPI POSSIT] Ad tumulum vel sepulchrum nobilis alicujus familiæ, vel certè ipse ad sacellum, vel ædiculam sibi propriam, in aliqua Basilica admitti: ut illic cum familia tumuletur, & sibi monumentum erigat, tanquam nobilitate minimè ementitâ commendabilis. Id enim nobilibus perquam familiare; imò vel ideò suis sumptibus ejusmodi sacella vel altaria construunt, scutis suis insigniunt, sacerdotia fundant &c. GALEASQUE APERIRE] Ostentare galeam patentem, vel apertam, ut verax symbolum avitæ nobilitatis. Obscuris enim id nefas, & lege prohibitum: si ausint, mulctâ pecuniariâ plectuntur. Hîc iterùm notat quosdam sui ævi ignobiles, nobilitatis non suæ buccinatores: de quibus tacente auctore, nobis loqui fas non est.

137. QUID POTUIT] Supple, impedire, aut efficere ne fieret. PRÆTOR] Armorum rex, Fecialis, urbis Prætor, vel quilibet magistratus, cui anquirendi, judicandique potestas, aut jus in arma & scuta gentilitia. *Prætor* quasi *præitor*, non rarò sumitur pro quovis magistratu, ac ut in primis apud Græcos ἄρχων. Inde & Imperatores olim etiam *prætores* dicti, & *prætoria* eorum palatia, vel tabernacula; & castra *prætoriana*, & milites *prætoriani* &c. TRITA EST FABULA] Dictum vel sententia vulgaris per urbem. Id est, jam passim jactat vulgus hoc dictum Juvenalis Satyr. 2. ℣.45.

*-----Faciunt hi plura: sed illos*
*Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.*

138. STULTORUM NUMERUS] Multitudo ejusmodi gladio cinctorum, fumosas avorum imagines crepantium, & ex otio in omnem luxum, & petulantiam discinctorum: ut jure vulgo stulti audiant. His autem semper ense latus cinctum, & sociorum auxiliatrix caterva, & ad ædes & pugnas promiscua promptitudo, efficiunt, ut fumi avorum mendaces impunè abeant, metuente sibi ab injuriis clandestinis, sacro Fecialium magistratu. Et hæc quidem ævi Scholiriani, utinam hodie non obtineant! JUNCTÆQUE UMBONE PHALANGES] Malè feriantes ejusmodi in mutuam defensionem conspirati. Nam ut Juvenalis subjicit versui jamjam citato,

*Magna inter molles concordia.-----*

Id est, faciunt testudinem, ac in mutuam defensionem conspirant. Testudinem facere Latini dicunt, quod Græci συνασπίζειν, quando undique phalanx clypeis protecta maximè super caput elatis, & in quadrati agminis speciem disposita, se pertinaciter contra impugnantes defendit, aut castra oppugnat &c. De hac, triplicique illius usu Lips. Poliocr. Dial. 5. Item Ian. Parrhasius de Quæs. per Epl. 20. Usus est Strabo l. 3. Metaphoricως, pro conspirare. *Phalanx* autem græcis propriè est testudo, sive conscutatio seu junctio corporum armorumque, & scuta partim lateribus applicata, partim capitibus superlata, ut loc. citato exponit Lipsius, stabile scil. agmen, quando vir viro, armis arma conserta sunt. *La Cerda* in l. 2. Æneid. Umbo hîc pro clypeo, pars scil. in medio eminentior, pro toto.

139. OBVIUS] In via cuipiam occurrens. LIMO] Obliquo oculo. PRIOR ANNE SALUTEM] Supple dicat, aperiendo caput, inclinando, loquendo &c.

140. TEGET LATUS] Sinistrum scil. sive, non ibit ad sinistram alicujus, licèt sit Junior, si alter est obscurus vel ignobilis: hoc verè ignobilis ipse, qui nobili generositate non cedit minori. *Tegere* vel *claudere latus* dicuntur, qui sinistrum latus alicui claudunt. Turneb. l. 14. c. 24. Vide Serm. 9. ad ℣. 112.

141. TUTÒ] Impunè, nemine se ob metum multitudinis ulciscente. JACULATUR] Jacit dicteria, convitia, maledicta.

142. AFFICIENS LEVITER] Nihil, vel parum, vel solum per umbram & speciem afficiens. PLUTONIA CORNUA] Stomachatur, & excandescit instar Siculi camini, dejerans per cacodæmonum & infernorum monstrorum cornua: id est, Luci-

*Cornua, & horrisoni luctantem verticem Averni:*
*Deglutire viros verbisque minisque videtur;*
*Alterius furiis Cunina obstante, Jovisque*
*Conjuge, & extemplò crescente per ora Puellâ.*
*Hunc iterùm blandè caudam jactare popello,*
*Officio & videas solitum certare priorem,*
*Si voto indigeat fullonis, quò exhibeatur,*
*Ut semel emergat, patriæ admirandus, amicis*
*Auxilium, columen jactandum in sæcla nepoti.*
*Nónne hoc incoctum generoso pectus honesto?*
*Messius hîc: Prodi seductor Natta crumenæ,*

ciferum tenebrarum principem obtestans: cui & sociis, quò detestabilem hominis, formæ turpitudinem concilient pictores & statuarii, pro potestate quâ pollent, frontibus eorum cornua appingunt. Vulgus nostrum dicat, per omnes dæmones, aut sinistros genios deierat.

143. LUCTANTEM VERTICEM] Inquietum, contra Deum blasphemiis pugnantem, & reos cruciantem. Plutonem, caput, seu inferorum principem designat.

144. DEGLUTIRE VIROS &c.] Adagium familiare. *Videtur quempiam devoraturus.* Quod est: *hy scheynt imant te willen opslockẽ.* Quod dicitur de vehemẽter exacerbato, atrociter minãtè, & verbis acerbissimis, vel taurinis oculis ferociẽte.

145. ALTERIUS FURIIS] Justæ iræ vel furori illius, quem petit. CUNINA] Infantibus & in cunis adhuc jacentibus liberis, quos tuetur Cunina: de qua vide Serm. 2. ad ℣. 31. fol. 24. JOVISQUE CONJUGE] Uxore, fortè jam partui vicinâ, & cui opus obstetricante Lucinâ, seu ipso fortè conjugio, cui præest Juno conjux Jovis, quæ & Lucina. Vide dicta ad ℣. citat. fol. 24.

146. CRESCENTE PER ORA &c.] Famâ, de qua Virg. Æneid. 4. ℣. 174.

*-----Malum quo non aliud velocius ullum:*
*Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.*

Sententia est hoc loco: Alterius cujusvis iram ac ultionem continente, metu liberorum, conjugis, incurrendæ ignominiæ, seu pravæ existimationis in populo &c.

147. CAUDAM JACTARE] Turpiter adulari, & blandiri plebeis. Persius Satyr. 4. ℣. 15.

*Ante diem blando caudam jactare popello.*

Solent canes, motando caudam, heris blandiri, ut panis frustum extorqueant. Inde Adagium Græcum ex Aristophane *αἰκάλλειν κέρκῳ blandiri caudâ.* Erasm. Schottus. Agit Poëta de alio quodam nobilium genere.

148. OFFICIO] Officiosa comitate. CERTARE PRIOREM] Occupare, prævertere, prævenire.

149. SI VOTO] Suffragio, puncto vel calculo, in designatione ad magistratum. Puta si ambiat locum in Senatu, aut supremam quæsturam, aut qoid simile. FULLONIS] Mechanici, vel opificis alicujus, hominisque de vulgo. *Fullo* dicitur qui polit & lavat pannos, nostratibus *volder.* EXHIBEATUR] Aulæ vel Principi repræsentetur ad magistratum, prò more, jure, ac privilegio Provinciæ, ac Ducatus Brabantiæ.

150. EMERGAT ADMIRÃDUS] Senator, Cos. fiat.

151. JACTANDUM] Quem tumidi nepotes, tanquam lucidissimum stemma olim jactent.

152. NONNE HOC &c.] Sarcasmus, quo hostiliter proscindit Cicerrum, ac si dicat: minimè generosum & nobile est, plebis suffragia sordidè emendicare. Phrasis Persiana Satyr. 2. ℣. 74.

*Quin damus incoctum generoso pectus honesto?* *Pectus honesto incoctum,* inquit Had. Junius Animadvers. l. 5. c. 5. *est duratum, & circa virtutum actiones, diu multumque exercitum.* Quod nimirum nobili & generoso honesto, non leviter tinctum, sed plenè saturum & incoctum. Ducta metaphora, à vellere vel lanâ, cui colores incoxerunt. Virg. Georg. 3. ℣. 307.

*Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.*

153. MESSIUS HIC &c.] Contrà bacchatur & blate-

*Circitor aut mimus, qui mox alicunde reversus,*
*Corrasisque tumes simili de munere nummis*
*Exiguis, quibus empta domi præclara supellex,*
*Simplicium cassis nostrorum civium: at ultrà*
*Si benè discutimus, fundus penna atque papyrus:*
*Dic, quibus emungas locupletes fraudibus arcas.*
*Mercuri an Hypsæâ nunc vivis cæcior, olim*
*Fallere centoculum poteras qui cantibus Argum?*

blaterat. SEDUCTOR CRUMENÆ] Parasite, qui dolis, blandimentis, jocis scorrilibus, aliisque malis artibus alienæ crumenæ insidiaris, in seductionem, vel sevocationem æris à legitimo usu. NATTA] Sordide, discincte &c. Hoc enim nomen sordido cuipiam, turpesque artes exercenti tribuit Horat. lib. 1. Satyr. 6. ℣. 124.

*Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.*
Et Persius Satyr. 3. ℣. 31.

*Non pudet ad morem discincti vivere Natta.*

154. CIRCITOR] Circulator, circumforaneus. Sunt autem circulatores, quos ex sententia Jos. Scaligeri suprà Serm. 3. ad ℣. 344 fol. 64. *Aretaloges* diximus, qui theriacam, unguenta, emplastra, aut quodvis aliud medicamentum venum important, nulla non loca, in orbem obeuntes: utque majorem quæstum faciant, fabulis & præstigiis homines in coronam alliciunt, detinentque. Itali eos à loquacitate *Ciarlatani* nuncupant: quæ vox nobis planè non est incognita. Nos medicum circumforaneum, aut phrasi vernaculâ dixerimus *Ian potage*. MIMUS] Cognati significatus vocabulum, pro histrione, aut quovis alio, qui voce, gestu, habitu &c. mores hominum imitando in scena, quæstum facit. ALICUNDE] Ex alio loco, ac si dicat contemptim, nescio unde.

155. CORRASISQUE TUMES] Anxiè, sordidè, ac illiberaliter acquisitis, collectisque. SIMILI DE MUNERE] Mimi scil. vel circitoris partes exercendo in scena.

156. EMPTA PRÆCLARA SUPELLEX] Dives & splendida, quæ opes non vulgares meotiatur.

157. SIMPLICIUM] Incautorum, aut minimè versutorum. CASSIS] Rete vel fraus, quâ capiuntur & falluntur cives, dum merces suas, non repræsentato pretio, credunt ejusmodi hominibus, qui hoc unum curant, ut superbam & sumptuosam supellectilem habeant & ostentent, quo locupletes, & bona nomina habeantur; atque ita expilatis aliis, ipsi ditescant. Carpit ejus generis mercatores, qui sine capite vel sorte, sola fide, seu rerum creditarum adminiculo, vel negotiantur, vel negotiari se mentiuntur. Quod licèt à quibusdam fortunante Mercurio factum comperiamus, plerumque tamen fit invitâ, & reclamante Astræâ. ULTRA] Divitem & præclaram supellectilem.

158. SI DISCUTIMUS] Re exploratâ, vel serio examine facto. FUNDUS] Omnis possessio, census, & res, consistunt in penna & papyro: id est, præter supellectilem pretiosam, calamum & papyrum, nihil possident. *Fundum* accipi pro possessione rustica, ex Perotto suprà docuimus Ser. 4 ad ℣. 80. fol. 75. transfertur tamen ad alias res, domino fructuosas. Sic ancilla Plautina de adolescente apud heram, Truc. 4. 2. 15.

*Solus summam hic habet apud nos. Nunc is est fundus nobis.*

Hoc est, pro fructuosissimis prædiis. Varroni placet inde dici *fundum*, quod fundat quotannis, plurima. Sic & alibi in M. SS. Noster habet:

-----*Quorum fundus penna atque papyrus.*

159. EMUNGAS] Diripias, spolies, exsorbeas locupletium loculos, & arcas.

160. MERCURI] Apostrophe ad Mercurium commerciorum præsidem, quòd se, per latus mercatorum quorumdam simplicium, ac nimiâ fiduciâ cæcorum, tam turpiter falli, & impunè has artes conspiciat exerceri. HYPSÆA CÆCIOR] Proverbialis Hyperbole pro vehementer cæcus. Horat. lib. 1. Satyr. 2. ℣. 90.

-------*Ne corporis optima lynceis*
*Contemplere oculis: Hypsæa cæcior, illa*
*Quæ mala sunt, spectes*-------

Profecta videtur parœmia, à muliercula notæ cæcitatis.

161. CENTOCULUM ARGUM,] Custodem Jônis,

*Nam si se minimo furti fabricator honesti*
*Contineat spatio; si multa negotia fingat*
*Hinc inde, & multum pendat Roelantio, & abdat*
*Sarcinulas & vasa penu, licèt ostrea tantùm,*
*Citria, avellanas; pariter signabit in annum*
*Cum Vandergoesis schedulas Cordesio & Orchio.*

nis, vel Jüs quam stupravit Juppiter. Ovid. Metamorph. 1. ℣. 625.

*Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,*
*Inde suis vicibus, capiebant bina quietem.*

Hunc, ut ab ejus custodiâ solveretur Jo Jovi amata, & in bovem transformata, eodem jubente interemit Mercurius, jam antè opertis luminibus sopitum. Fabulam lege loco cit. apud Ovid.

162. FURTI FABRICATOR] Quod decrevit, & jam tentat ac pergit fabricare. HONESTI] Quod vult haberi honestum, aut speciosis rationibus incrustare, vel tectorio honesti obducere nititur.

163. CONTINEAT] Neminem molestando, nec æra mutuo sumendo vel postulando, quasi suâ subsistens, nullius opis indigus. Hac arte enim fidem parant. MINIMO SPATIO] Modico vel exiguo tempore.

164. HINC, INDE] In sodalium corona, aut privatis congressibus. MULTUM PENDAT] In mercedem tabellariorum, qui epistolas apportant. ROELANTIO] Jacobo Roelantio, ex illustri ac vetustissima apud Lovanienses Calstriorum gente, ac generosissimo equite Maignardo Calstrio qui ad annum CIↃ. CX. ad terram sanctam profectus est, viro apprimè nobili, Jacobi in supremo Belgicæ concilio Senatoris filio, Regiorum veredariorum apud Antverpienses præfecto; ad cujus ædes amplissimas, in medio *Mera* fori celeberrimi, tunc sitas, omnes ex toto orbe epistolæ, illâ tempestate perferebantur, & per rationarios scribas edebantur. ABDAT] Condat, vel condere se fingat vel simulet.

165. SARCINULAS ET VASA] Merces consarcinatas, aut doliis, cupis, culeis impactas. PENU] In atrio, porticu, cella, vel promptuario domus. Nam penu, hîc positum pro penario, sive loco, in quem penus reconditur, per catachresin. Quia autem ad penum referuntur ea, quæ ad usum annuum familiæ spectant: ut sunt frumentum, vinum, carnes salitæ & infumatæ, ligna, virgæ, carbones, fœnum, avena, candelæ, oleum, butyrum, zythus, smegma, aromata, & omnis generis conditanea, ut videre est, apud A. Gellium l. 4. c. 1. amplus quispiam hîc ædium locus significatur, in quem mercatores suas solent merces recondere. Aut fortè etiam alia quæpiam cella extra domum, ad eumdem usum comparata. Vulgus nostrum dixerit *een pack-huys*, id est, *sarcinarum repositorium.*

166. OSTREA, CITREA, AVELLANAS] Supple, contineant: merces videlicet minimè quæstuosas, & quæ plus loci, quàm lucri capiant. De ostreis egimus ad ℣. 41. fol. 260. de citreis malis Serm. 5. ad ℣. 119. fol. 202. Avellanæ autem sunt nuces corylorum, quæ etiam quibusdam Abellinæ dicuntur, ab oppido Campaniæ, ut aiunt, Abellino. Ceterùm nomen habent ab Abella vel Avella, oppido itidem Campaniæ, quod isthic nuces in isto genere præstarent, & abundarent. Terram enim tritico ferendo non satis aptam fuisse, indicat illud Silii lib. 8. ℣. 545.

*Surrentum, & pauper sulci cerealis Avella.*

Inde arboribus consita, tam malorum, quàm nucum, audit malifera apud Virgil. l. 7. ℣. 740.

*Et quos malifera despectant mœnia Abellæ.*

Vide Macrob. & Campaniam Leandri. Nuncupantur item hæ nuces Ponticæ, & Prænestinæ. Et Servius Nolæ earum copiam esse innuit. PARITER SIGNABIT &c.] Tantam fidem sibi conciliabit, seu tantùm ipsi credetur, quantùm ditissimis & potentissimis quibuslibet. SIGNABIT IN ANNUM] Post lapsum anni solidi tantùm solvendas, ut interim gaudeat fide, & fœneretur, tam securis de justa solutione creditoribus, quàm si res sibi foret cum viris locupletissimis.

167. CUM VANDERGOESIS &c.] Vandergoësii, Cordesius, & Orchius, nomina sunt virorum potentium & opulentorum, quibus eâ tempestate ab omnibus securè, & sine metu credebatur. SCHEDULAS] Collybisticas, promptam, & ad tempus præscriptum præstandam solutionem exigentes. Nota tabellis collybisticis, ex usu fori, à debitoribus subscribi, quod signum est, acceptationis & debiti, magnumque pondus habet,

*Prætuleris mihi tu quantis talem parasangis?*
*Tam facilem credas? Desunt nonnulla, quiesce.*
*Atratis venit hic pedibus, pannoque modestus*
*Nomine sub lauti, moderatoque abstinet alveo.*
*Quippe caret minimo vitio, nec pallia fessis*
*Deprendas submissa humeris; manus una quietis*
*Ad pectus manicis, ansam facit altera sæpè,*
*Nonnumquam gravior muscas æqualiter arcet;*

ut si tempore promisso non procedat, jure extorqueatur solutio.

168. PRÆTULERIS &c.] Sarcasmus: ac si dicat, quantò talem me meliorem existimas? Notat indignitatem, vilitatemque hominis jam descripti, præ se & aliis, etiam non bene nummatis nobilibus. *Parasangis* vias olim metiebantur, signabantque spatium XXX. stadiorum.

169. TAM FACILEM CREDAS?] Sarmenti vox est, & ironia ad senem; ac si dicat: credásne hominem tam facilem & expeditum fore, in commemorandis his mercatorum portentis? DESUNT NONNULLA &c.] Verba iterùm eripit Cicerrus, & occupat.

170. ATRATIS PEDIBUS] Calceamentis & tibialibus nigris. Notat hîc quempiam, ex eodem ordine Mercutiali. PANNOQUE MODESTUS] Habitu itidem nigro, vel admodum fusco, quod severiorum & graviorum, aut modestè vestitorum est. Juniores enim & nobiles leviori cultu, & versicolori, cum justis parergis & ornamentis ad oculorum illicium utuntur.

171. LAUTI] Divitis, opulenti, splendidi, Cicero ad Attic. lib. 13. Epl. 50. *Libertis minùs lautis, servisque nihil defuit.* Et lib. 7. ad Mar & alios Epl. 14. *Valdè jam lautus es, qui gravère jam litteras ad me dare.* Vide quæ diximus Ser. 3. ad ỳ. 337. fol. 63. ABSTINET ALVEO] Lusu tesserarum, vel scrupulorum. *Alveus*, hoc loco est alueolus, fritillus, sive abacus, in quo ad jactus alearum disponuntur tesseræ. Vulgo *een scackbert, een tic-tackbert.* Hetruscis *tavoliere.* Plin. l. 37. c. 2. de Pompeio: *Transtulit alveum cum tesseris lusorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor.* Lucilio, & Ciceroni *Alveolus* dicitur. Sensus est, qui moribus adeò integris & modestis est, ut etiam à moderato alearum lusu, ceteroquin honesto, se abstineat. Lusus enim ille, uti per se ad fallendum tempus pravus non est, ita & propter nimiam frequentiam, rerum agendarum neglectum, temporis jacturam, dolos malos, lucri pravi cupidinem, sinistras imprecationes, periculosas ludentium iras, blasphemias, aliaque, tam sacro quàm profano jure prohibetur. Inde Poëta, qui hoc lusu quandoque etiam tenebatur, cautè adjecit moderato. Quod ipsum, ut in vita ejus vidimus, non diffitetur dum de se canit:

*-----Moderato & ludimus alveo,*
*Et superest tempus; nec enim propendeo cœna.*

173. PALLIA SUBMISSA HUMERIS] Non suprà, sed infrà humeros, id est: alterum humerum, vel utrumque, non sublevat ab onere portandi pallium, etiamsi humeri à pondere lassentur. Solebant enim ævo Scholiriano nobiles & juniores palliis suis, vel sinistrum dumtaxat humerum tegere, alterâ pallii parte axillam dextram subeunte; vel neutrum, rejectis utrimque limbis in lacertos; suprema illius parte, vel amiculo, dorsum medium transmittente; aut certè pallium lævo brachio sublatum gestare, quod ipsum erat mollicellorum. Describit ergo Poëta, hominem hunc semper utrosque humeros pallio texisse, ita tamen ut MANUS UNA] Læva scil.

174. QUIETIS AD PECTUS &c.] Ut eâ tempestate solebant viri graves & severi. Ab utroque enim humero pallii dependentis laciniam dextram, sinistræ alæ immittebant, brachio substringebant, manu sinistra circumjectu laciniæ lævæ nitente, & ad pectus par chirothecarum ostentante ANSAM FACIT &c.] Incurvat brachium & manum dextram supra coxendicem, eâ figurâ, ut ansam referre videatur. Hac ratione dixit Plaut. Pers. Act. 2. Sc. 5. ỳ. 6.

*Subnixis alis me inferâ, atque amicibor gloriosè.*
*T. Sed quis hic ansatus ambulat.-----*

175. MUSCAS ÆQUALITER &c.] Pendulam sub pallio manum dextram vibrat, ut videatur mus-

*Sic venit ad Meram, Scaldis vel obambulat oris:*
*Sic redit ad Janum, transactis rebus ad ædes:*
*Matta in vestibulo; mundat se, exomida ponit*
*Cum chlamyde, & tunicâ velat thoraca bimembrem:*
*Pectus enim xylinum, quamvis sint brachia duplo*
*Byssina; sordibus his crescunt patrimonia natis:*

muscas arcere, motitando nimitum illam ante & post tergum, modo prorsus æquali, quasi modos symphoniæ præiens.

176. AD MERAM] Spatiosissimum urbis vicum, quò circa meridiem & vesperum, frequentissimus populi nobilioris est concursus, tam ob Janum vicinum, quàm tablinum litterarum exterarum, seu veredariorum: ubi olim acceptas tabellas resignantes mercatores, publicos in exteris oris nuntios, inter se communicabant. SCALDIS VEL &c.] Ad oram fluminis Scaldis Antverpiam alluentis, unde capitur gratissimus in naves & alveum fluvii, ac ripam ulterioris Flandriæ prospectus.

177. SIC REDIT] Hominis cujuspiam mores graphicè describit. Lepôrem noverunt, qui hominem. AD JANUM] Ad porticus, vel peristylium mercatorum, seu forum, ubi illi inter se negotiantur: quod opus amplissimum nuncupat vulgus de *Beurse*: porticibus in quadrum dispositis, testudinibus passim scitissimè fornicatis, columnis ex solido saxo affabre celatis, ac turri, campanis, statuis horam campanæ pulsu intonantibus, ac horologio artificiosissimo, ac quaternis transitionibus pervium ac illustre. *Iani* non statuæ aut imagines Jani sunt, ut quidam perperam opinantur, sed sunt arcus & portæ ingentes, quæ in viarum capitibus extrui solebant. Vulgo Italico *Portoni* dicuntur, & Romæ etiam frequentes visuntur. Cicer. de nat. Deor. libr. 2. cap. 67. *Principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones pervia, Iani; foresque in liminibus profanarum adium, Ianua nominantur.* Et sic exponendus Naso Fast. 1. ℣. 257.

*Cum tot sint Iani, cur stas sacratus in uno?*

Et Suet. in Domit. c. 13. *Ianos arcusque per regiones urbis extruxit.* Et Amm. Marcel. lib. 28. *per janos & fora clamitant.* Porrò duo in foro Romano *Iani* fuere, locus mercatorum & fœneratorum celebris. Ad primum pecuniam fœnerantes, ad secundum qui fœnus reddebant cujusque mensis calendis, stabant. Primus etiam summus, secundus imus & medius, quod in medio fori situs, dicebatur. Hor. l. 2. Sat. 3. ℣. 18.

*-----Postquam omnis res mea Ianum*
*Ad medium fracta est.-------*

Vide commentatores in hunc locum. P. Victor in VIII. urbis regione quæ forum Romanum complectebatur: *Iani* inquit, *duo, celebris mercatorum locus.* Unde perperam statuuntur tres *Iani* in eodem foro, à Doctissimo Heinsio, quem decipiunt lapides & locus Livii lib. 41. quos adducit, non rectè expensi. Nobis satis sit ad hos *Ianos* mercatorum conventus extitisse. Quod præter alios Cicero de Off. 2. c. 90. Clarè insinuat: *De quarenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodiùs à quibusdam optimis viris ad Ianum medium sedentibus, quàm ab ullis philosophis ulla in schola disputatur.* Quæ omnia, peristylio Antverpiensi, à quaternis urbis & orbis regionibus pervio & transitorio, optimè accommodantur.

178. MATTA IN VESTIBULO] Storea in aditu domus humi strata, ad detergendas infernè soleas calceamentorum: scil. ne pavimentum domus, aut scalæ gradus luto aut pulvere commaculet. MUNDAT SE] Pedes, aut alioquin pileum vel vestitum à pulvere sordidatum. EXOMIDA] Deponit thoracem non manicatum.

180. PECTUS.] Reliquus thorax demptis manicis. XYLINUM] Gossipinum. Italis *fustagno*, nostratibus *fusteyn*, aut *bombasyn*. Plin. lib. 19. c. 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui Gossipion vocant, plures Xylon, & ideò lina inde facta xylina. Nec ulla sunt eis in candore mollitiáve praferenda.* BRACHIA] Brachialia seu manicæ. DUPLO] Duplici filo texta, aut altero byssino fult.

181. BYSSINA] Purpurea illa ex panno multiplici licio contexto, quem vulgo appellamus *fluweel, sattyn, pan*, vel *caffa*. De Bysso & colore purpureo vide quæ diximus Serm. 3. ad ℣. 295. fol. 58. Erant autem manicæ ejus materiei, eâ ætate admodum usitatæ, & plerumque tam colore quam pretio ab exomide discrepabant.

SOR-

*Pileus exuitur, quin alas ſumitur alter*
*Dimidio brevior: ſic lactucis operoſis*
*Parcitur, interulæ ſupplent collaria mappæ.*
*Indutus tandem crepidas decumbit, & inter*
*Prandendum reſerat multâ gravitate tabellas.*
*Hunc neque Pygmalion generum, neque Panſa recuſet:*
*Nempe ſpei magnæ eſt, inter ſeros gladiorum*
*Fortè brevì numeres. Sed navis onuſta, Britanni*

SORDIBUS HIS.] Hâc turpi parcimoniâ.

182. PILEUS.] Nitidior ille, majoriſque pretii, quo caput operit domum egreſſurus. ALAS] Secundùm alas vel oras, quæ in latum ſe diffundentes ſubter turriculâ, fronti præbent umbraculum adversùs ſolem.

183. DIMIDIO] Multò curtior. Id eſt multò curtiores habens alas. LACTUCIS] Lobis lineis, ſeu patagiis, quibus gulam & cervicem, ævo Scholiriano, ſolebant obſtipare promiſcui ſexus & ordinis homines. Uti enim quibuſdam viſum eſt, id genus indumenti à ſimilitudine indigitare λόβος, qui græcis ima auriculę pars eſt; ita & noſtro placuit lactucas appellare, quod ſicuti illæ conglobatis in orbem foliis criſpæ ſunt, ita & hi ſinuoſi mira criſpitudine in orbem collum exornant. OPEROSIS] Quod multum operæ iis amylo ſcitè firmandis, locari opus ſit. Agit de illo loborum genere, qui ab imo jugulo, digitos ternos quaternóſve, ad imum uſque mentum ſe attollebant; laciniis amyli firmamento, vel quaſi inter ſe decuſſatis, vel alternatim ſupernè, infernèque hiantibus aut compreſſis.

184. PARCITUR] Quia ſcil. de collo deponuntur. INTERULÆ MAPPÆ] A ſumma interula, in cervicem & humeros rejectæ, in morem lintei collaris. SUPPLENT COLLARIA] Loco collarium ſunt jam extra thoracem productæ. Id eſt, interulæ collaria, depoſitis jam lobis, extra thoracem producuntur, & in tergum ſupra exomidem rejiciuntur. Hyſteronproteron eſt: pro interulæ mappæ ſupplent collaria: ſic lactucis parcitur. Ita enim ſuadet ratio, cum ad prius colon referri non poſſit: fruſtra enim pileus brevior diceretur parcere lactucis jam ablatis, & nullo hinc pacto ab eodem ſordidandis. Interula veſtis eſt linea proximè cutem contegens, alio nomine induſium, ſubucula, ſupparus.

185. INDUTUS CREPIDAS] Ne calceamenta deformentur nimium. Quod alii patresfamilias nocte jam cubitum conceſſuri faciunt, vel ſaltem non ampliùs domo egreſſuri: id Euclio hic facit medio die: videl. ſumit pileum breviorem, deponit lobum, induit crepidas: ut ſtudeat compendio rei ſuæ. DECUMBIT] Ad menſam, ſeu menſæ accumbit: ſic & Cicero Act. 3. In. Ver. c. 61. *Cùm Apronius in triclinio decubuiſſet.* Et Plaut. Mercator. Prol. ℣. 97.

*Hoſpes me quidam agnovit, ad cœnam vocat.*
*Venio, decumbo.* -----

186. RESERAT] Reſignat, ſeu, ut vulgus, aperit. TABELLAS] Litteras ſibi inſcriptas.

187. PYGMALION, PANSA] Viri principes & illuſtres; ut fuit *Pygmalion* Beli Tyriorum regis filius, Didonis frater, cujus maritum Sicheum, auri potiundi gratiâ ad aras Sacerdotem interemit. Virgil. Æneid. 1. ℣. 350.

----- *Sed regna Tyri germanus habebat*
*Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes.*

Et *Panſa* provinciæ præfectus, de quo Juvenalis Satyr. 8. ℣ 95.

*Cum Panſa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit.*

Aut alii quilibet illuſtriſſimi *Panſa*, nam cognomen illud in gentibus conſularibus, *Apuleia*, *Genutia*, *Servilia*, *Seſtia* &c. celebratur; deductùmque volunt, alii ab expanſis & porragineis capillis, ut Caſſiodorus, alii à vola pedum. Ut Plinius l. 11. c. 45. & Alex. ab Alex. l. 1. c. 9. GENERUM RECUSENT] Recuſarent, id eſt non verenrentur huic filiam deſponſare, & nuptum tradere.

188. INTER SEROS GLADIORUM] Inter heſternos & novitios nobiles. Horat. l. 1. Sat. 10. ℣. 21. *ſeros ſtudiorum* dixit, qui ſerò ſtudiis operam dederunt: ſic *ſeri gladiorum*, qui ſerò jus gladio latus accingendi, id eſt nobilitatem adepti ſunt.

189. NAVIS ONUSTA] Mercimoniis Nattæ. BRITANNI] Anglorum Regis claſſi, uti ejus temporis bella ferebant.

*Præda fuit classi, periitve Aquilone decembri:*
*Non caperat Nattæ minimùm frons, mentis opacæ*
*Sed tibi qui falsum nescis abscindere vero.*
*Quid respondet Atlantiades? Nisi tempore tales*
*Suppeterem technas, ad prisca armenta redirem.*
*Sarmentus: Valdè bene, rem vel acu tetigisti.*
*Prodeat in medium Thraso qui vestri ordinis, emptor*
*Scrutorum, tritavos per mutatoria sufflans:*

190. PRÆDA FUIT] Capta est. AQUILONE DECEMBRI] Brumali tempestate, circa æquinoctium hibernum.

191. NON CAPERAT] Non caperatur, non corrugatur frons, nîl perturbatur Natta. Elegantiæ darum veteribus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent. Sic Plautus Casin. 2. 3. 30. *Palliolum rugat*, pro rugatur. Mil. Glor. 2. 6. 100 *Iræ leniunt*. Virg. Æneid. 7. ℣. 27. *Cum venti posuere*. Velleius *tempestat sedavit*. Vide A. Gell. l. 18. c. 12. sic & Plautus, quod in rem præsentem. Epidic. 5. 1. 3.

*Quid illuc est, quod illi caperat frõt severitudine?*

Caperare frontem, est rugis eam contrahere & asperare, quod Nonius à crispis caprorum frontibus. Festus à cornuum caprinorum similitudine deducit. Hinc frons *caperata, contracta, consulcata, adstricta, striata* &c. pro tristi & severa. Carpit hic noster personas mercatorias, quibus jacturam quam fecerunt, celare & obtegere conituntur; quod si non obtinent; parum se angi simulant, quasi illis abundè sit, unde damnum resarciant, & nomina expediant. Hoc pacto fidem suam apud creditores tutantur, & forensibus vexationibus occurrunt. MENTIS OPACÆ TIBI] Tibi homini minùs sagaci, & obesæ naris.

192. ABSCINDERE] Discriminare verum à falso, qui nescias, *quid distent æra lupinis*, ut ait Horat. l. 1. Epl. 7. ℣. 23. aut quàm mendaces sint hominum frontes; & quàm fronti nulla fides.

193. ATLANTIADES] Mercurius Atlantis nepos, mercatorum Deus. TEMPORE] Ingruentibus scil. ejusmodi fortunæ casibus.

194. SUPPETEREM] Suggererem, suppeditarem. AD PRISCA ARMENTA] A mercatura mihi redeundum foret ad pastum armentorum. *Prisca* dicit: tum quod olim Mercurius à Jove ad cædem Argi missus, ut incautum opprimeret, per rura capellas egerit. Ovid. Met. 1. ℣. 676.

*Hâc agit, ut pastor, per devia rura capellas.*

Sententia est: nisi tales hoc tempore fraudes suppeterent, mercatoribus, ad alendam vitam, opus foret à negotiatione ad pascenda armenta transire, & bubulcos agere.

195. SARMENTUS] Supple, contra blaterat. VALDE BENE] Ironia. REM VEL ACU] Optimè divinasti: rem tetigisti. Plautus Rud. 5. 2. 17.

*-----Num medicus quæso es?*
La. *Imò edepol unâ litterâ plus sum quàm medicus.* Gr. *Tum tu*
*Mendicus es?* La. *Tetigisti acu.----*

Metaphora à lusu quopiam desumpta. Vide *Erasm. Chil.*

196. THRASO] Gloriosus & superbus ut miles Terentianus. VESTRI ORDINIS] Ex cœtu nobilium, quibus te accenses.

197. SCRUTORUM] Tritarum vestium. Scruta enim omnis generis sunt veteramenta, usu detrita, pretio minuta, inquit Rhodig. lib. 19. c. 16. Horat. l. 1. Epl. 7. ℣. 65.

*Vilia vendentem tunicato scruta popello.*

Lucilius apud A. Gell. l. 3. c. 14. & ex incert. lib. apud Franc. Dousam n. 15.

*Quid ni & scruta quidem, ut vendat, scrutarius laudat.*

Vasa fictilia quassa intelligit Festus. Pro rebus quibuslibet frivolis, aut exigui pretii usurpata reperias. Sidon. Apoll. l. 7. Epl. 2. *Nunc quædam frivola, nunc ludo apta virgineo scruta donabat.* Inde *scrutarius*, & *scrutariam facere*. Sensus hic est, qui emit supellectilem veterem, vestes detritas, & nullius pretii, tam caussâ egestatis, quàm captandæ gloriæ. TRITAVOS] Vetustatem generis sui à sexto genitore, seu proavûm proavis. PER MUTATORIA] Vestimenta, quæ mutantur, aut continenter non tegunt corpus. *Ios. Laur.* uno enim eodemque semper indumento vestiri, egestatis foret. SUFFLANS] Jactans, tumidè efferens.

*Subligar extensos referet modò follibus utres;*
*Nunc sufferre nates videas: diaphragma premit nunc*
*Thorax, continuò videas abdomen in illo.*
*Nil stabile est umquam. Celebrat connubia natæ,*
*En Caroli Quinti producit Barba-que-rossæ*
*Luxuriem, velut aulæis tetrarcha coævis*
*Inclytus, at tineis & semesam undique blattis:*
*Rubbenio dignus; vel describente Catullo.*
*Dum glacialis hiems, aphyis dum subvenit irpex,*

ferens. Ironia exprobrat sordes tritarum vestium, ad augendam ignominiam, quòd jocus innuat eas ideò assumi, ut credantur olim in usu avorum fuisse, sicque generis sui vetustatem ostentet ventosus nobilis.

198. SUBLIGAR EXTENSOS &c.] Subligaculum, seu Braccarum pars superior adeò laxa & & sinuosa, ut referre videatur folles, vel utres vento distentos. Notat vestium desitarum formas. Nihil enim majori hominum risu accipitur, quàm vestimentorum, jam diu obsoletorum, contra morem hodiernum temeraria assumptio.

199. NUNC SUFFERRE NATES &c.] Nunc adeo arctum & astrictum est, ut natium formâ foris insigniter proditâ, eas sibi inclusas quasi sustinere, & ferre videatur. DIAPHRAGMA &c.] Nunc adeo brevis est thorax, ut infra cor & viscera spiritalia non promittatur. Est autem *Diaphragma* septum vel cingulum transversum, quo viscera spiritalia à naturalibus dirimuntur, id est, cor & pulmones, à liene & jecore. PREMIT] constringit; excluso scil. abdomine.

200. CONTINUO] Mox. ABDOMEN &c.] Adeo protensus est, ut etiam partem ventris absorbeat, & quæsito à fultura tumore, insigniter ostentet. *Abdomen* extima ventris pars, quę tegit intestina.

201. NIL STABILE &c.] In vestibus vel vestium formis & generibus, utpote quæ indies mutantur, ad morem receptum.

202. CAROLI QUINTI &c.] Imperatoris, qui ad annum XXXV. superioris seculi, cum ingenti classe in Africam appolsus, cæso Muleasse, regnum Tunetanum Haviadeno Barbarossæ restituit.

203. LUXURIEM] Luxum, in peristromatis hanc Caroli V. & Barbarossæ historiam repræsentantibus. VELUT AULÆIS &c.] Ac si foret Princeps quispiam potentissimus, ac de numero Palatinorum; non hesternus, sed jam ferme secularis. Jocatur sarcasmate, & notat historiam Principis alicujus, qui anno XIII. hujus seculi, regiâ ductâ conjuge, ut se natalium splendore illius nobilitati parem ostenderet: creditur ingentem vim tapetiorum antiquissimorum, undique sibi comparasse, miroque artificio, his proavorum & tritavorum suorum arma gentilitia intersuisse: ut hac ratione gentis suæ vetustate exposita, uxori de nuptiarum imparitate querendi ansa eriperetur. *Tetrarcha* princeps, Dynasta. Vid. Serm. 7. ad ℣. 392. fol. 237.

204. AT TINEIS &c.] Ut solent ferè cujuslibet lanificii opera, temporis decursu ab illis animalculis infestari. Horat. lib. 2. Sat. 3. ℣. 118.

*------- Cui stragula vestis,*
*Blattarum ac tinearum epula putrescat in arca.*

*Tinea* & *Blatta* vermiculi sunt, qui libros, vestes, seu pannos maximè laneos erodunt.

205. RUBBENIO &c.] Petro Paullo, excellentissimo pictore, de quo Serm. 4. ad ℣. 78. fol. 75. Dignus, qui depingatur cum omni suo vetera-mentario apparatu, a Rubenio, qui figuris ejusmodi artificiosissimè adumbrandis, lætam & sedulam eâ tempestate operam navabat. Hinc alicubi in M. SS. Noster,

*Sint (quod abest vero) quas non valet ante figuras*
*Rubbenius pinxisse, aut descripsisse Catullus.*

Et certè Catullum magnâ vivacitate & elegantiâ, res etiam minutissimas descripsisse, arguunt festiva epigrammata, & epithalamia, ceteraque, quibus meruit vulgatum isthoc elogium.

*Tantum parva suo debet Verona Catullo,*
*Quantum magna suo Mantua Virgilio.*

206. GLACIALIS HIEMS] Dum acre gelu est, & ut sequitur. APHYIS] Vilibus pisciculis qui, ut est apud Athen. l. 7. c. 21. sine coitu, ex spuma, arena,

*Suppositæque rotis fossæ, per lævia strata*
*Costerius dum flectit equos, phalerisque sonoris*
*Elicit attonitâ velox persona tabernâ*
*Et pueros & anus, hac tempestate minora*
*Pallia conspicias, rabioso digna leone,*
*Serica, non ovium, non tergore fulta ferino,*

arena, vel aliorum piscium putredine, aut denique, ut placet Plinio l. 31. c. 8. è pluvia nascuntur. Quales oppidò frequentes in fossis submœniaиis Antverpiæ, plani utcumque, rufis pinnis, squamis argenteo candore lumen vibrantibus, ternos quaternósve pollices longitudine vix excedentes. Vulgus nostrum eos à micando *blixkens* nominat. SUBVENIT] Opem adfert, captandæ auræ, quâ impensè recreantur. IRPEX] Ferreum instrumentum lato & acuto dente, quo glacies, aliquot in locis fossatum nostrarum, pertunditur. Kilianus interpretatur Belgicè *Hou-weel*. Id est, dum fiunt hiatus vel foramina, ut pisces interspirent, qui glacie eo tempore impediti, ad aquæ superficiem, ut solent, commeare alioquin nequeant. *Irpex* propriè agriculturæ subservit, rastri utpote genus, quo radices eruuntur: hîc ad usum, ut suprà, transfertur.

207. ROTIS] Curribus. Pars enim pro toto: pro rota, currus. Sic & Ovid. l. 2. de arte ỽ. 230.

*Si rota defuerit, tu pede carpe viam.*

SUPPOSITÆ FOSSÆ] Dum currus, carpenta, bigas, quadrigas, sustinent & transmittunt flumina, & stagna gelu concreta. Juven. Sat. 10. ỽ. 176.

*Suppositumque rotis solidum mare.-----*

PER LÆVIA STRATA] Per vias glacie, vel nive complanatas & lubricas, adeò ut summa velocitate transmittant trahas, quas ab hoc usu, nivarias vocant, vulgo Brabantico *snoeuw-sledden*. Aguntur plerumque ab hominibus cultioribus, & nobilibus per plateas urbis, tempore jam memorato, ut semet oblectent, & honorent amatas nymphas, quas gaudent sellæ impositas, ipsi ponè stantes, hoc ritu circumvectare. *Strata* sunt viæ publicæ saxis stratæ; ut docuimus suprà Sermone 7. ad ỽ. 89. fol. 163.

208. COSTERIUS] Homo quidam festivus & elegans, ab agendis ejusmodi trahis, eâ tempestate famosus & nominatus. FLECTIT EQUOS] Agit, moderatur, & incitat. PHALERISQUE SONORIS] Sonantibus tintinnabulis, quæ passim à loris, & equorum phaleris dependentia motitantur, & ad excitandos sonitus adhibentur.

209. ELICIT] Exciet, evocat, seu invitat ad spectaculum. ATTONITA TABERNA] Ex taberna, pro cujusque curiositate, & spectandi cupidine. Nam simul ac sonus phaletarum ad aures accidit, ex taberna vel officina, ubi suum quisque opificium exercet, quasi quadam animi perturbatione attoniti, procurrunt in viam; ut ornamenta & apparatum, tum servos & cultum contemplentur. VELOX PERSONA] Auriga personatus, instar personæ scenicæ, summâ velocitate prætet vias labens. *Persona* Latinis larvam significat, quâ quia actores in scena faciem obvelabant, dicti sunt personæ.

210. ET PUEROS ET ANUS] Omnis generis, ætatis, & sexus homines; maximè tamen pueros & mulierculas, quibus major curiositatis pruritus. Horat. lib. 1. Satyr. 4. ỽ. 37.

*Gestiet à furno redeuntes scire, lacuque*
*Et pueros & anus.-------*

MINORA PALLIA] Brevicula illa, vix nates attingentia, ut suprà Serm. 5 ad ỽ. 268. fol. 118. CONSPICIAS] Nobilium corpora tegere videas.

211. RABIOSO DIGNA LEONE] Digna, quibus utamur diebus æstivis & æstuosis, sole existente in leone; id est, mense Julio, & diebus canicularibus. Hoc signum leonis vel caniculæ etiam ab Horatio rabiosum nuncupatur. lib. 1. Sat. 6. ỽ. 126. -----*Fugio rabiosi tempora signi.*

212. SERICA] Subtilissima & levissima, ex bombyce, minimè ad arcendum frigus comparata. Fila *serica* hodie notissima sunt: habentque à *Seribus* Indiæ populis nomen, apud quos, ex arborum lana neri, olim perperam credebantur. Virg. l. 2. Georg. ỽ. 121.

*Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.*

Claud. de Prob. & Olyb. consulatu ỽ. 179.

*Stamine quod molli tondent de stipite Seres,*
*Frondea lanigera carpentes vellera silva.*

Et hinc Lipsius in 2. Annal. Taciti: *Byssina*, inquit, *è lino, bombycina è verme, serica ex arborum lana confecta. Bombycina eadem est, cum Coa, sive Coa: manetque hodie, Reliquarum nihil superest, nisi nomen.* Sed pace magni Lipsii

*Gausapino sed nec bombyce: inhibésne cachinno*
*Semianimis? Peccet provincia sæpè remota,*
*Quamquam & nobilitas misera hîc, urbisque minoris,*
*Quando subalternus Prætor commissus in aulam.*
*Baubari hîc gravius: Tu verbero, Messius inquit,*
*Siccine nobilium barbas impunè revellis?*

dixerim, cum nomine quoque superesse *sericas*, quæ ne hilum à bombycinis discrepant. Nam Pausanias lib. 6. ad fin. *Quæ fila ad textrinam usurpant Seres, ea nulla ex stirpe sunt. Nascitur in eorum terra vermis, quem serem Græci, ipsi longè alio appellant nomine. Magnitudine est id insectum duplâ maximi scarabæi, cetera araneo simillimum. Hoc Seres accuratè nutriunt.* Creditum ergo est, ex arborum lanâ provenisse sericum, quod illic olim spontè in arboribus bombyces textile opus conficerent. Industria hominum artem postea excogitavit, quâ quæstuosiùs alerentur. Et inde, ut scribit Zonaras in vita Justiniani, duo Monachi ova illa vermium ex India in Græciam attulerunt, moriquè foliis aluerunt, & sericum pannificium invexerunt; quod postea in Siciliam, ac mox in Italiam penetravit. Hinc Hier. Vida lib. 1. Bombyc. ℣ 4.

*-----Vos lanifici gregis aurea nostis*
*Munera, quæ pater Italiæ prior intulit olim*
*Serius, huc patriis Serum devectus ab oris.*

Et Zonaras ibidem disertè edicit, Romanos nescivisse fila illa, quæ antè à Persis mercatoribus tantùm advectabantur, esse vermium. Unde facilè adducor, ut credam contra Alex. ab Alexandro l.4.c.9. hodierna nostra serica Romanis non fuisse incognita, licèt nescirentur esse vermium, & multo labore sumptuque importarentur. NON OVIUM] Panno laneo. TERGORE FERINO] Pellibus ferarum. FULTA] Sustentata, duplicata, firmata: id est, pelliculata, vulgo *ghevoedert*.

213. GAUSAPINO NEC BOMBYCE] Serico villoso, ut sunt crassiores isti panni, quibus sunt pili bombycis lævissimi, quos suprà Belgicè dici monuimus *fluweel, pan*, &c. *Gausape* pannus est, ex rudi & villosa lana contextus, straguli genus, quo Romani hiberno tempore, contra frigus se muniebant. Inde penulæ gausapinæ usus militaris, & nautici. Inde de maxillis hirsutis lepidè Persius Satyr. 4 ℣ 37.

*Tu cum maxillis balanatum gausape pectas.*

Sensus est: levissimis palliis hieme se amiciunt. Exprobat illis vel mollitiem, de qua Plin. l. 11. c. 23. *In tantum à lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes:* vel egestatem, quòd alia scil. non suppetant. INHIBESNE CACHINNO] Nobis risum prohibes? *Cachinnus* est risus cum sono, unde fictum vocabulum.

214. SEMIANIMIS] Insane, qui animi, seu mentis tuæ partem dimidiam perdidisti. Metaphoricè scil. aliàs enim semimortuum signat. PECCET PROVINCIA REMOTA] Nobiles alibi in terris longinquis, & à nostro cælo remotis, ubi videlicet juxta dictum Horatii l. 1. Epi. 10. ℣. 15. ----- *Plus tepeant hiemes.*----- aut ubi major paupertas.

215. MISERA HIC] Rerum egestate pressa: hoc nimirum belli tempore; ob fundorum populationes, villarum direptiones, & vectigalia agraria. URBISQUE MINORIS] Oppidi vel Castelli alicujus. Sensus est, quamvis nobiles hîc Antverpiæ miseri sint, & pares iis, qui in parvis oppidis militari præsidio immitiùs & petulantiùs infestantur. Ab hibernis enim militi præstandis immunis est Antverpia, propter arcem, & fori seu emporii privilegia.

216. SUBALTERNUS PRÆTOR] Vicarius Prætoris. COMMISSUS AD AULAM] A populo legatus ad principem, vel ejus legatum, de militum insolentia expostulaturus, aut de nummo, & disciplina stipulaturus, ut solet fieri flagrante bello. Hîc orationis sententia abrumpitur, sermonem occupante Messio.

217. BAUBARI HIC GRAVIUS] Supple, cœpit, atrociùs hîc insurgere ac vociferari. *Baubari* canum proprium, non secus quàm lattare. Lucretius lib. 5. ℣ 1112.

*Et cum deserti baubantur in ædibus, aut cum*
*Plorantes fugiunt, summisso corpore plagas.*

VERBERO] Digne verberibus, flagrotriba.

218. BARBAS REVELLIS] Pessimè contemnis nobiles. *Barbam vellere* proverbiali schemate dicitur, pro turpiter illudere. Horat. lib. 1. Sat. 3. ℣. 133. --*Vellunt tibi barbam Lascivi pueri*-- Persius Satyr. 1. ℣. 133.

*Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.*
220.

*Sarmentusque: Virósne probos impunè lacessis?*
*Tandem inamarescunt colaphis: ego protinus illinc*
*Collectâ positâ (patinas orbesque timebam)*
*Aufugere, & Laribus volui me sistere sanum.*
*Summopere hîc risu pulmonem agitavi, & utroque*
*Uretere mihi sensi descendere arenam.*
*Ohe jam satis est, inquam, nam vado cacatum.*
*Solvisses itidem frontem Malinææ togatus.*

220. INAMARESCUNT] Acriùs quàm ante se mutuò petunt, & pugnis animi amaritudinem produnt. Horat. lib. 2. Satyr. 7. ℣. 107.

*Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ.*

221. COLLECTA POSITA] Deposito, vel numerato ære, quanti cœnatum fuerat. *Collecta* propriè est singularum symbolarum collatio, seu potiùs omne ac totum illud, quod in cœnam à pluribus confertur. Ergo senex hîc solidum symposii pretium dependit: alios utpote sordidos & parasitos, passus est assymbolos: ne symbolarum injecta mentione, fortè de plagarum symbolis esse sustineret. PATINAS ORBESQUE &c.] In caput fortasse volatura.

222. AUFUGERE] Supple cœpi: id est, aufugiebam. ET LARIBUS &c.] Volui me incolumem domum reducere.

223. PULMONEM AGITAVI] Vehementi & effuso risu. Vox est Poëtæ, cui cura erat sumpti, & mox effecta sua prodituri, pharmaci. Nam ut supra vidimus Juven. Satyr. 10. ℣. 33. risu pulmo agitatur.

224. UTROQUE URETERE] Utroque canale, per quem, ex utroque rene, in vesicam corrivatur urina. Nam agitato per risum pulmone, ac inde vi quadam ceteris visceribus impressa, depelluntur humores, & cum iis arenæ, quæ meatus illos obsident: sicque fit via vi. Vide infra Sermon. 11. Diog. Cynic. ad ℣. 473.


225. OHE JAM SATIS EST &c.] Saturitatem indicat, & Pharmaci jam tandem prementis efficientiam. Juven. Sat. 7. ℣. 62.

*-----Satur est, cum dicit Horatius ohe!*

Plaut. Stich. 5. 4. 52. *Ohe jam satis.* Horat. l. 1. Satyr. 5. ℣. 12. *Ohe jam satis est.* Martial. l. 4. Epig. 91. ℣. 1.

*Ohe jam satis est, ohe libelle.*

226. SOLVISSES FRONTEM] Risisses, & frontem exporrexisses. MALINÆE] Vir Amplissime, cui hunc Sermonem inscribo. TOGATUS] Etiam gravioris supercilii censor & judex, inter supremos Brabantiæ Patres merito suo effulgens. *Aurelius Augustinus Malinæus* Antverpiensis, Senatus Brabantici assessor erat, dum hunc Sermonem Poëta noster illi dedicavit. Postea ex designato provincialis Concilii Flandriæ Præside, ad sanctius Catholicæ Majestatis conclave, supremaque rerum Burgundicarum Belgicarumque subsellia subvectus est. Vir sanè gravissimus, musarum cultor singularis.



# SERMO IX.

## AD NICOLAUM ROCOXIUM EQUITEM AURATUM.

### DISCURSUS VARII IN EXCUBIIS.

ARgum. Civium excubiis manè ad urbis portam præesse jussus Poëta, à familiari suo Francisco Sweertio in via offenditur, & ad jentaculum interpellatur: quo, per impedimenta Spartæ, quam ibat ornatum, rejecto; ac in prandium condicens, amicum, ut stationis tædia secum fabulis fallat, inducit: ubi mixtis utrimque sermonibus, leges excubiarum Antverpiensium politicè expenduntur; ejus temporis mores, nævi, vitia cursim, tectoque nomine aliquot pessimi commatis homines perstringuntur, & multo sale defricantur, Poëta tandem ad amici triclinium, à statione, unà cum eodem, digrediente.

*SUmmo manè*, ROCOXI, *Commissarius ibam*
*Nuper ad excubias, occurrit maximus ille*
*Helluo rumorum, chartis instructus, & intus*

1. SUMMO MANE ] Ante reseratas urbis portas, ex placito Regio. ROCOXI ] Huic enim inscriptus præsens Sermo, cujus frater sororem Poëtæ conjugem duxerat. Vir fuit gravissimus, consularis Antverpiensis, & posterorum memoriâ dignissimus: in cujus effigiem ære cælatam, doctissimus Gevartius olim lusit hoc hexastichon:

*Qui novies patria moderatus in urbe secures,*
*Qui summos sprevit quos dabat aula gradus.*
*Sic vultus, sic docta gerit Roccoxius ora,*
*Octonas bis dum claudit olympiades.*
*Ambitione procul magnum delata potestas,*
*Majorem sed enim spreta, quiesque probant.*

Porrò sicut Rocoxius hic antiquitarum Romanarum, omnisque sapientiæ priscæ erat peritissimus; ita & litteratos omnes, tanquam vetus sui ævi Mæcenas fovebat, & suspiciebat. Nobili &, pervetustâ familiâ, & Werviorum, Delfiorum, ac Utfeliorum necessitudinibus inclytâ prognatus; optimam tori consortem habuit Adrianam Perez, Ludovici & Mariæ Berchemiæ filiam: cujus pietas in gentiles suos, nobilesque alios indigenres eminuit, unà cum marito legatâ eorum necessitatibus post mortem amplissimâ re. Sinè prole uterque obiit, tumulati in æde sacra FF. Minorum Recollectorum Antverpiæ, in sacello eorum munificentiâ constructo, & locupletato. COMMISSARIUS ] Sic vocant, cui commissa est summa portæ cujuspiam, ut excubitoribus civibus, eorumque magistratibus consilio & potestate præsto sint, ingruente casu vel periculo, à militibus vel adversariis: quòd flagrante bello, crebræ Batavorum excursiones, & in hanc urbem molimina postulabant. Et hinc Rex, jam tum nuper anno CIƆ. IƆC. XXIII. novarâ lege sanxerat: ut quotidie unus de Senatu, cive quopiam ex dignioribus constipatus, diurnis excubiis, antequam urbis fores aperiantur, adesset: cui demum mox à meridie alter ejusdem ordinis Senatorii, & ut suprà stipatus, succedebat, non abiturus, nisi sub noctem jam valvis adductis & obseratis. Portarum enim claviumque custodia Antverpiæ penes cives, Mercurio intra pomœria, omni se cum Marte Martiisque commercio, penitùs interdicente.

2. AD EXCUBIAS ] In porta Chidorpia, ut constat ex sequentibus, & M. SS. Serm. 8. ad ℣. 23. fol. 256. citatis. MAXIMUS ILLE ] Notus Rocoxio, & aliis Poëtæ familiaribus.

3. HELLUO RUMORUM ] Novorum omnium buc-

*Multa agitans secum: solito pro more saluto;*
*Unde, aut quò dominus? Felicem te quater, inquit,*
*Qui frueris vitâ hac, qui natus ad otia soli*
*Indulges genio: me summa negotia macrant.*
*Hæc via progressus, inquam. Curâ obruor, inquit,*
*Unum pro multis premitur caput. Euge, quòd aptus:*
*Non nobis solùm nati sumus. Hoc ego mecum*
*Pondero. Quis rumor? Quid de prædonibus, aut de*
*Tillyio? Placidè dormivit Schottius? Ex quo*
*Hoc stamus, quo nunc, siccoque caremus asello,*

buccinator. Cicero de M. Catone: *Helluo*, inquit, *librorum videbatur*. lib. 3. de fin. cap. 7. CHARTIS INSTRUCTUS] Multas manu litteras complexus, & ostentans.

4. MULTA AGITANS] Pensabundus, & quasi de summis rebus deliberans.

5. UNDE &c.] Quærit Poëta. Horat. lib. 2. Satyr. 4. ℣. 1.

*Unde & quo Catius?-----*

FELICEM] O te felicem! Vox est alterius.

7. INDULGES GENIO] Liberè & pro animi tui lubentia, sine cura rerum publicarum vivis.

8. VIA PROGRESSUS] Promotionis, ut nunc vocant: id est, hâc viâ & ratione aditum tibi paras ad opes, honores, magistratus &c. Vox Poëtæ. Sed ille

9. UNUM PRO MULTIS &c.] Se laudat tacitè, querendo quòd aliis feriantibus, aut nihil curantibus, solus sustineat curarum pondera. Virg. lib. 5. Æneid. ℣. 815.

*Unum pro multis dabitur caput.*

Claudianus in Ruf. 2. ℣. 151.

*Tot signis unum petitur caput?-----*

EUGE QUOD APTUS] Applaudit tacitâ ironiâ, & assentatur Poëta hominis vanitati. *Euge* acclamandi & assentandi particula. Sic apud Persium Satyr. 1. ℣. 49.

*Euge tuum & belle.* Et ℣. 75. *Euge Poëta.* Sensus est: bene habet, quod tantis negotiis pertractandis par es.

10. NON NOBIS SOLUM &c.] Cicer. lib. 1. Off. c. 22. *Quoniam, ut præclarè scriptum est à Platone, non nobis solùm nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici.* HOC EGO &c.] Vox est alterius.

11. PONDERO] Expendo, considero. Cic. Off. 2. c. 57. *Quæ sunt judicio certo ponderanti.* Et Act. 3. in Ver. *Nolite brevitate orationis meæ potiùs, quàm rerum ipsarum magnitudine, crimina ponderare.* QUIS &c.] Poëta quærit. DE PRÆDONIBUS] Mansfeldio ejusque militibus, qui latrociniis, incendiis, cædibus, varias Europæ provincias, id temporis infestabant. Vide Serm. 7. ad ℣. 353. fol. 220.

12. TILLYIO] Joanne Serclasio comite Tillyio, strenuo Cæsariani exercitus ductore contra perduelles Bohemos; cujus operâ, Ferdinandus II. Augustus Bohemiæ Rex, non semel triumphavit, Mansfeldium prædonem variis cladibus attrivit, & demum superavit. Vide quæ diximus Serm. 7. ad ℣ 66. fol 161. PLACIDE DORMIVIT &c.] Jocatur: lætioribus éventis credebatur indolescere Carolus Schot, alter novivendulus, de quo suprà Serm. 8. ad ℣. 12. fol. 254. contrariis autem securiùs, & placidiùs indormire.

13. HOC STAMUS QUO NUNC.] Ex quo res nostræ sunt eo loco, quo nunc. Loquitur alter. SICCOQUE CAREMUS &c.] Pisce notissimo, ventis indurato, quem quidam *fustuarium* appellant, quòd antequam in aquam macerandus ante coctūram injiciatur, primo fuste vel malleo subigendus fit. Alii *salpam* nominant, eâdem ratione. Nam Plinius lib. 9. c. 18 salpam dicit nusquam percoqui posse, nisi ferulâ verberatum. Sed ille de molli & recente, non de siccato pisce id affirmat. Id genus autem piscis ex Hollandia plerumque nobis provenit, sed vetito ad id tempus nobis cum Hollandis commercio, necesse erat illo carere. Lotichius Rer. Germ. l. 16. c. 2. circa hæc tempora sic scribit: *Rex Catholicus omni*

*Circuit, & requiem non invenit. Atqui inimici*
*Fusi; pax, aut induciæ. Faxit Deus, inquam,*
*Non patriâ, populo, non Rege, fidéve minutis.*
*Sed quæ conditio, quis Naiius? O nimis ardens*
*Hoc desiderium! Nunc illud crede, scies hæc*
*Autem posteà: & en prægrandis epistola venit*
*Bruxellâ, nostrum rebus super omnibus urgens*
*Judicium: festino, unam post nuntius horam*
*Discedit. Tibi me commendo. Sum tuus, inquit.*
*Et propero: assequitur me Sweertius illico. Sta sis.*
*Non possum, jam equitat Tseraertsius. Insinuas te,*

*omni commercio cum Batavis suos interdixerat, sed flagellatâ tam in Belgio Catholico, quàm Hispaniarum regnis annonâ, prohibitionem mitigavit.* Sententia ergo hæc dignoscitur: ex quo tempore Rex noster, ejusmodi prohibitione, perstat demonstrare, quàm parvi faciat bellum & vires Hollandorum.

14. CIRCUIT &c.] Currit & vagatur per vias, ut exploret, quid rumores publici ferant de rebus Batavis, & libero commercio cum iisdem: fortè de sicco asello sollicitus, quo palatum illius tenebatur. Lucæ 11. ℣. 24. *Quærens requiem & non inveniens.* Juven. Sat. 9. ℣. 8.

*Circuit, & fatuos non invenit.*-----

INIMICI] Hollandi, seu eorum exercitus.

15. FAXIT DEUS] Utinam, inquit Poëta, vera sint ea quæ refers.

16. NON PATRIA &c.] Sine damno vel detrimento patriæ, populi, Regis, & Religionis.

17. QUÆ CONDITIO] Quæ leges pacis vel induciarum. NAIUS] Procurator vel pacis proxeneta; ut fuit Joannes Naius Antverpiensis, Ordinis Franciscani per Belgicam vicinasque provincias præfectus (commissarium illi vocant generalem) qui ad placitum Principum Alberti & Isabellæ, in Hollandiam frequèns commeando, animos utriusque populi, longis bellorum odiis exasperatos, sua comitate mollivit, & ad pacíscendas duodecennales inducias, feliciter inflexit. *Vir*, inquit Baudius lib. 1. Belgicar. Induc. *Industrius, efficax, multarum linguarum peritus, aulicarum artium minimè rudis, artificio colligendæ benevolentiæ plurimùm pollens.* O NIMIS &c.] Loquitur rumorum helluo.

18. HOC DESIDERIUM] Sciendi scil. quod quæris. Callidè respondet, ex arte illorum, qui, ne cogantur dicti sui fidem facere, rationes Eleusinis sacris magis esse arcanas & celandas denuntiant. SCIES HÆC &c.] Ex Euang Joan. Cap. 13. ℣. 7. *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.*

19. PRÆGRANDIS EPISTOLA &c.] Ad me missa est. Juven. Sat. 10. ℣. 71.

---*Grandis epistola venit A Capreis.*---

20. BRUXELLA] Ex aula Principis. REBUS SUPER OMNIBUS] Patriam & optimum publicum attinentibus, de pace scil. vel induciis. URGENS] Seriò postulans.

21. FESTINO] Ut rescribam. NUNTIUS] Tabellarius, vel is, qui litteras attulit.

22. TIBI ME &c.] Poëta hâc formulâ valedicit, & se ab altero expedit; qui item pari ratione SUM TUUS] Ait.

23. PROPERO] Ad stationem meam, antequam porta pateat, & serò advenisse deprehendar. SWEERTIUS] Franciscus, vir elegans & eruditus, cùm multis aliis scriptis, tum Athenis suis Belgicis, quibus de popularibus scriptoribus & posteritate optimè meritus est, apud omnes clarissimus: dignus qui in eis perpetuò vivat. STA SIS] Subsiste si placet. Particulam *sis* Comici frequentissimè imperativis subnectunt, ad imperandi ruditatem, vel invidiam moderandam: valetque ferè, *si vis*. Vox est Sweertii ad Poëtam.

24. NON POSSUM] Subsistere: festino. EQUITAT TSERAERTIUS] Henricus scil. Tseraertius eques, urbanarum vigiliarum præfectus, unus ex quatuor, cujus fortè tunc vices erant, ad urbis fines

*Et probo, multiſcio: ſapientis regula Protei.*
*Ex tali ligno fit Mercurius. Valet, inquam,*
*Aurâ uti & velis. Minimùm ex hac parte laboro.*
*Quis ſecùs occurſu? Quid Marchio? Caſtra movet? Quin*
*Abſque tribus libris loculis comitantibus Hagas*
*Ire brevì dabitur, ventoſo & currere plauſtro.*
*Deſperata fugit Bellona. Quid audio? Sed quis*

nes equitare, ſtationeſque ſingulas ad clauſtrorum munimenta explorare, num ſinguli ſuis partibus ſtrenuè & vigilanter defungantur. Senſus eſt, vigiliarum præfectus equum jam conſcendit, & luſtrat alibi vigilias, mox ad ſtationem portæ mihi commiſſæ properaturus. INSINUAS TE &c.] Iterum Sweertius.

25. MULTISCIO] Multorum nuntiorum gnaro. Vocabulum Apuleianum eſt. SAPIENTIS &c.] Regula ſapientis eſt regula Protei: id eſt, ſapientis eſt, variè ſe transformare, & tempori hominibuſque ſemet accommodare. Jocatur Ironicè, & notat ardelionis iſtius inconſtantiam. *Proteus* Deus marinus, à variis formis in quas ſe transmutavit, inconſtantiæ & mutabilitatis exemplum Ovid. lib. 1. de arte ℣ 761.

*Utque levis Proteus modò ſe tenuabit in undas;*
*Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirſus aper.*

26. EX TALI LIGNO &c.] Aptus eſt, ut ad honores ampliſſimos evehatur. Deſumptum à fabris, Mercurii ſigno materiam deligentibus: vel à magico Mercurii ſimulacro, quod ſculpebatur ex certo ligni genere, aliàs ad uſus magicos nihil profuturo. Inde proverbium: *Non ex omni ligno fit Mercurius.*

27. AURA UTI &c.] Velificari fortunæ ſuæ, quælibet momenta & accidentia in rem ſuam transferendo. Jocatur hîc Poëta, quaſi ex mente Ardelionis: & ideo ſe corrigens: EX HAC PARTE &c.] De hac re minimè ſum ſollicitus, qui artibus præpoſteris, & liberali homine indignis, nolim aliorum gratiam aucupari.

28. QUIS] Vir Urbanus, vel liberalibus moribus excultus. SECUS OCCURSU?] Alio modo ſe gerat, occurrente in via amico? MARCHIO] Ambroſius Spinola, ſupremus Catholici exercitus in Belgica Ductor. Sciſcitatur Sweertius. QUIN] Immò Vox eſt reſpondentis Poëtæ.

29. TRIBUS LIBRIS] Flandricis. Libra Flandrica valet ſex aureos Rhenenſes, aut Brabantinos; id eſt ſcutatos Romanos duos. Tres autem libræ ejuſmodi, pretium erant ordinarium, quo fides publica coëmebatur ab Hollandis, per illos, qui ex Brabantia ad eos tutò proficiſci & reverti cupiebant: aliàs enim vel prædæ, vel captivitatis periculo ſubjacebant. LOCULIS COMITANTIBUS] Cum marſupio nummis farto, cui nimirum pacis tempore, à militibus & prædonibus, metuendum non ſit. Juven. Satyr. 1. ℣ 89.

---*Neque enim loculis comitantibus itur*
*Ad caſum tabulæ.*-----

HAGAS] Cattorum municipium in Hollandia, muris non vallatum, mari tamen oppidiſque munitiſſimis circùm adſitis tutiſſimum. *Hagam comitis* à domo, quæ Saxonibus *haeghe*, ſeu Palatio comitis Batavi, nuncupamus. Hanc extruxit Guilelmus II. Comes, Imperator Romanus, qui & Senatum Graveſandâ huc tranſtulit. Hîc hodie ſedem habent Princeps Arauſionenſis, Senatus Hollandiæ provincialis, item & ſupremus omnium provinciarum fœderatarum. Huc conventus ſuos cogunt, tum ordines ejuſdem Provinciæ, tum generales omnium.

30. VENTOSO PLAUSTRO] Veliſero curru, qui tum nupera inventione Stevinii, cum ſeptemdecim ſociis, vexerat Mauritium Principem Auriacum, in ora maritima littoris Batavici. Extat de hoc curru ſolidus liber 11. Epigrammatum Hugonis Grotii, qui Epigram. 5. de eodem Principe ſic canit.

-----*Ventos non ultrà paſſus inertes,*
*Hoc dedit, excelſæ nobile mentis opus.*
*Impoſuit plauſtro vectantem carbaſa malum,*
*An potius navi ſubdidit ille rotas?*
*Scandit aquas navis, currus ruit aëre prono,*
*Et merito dicas, hic velat, illa natat.*

Summa quippe & incredibili celeritate, minimum temporis, currus hic novus maximum viæ ſpatium emetiebatur.

31. DESPERATA] Omni ſpe victoriæ deſtituta. BELLONA] Martis ſoror & belli Dea, pro bello. Id eſt: Batavi deſperant armis ſuis victo-

*Famæ auctor? Qui aderat congerro. Ex illius ore*
*Nîl sparge in vulgus, nisi cautio de reparando.*
*Quî sic? In melius verum exornare solebat.*
*Præbet epistolium: teque illi accedere fas est.*
*Nosti hominem? Novi. Quî tecum convenit illi?*
*Optatò; accedo si quid premat, elevet, optet,*
*Ne videar caudex, & ne me torreat ultrà.*
*Nam quid proficias, caput est heteroclitum, abundans*
*Nempe suo sensu, sed deficiens ratione.*
*Quisque suos patimur manes: magis hic, minùs ille;*
*De quocumque luto placuit formasse Prometheo.*

res evadere. QUID AUDIO?] Mirantis Sweertii interrogatio.

32. FAMÆ AUCTOR] Istius rumoris. QUI ADERAT] Respondet Poëta: ipsus ille, qui mecum, jam ante tuum adventum, fabulatus est. EX ILLIUS &c.] Sweertius Poëtam monet de dubia & sublesta hominis fide, ac proinde ne temere illius dicta, apud alios denarret.

33. NISI CAUTIO &c.] Fide jussores obtineas, qui damnum, si quod tibi emergat, cogantur reparare: ne postea falsi convictus, cogaris vel erubescere revocando, vel læso damnum resarcire. Jocatur.

34. QUI SIC?] Rogat Poëta. IN MELIUS &c.] Iterum Sweertius: mendaciis rem auget, & exornat liberaliter.

35. PRÆBET EPISTOLIUM] Instat Poëta. Offert legendum epistolium, unde certò discas rem narratam veritate niti. ACCEDERE] Consentire & accedere. Terent. Phorm. Prol. ℣. 30.

*Voluntas vestra si ad Poëtam accesserit.*

36. NOSTI HOMINEM?] Iterum Sweertius, quasi de fide hominis adhuc dubitans. NOVI] Responsum Poëtæ. QUI TECUM &c.] Sweertius.

37. OPTATÒ] Respondet Poëta. ACCEDO] Accedere me simulo, seu cum ipso sentire me fingo. Solebant olim dum pedibus inibantur suffragia, Romæ ad eum accedere, cujus ipsi opinationem probabant. Inde *accedere* pro consentire. PREMAT] Maximè urgeat, vel exaggeret. ELEVET] Leve, vel parvi pretii faciat.

38. CAUDEX] Rudis ut caudex, qui est simplex arboris pars à summa radice usque ad imos ramos ascendens: id est truncus. Hinc & pro stulto, & obtusioris ingenii homine usurpatur. Terent. Heaut. Act. 5. Sc. 1. ℣. 4.

*Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes,*
*Asinus, plumbeus.*

38. TORREAT] Lædat, malè afficiat, feriat. Innuit hominem quandoque sibi obfuisse. Id est: colo & veneror malum genium, ne mihi noceat.

39. QUID PROFICIAS] Dicta scil. ipsius contentiosè refellendo. CAPUT EST HETEROCLITUM] Cerebrosus, pertinax, & præter communem hominum morem. Ab accidenti grammatico, ad obstinatam, communes commercii humani leges prævaricantis voluntatem, festivè deflexum. ABUNDANS] Perstat in Metaphora. Heteroclitorum enim alia sunt variantia, alia deficientia, alia abundantia.

40. SUO SENSU] Sensa sua præfractè tuetur, nullis rationibus se submittens. Detorta Phrasis ex Epl. D. Paulli ad Roman. c. 14 ℣. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Id est, pro conscientia sua, seu mentis propriæ persuasione agat: seu, ut D. Ambrosius, *quisque suo consilio remittatur.*

41. QUISQUE SUOS PATIMUR MANES] Omnes, suis quisque animi morbis, seu vitiis obnoxii sumus: nam hoc sensu hodie jactatur adagii vice Virgilianum isthoc l. 6. Æneid. ℣. 743. ubi Anchises filio Æneę exponit, quàm omnes suâ quisque pœnâ pro merito culpæ apud inferos plectantur. Affine est istud Flacci l. 1. Sat. 3. ℣. 68.

*---Vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,*
*Qui minimis urgetur.-----*

MAGIS HIC &c.] Hic gravioribus, ille levioribus vitiis deformis est.

42. DE QUOCUMQUE &c.] Ut cuique corpus, vel

*Quis dubitat? Nec in hoc dissentio. Commiserandum*
*Infirmo cerebro. Scis quid me torqueat? Ecquid?*
*Hunc similesque viros tresses, vili obsequio, ipsis*
*Semideis gratos. Muni te Socrate: nescis*
*Plurima per tales sustendi posse, per ipsum*
*Quæ vix amphibium? Luscis intentio magna.*
*Si tibi plena acies, vitium defige alienum*
*Democriti risu Nam quis suppleret inane,*

vel meliùs, vel deterius constitutum est. Nam propensiones in bona vel mala naturales, à constitutione corporum profluunt: malis autem cupiditatibus, adjutante Deo, jugiter obsistendum est, ut quàm minimum afficiant, nec rationi reluctentur. *Prometheus*, qui hîc Creatorem Deum Opt. Max. designat, olim creditus est primum hominem è luto, vel terrę gleba finxisse: ut suprà vidimus Serm. 6. ad ℣. 65 fol. 130. Inde è *meliore luto factos* dicimus, quibus melior indoles. Vide Serm. 3 ad ℣ 166 fol. 44.

43 QUIS DUBITAT] Sweertii vox est.

44. ECQUID] Interrogat Poeta.

45. HUNC &c.] Iterum Sweertius. VIROS TRESSES] Ineptos, trium assium, nihili. Persius Satyr. 5. ℣. 76.

*----- Hic dama est, non tressis agaso.*

VILI OBSEQUIO] Officio, vel affectatione servili.

46. SEMIDEIS] Principibus, Heroibus, vel maximarum rerum Administris, qui minorum adulationibus capiuntur. Hos enim in rebus magnis consulunt, non tam capiendi, quàm jam captum consilium probandi gratiâ. *Semidei* apud Poetas compositæ mediæque sunt originis, altero parentum Deo, altero homine prognati: ut Hercules ex Jove & Alcmæna. MUNI TE SOCRATE] Constantiâ Socraticâ. *Socrates* enim semper sibi visus similis, tam in prosperis, quàm in adversis; summus utpote rerum humanarum contemptor. Plin. l. 7. c. 19. *Ferunt*, inquit, *Socratem clarum sapientiâ, eodem semper visum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato.* Hic omnium philosophorum punctis, ac ipsiusmet Apollinis oraculo sapientissimus comprobatus est.

47 SUSTENDI] Artificiosâ dexteritate, ac callidè confici, vel confectum dari. Suetonio enim insidiæ dicuntur sustendi.

48. AMPHIBIUM] Hominem catum, doctum, sapientem, & maximis parem. Notat hîc quempiam sibi & familiaribus notissimum, qui licèt rebus magnis peragendis, apprimè foret idoneus, anceps tamen, & nullarum partium, res dumtaxat privatas curabat, & sibi soli vivebat. De illo enim sic habet alibi in M. SS.

*Amphibius sibi versutus, non utilis ulli.*

Persistit cum venustate in metaphora *tensionis*: nam ab ἄμφω, quod est *ambo*, & βίος, quod quidam exponunt *arcum*, vel *nervuum arcus*, quòd vim arcui addit, vel vi contenditur: fit ἀμφίβιος quasi utriusque vel duplicis nervi, aut intentionis arcus. Ludit in ambiguo, tam in significatu jam exposito, quam in altero. *Amphibia* enim animalia sunt, quæ partim in aqua, partim in terra vivunt. De illis Cic. lib. 1. de Nat Deor. c. 103. *Bestiarum autem terrena sunt alia, partim aquatiles, alia quasi ancipites, in utraque sede viventes* Componitur ἀπὸ τοῦ βίου, quod est vita, vel victus, & ἀμφὶς, quod est utrimque vel ab utraque parte. ἀμφίβιοι, quasi in utraque sede, vel utroque victu, maris & terræ, victitantes. Et hinc proverbiali schemate hodie *amphibii* dicuntur, qui sibi vivunt, nec ullarum sunt partium: id est, ut volunt alia proverbia: nec caro, nec piscis; nec intus nec foris; nec domi nec militiæ. Vide Adag Gilb. Cognati. LUSCIS INTENTIO MAGNA] Altero oculo captis, acrior perspicacitas est. Vis enim optica ab uno fonte vel principio, in geminos oculos distribuitur: impeditâ verò alterius actione, alteri tota se infert, fitque se ipsa validior. Confert sciolum hunc ardelionem, cum lusco: Amphibium descriptum, cum perspicace, & neutro oculorum capto.

49. PLENA ACIES] Integra & plena, per utrumque oculum, videndi potestas Metaphoricos, mentis vel ingenii aciem intelligit. DEFIGE] Nota, castiga, perime. Persius Sat 5 ℣. 15.

*-----Pallentes radere mores*
*Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.*

50. DEMOCRITI RISU] Quo humana omnia

*Raserit aut strumas rerum? Compone, valebis,*
*Cui praees, in caecos hominum affectus, μικρόκοσμον.*
*Philosophum formas. Ut poscis nempe: Pisani*
*Non caput attritum; non cujus vita polaris;*
*Non qui Bruxellæ populo ridente fenestris*

pro ludibrio accipiebat. Siquidem intellecto novo quopiam rerum mutabilium & fortunæ eventu, philosophus ille Abderites, in risum solvebatur, unde Gelasinus dictus, ut monuimus fol. 55. Et infrà Noster Serm. 10. ℣. 282.

*Democritus risit, flevit contrarius auctor.*

Horatius lib. 2. Epistolâ 1. ℣. 194.

*Si foret in terris rideret Democritus.-----*

Et Juvenalis Satyrâ 10. ℣. 33.

*Perpetuo risu pulmonem agitare solebat*
*Democritus. --------*

SUPPLERIT INANE ] Rerum inanitatem expleverit, seu ut Plautus, inanimentis explementum fecerit. Persius Sat. 1. ℣. 1.

*----- Quantum est in rebus inane!*

51. RASERIT AUT STRUMAS? ] Tumores & supervacanea? Sensus est: quis hiatus obstruat, defectus supplendo, & excessus deputet. Seu quis attulerit bona quæ desunt, aut abstulerit mala vel morbos, quæ abundant huic seculo. *Struma* tumor est in cervice & alis, in quo glandulæ duræ, quas vocant scrophulas. Metaphoricè pro morbis animi. COMPONE ] Seda, tranquilla, paca comprimendo motus.

52. CUI PRÆES, μικρόκοσμον ] Te ipse, animum & corpus tuum, quibus ratio, & arbitrii libertas imperat. *Physici* enim, teste Solino, *hominem minorem mundum esse judicarunt.* Arnob l. 2. cont. Gent. *Hic est ille pretiosus, & rationibus homo augustissimis praditus, mundus minor qui dicitur, & totus in speciem fabricatus.* Clemens Alexand. protrept. *Cum hunc mundum, atque etiam microcosmum, nempe hominem, ejusque animam & corpus sancto spiritu concinnasset.* Lipsius Cent. 2. ad Belg. Epl. 26. *Hominem esse parvum mundum vetus sapientia dixit.* Id est, μικρόκοσμον. Homo namque quaternis humoribus, tanquam elementis, quorum principes qualitates referunt, constat: sanguine, pituitâ, bile flava, bile atra; & sic quodammodo omnia continere censetur, quæ in mundo sunt. Insuper animam habet ex cælo decerptam, divinæ auræ particulam, primæ rationis imaginem: ut rectè parvo mundo, id est, sibi ipse per rationis impetium præesse dicatur.

53. PHILOSOPHUM FORMAS ] Sweertii vox est ad Poëtam. Prima hîc contrahitur, per diastolen, ob necessitatem metricam. FORMAS ] Me instituis, philosopharis, ut verus evadam philosophus. UT POSCIS ] Inquit Poëta: nam cùm, quo malo torqueare, mihi edisserueris, meum est remedium suggerere. Itaque per philosophiam, quæ potissimùm in actione est, tibi succurrendum censeo. Formem ergo te philosophum, sed non similem jam memorandis, qui potiùs à sapientiæ ostentatione, quàm actione, virtutis laudem aucupantur. PISANI ] Viri celebris Octavii Pisani, nobilis & locupletis Itali, qui Hetrusco sermone conscripsit, *Leges perutiles, juxta quas administratur vera, prompta, & expedita justitia, sine advocatis, procuratoribus, consiliariis &c.* Latinitate donatas à Francisco Mercurio Barone ab Helmont, & Merode, editas Sulzbaci Anno CIƆ IƆC.LXVI. Hic multo peregrinandi desiderio æstuans, rem omnem transcripsit gentilibus, & proximè sibi agnatis, hac cautione: ut ubicumque terrarum esset, quotannis ei, ope collybisticarum tabellarum, coronatos mille pendi accurarent. Demum Belgium ingressus, sedem senectutis suæ, præ ceteris, elegit Antverpiam, quam majorem anni partem incoluit; reliquo tempore aliis Belgicæ Catholicæ civitatibus pro genio usus.

54. CAPUT ATTRITUM ] Faciem obtusam, naso resimo, & ad malas usque pæne depresso: quæ adeo deformarunt hominem, ut pueris in officio continendis, pro terriculamento matres occinerent: *Pisanius adproperat*, quod vulgus nostrum dicebat: *Pisani die compt.* NON CUJUS VITA POLARIS ] Astronomus quispiam tunc notissimus; cujus vita, cura, studium & ingenium totum in eo erat, ut polos ejusque motus scrutaretur, & fortè nullo fructu, sine rerum suarum aut laudis incremento.

55. NON QUI BRUXELLIS ] Uti superiori versu, ita & hîc notatur quispiam, utrique congerronum probè cognitus, quem deridicula vanitas, populi sermonibus celebravit.

56.

*Doctrinam & scripsit foribus: sed qui sua, seque*
*Moribus austeris praesentis temperat astri*
*Illaesâ fibrâ. Pauci quos aequus amavit*
*Juppiter. Excutiendus amor recti, fabricando*
*Fabri simus. Verùm aliàs plura. Obsecro mecum*
*Ut jentes hodie. Quò se custodia portae?*
*Sub duce Janssenio. Non objectacula servat:*

56. DOCTRINAM ET FORIBUS &c.] Programmata, monita philosophica, gnomas, & scita moralis sapientiæ, ut se philosophum ostentaret, foribus, & fenestris domus suæ inscribi curavit: fortasse non absimilis illi, de quo Laërtius: *Spadone quodam scelerato Domui sua inscribente,* NIHIL MALI INGREDIATUR, *dominus inquit Diogenes, quà ingreditur?*

57. MORIBUS AUSTERIS] Præposteris. ASTRI] Fatalis necessitatis seu fati. *Astrum* plurium stellarum sidus est, philosophorum vulgus constellationem appellat. Per hoc Æthnici olim fatum, seu necessitatem, non rarò expresserunt. Persius Satyr. 5. ℣. 51.

*Nescio quid certè est, quod me tibi temperat, astrum.*

TEMPERAT] Accommodat.

58. ILLÆSA FIBRA] Non læso, vel affecto corde: id est, æquanimiter, non repugnanter, patienter. *Fibra* hic pro corde ponitur. Extremum cujusque rei fibrum olim dicebatur, teste Varrone l. 4 de l. l. unde fibræ dictæ sunt extremitates omnium rerum & jecinoris. Maximè tamen de visceribus hominum, animantium, & arborum radicibus dicitur. Inde fibræ jecinoris, pulmonis, & cordis. Posteriori significatu usus Persius, Satyr. 1. ℣. 47.

*----- Neque enim mihi cornea fibra est.*

Id est, cor durum, & sine sensu. PAUCI &c.] Arguit Sweertius, innuitque perpaucos esse, qui hoc præstent, nec esse ullos, nisi quos Deus singulari beneficio tales fecerit. Virg. lib. 6 Æneid. ℣. 129. *----- Pauci quos aequus amavit*

*Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.*

59. EXCUTIENDUS AMOR RECTI] Deponendus, vel tollendus insulsus justitiæ, ac virtutis amor, quas in aliis desideramus, in nobis negligimus: quibusque citiùs alios plectimus, quàm nos ipsi corrigimus. Amor honestatis primùm in se, deinde in alios fertur. Alienas papulas observare, ulcera nostra præterire, perversum est. Rectè proverbium isthoc vetus: *non videmus manticæ, quòd à tergo est.*

FABRICANDO &c.] Usu & praxi pedetentim ad ipsam artem accedimus Poëtæ verba sunt ab adagione desumpta, quibus innititur, ab artis exercitio nasci artifices.

60. VERUM ALIAS &c.] Valedicit Poëta, & conatur se à sodale expedire, ut festinet ad excubias. Sed Sweertius: OBSECRO &c.] Ad jentaculum te compello, vel invito.

61. JENTES] Primum diei, & matutinum cibum capias. Didymus ad Odyss. l. 2. *Ter cibum veteres capiebant. Ientaculum primo sumitur, quod vocatur ἄριστον & sumitur manè, cum adhuc tenebræ essent.* Prandicula & Silata, item & sacra matutina, quidam veterum jentacula dixere. Plaut. Curcul. Act. 1. Sc. 1. ℣. 72.

*Me inferre veneri vovi jam jentaculum.*

Soli ferè pueri olim sumebant, aut ganeones. Mart. lib. 14 Lem. 223.

*Surgite jam vendit pueris jentacula pistor,*
*Cristataque sonant undique lucis aves.*

Romani ferè siccum panem in jentaculo sumebant; vino etiam abstinentes. Unde *panem gustare, panem comedere,* pro *jentare.* Sæpè tamen aliquid opsonii saliri adhibebant. QUO SE &c.] Quo se dimittet vel ablegabit, aut transferet portæ custodia. Id est, quis vice mea, præerit excubiis portæ mihi commissæ. Vox est Poëtæ.

62. SUB DUCE JANSSENIO] Responsum Sweertii. Janssenius civicæ cohortis dux, curam istam curaverit. *Ianssenius* lautioris fortunæ mercator, à munere centurionis, seu militari ducis magistratu notissimus, vulgo *Capiteyn Ianssens.* A Rege siquidem novata lege, non nisi civium nobiliores cohortibus præficiebantur. Hinc infra ℣. 86.

*Condecorat portas holoserica bracca-----*

OBJECTACULA] Obices cancellatos. *Objectaculum* Varronianum vocabulum, usurpatur hic pro claustro cancellato, interdiu ad transitum

*Juratis curæ. Se excuset nemo, subinde*
*Inciderit casus de quo dependeat urbis*
*Tota salus: volupe est, nos nobis cingimur ense.*
*Non orsis colophonem addes? Divellimur ergo*
*Damon & Pythias? Nisi ames excurrere mecum.*
*Est fabricata foris statio, ne Sirius urat*
*Præfectos vigilum, pluviis vel terreat Auster.*
*Si varices timeas, dabitur requiescere. Nedum*

clato & pendulo; quod urbe exituris, primum se offert ante valvas. Constat cancellis acernis, quadrilateribus, ferro infernè acuminatis; repentinis, per maturatum delapsum, incursibus, si rudentes, à quibus utrimque dependet, quæ semper præsto est, securis inciderit, præsentaneum obstaculum. Experti Alensoniani, de quibus Serm. 8. ad ỹ 23. fol. 256 vulgus appellat, *het schof*. Sensus est: illi credita non est objectaculi cura; utpote, quæ non tangit Ducem cohortis civicæ, sed sodales collegiorum sex militarium, quæ vernaculâ phrasi *Ghildas* nominant. Ita dictum Sweertii refutat Poëta.

63. JURATIS CURÆ] Ea cura esto sodalibus juratis armatorum collegiorum: illis enim solis custodiendi objectaculi sparta creditur. Nam ita sonat edictum Regiũ anni CIƆ.IƆC.XXIII. art. 54. *Ghilda excubias agens, custodienda objectacula quinque portarum mediterranearum, duebus sodalibus forte legendis (ademptâ illis potestate substituendi tympanotribas, aliósve injuratos) demandare obstringitor.* SE EXCUSET &c.] Depellit Poëta.

65. NOS NOBIS &c.] In tutelam corporum nostrorum, & fortunarum.

66 ORSIS] Civibus jam exorsis diurnas hodie excubias agere, extra urbis portam. COLOPHONEM ADDES?] Me Præsidem, & caput vigiliarum. Sensus est: non fines me, qui omnium maximè desideror, adesse vigilibus? Innuit serò esse, & patente portâ, cives foris jam suas stationes incepisse. *Colophonem addere*, est illud rei cuipiam adjicere, sine quo negotium confici non potest: ut hîc excubiæ sine Præside. Alioquin etiam significat summam manum, seu coronidem operi imponere, ut apicem fabricæ. Ortum adagium à Colophoniis militibus, quos ferunt tantâ fuisse præstantiâ, ut cùm alibi gentium bellum confici non posset, id Colophoniorum equitum auxilio confectum iri dicerent. Sic & novissimis suffragiis dicimur legi, Decreto vel electioni Colophonem addidisse.

67. DAMON ET PYTHIAS] Amici integerrimi ac fidelissimi; ut fuere, de quibus Cicero lib. 3. c. 45. *Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cùm eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset: & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies, commendandorum suorum causâ, postulavisset: vas factus est alter ejus sistendi, ut si ille non revertisset ad diem, moriendum esset sibi ipsi, qui cùm ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se in amicitiam tertium adscriberent.* EXCURRERE] Portis egredi, & foris stationem obire.

68. FORIS] Extra portam, mox à trajecto secundo ponte. STATIO] Ædicula respondens è regione stationi diurnæ vigilum, ad fossam murorum, ubi locus eorum, quos Pręsides aut Commissarios vocant. Hujus ædiculæ descriptio, probat portam fuisse Chidorpianam, ubi Poeta excubiis præsidebat. SIRIUS] Solis æstus, qualis solet esse diebus canicularibus. *Sirius* stella in ore canis cælestis, canicula nuncupatur. Papin. Sil. l. 1. Carm. 3. Vil. Tiburt. Manl. ỹ. 5.

*Illum nec calido latravit Sirius astro.*

Pro ipsa æstate invenias. Ibid. Cam. 2. ỹ. 156.

*Nec servat natura vices, hic Sirius alget,*
*Bruma tepet.-------*

69. PRÆFECTOS VIGILUM] Præsides seu commissarios; ducem cohortis quandoque aut ejus legatum; quamvis posteriores alibi stationem suam habere possint. AUSTER] Ventus meridionalis, nubilus, & imbrifer. Papin. Theb. 1. ỹ. 350. ------ *Plurimus Auster*
*Inglomerat noctē, & tenebrosa volumina torquet,*
*Defunditque imbres.-------*

70. VARICES] A nimio standi labore tibi ob-

*Ire libet comitem, sed & horas divido tecum,*
*Si limare velis hodierna diaria mecum.*
*Perplacet. Appulimus. Salvete ô pectora: lucem*
*Juppiter hanc faustam portat. Tibi prospera cuncta*
*Commissarie. Quid parva hæc craticula? Grande*
*Munimentum urbis. Quis dixerit? Et statio hæc est*

obventuras. *Varices sunt venæ*, ut inquit Nonius, *in suris inflexæ, vel obtortæ*. Id est, potissimùm in venis: nam de varicibus in ventre meminit Celsus lib.7.c.31.& alii in temporibus, alii in palpebris. Sunt igitur *varices* generatim venæ fæculento sanguine distentæ, quæ cutem lividam vel atram reddunt. Quod turpe Romanis olim, qui crura non vestiebant. Inde Plinius secundus sibi persuaserat, uti est apud Quintilianum l.11.c.3. Ciceronem, velandarum varicum gratiâ, togam ad calceos usque demisisse: cùm tamen id ex úsu veterum fuerit, ut etiam hodie ex statuis antiquis liquet. Varices autem vel adurebant, aut ma[illegible]cidebant, ut videre licet apud Celsum jam citatum. Nascuntur ex contusione, nimio conatu, standi & ambulandi labore. Hinc Varro Epl.ad Neronem, uti extat apud Nonium, & in Fragm. *Si tuam rhedam non habuissem, haberem varices* Juven. Sat 6 ỷ.396 *haruspicem varicosum* appellat, quòd multùm stat, dum deos & exta consulit In quem locum Britannicus: *varices dicuntur ex nimia mora standi provenire*. Sic & Persius Sat.5 ỷ 189. *varicosos centuriones* appellavit, quòd illis multa statio & itio. Nam ut Claverius in hunc locum: *Stando & eundo fiunt varicosi*. DABITUR REQUIESCERE] Sedes vel scabellum, ut sedeas. NEDUM] Vox est Sweertii assentientis, & comitem Poëtæ semet addicentis, modò condicat in prandium.

71. HORAS] Stationis, quæ ad meridiem usque extendebantur. DIVIDO] Sustineo tecum Id est, in partem tædiorum veniam. Sic dicimur cum amicis curas, dolores, gaudia dividere, dum eadem cum illis communicantes, facimus, ut nobiscum lætentur, doleant &c. Atque ita læva leviora, dextra lætiora nobis obvenisse videantur. Sic & per amica colloquia, dividimus, & decurtamus multarum horarum spatia.

72. LIMARE] Atterere, consumere, mandere. DIARIA] Cibaria hodierni demensi. Ut suprà Serm.3 ad ỷ.189. fol 46 Ulpianus Digest.lib. 34. Tit. de alimentis & cibariis, leg.21. *Diariis vel cibariis relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calciarium deberi palam est: quoniam de cibo tantùm testator sensit*. Sensus est, si in animum ducas hodie mecum prandere.

73. PERPLACET] Condicit Poëta, pergitque narrando. APPULIMUS] Ad portam, & jam trajectis pontibus extra eamdem, vigiles compello hâc formulâ. SALVETE Ô PECTORA] O strenui, tales enim Belgicâ phrasi *pectora* noncupamus, ut est apud Kilianum, non secus quam selectos cohortium viros, *pectora nobilia*, vulgo *adelborsten*. Extat apud Gevartium introit. Ferd. Oratio V. N. Roberti Tucheri Cos. de quo in Proecthesi Serm 1. fol. 1. & aciei urbanæ ductoris, principem Cardinalem compellantis: ubi inter cetera Orator, *Cives*, inquit, *hos velut milites armatos, & devota Catholicæ Majestatis obsequio pectora, Serenissimæ Celsitudini Tuæ sisto*. Non ablusere veteres. Virgilius. lib. 2. Æneid. ỷ. 348. *Iuvenes fortissima pectora*. Et Papin. Theb. lib. 4. ỷ. 305.

*Hos belli cœtus jurataque pectora Marti.*

Id est, generosos, fortes, & qui audeant inimicorum telis, pectus etiam nudatum objicere. Vide Serm 3. ad ỷ.335. fol 62

74. TIBI &c.] Vigiles aliquot, aut eorum aliquis omnium nomine.

75 QUID PARVA HÆC CRATICULA?] Ligneam intelligit, quam videas ad secundum pontem versatilem. Nam in M SS. eligendum sibi epitheton reliquit, ex his tribus unum; *nova, parva, querna*. *Craticula* hîc est, septum cratitium quernum, quo transversè latera pontis firmantur, quod videtur eâ ætate, novæ fuisse inventionis, & non ita pridem adjectum. Quæstio hæc est Poëtæ. GRANDE MUNIMENTUM &c.] Respondet vigil vel excubitor quispiam jocando, & ironicè.

76. QUIS DIXERIT?] Iterum jocando, & falsè admirando, Poëta. ET STATIO] Iterùm Vigil. Hæc est ædicula, & umbraculum. Innuit hanc stationem, admodum recenter exstructam esse.

77.

*Præsidis & scribæ. Quin vectigalibus apta.*
*Rem populi tractant ædiles. Fausta dies: an*
*Tutus obex? Tutissimus. Exactus gladiator.*
*Nónne hic Janssenius? Salve dux sedule: qui se*
*Res habet? Ex animo. Ad fossæ spatiabimur oram:*
*Præstò ero, si occurrat quidquam. Deus umbo suorum.*
*Strenuus hic populi ductor. Quin cognitus armis,*
*Et rude donandus. Renovatio non fuit abs re:*

77. PRÆSIDIS] Commissarii, qui auctoritate Senatus excubiis præsidet. SCRIBÆ] Qui peregrinorum & exterorum nomina in tabulas refert, aliaque scitu necessaria, ad urbis securitatem, antequam ad ejus ingressum admittantur. VECTIGALIBUS] Apta insuper & capax, ut recipiat quæstores vectigalium. Ironicè scil. quasi ob angustiam minimè capax.

78. REM POPULI &c.] Et hic ironicè respondet Poëta. Sensus est, publicæ utilitati prospiciunt. Persius Sat. 4. ℣. 1. *Rem populi tractas*--- ÆDILES] Ædificiorum publicorum, & viarum curatores, quos nostro idiomate dixeris *Bouwmeesters*. Nam *ædiles* Romani, præterquam quòd annonam, mensuras, rem frumentariam curarent, unde etiam modò ædiles dici possunt, quos vocamus *Keur-meesters*, aliaque plura apud idoneos obvia: etiam prospiciebant, ut ædificia publica, privataque fierent: ut cloacæ, aquæ ductus &c. lauta & integra asservarentur. Brevissimè Cicero l. 3. de leg. c. 7. *sunt ædiles curatores urbis, annonæ, ludorum solennium.* Noster infrà Serm. 11. ad ℣. 571. extendit ad curatores publicarum eleëmosynarum, & pauperum. Pergit deinde Poëta lustrare ceteros, & juratos ostendens sodales, de quibus supra ad ℣. 63. salvere illos jubet, hâc formulâ: *fausta dies.*

79 TUTUS] Expeditus in quemvis casum, & probè custoditus. OBEX] Objectaculum, de quo jam egimus ad ℣ 62. TUTISSIMUS] Inquiunt sodales armati. Hi enim habent aliam stationem, ad observandum objectaculum, nec quidquam commune habent, cum aliis excubitoribus EXACTUS GLADIATOR] Quisque collegarum ejusdem collegii. Laudat curam illorum, & ab illa collegium istud, quod vocant gladiatorum, vulgo *Schermers-ghilde*: ac si dicat: armati sodales istius collegii accurati sunt, in rebus suis percurandis. Sex ista collegia Antverpiæ, florem urbanæ pubis complectentia, quibus annuo magistratu bini præsunt decani, seu ductores cohortis ejusmodi, vide in Antverpia Guicciardini hominis Itali, de urbe nostra optimè meriti, & eruditione clarissimi.

80. NONNE HIC JANSSENIUS?] Dux cohortis civicæ, de quo suprà ad ℣ 62. Eminus Poëta ducem conspicando, percontatur Sweertium deinde pergit & hominem occupat. SALVE &c.] Formula urbanitatis, ut solemus nomine vel epitheto bonæ proprietatis, amicos compellare, & eorum animos parare.

81. QUI SE RES HABET?] Quàm tui sunt expediti ad arma, quàm seriò stationes obeunt, quàm frequentes adsunt, & universè qui res agitur cum portæ custodia? Hæc enim inspicere & explorare sedulò, partes sunt Commissarii. EX ANIMO] Ad votum, bellissimè, rectissimè. Vox est respondentis Janssenii. Postquam Poeta primas commissionis suæ partes explesset, & jam securus de justa tutela & vigilia, indicat extra septum ad oram vicinæ fossæ, se cum amico ambulaturum. AD FOSSÆ SPATIABIMUR ORAM] Id est, vobis in propinquo adero, mox accursurus, si res postulabit.

82. SI OCCURRAT QUIDQUAM] Casus quispiam incidat, qui me præsentem, aut arbitrium meum requirat. DEUS UMBO SUORUM] Sententia & augurium Janssenii: ac si dicat, Deus suorum clypeus nos tuebitur.

83, POPULI DUCTOR] Popularis cohortis dux, aut centurio Janssenius COGNITUS ARMIS] Armorum tractatione, ac usu eorumdem dextro & generoso.

84. RUDE DONANDUS] Vacatione vel dimissione muneris. Nam virgâ donabantur, seu rude gladiatores, quibus jam licere volebat Prætor à gladiatorio munere cessare. Cic. Phil. 2. c. 74. ad Antonium; *Tam bonus,* inquit *gladiator, rudem*

*tam*

*Tutiùs expuncti sunt mercenarii, & auctis*
*Condecorat portas holoserica bracca maniplis.*
*Omnibus una salus; quin lex quadret omnibus una?*
*Obstrepitur tamen à multis. Plebs mussitat omnis.*
*Dyscolus est omni in numero. Quae causa querendi?*
*Nónne recudendo Procerum patientia binas*
*Implevit Lunas, ne quid protuberet usquam,*

*tam citò accepisti?* Ovid. l. 4. Trist. Eleg. 8. ℣. 24.

*Me quoque donari jam rude tempus erat.*

Horatius libro 1 Epist. 1. ℣. 2.

----- *Donatum jam rude quaeris*
*Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.*

Inde & *rudiarii* dicti, quibus jam missio facta; non in gladiatoria tantùm, sed in re qualibet alia. Vide Erasm. Chil. & Marc. Donat. in c. 7. Sueton. in Tib. *Rudis* autem est virga aspera, rudis, & impolita; diciturque etiam de ferrea. Sensus est; meritò Janssenius hâc militiâ civili mitti & liberari debuisset, nisi jam omnes sine discrimine Rex jussisset, pro focis & aris propriis, proprio, non conducto aliorum Marte, excubare. RENOVATIO] Eorum omnium, quae tam Principes Albertus & Isabella, quàm Senatus urbis sanxerant aliquando, in rem, & justam moderationem excubiarum. Ita enim decernit edictum Regium anni CIↃ. IↃC. XXIII. *Statuimus per praesentes, tam ad renovanda praedicta decreta, quatenus iis per has non derogatur, quam adjiciendas alias nostras definitiones huc facientes, totum id, quod in hanc rem, & hoc modo, sequitur.* Renovat decreta anni CIↃ. IↃC. XVIII. ab Archiducibus perlata, uti & anni CIↃ. IↃC. VII. à Praetore, Coss. & Senatu urbis.

85. TUTIUS] In majorem cautelam. EXPUNCTI SUNT MERCENARII] Rejecti sunt vigiles, qui mercede conducebantur, ad obeundas aliorum stationes. Novatis enim veteribus edictis, nemo ab excubiis, quod aiunt, personalibus liber erat. Unde potentiores ambibant potiùs magistratus creari, quam gregariâ & manipulari operâ, humilioribus subesse. *Expungi* propriè dicuntur milites, quorum nomina ex albo raduntur. Sic & *manipulos expunctos* hodiè dixeris reformatos. Plaut. Curc. Act. 4. Sc. 4. ℣. 29.

*Miles pulchrè centuriatus est, expunctio in manipulo.*

AUCTIS] Plurium numero & accessu: nemine scil. à centurione suam praesentiam redimente. Vide Serm. 2. ad ℣. 57. fol. 28.

86. HOLOSERICA BRACCA] Civium opulentiores, quibus superbior vestitus, & ea tempestate erant braccae vel subligacula holoserica, id est ex puro serico, quae vulgo id temporis dicebantur *kassa-broecken*. Componitur holosericum ἀπὸ τοῦ ὅλου, *totum*, & σηρικοῦ, *sericum*. Vide quae diximus suprà Serm 8. ad ℣ 212. fol. MANIPLIS] Cohortibus, catervis, centuriis.

87. UNA SALUS] Eadem salutis tutela, omnibus communis & commoda. QUIN] Cur non.

88. OBSTREPITUR &c.] Dictum Sweertii. Multi obganniunt, & plebs coepit murmurare, eruptura quandoque in publicos clamores. Excubandi namque debitum, uti molestum erat lautioribus, ita plebeis minimè quaestuosum, qui hâc ratione frustrabantur lucro vicariae operae in excubiis.

89. DYSCOLUS EST OMNI &c.] In omni civitate, turba, societate, invenias *dyscolos*. Poëtae dictum est. *Dyscolus* propriè, homo difficilis in comedendo, qui fastidioso stomacho est, & cui plerumque nauseat esca. Metaphoricè morosus, cui omnia facta, dictáve stomachum movent: murmuratorem hodiernâ Phrasi dixeris.

90. RECUDENDO] Reformando, renovando &c. PROCERUM] Delegatorum ab aula Regia Bruxellensi, Comitis scil. de Noyelles, Cancellarii Peckii, & aliorum, qui secundum ferè mensem Antverpiae, in hac re seriò examinandâ & deliberandâ, multa animi ęquitate demorati sunt.

91. LUNAS] Menses. NE QUID &c.] Ne desit aut redundet quidquam: vel nequid omissum reperiatur, quod necessarium; aut appositum, quod minùs amussiatum. Decius Auson. vel quisquis Auct. Epig. cui inter Virgilii catalecta nomen *Vir bonus* ℣. 10.

*Nequid hiet, nequid protuberet, angulus aequis*
*Partibus ut coëat: nil ut deliret amussis.*

*Aut hiet, indultis aut Principis excipiatur?*
*Et dubitamus adhuc legi deferre recoctæ?*
*Et ratio medicorum, & mercatoris habetur,*
*Quosque anno undecimo Proprætor Brantius ursit,*
*Artificum dubias pro & contra vertere caussas,*
*Illorumque boni quos nos diplomate Regum*
*Credimus exemptos onere omni municipali;*
*Muneris, ætatis, meritorum, & relligionis,*
*Morbi, & egestatis: lex omni parte recisa est.*
*Accubet Egeriæ quisquam, nec grata molesto*

92. INDULTIS &c.] Indulgentia Principis excipiantur illi, qui inter exemptos locum non inveniunt. Edictum enim Regium jam citatum parte 2. de cohortium excubiis, art. 5. postquam de catalago exemptorum meminisset, sic habet, *præter quem* (catalogum) *nulla exemptio admittetur in hac urbe.*

94. MEDICORUM] Publicæ incolumitati excubantium; quos æquum non est, à factitanda medicina, & ægris, per hæc armorum officia avocari. MERCATORIS] Quem sua negotia dies noctesque occupant, & eximit bonum publicum, & fori ratio, quæ & exteris negotiatoribus, suos relinquit minores magistratus, qui de populatium caussis cognoscant. Non intelligit tabernarios illos mercatores, institores, aut propolas, sed magnarios, quibus antonomasticè *Mercatoris* nomen tribuitur. Alciat. l. 207. n 15. Digest. de verb signif *Magnarii negotiatores, qui trans mare ad se devehi species curant, verè, & ut ita dicam, ἐμφατικωτέρως mercatores sunt.*

95. ANNO UNDECIMO &c.] Advocatorum ratio videlicet habetur, expleto jam decimo anno praxeos, seu ab inceptis patrociniis. Ita enim cavet catalogus, dum inter exemptos eos collocat hâc formâ: *Omnes advocati intra urbem, qui postularunt annos decem.* PROPRÆTOR] Vicarius prætoris per absentiam illius. BRANTIUS] Joannes Brantius vir doctus, jure consultus, Criticis scriptor clarissimus, urbis Senator, postquam XXXI. annos Senatui ab actis fuisset. URSIT] Rogandâ lege teneri voluit. ARTIFICUM] Opificum, mechanicorum &c. Alciat. l. 207. n. 13. Digest. de verb. sign. *Artifices sunt, qui rem à se in aliam formam elaboratam vendunt: quales sunt cerdones, fabri, pelliones, sutores, textores, sarcinatores, fullones, bractearii.* PRO ET CONTRA] In utramque partem, firmando vel infirmando eorum rationes.

97. BONI] Creduli, benigni, faciles ad obsequendum. Ordina: nos boni credimus &c.

98. ONERE MUNICIPALI] Non tantùm ab excubiis, sed etiam à pendendis omnis generis vectigalibus, quæ pendunt cives. Intelligit Duces, Principes, Magnates &c. qui gaudent hâc immunitate. Sic enim reperio in M.SS. *Illorumque ducum quos nos* &c. ut suprà. *Municipes* sunt cives, & eorum jure seu privilegiis gaudentes. Auctor in M. SS. Belgicè interpretatur *poorters.* Mart. lib. 10. Epig. 103.

*Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri*
*Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis.*

Id est cives. Vide quæ diximus fol. 50. & Serm. 7. ad ℣. 26. fol. 155.

99. MUNERIS &c.] Ratio, supple, habetur. RELLIGIONIS] Muneris sacri, Sacerdotii, Clericatus, Monachismi.

100. MORBI] Ægrotantium. LEX RECISA EST] Caret ansâ quâ prehendatur, & in sensum iniquum trahatur. Id est recisit malis omnibus, tam est perfecta, & absoluta, ut ei contradici non possit. Ovid. Fast. 3. ℣. 377.

*Idque ancile vocat, quod ab omni parte recisũ est.*

101. ACCUBET EGERIÆ &c.] Justissimas leges, & à Deo inspiratas ferat; ut Numa Pompilius secundus Romanorum rex: qui ut armorum & prædæ cupidine æstuantem populum coërceret, colloquia sibi nocturna, religionis caussâ, esse finxit cum Egeria nympha. Juven. Sat. 3. ℣. 12.

*Hîc ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.*

Ovidius Fastor. 4. ℣. 275.

*Egeria est quæ præbet aquas, Dea grata camœnis.*

Illa

*Jura dabit populo. Missa hæc faciamus, ut extra*
*Nos posita; & pro more tuo, sermone faceto*
*Erue ephemeride, assiduas quod contrahat horas.*
*Ædepol obtineas, inquit, cur ampliùs optem*
*Quàm ut vetulus stertam, vigiletque torosa juventus?*
*Quin medio de cive pares: consultiùs, inquam, &*
*Commodiùs. Venter membris feriantibus escas*
*Digerit; hinc compages tota, manusque, pedesque,*
*Et caput auxilium ventri. Rerum arbiter unus*

*Illa Numa conjux consiliumque fuit.*
Et Amor. 2. Eleg. 17. ℣. 17.
*Creditur æquoream Phthio Nereida Regi,*
*Egeriam justo concubuisse Numa.*
Et ab ea tam legum quas ferebat, quàm sacrorum instituta se accipere dictitabat. MOLESTO] Querulo semper contra leges, & imperantes, iniqua denuntiando, quæ æquissima sunt, *Pessimus enim quisque*, auctore Sallustio, *asperrimè rectorem patitur.*

102 UT EXTRA NOS] Extra potestatem & curam nostram.

103. SERMONE FACETO] Ut erat vir elegans Sweertius, cum Poëta rogat, ut pro consueta sua urbanitate ac lepore, è memoriæ diariis depromat, ejusmodi argumenta, quibus horas stationis amœnè transmittant. De Franc. Sweertio licèt æmulus Val. Andreas Bibl. Belgic. *Vir*, ait, *ingenio sollerti ac lepido, &, quod de Cæsare alibi scribit Cicero, sale mero conditus & facetiis.*

104. EPHEMERIDE] Tabulâ memoriæ tuæ. De Ephemeride vide Serm. 4. ad ℣. 61. fol. 73. CONTRAHAT] Decurtet, breviet, aut breves apparêre faciat.

106. VETULUS STERTAM] Ætate jam ingravescente, noctu securè, ac sine interruptione dormiam. Senibus enim, interrupto semel somno, difficilis est eumdem resumere. TOROSA] Fortis, robusta, corpulenta. *Torus* hîc pulpam carnis musculosam designat. Epitheton Persii Satyr. 3. ℣. 86.

*----- Multùmque torosa juventus*
*Ingeminat tremulos, naso crispante, cachinnos.*

107. MEDIO DE CIVE] Qui in media ætate versantur, inter octavum decimum, & annum sexagesimum. Postremi enim Regio indultu, excubiarum lege soluti sunt.

108. VENTER MEMBRIS FERIANTIBUS] Nihil ad concoctionem & corporis nutritionem conferentibus, solus laborat; & inde reliqua membra ventrem pascunt, ne illo otiante moriantur. Similitudo est Agrippæ Menenii Oratoris, quâ plebem Romanam à secessu in sacrum montem, in urbem reduxit anno V. C. CCCLX. Sic enim dicit apud Livium lib. 2. c. 32. *Indignatas reliquas partes, suâ curâ, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui: conspirasse deinde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hâc irâ dum ventrem fame domare vellent, ipsa unà membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse: inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque divisum pariter in venas maturum, confecto cibo, sanguinem.*

109. COMPAGES TOTA] Totum corpus, singula quæque membra compaginata. Corpori enim & reipublicæ bene est, dum quod potest pars quælibet, in commune confert, ab iis libera, quæ præstare non potest.

110. RERUM] In excubiis agendarum, vel occurrentium. ARBITER UNUS] Præses & Judex; commissarius videlicet. *Arbiter* hoc loco est inspector vel censor. *Lipsius* in l. 2. Vellei. Pat. n. 22. Sic & *arbitrium* quandoque prospectũ, & *arbitrari* prospicere significat. Plau. Aul. 4. 1. 14

*------ Potero, quid agant, arbitrarier.*

Id est. Prospicere. Et Horat. l. 1 Epl. 15. ℣. 26.

*Non locus effusi latè maris arbiter. ------*

Id est, speculator, seu locus, unde licet oculis mare emetiri.

*Parte Magistratus, vel saltem sumitur ex his*
*Qui latus uxori claudunt: ferientur abundè,*
*Qui benè contribuunt, à personalibus armis.*
*Hîc ille arripuit connubia nupera, vexat*
*Principis edicto quos tutor patruus: inde*
*Subsequitur Marcellinæ quæ infantia nasi;*

111. PARTE MAGISTRATUS] Unus aliquis ex Senatorum collegio.

112. QUI LATUS UXORI CLAUDUNT] Ex civium dignioribus, & non de plebe. Viris enim apud nos plebeis uxores latus claudunt, uxoribus verò ditiores. *Latus* autem *claudere*, vel *tegere*, ut obiter diximus Serm. 8. ad ℣. 140. fol. 274. est esse ad sinistram, estque vilioris, & qui honorem defert. Lips. 2. Elect. c. 2. Turneb. l. 14. c. 24. Juven. Satyr. 3. ℣ 131.

*Divitis hic servi claudit latus ingenuorum*
*Filius.*---Horat. l. 2. Sat. 5. ℣. 16 *Ne tamen illi*
*Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.*

Exteriorem ire, est ad lævam ire. Unde respondetur ibidem ℣. 18.

*Vine segam spurco Dama latus?*-----

FERIENTUR] Vacent ab excubando.

113. QUI BENE CONTRIBUUNT] Apud centuriones liberaliter redimunt, annuo aut trimestri ære. Id vulgus dicit pendere contributiones, id est, *de contributien betaelen.*

114 ILLE] Swertius. ARRIPUIT] Perstrinxit, culpavit, satyrico dente momordit. Horat. l. 2. Satyr. 1 ℣. 69.

*Primores populi arripuit, populumque tributim.*

Et idem lib. 2. Satyr. 3. ℣ 224.

*Nunc age luxuriã, & Nomentanũ arripe mecum.*

CONNUBIA NUPERA] Inita, & contracta ab ætate minoribus, insciis aut invitis parentibus, vel proximè consanguineis.

115. PRINCIPIS EDICTO] Caroli V. Aug. ad annum CIϽ. IϽC. XXIII. & Philippi IV. ad annum CIϽ. IϽ. XXIII. quo posteriori, prius innovatur in hæc verba Art. 1. sic Latinè reddita: *Ut filii-familias minores annis XXV. qui insciis invitisque parentibus, minoresque alii qui sine consensu proximorum consanguineorum, paterni & materni lateris, & tutorum seu curatorum, cujuscumque sint qualitatis, contraxerint matrimonium, inhabiles sint omnium lucrorum, quæ quovis modo alter ab altero obtinere posset, per conventiones, donationes inter vivos, aut causâ mortis, testamenta, successiones, consuetudinem, seu alium quemcumque modum: declarando irritas fore quascumque conventiones, & donationes, in alterutrius utilitatem factas: eaque dispositio vigeat, quamvis postea parentum consensus superveniat.* Anselm. Tribon. Belg. c. 54.

115. TUTOR PATRUUS] Mortuo patruo pupilli curator. Appositè *patruus*, ubi de censura in juniores, seu annis minores exercendâ sermo est. Patruorum enim severitatem notarunt prisci. Horat. l. 3. Od. 12. ℣. 3.

-----*Metuentes patruæ verbera linguæ.*

In quem locum Porphyrio: *Videntur patrui adolescentibus corripiendis austeriores esse, quàm patres; quibus natura ipsa indulgentiam plerumque extorquet.* Item lib 2. Sat 3. ℣ 88.

*Seu rectè, hoc volui, ne sis patruus mihi.*---

Et Persius Sat. 1. ℣. 11. *Cùm sapimus patruos.*--
Quæ postrema duo inter adagia recenset Erasm.

116. MARCELLINÆ] Mœchæ alicujus semitariæ, aut famosæ prostibulæ. INFANTIA NASI] Defluvium purulentum, ex narium ozæna, seu ulcere putrido, graveolente, & inveterato, nariumque alas, non rarò unà cum interstitio exedente, & sordidiores crustulas, per emunctiones demittente. Descriptio est luis Venereæ, nimis heu! hodie, obtinentis; castigandis hominum libidinibus à Deo immissæ, ducentis ab hinc nondum annis expletis; quæ impuro contactu, & corporum commixtione contrahitur. Unde miror Georg Erhardum in expositione salacissimi Petronii hæc verba in Satyrico ejus *cum pura muliere pugnastis.* Sic elucidasse: *immuni à morbo Lesbio, qui deinde Campanus, postea Hispanus, tum Neapolitanus, nunc Gallicus dicitur*: cum morbus is veteribus planè incognitus fuerit. Pessima & fœdissima ejus species, descripti defluvii symptomate, virulentiam prodit. *Infantia* hîc dicitur, quod mucus continenter ex naribus defluat, ut infantibus usu venire solet. Juven. de Senii vitiis Satyr. 10. ℣. 198.

*Una senum facies, cum voce trementia membra.*

Et

*Quæque Lodelphinus modò sevit cornua ( messis*
*Digna jugo ) & quoties mutiletur Geldria virgis.*
*Pultedulum teneat quæ villica; quinque sorores*
*Quis modò sustineat bis quinque cohortibus aptas.*
*Succedit Calluptralis vecordia, vota*
*Duræi & socii temeraria, & Ecdicus ille*

*Et jam læve caput, madidique infantia nasi.* Hinc Noster in M. SS. *Infantiam nasi* exponit, *nasum semper stillantem.*

117. Lodelphinus] Infamis adulter, & qui cum plurimorum uxoribus solet. Sevit cornua] Notam hanc sementem suprà exposuimus Serm. 6. ad ỽ. 166 fol. 141.

118. Digna jugo] Non impar occupando solido jugero. Continuat metaphoram satorum ejusmodi. *Iugum* auctore Varrone l. 1. de re rust. c. 10. *ab Hispanis vocatur, quod juncti boves uno die arare possunt.* Mutiletur Geldria] Aut frigidum, aut αἰσχρῶν: quoties scil. curtos faciat, Veneris suæ contagio. *Geldriam* vocat, vel ex Geldria oriundam, provinciâ scil. Brabantiæ conterminâ; vel à procerâ corporis staturâ, quâ eminere creduntur in Geldriâ puellæ. Nostrates enim ejusmodi proceras nuncupant proverbiali schemate, *Ghelderse Iuffrouwen*, & Juvenalis *Longas*. Satyr. 10. ỽ. 223.

*Maura die quot longa viros exsorbeat uno.*

119. Pultedulum] Infantem, sic dictum ab edenda pulte, quâ solet salubriter ali ætas tenella. Nostræ periphrases sunt: *pap-eeterstien*, aut *pap-pet-rooverstien*. Quæ sunt matrum, aut blandiusculè pusionem appellantium. *Pultiphagos*, ex verbo Latino & Græco in unum conflato, præter morem, vocabulo, Romanos vocat Plautus; quòd frequentior illis erat pultis, quàm panis usus, referente Val. Max. l. 2. c. 5. Et verò populum Romanum multa secula, non pane, sed pulte victitasse, pistoresque per annos ferè sexcentos nullos Romæ fuisse, auctor est Alex. ab Alex. l. 3. c. 11. Uti ergo pulte pro pane, ita pulmento vel pulmentario, pro quovis opsonio, quod cum pulte vel pane manditur, utebantur. Et hinc Ser. 5. ad ỽ. 123. fol. 103. citatus Varro: *Quod edebant cum pulte, ab eo pulmentum, hinc pulmentarium dictum.* Teneat] Lactet, alat, curet infantem, ex pudendo complexu prognatum: quo parentum honori consulatur in urbe, & probrum læsi pudoris averruncetur. Quinque sorores] Quæstuariæ Mœchæ.

120. Sustineat] Alat, vel domi suæ, vel in fornice seu lupanari. Bis quinque &c.] Libidinis tam furiatæ ac inexplebilis, ut vel integræ legionis, aut decem cohortium militarium salacitatem absorbeant: qualis Messalina meretrix Augusta, de qua Juven. Satyr. 6. ỽ. 129.

*Et lassata viris, necdum satiata recessit.*

121. Succedit] Continuato sermone Sweertii redarguitur. Callyptralis vecordia] Quorumdam, sub muliebri calyptra vel operimento noctu grassantium, maligna & flagitiosa societas. Noster in M.SS. *Vecors*, inquit, *id est, mali cordis.* De calyptra diximus Serm. 7. ad ỽ. 304. fol. 206.

122. Duræi] Petri, cui vernaculùm cognomentum *van Duren*, quem volunt megisthanis cujuspiam nobilissimi fuisse nothum. Hic homo fuit profligatissimæ nequitiæ, grassator nocturnus, qui obvios quosque lacessebat, acceptoque quovis convitio, in eos insiliebat, & ad pugnam deposcebat; ad cædes promptissimus, & nefariâ crudelitate, sociorum suorum antesignanus. Hunc ferunt Liburni Hetruriæ portu in Italia, ob latrocinia, & cædes innoxiorum, in crucem actum, sceleratæ vitæ pœnam exsoluisse. Socii] Herpii, vulgo *van Herp*, qui Duræo comes ubique præsto erat, dignum patellâ operculum. Facinorosam ejus vitam, in Batavis carnificis manus intercidit. Vota temeraria] Pessima & infructuosa consilia. Vias enim urbis maximè frequentatas obsidebant, & in transeuntes grassabantur, eos proritando ad maledicta, & ab his ad pugnas, mutilando deinde, cædendo &c. Irrito tamen plerumque conatu, vel vigilantiâ Prætoris, vel prudentia deflectentium à viis, quas ut plurimùm insidere credebantur. Ecdicus] Vindex, vel defensor ille, scil. malæ fidei. Ἔκδικος, *id est*, inquit in M.SS. Poëta, *procurator, vindex.* Procuratorem caussarum intelligit, vel caussidicum, aut forte etiam advocatum, à quo reipublicæ, vel sibi, vel Sweertio, vel alicui alteri damnum,

*Rimarum plenus, collusor, transfuga; nec non*
*Forma, color, scapulæ, nasus, vox, pes, pilus oris,*
*Argumenta viri, Paculi, quem emasculat uxor.*
*Ridemus nuper Galliis extorre duellum*
*Hac recipi patriâ, exuviis melioribus aptâ.*
*Otia qui castris numquam intonuere Thrasonum.*
*Vegrandes Roncinæ animos: litesque Petilli.*

num, in caussa forensi perperam acta, aut malitiosè prodita, ut constare potest ex sequentibus. De *Ecdicis* Cicero l. 13. famil. Epl. 56. *Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est: legatos audio missos. Sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Quare peto à te, ut eos & Albadenses, jubeas ecdicos Romam mittere.* Ubi quidam *ecdicos* exponunt quæstores rationem nummariam curantes: quidam verò meliùs, defensores urbis, sive syndicos.

123. RIMARUM PLENUS] Garrulus, delator, tacendorum proditor, effutiens temere, quæ fidei suæ credita sunt. Terent. Eun. 1. 2 25.

*Plenus rimarum sum, hâc atque illâc perfluo.*
In modum scil. infidelis ac rimosæ lagenæ, sibi commissa temere effundentis. Id est, qui parti adversæ denuntiat momenta caussæ, quam agit ipse, ab altera parte ad patrocinandum conductus. COLLUSOR] Simulatus actor, qui cum parte id agit, ut clientem defraudet, & vinci sinat dolo malo. *Colludere* vox propria jurisconsultorum. Ulpian. lib. 4. Digest. Tit. 3. de dolo malo, leg. 7 § 9. *Si dolo malo procurator passus sit vincere adversarium meum, ut absolveretur: an de dolo mihi actio adversùs eum, qui vicit, competat, potest quæri? Et puto non competere, si paratus sit reus transferre judicium, sub exceptione hac,* SI COLLUSUM EST. TRANSFUGA] Qui ad alteram partem defecit, desertâ caussâ quam agere cœperat.

124 FORMA] Recenset symptomata Venereæ impuritatis, seu morbi Gallici, de quo jam diximus ad ℣. 116. Aliis Lesbius morbus, Neapolitanus, Campanus, Hispanus, aliis siphylis, sphillitis, pudendagra &c. nominatur. *Forma* ergo squallida, deformis; ulcerum & tophorum flaventibus, rubentibus, aut liventibus notis insignita; vel maculis lentiginis instar, nunc flavis, nunc rubris, fœdum in modum devenustata. COLOR] Pallidus. SCAPULÆ] Unà cum occipitio continuis doloribus infestatæ, & cruciatæ panis & papulis. NASUS] Stillans purulentum, ex ozena, muccum, ut suprà ad ℣. 116. VOX] Rauca & insolita ex tumore faucium, & maximè palati. PES] Scissuris hians, & articulorum cruciatu, gressui minùs aptus & expeditus. PILUS ORIS] Mentum investe, depile, seu barbæ profluvium, Græcis ἀλωπεκία.

125. ARGUMENTA VIRI] Signa mœchi jam Lesbio contagio marcidi, utpote qui, ut Juven. Satyr. 2. ℣. 17.

-----*Vultu morbum, incessuque fatetur.*
PACULI UXOR] Propudiosa & infamis adultera. EMASCULAT] Debilitat, enervat, virilibus animis, & nervis exuit.

126. RIDEMUS] Inter nos, cum sale ac censurâ. EXTORRE] Proscriptum lege severâ Henrici IV. & Ludovici XIII. quâ monomachi læsæ Majestatis rei denuntiantur: & vitâ bonisque (demptâ quavis veniæ aut moderationis spe) mulctantur. DUELLUM] Duellandi barbaram & impiam licentiam, seu monomachiam.

127. HAC PATRIA] Belgica: ubi ad id tempus recentia fortè erant, hujus immanitatis impietatisque exempla. EXUVIIS MELIORIBUS] Spoliis, rebus, aut mercibus honestioribus à Gallo reportandis digna. Rectè *exuviis*, quasi nos induamus, quæ Galli exuerunt.

128. OTIA THRASONUM] Malè in urbe feriantium, qui habitu, gladio, ore, militarem ferociam spirant, & de fortitudine, rebusque præclarè gestis, nusquam non gloriantur: instar Thrasonis militis Terentiani in Eunucho, qui pleraque arroganter ac gloriosè, ferociterque præfatus, dum irruendum foret, malè in rem suam hanc gnomam vertit. Act 4 Sc 7. ℣ 19.
*Omnia priùs experiri, quàm armis, sapientem decet.*

129. VEGRANDES] Valde aut admodum grandes. Non enim hîc dixerim parum grandes, ut in isto Nasonis Fast. 3. ℣ 445.
-----*Vegrandia farra coloni*

Quæ

*Spem macram juvenis quæsturâ candidi; & intra*
*Qui nequeunt majorum avidi consistere sortem.*
*Proximæ & ad Mœnum cruciant quos nundinæ; & omnes*
*Cretata ambitio paribus quos reddit ineptos.*
*Quæritur an necdum rediit Fuscaria, & an vir*
*Perstet amore lupæ? Quo collusore superbus,*
*Quâ specie lucri Viridarius effluat amens?*

*Quæ malè creverunt vesca que parva vocant.*
Sed prægrandes, ut in illo Pers. Satyr. 1. ℣. 97.
*Vt ramale vetus vegrandi subere coctum.*
Vim enim iam augendi, quàm minuendi habet particula *ve* in compositione, ut tradit A. Gellius l. 5. c. 12. Notâ autem dignior est mulieris audacia & ambitio, quàm timiditas: quæ facit ut potiùs augendi, quàm minuendi sensum eligam. RONCINÆ] Vitaginis alicujus, in honores suos, vel mariti nimis erectæ; interlocutorum utrique non incognitæ. LITESQUE] Quas intendit, aut depellit *Petillus*, homo nostris etiam probè notus.

130. MACRAM] Exilem, dubiam, fallacem, incertam, ex Persio Satyr. 2. ℣. 35.
------- *Et spem macram supplice voto*
*Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.*
QUÆSTURA CANDIDI] Quæsturam ambientis. Mos olim Romanis erat, ut post edicta comitia, qui ambirent magistratum, togam candidam induerent, ut à populo dignoscerentur: inde *candidi* & *candidati*. Imò Lipsius Elect. 1. Cap. 13. *Petitores, non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut candesceret, imò splenderet. Hâc notâ discreti à vulgo.* Inde *cretata ambitio*, de qua infrà ℣. 133.

131. AVIDI] Honoris & gloriæ. MAIORUM SORTEM.] Intra limites dignitatis, & fortunarum, quas à Majoribus accepere: sed stimulante ambitu, ad ampliorem fastum exsurgunt: ut solent mercatores, qui partas fortunante Mercurio divitias rhedis, equis, famulitio, domus & supellectilium splendori, ac tandem mercandæ nobilitati impendunt.

132. PROXIMÆ ET AD MOENUM &c.] Nundinæ Francofurtenses, sive Helenopolitanæ. Nimitùm ex usu commercantium, qui solent paciscí de repræsentando pretio, in certum terminum. Sic qui cum Germanis negotiantur, non rarò solutionem in proximas nundinas Francofurtenses stipulantur. *Francofurtum* olim *Helenopolis*, ut constat ex inscriptione veteri: urbs Germaniæ clarissima, haud procul Maguntiaco, ad Mœnum flumen sita, emporium celeberrimum, & rebus abundantissimum, ut canit Musa Magni I.C. Scaligeri inter urbes de hac:
*Quid referam quanta, & quæ convexère metalla?*
*Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?*
*Huc Italus patriis miratur partibus orbem.*
*Advectum huc stupida est Gallia magna suum,*
*Hic oriens, hic terra novis comperta sub astris,*
*Agnoscit genii semina plena sui.*
Binæ illic celeberrimæ quotannis nundinæ sunt; vere, & autumno, ad quas frequentes ex Belgio nostro institores, vel etiam mercatores commeare solent. CRUCIANT] Angunt, curis corradendi æris inquietant, ut pacto & condicto die repræsentetur. Sic olim quibusque calendis usuræ fœneratoribus persolvendæ, debitoribus graves erant. Inde Horat. l. 1. Sat. 3. ℣. 87.
------ *Cum tristes misero venêre calendæ.*
Plutarchus de Vitand. Ære alien. *Calendarum & novilunii admonebunt: quam sacratissimam diem fœneratores atram, & abominandam faciunt.*

133. CRETATA AMBITIO] Persianum Sat. 5. ℣ 177. Rationem jam dedimus ad ℣. 130. PARIBUS &c.] Id est, qui nimis ambiendo, id unum faciunt, ut sibi paribus posthabeantur.

134. REDIIT] A fugâ, vel divortio. FUSCARIA] Mulier maritata fusci oris, & pili, à viro digressa, ruptâ conjugali fide.

135. AMORE LUPÆ] Pergat adulterari cum lupâ, vel scorto. COLLUSORE] Dolo & artificio, vel dignitate se majore.

136. QUA SPECIE &c.] Falsus & circumventus; ratus scil. tum se lucrari, cum vel maximè perdit. EFFLUAT AMENS] Rem suam stolidè prodigat. Sermo est de aleatore vel lusore, qui chartulis vel aleis, spe quæstus inescatus, & specie delusus, opes suas prostituit: aut saltem negotia utilia, aut res domesticas negligit. Metaphora

*Quot nocte unâ Amilis excusserit alea nummos?*
*Queis, à thesauris, vel sacri in parte Senatus,*
*Vel Consul studeat fieri mediis, vel amicis,*
*Qui nihil obtinuit nimiâ sartagine linguæ?*
*Circumscriptores quo fraudem jure colorent*
*Jurando, vel quo vivant auctore sereni?*
*Quâ lenâ aut pretio Salius mercetur amicam?*
*Fumosam locuples tramam cur duxerit Ister?*

phora ducitur à vase futili, quod effluens, liquorem deperdit: uti *Viridarius* ludendi furore correptus, divitias. Pers. Satyr. 3. ℣. 20.

*-----Tibi luditur: effluis amens.*

Id est, mollitie, vel rerum neglectu diffluis.

137. Amilis excusserit] Quantum pecuniæ aleatores *Amili* una nocte ludendo amiserint.

138. A Thesauris] Urbis Thesaurarius, quod aiunt, generalis. In parte senatus] Coöptari in Senatum proxima lectione desideret. Juven. Satyr. 11. ℣. 29.

*Conjugium quæras, vel sacri in parte senatus esse velis.-------*

*Sacri*, id est observandi & reverendi, instar rei sacræ. Sic Alex. ab Alex. l. 4. c. 23. *sacrasas leges* vocat, quibus etiam Reges tenebantur. Et seneca de tranquil. c. 9. *sacrorum opera ingeniorum*, libros intelligit, religiosè legendos & observandos.

139. Consul] Alter ex duobus, qui ad hoc munus quotannis Antverpiæ deliguntur mense Maio: quorum primus dicitur Cos. ad res externas, alter Cos. ad internas. Prior res urbis curat in aula Principis, & Ordinum conventu: Posterior res urbanas domi; & Senatorum collegio, seu tribunali præest. Mediis] Officiis, donis, adulationibus, necessitudinibus, calumniis etiam, & sycophantiis. Vel amicis] Conciliatoribus apud Summates.

140. Sartagine linguæ] Nimiâ loquacitate, ostentatione, arrogantiâ sermonis &c. Nempe ut auctor noster in M. SS.

*Torrens dicendi, linguæque philautia multos*
*Fallit, & incautis nocet irrevocabile verbum.*

Persius Satyr. 1. ℣. 80.

*-----Vnde hæc sartago loquendi.*

Id est, confusio & mixtura vocabulorum obsoletorum cum usitatis & probatis. Ducitur Metaphora à sartagine, in qua variorum animalium carnes commixtæ friguntur: quod Noster transfert, non infeliciùs ad argumentorum mixturam, quam faciunt qui inconditè ac temerè pleraque effutiunt, sine delectu; & à bove ad asinum transilientes, tam sibi nocitura, quam profitura & olim pœnitenda denuntiant.

141. Circumscriptores] Fraudatores, & non rarò in re tutelari pupillorum. Juven. Sat. 5. ℣. 134.

*Plorare ergo jubet pupillum ad jura vocantem*
*Circumscriptorem.-----*

Et Satyr. 10. ℣. 222.

*-----Pupillos quot circumscripserit Hirrus.*

Pro quolibet deceptore, usus Arnob. lib 2. *Dum nostris fiditis cordibus, & quod typhus est, sapientiam vocatis, dedistis circumscriptoribus locum.* Circumscribere autem Lipsio in Senec. de Consol. ad Hel. c. 3. *Est per astus & ambages fallere: in orbem scribere, & cingere, ut circumvenire.* Quo jurejurando] Quàm justò aut verò Deùm obtestentur, ad confirmanda ea, quæ ad depellendum crimen in medium adferunt: sive quàm stent promissis, etiam sacramento firmatis. Colorent] Æqui specie & fuco venustent.

142. Quo auctore] Cujus auctoritate ac protectione. Sereni] Integri & honesti viri reputentur, aut defendantur.

143. Lena] Furtivæ Veneris parariâ: seu quæ domi alit lupas, seu quæ seducit ingenuas. Salius] Scortator quispiam. Amicam] Scil. de tribu levi, aut pauperculam, quæ quæstu seu vitæ subsidiis allicitur. Et in hoc detestabilis usus est, nequissimarum lenarum.

144. Fumosam] Nobilem, gloriosam. Sic Juven. Satyr. 8. ℣. 8. Equitum magistros *fumosos* appellat.

*Fumosos equitum cum Dictatore Magistros.*

Id est, nobiles, & generosos, & gloriæ cupidos.

Tra-

*Quas modò sectetur mensas scurra Umphilus, & cur*
*Crassus adulator bibulæ dissentiat aulæ?*
*Sic rectâ curvas animas evannimus urbe.*
*Tertiò abhinc horâ supremam cùm audio bombam,*
*Stemburgi inferiis, ni fallor, næniam; abimus:*
*Quippe adventantem video collegam. Ut iniquis*

TRAMAM] Maximè gracilem & macilentam, in cujus cute, videas omnem nervorum, venarum, & ossium texturam. Noster in M. SS. *Trama & ossium textura, id est, summa macies.* Quasi dixeris Belgicè, *een gherеymte.* Persius Sat. 6. ℣. 73.

*--------Mihi trama figura*
*Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter?*

Id est: ego macrescam, ille pinguescat? *Trama* hic, ut opinor, cum Ascensio, texturam raram cannabeam, vel grossioris lini significat, quam opere Phrygio trameat subtemen laneum, sericum, aureúmve, in tapetiis aut acu pictis: per translationem autem, corpus hominis extenuatum, & jam pelle tantùm & ossibus constans. ISTER] Ex Istria oriundus, quæ regio ex parte, in citima Italia, Venetorum ditioni subest: aut certè nomen confictum, vel anagrammatismus *Stier*, id est tauri.

145. QUAS MENSAS &c.] Quibus blandiatur & aduletur, ut mensam adiposam, in quæstu habeat. SCURRA] Vide supra Serm. 8. ad ℣. 98. fol. 269. UMPHILUS] Nomen confictum.

146. CRASSUS ADULATOR] Crassi corporis homo fortè, qui nuper aulæ adulabatur, & jam populo, nimis attendendo ejus querelis, de statutis, vel petitionibus aulæ. BIBULÆ] Avidæ ad credendum ea, quæ vel levissimi rumoris flamine, vel suspicione tantùm, contra Principis auctoritatem, acta vel agenda perferuntur. *Auribus bibi* dicuntur, quæ avidè, & quasi ultro attracta audiuntur. Propert. lib. 3. Eleg. 6. ℣. 8.

*Incipe: suspensis auribus ista bibam.*

Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 5. ℣. 13.

*Et lacrymas cernens in singula verba cadentes*
*Ore meo lacrymas, auribus illa bibi.*

Sic & Persius Satyr. 4. ℣. 50. *bibulas* vocat aures; & Cic. l. 2. ad Att. Epl. 14. *sitientes.*

147. RECTA URBE] Antverpiâ, quam oporteat esse rectam, cùm optimis politiæ legibus gubernetur. EVANNIMUS] Discutimus, &, vanno vocali eventilando, proscribimus.

148. CUM AUDIO] Tempus pro tempore, cum jam ab hinc horâ audiverim. Loquitur Poëta. TERTIÒ BOMBAM] Concentum æramentorum majorum, qui editur tertiùm eodem tempore matutino, in solennioribus exequiis: scil. horâ V. X. & mediâ XII. quando funus Ecclesiæ infertur, & funalibus in orbem dispositis, sacræ parantur inferiæ, seu sacrificium piaculare, redemptionis nostræ symbolum, quod *Missam* dicimus. *Suprema* itaque *nænia bombam* hic dicitur is campanarum concentus, qui tertiò & postremò editur ante inferias Christianas: quamquam jam tumulato cadavere, & amicis domum heredes longo ordine deducentibus, quartùm etiam resonent majora æramenta. Cùm tertius igitur tinnitus more consueto auditus sit, ab hinc horâ, designat Poëta, semihoram ab ipsa meridie jam effluxisse: quo tempore, statuto Regio jubebantur commissarii pomeridiani ad portas præstò esse. BOMBAM] Sonitum consonantium campanarum, ad quem significandum hæc vox conficta. Et nostrates dum sonos hos audiunt, vernaculo sono eosdem imitante, dicunt: *het bombamt.*

149. STEMBURGI] Consulis Stembourch vitâ defuncti. INFERIIS] Exequiis, quæ eodem ipso die, quo Poëta urbis custodiæ ad portam præerat, peragebantur. De inferiis vide Ser. 5. ad ℣. 277. fol. 119. SUPREMAM] Ultimam ante humationem. NÆNIAM] Postremum carmen funebre. Id autem olim ante cadaver, ad tibiam cantabatur apud Romanos. Hinc Papin. Statius libro Theb. 6. ℣. 121.

*Tibia cui teneros suetum deducere manes.*

Itaque tinnitus harmonicus nostratium campanarum, nobis pro ultimo tibiarum carmine, seu nænia. ABIMUS] Ac si dicat, nunc abeamus, ecce collega commissarius adest, cui stationis hujus lampada trado.

150. UT INIQUIS CURIS] Quamvis pravis hominum desideriis, ac studiis eorum ad honores, voluptates, & res quærendas, parcis, tacendo scil. & non castigando.

*Connives curis hominum, dum vivitur, inquit*
*Sweertius; erumpes saltem, ad spatia ultima vitæ*
*Cùm struitur cineres ultra. Quid pertinet ad nos*
*Momento jam defunctos, an syrmata ducat*
*Applausu novies Consul Roccoxius, aut quis*
*Prætorum, aut Bravo, vel Clerus, vel minor illis,*

151. Dum vivitur] Dum adhuc in vivis sunt, & plurimorum annorum vota, & longam fovent futurorum spem.

152. Erumpes] Reprehendes saltem, & censoriâ tuâ virgâ feries, insanas curas & inquietas sollicitudines. Ad spatia ultima vitæ] Extremum vitæ tempus, lethali gelu jam artus occupante. Id est, tolerabile saltem non videtur, homines inter moriendum sollicitos esse earum rerum, quas post mortem cadaveribus suis impensas volunt.

153. Cum struitur] Molimine magno providetur, vel curatur. Cineres ultra] A morte, vel post exhalatam animam; quid agendum de cadavere suo. Persius Satyr. 6 ℣. 41.

*Hæc cinere ulterior metuas?*

Sic apud Græcos *παρεκτέρω κόνεως*, ulteriùs vel ultra cineres, id est post mortem.

154. Momento] Quasi dicat: etiam ipso momento primo exanimati corporis, non ultra nos mordet ista sollicitudo. Syrmata] Syrmate pullo indutos, proximè scil. agnatos, heredes, filios. *Syrma* cyclas, seu tractus, vel cauda oblonga vestimenti, humum verrens, qualis Cardinalium Romæ, olim in usu tragicorum, seu Regum & Heroum personatorum. Sic dicitur *ἀπὸ τοῦ σύρω*, quòd est, *traho*. Martialis, lib. 12. Epigramm. 96. ℣. 4.

*Aptasti longum tu quoque syrma mihi.*

Inde & quandoque pro stylo tragico usurpatum videas. Idem lib. 4. Epig. 49. ℣. 8.

*Musa nec insano syrmate nostra tumet.*

Hoc loco autem Noster tangit morem istius ævi, jam antiquatum, quo solebant filii, heredes, aut sanguine propinquiores, talari habitu cum syrmate, ad decem vel duodecim pedes terram lambente, contecti, adductoque supra caput & frontem, ac ultra faciem prominente cucullo rigido sesquipedali, atrati ponè capulum in funus procedere. Ducat] Latus claudat primi pullati, eumque dirigat in eundo, cum cucullus ut suprà, adductus, adimeret prospectum ante pedes. Ad hanc spartam solebant nobilissimi, ac dignissimi quique invitari & adhiberi. Uti & hodie, licèt usus cuculli, & syrmatis prorsus obsoleverit.

155. Applausu novies &c.] Jam nono consulatu, cum civium plausu defunctus. Vide quæ diximus suprà ad ℣. 1. fol. 286. Adulatur seu gratificatur suo Roccoxio, ad quem scribit.

156. Quis prætorum?] Ex tribus, qui hoc nomine Antverpiæ censeri possint. *Prætor* enim Romanis *dictus*, ut prodit Varro lib. 4. de ling. Lat. *qui præiret jure & exercitu. A quo id Lucilius, ergo Prætorum est ante præire.* Itaque & Imperatores in exercitu, & in urbe qui jus dicerent, *prætores* erant: uti & apud nos Marchio S. Rom. Imperii, qui idem & Dux Brabantiæ, & Rex Catholicus Dominus ac Princeps noster clementissimus. Sed de illo nobis sermo non est. Vide supra Serm. 8. ad ℣. 137. fol. 274. Habet hic duos vicarios, primum quidem in caussis criminalibus, alterum in civilibus, qui vice Principis jus dicunt. Primus propriè prætor, seu *schultheтus* dicitur: quo titulo quia ditionem exercet in pagos aliquot urbi propinquos, quibus Marchionatus Riensis constat, vulgo salutatur, & passim audit *Marchio*. Huic alius vicarius est, quem merè *schultetum* nominant, vulgo den *schouthet*. Uterque dici queat quæstor rerum capitalium. Alter qui in caussis civilibus juri dicundo præest, vulgo audit *den amptman*, Amptmannus. Ergo tres prætores, Marchio, Amptmannus, Schultetus. *Quis prætorum* itaque est, quis unus ex istis tribus? Bravo] Illustrissimus D. Joannes Bravo de Laguna, arcis Antverpianæ tunc Præfectus, vir tam stirpis illustrissimæ, quàm animi nobilitate conspicuus, cui militaris hæc dignitas, inter Hispanienses præfecturas prima, non tam splendorem attulit, quàm accepit. Clerus] Honoratior quis ex Clero: Episcopus, Abbas, Decanus, Archidiaconus, vel ædis Cathedralis Canonicus &c. De Clero vide quæ diximus Serm. 7. ad ℣. 445. fol. 247. Minor] Inferior, ignobilior.

157.

*Aut major quiſquam funebris in ordine pompæ?*
*Cur de tinnitu in tabulis, facibuſque, epuloque*
*Sub mediâ Lunâ, & comitatu Mercuriali,*
*Quem rogat ad faſtum binos Cornelius inter*
*Defuncti famulos; animæ ſuccurritur illis,*
*Corpori, an heredi? vin' differat arca ſepulchro?*
*Rejiculum: ſobolem, maneátve ea cura propinquos,*
*Qui nos pro meritis, pro conſuetudine ritus*
*Committant tumulo, & proprio ſtimulentur honore:*
*Vel ſi tantus amor feretri, ſi Porthmea palles,*

157. FUNEBRIS IN ORDINE POMPÆ] In longa illa ſerie amicorum cadaver proſequentium: quæ res maximo virorum numero, ſplendore, ac faſtu peragitur. Pompam, de funeribus propriè dici volunt. Virg. l. 11. ubi Evander in funere filii, ℣. 163.

*Atque hac pompa domum me, non Pallanta referres!*

Papin. 5 Sil. Car 1 ℣ 208. --*quis carmine digno*
*Exequias, & dona mala feralia pompa*
*Perlegat?*-------

Et Quintilianus apud La Cerda in loc. cit. Virgil. *Ducatur ingens funeris pompa.* Joſephus l. 1. bel. Jud. c. 9. *Clariſſimam paterno funeri pompam celebravit.*

158. TINNITU] Pulſu & ſonitu campanarum. *Tinnitus* propriè dicitur de ſono, quem pulſa metalla edunt. TABULIS] Teſtamento, ſive libello ultimæ voluntatis indice. FACIBUSQUE] Funalibus aut tædis colluſtrando cadaveri. EPULOQUE] Senatorio. Vetuſti namque & receptiſſimi moris eſt, ut ſi cònſularis quiſpiam, aut Ordinis Senatorii vir fato conceſſerit, poſt parentationem peractam, Coſſ. & Senatui epulum ſive parentalia præbeantur.

159. SUB MEDIA LUNA] In diverſorio, ponè domum Senatoriam, cui ſignum & nomen *media luna.* Olim enim funebria hæc ſolennia illic fiebant, quæ modò in ipſa curia. COMITATU MERCURIALI] De invitandis ad pompam mercatoribus, totaque illorum civitate, ſeu Jano; vulgo *de heel beurſe.*

160. AD FASTUM] Splendorem, magnificentiam. CORNELIUS] Diſcophorus, ſeu fercularius, de quo Serm. 5. ad ℣. 9. fol. 88. Ejus enim muneris etiam partes ſunt, ad funebrem pompam invitare, non ſecus quàm ad convivia cetera. Nota ævo Scholitiano faſtum fuiſſe, tres delegare ad convocandos amicos; quid dicat de hoc tempore, ſi vivat, cui vix decem ſufficiunt?

161. DEFUNCTI FAMULOS] Id eſt, comitatus utrimque duobus famulis, mortui illius, cui juſta facienda. ANIMÆ &c.] Ac ſi innuat, nec animæ, nec corpori exanimi, nec denique heredi impenſam & curam hanc profuturam.

162. VIN' DIFFERAT &c.] Jaculariter & Ironicè argutando, quærit Poëta, an æquum non ſit, pompam funebrem reſpondere cenſui & opibus ejus qui tumulatur. *Arca* pro pecuniis, divitiis, cenſu &c. continens ſc. pro contento.

163. REJICULUM] Dictum depellit Sweertius: quaſi dicat, rejici & contemni dignum eſt. *Rejiculum*, inquit Noſter in M.SS. *quod rejicitur ab omnibus.* Verbum Varronianum eſt, Senecæ non infrequens, qui de Brevit. vitæ c. 7. *Videbis paucos admodum, & rejiculos apud te reſediſſe.* Et Epl. 47. *Rejicula mancipia.* Alii legunt *ridiculos* & *ridicula*, ſed hanc lectionem defendit Lipſius utrobique in Senec. cum apud Varronem, *rejiculas oves*, apud Catonem, *armenta rejicula* reperiamus. SOBOLEM &c.] Filii heredes, propinqui id curent.

165. COMMITTANT TUMULO] Sepeliri curent. PROPRIO HONORE] Non enim mortuus honore tangitur, ſed ſuperſtites filii, aut heredes, qui nominis rerumque ſuarum & fidei augmentum, ac populi plauſum venantur.

166. FERETRI] Pompæ funebris, exequiarum ſolennium, inter quas præcipuum eſt feretrum, vel lectica, quâ cadaver defertur ad templum & ſepulchrum. PORTHMEA PALLES] Si mori times; aut mortem opinione tua vicinam

*Si sordent animo heredes, natique tenaces,*
*Dum calor in venis tua duc solemnia: multi*
*Propria conculcant quæ inscribunt nomina saxis,*
*Mnemosyneque sui gaudent, tituloque corusco*
*Quadrifidos variant clypeos & stemmata signis.*
*Ibat ad exequias vittæ Schoonhovius aureæ*

hortes. *Porthmeus* latinè portitor, hîc pro Charonte accipiendus, de quo suprà Serm. 4. ad ℣. 518. fol. 80 De eodem Juven. Sat. 3. ℣. 265.

*Iam sedet in ripa, tetrumque novicius horret*
*Porthmea; nec sperat cœnosi gurgitis alvum:*

Petronius Satyrico Carm. *Orbem jam.* ℣. 117.

*-------Vix navita Porthmeus*
*Sufficiet simulacra virûm traducere cymbâ.*

167. SORDENT ANIMO] Sordido & illiberali sunt ingenio illi, quos heredes relinques, vel instituės. TENACES] Avari sint liberi tui: atque adeò formides, ut tibi vitâ functo, splendidè satis parentetur.

168. DUM CALOR IN VENIS] Dum adhuc vales, & vivis. DUC SOLENNIA] Ipsemet tibi justa persolve, ut invictissimus Imperator Carolus V. in Hispania: de quo Famianus Strada S. J. elegantissimus historiographus Belli Belgici Decade 1. l. 1. *Postremò exequiarum occasione, quas matri anniversarias persolverat, nova incessit animum cupido (si liceret) & suas celebrandi: reque communicatâ cum Ioanne Regulæ è Hieronymiana familia, qui ejus conscientiam moderabatur: cum is insolitum quidem illud, pium tamen ac salutare dixisset; apparari funus sibi quàm primum jussit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum mæsto monachorum cantu peragitur. Ipse funeri superstes suo, spectabat, in illo imaginario munere, veras suorum lacrymas: audiebat exequiale carmen, placidam sibi requietem beatas inter sedes implorantium: eademque ipse sibi suffragia psallentibus immistus, exposcebat. Donec sacrificanti propior factus, eique tradens, quam gestabat, accensam facem, sublatis in celum oculis.* EGO TE, *inquit*, VITÆ AC MORTIS ARBITER, ORO QUÆSOQUE, UT QUEMADMODUM OBLATUM HUNC A ME CEREUM SACERDOS CAPIT, SIC COMMENDATAM IN MANUS TUAS HANC ANIMAM TU, QUANDOCUMQUE LIBUERIT TIBI, IN SINUM COMPLEXUSQUE TUOS BENIGNE SUSCIPIAS. *Tunc, ut erat pullâ, fluxâque opertus veste, humi procubuit: renovatisque omnium, qui aderant, lacrymis, quasi depositus, supremâ lamentatione comploratus est. Atque hoc videlicet rudimento, Carolus vicina jam morti proludebat.* Item & alii qui mox subjicientur.

169. PROPRIA &c.] Multi adhuc superstites cippos & cœnotaphia sibi tanquam mortuis inscripta, pedibus calcant, dum locum pavimenti, suæ sepulturæ destinatum, in æde sacra transmeant.

170. MNEMOSYNE] Memoriâ, monumento, seu quavis re memoriam excitante. TITULOQUE CORUSCO] Aureis litteris super insignia scripto, gentem paternam & maternam referente, in templi pariete, secus monumentum: aut fortè in ipso cippo cælatâ æneâ laminâ, vel totum vel partem contecto.

171. QUADRIFIDOS &c.] Pro more nobilium, qui stemmata tam materna, quàm paterna, utrimque ad latus sui clypei collocanda curant, pro numero graduum nobilitatis quos, vulgus *quarteria* nuncupat. Stemmata autem alii quatuor, alii octo, alii sedecim præferunt, pro vetustate & excellentia majorum, à quibus descenderunt. SIGNIS] Imaginibus rerum, quas præferunt, pictis, aut sculptis.

172. SCHOONHOVIUS] Joannes vir consularis, sæpius Decanus Hallarum, ut vocant, seu magistratus illius, qui cognoscit, de omnibus caussis & controversiis rem laneam, ejusque merces quovis modo attinentibus. Effigies illius etiam nunc extat in senaculo vel conclavi ejusdem magistratus, ubi videas hominem capite tenus aureo redimiculo, sive vittâ, in morem clavi prætexti coronatum. AUREÆ] Sic hexametri sæpe finiuntur. Naso Epl. Her. 12. Med ℣. 201. --*villo spectabilis aureo.* Met 7. ℣ 151. -*custos erat arboris Aurea.* Et Virgil. lib. 8. Æneid ℣. 372.

*-----Thalamoque hac conjugis aureo.*

Et lib. 10. ℣ 116 --*solio tum Iuppiter aureo.* Potiò laudatus Schoonhovius ortum duxit ex nobi-

*Pullatus proprias, & ad ipsa novissima verba*
*Respondit Mystæ, comitesque piosque propinquos*
*Excepit mensâ; & quoties canitur*, Requiescant
In pace, *adspiravit* Amen. *Sic nænia vivas*
*Calfacit auriculas, post mortem nulla voluptas*
*Rebus ab externis. Etiam prurimus abacti?*
*In Cameracensi ditione Gubernatorem*
*Chironem, modò qui editior, celebrare quotannis*
*Vidimus hoc festum: nimirum gratia fato,*
*Uno quòd senii cariem dimoverat anno:*

nobilissima Gente *de Schoonhove*, cujus natalia deducuntur ex antiquis oppidi ac agri Arschotani comitibus, ac inter nobilissimos Brabantiæ proceres magna nominis gloriâ celebratur. Thalamorum commerciis affines habet illustrissimas familias *de Diest, Comitum de Meghem, de Arenberch, vander Aa, Reymerswale, Serclaes, Nassauw, Berchem, Bronckhorst, Rhoem uysten Limingen, Riviere, Pots, Coutereau Baronibus de Iauche, & aliis.* De nostris Antverpiensibus Schoonhoviis, ita habet Guicciardinus in Antverpia sua: *Schoonhoviorum nobilis domus, oriunda primùm Arschoto, cum alias dederit multos viros illustres, tum hodieque habet Ioannem atque Philippum, utrumque equitem, & alterum quidem Marcgraviatu, alterum Consulatu defunctum.*

173 PULLATUS] Toga & pallio atris, fluxis, & talaribus lugens, pro more istius ævi. EXEQUIAS PROPRIAS] Ad solennia sacra, quæ ex usu Ecclesiæ fiunt pro defunctis, quæque ipse in mortis suæ προγυμνασμὸν, convocatis in hoc cognatis & amicis celebrari curavit, vir multa senectute venerabilis NOVISSIMA VERBA] Ultima Sacrifici verba, in sacris post orationes, vel in fine REQUIESCANT IN PACE: quibus bene sibi post futuram mortem precando, unà cum assistentibus ministris, respondit AMEN.

175. EXCEPIT MENSA] Structis parentalibus, ut solet post exequias; quod adeò in Belgica est familiare, ut nostrates epulum istud nomine exequiarum definiant. QUOTIES CANITUR] In templo scil. ad absolutionem, ut vocant, jam sacris finitis, dum ministri Ecclesiæ ritum capuli absolvunt; uti & in convivio, dum mortuis, finito psalmo & oratione, bene precantur convivæ.

176. ADSPIRAVIT] Graphicè: quasi cum gemitu, & debili lingua, & gutture enuntiavit NÆNIA] Carmen ut suprà, lugubre.

177. CALFACIT] Afficit, excitat, delectat, stimulat. Cic. Epist. 18. lib. 16. famil. *Iste vos tantâ impensâ derideat? Calface hominem.* Ovid. 2. de Arte amandi ꝟ. 445.

*Fac timeat de te, tepidamque recalface mentem.*

VOLUPTAS] Nullus sensus vel affectus.

178. EXTERNIS] Rebus extra nos, & animum positis. ETIAM PRURIMUS &c.] Quasi dicat nulla rerum temporalium voluptate tenemur, *abacti* scil. ex numero viventium. Id est, mortui.

179. CAMERACENSI DITIONE] In agro & arce Cameracensi. *Cameracum*, sive ut Cæsar, *Samarobrina* Galliæ Belgicæ urbs est, in confiniis Attesiæ, Hannoniæ, & Picardiæ; Archiepiscopatu insignis & arce munitissima, cui dum parebat Regi Catholico, semper præerat gubernator Hispanus, qualis hic Chiron fuisse describitur.

180. MODÒ EDITIOR] Ad ampliorem honorem, dignitatem, vel magistratum editus, sive evectus.

181. HOC FESTUM] Hæc solennia inferiarum vel exequiarum. GRATIA FATO] Supple agitur: id est, Deo ejusque providentiæ solvuntur gratiæ.

182. SENII CARIEM] Lethum vel lethalem morbum, à senii & defecti corporis affectione. Senectus enim ipsa morbus, & cariosa Nasoni lib. 1. Amot. Eleg. 12. ꝟ. 29.

*Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus*
*Rodat, & immundo cera sis alba situ.*

Senium enim est putrilago humani corporis. DIMOVERAT] Repulerat, extenderat, protelaverat.

*Accinctumque pio sese innuit, obtulit ore.*
*Non festinantem tutò decet esse paratum.*
*Decedens lepidè non pridem Adrianus Heninus*
*Præcepit tabulis ne quisquam pragmaticorum*
*Se comitaretur, quamvis vicinus, humandum.*
*Quippe citatus erat numquam, nec is ipse citarat*
*In vitâ quemquam, non vult post fata cieri:*
*Pacifico jussit comitatu epicedia; magni*
*Gutturis exemplum de mercatore potente.*
*His curis veniam damus ut virtutis alumnis,*
***Nulla quibus turget, decies narranda Becano,***

183. ACCINCTUM] Paratum & expeditum, ad recedendum ex hac vitâ. INNUIT, OBTULIT] Se Deo insinuavit, & commendavit.

184. NON FESTINANTEM] Non optantem sibi mortem accelerari. TUTÒ] Securè de animæ salute. Id est: ut ad mortem non festinant homines, decet tamen mortis memoriâ mentem à noxis expurgare, & ad feliciter excedendum, eam ritè ac seriò comparare.

185. ADRIANUS HENINUS] Mercator Antverpiensis, dives, attentus, vir pacis studiosissimus, amator religionis.

186. TABULIS] Testamento. PRAGMATICORUM] Advocatorum, caussidicorum, & procuratorum, omnesque, quos hodie *practicos* nominant, qui litigantium partibus quocumque modo patrocinantur. Vide Ser. 7. ad ℣. 285. fol. 200.

187. SE COMITARETUR] Cadaver suum in funere prosequeretur. QUAMVIS VICINUS] Domo & habitatione sibi vicinus. Id enim civilis poscit, & recepta consuetudo in Belgica nostra, ac inprimis Antverpiæ, ut dum effertur mortuus, amici invitati, unà cum vicinis longâ serie, plerumque pullati, funus prosequantur ad ædem sacram & tumulum. Inde domum defuncti reductis heredibus, cum gratiarum actione dimittuntur.

188. CITATUS] In jus vocatus. CITARAT] In jus, seu numquam in judicio quempiam appellaverat.

189. POST FATA CIERI] Glossema jocosum Poëtæ. Mortuus citari in jus non vult. Nimirùm quia metuebat sibi à viris illis, quorum quæstus à rixis & litibus alienus. Eleganter Havsæus Ar. Virt. Satyr. 1. ℣. 111.

*Vince, aut perde cliēs; semper res parta patrono est:*
*Et tibi gaudenti, aut mæsto, nihil ille remittet.*

190. PACIFICO COMITATU] Hominum scil. paci studentium, & qui alienis non gaudent vel pascuntur discordiis. JUSSIT] Decrevit ut fierent, aut præcepit heredibus. EPICEDIA] Exequias. Nam Epicedium carmen in exequiis olim cantabatur: Græcis ἐπικήδειον, à κήδομαι, quod est *exequias curo*.

191. MAGNI GUTTURIS EXEMPLUM] Ironicè ob hominis rarissimam frugalitatem. Non enim seriò id expono, ut illud Juven. Sat. 2. ℣. 113.

------ *Rarum & memorabile magni*
*Gutturis exemplum.* -------

Prudentior enim est Noster, quàm ut nomine & cognomine tam exposito quemquam mordeat. Nec suadet hominis nominati continentia, quem bonis auctoribus apprimè frugalem extitisse accepimus. Quare quibus prior non placebit expositio, meminerint *exemplum* quod ex rebus gestis petitur ad rectam hominis institutionem, tam nos monere, quid agendum sit, quàm fugiendum: adeoque hic commendari salubrem hominis parcimoniam, quam meritò sibi præ oculis habeant guttones & nepotes. Nisi quis fortè hic contentiosè velit, describi Stentora, buccinatorem, aut inconditum declamatorem, de opibus & potentiâ mercatorum. Sic enim meliùs cohæreant sequentia.

192 HIS CURIS] Funeralium vel parentalium ante mortem. VIRTUTIS ALUMNIS] Tanquam virtutem, & religionem nutricantibus.

193. DECIES NARRANDA] Anxiè discutienda, & sæpiusculè inculcanda, si de illa scriptitaret.

Be-

*Vana superstitio : ast hic quis consanguineus se*
*Temperet à risu ? Postquam discessit Anubis,*
*Qui abstulit omne nefas , animamque spopondit Olympo,*
*Ecce iterùm se torquet anus , se mandat humari*
*Sindone crispatâ , calamistratisque capillis,*
*Zelotypæ bilem ut moveat Proserpinæ , & omni*
*Eumenidum turbæ. Centum petit altera tædas,*
*Pullatos totidem cascos , longo ordine pompæ*
*Seductura Deos manes. Coomannius ille*

BECANO] Joanni Goropio, medico Antverpiensi, viro undiquaque doctissimo: cujus acte ingenium , & reconditam lectionem non semel deprædicat Lipsius. Hic mysteria priscæ sapientiæ investigando , omnem gentilium , ac inprimis Ægyptiorum superstitionem, ex veterum monumentis eruit, eamque accuratè & luculentè, non rarò eadem ingeminando, in diversos ingenii sui editos fœtus , diligentiâ verè nimis exquisitâ, & superstitiosâ traduxit. Scripsit de linguæ nostræ Belgicæ antiquitate ; & elegantiâ , eamque primogeniam esse contendit ; quo nomine non semel vapulat à Lipsio. Vide Hermathenæ, Hieroglyphicorum , & alios ejus libros.

194. VANA SUPERSTITIO] Quæ plerumque ex nimia religione nascitur ; ideoque penitus rejicienda , & execranda prudentibus. Anile enim hoc vitium est, & animi imbecilli, ut vult Cicero lib. 2. de Divin. c. 125 ideo sæpe inanis & vana vocitatur. Virg. lib. 8. Æneid. ✡ ✡ 187.

*Vana superstitio, veterumque ignara deorum,*

Nominis originem ita deducit Cicero 2. de Nat. Deor. c. 72. *Qui totos dies precabantur, & immolabant , ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati : quod nomen postea latiùs patuit.* AST HIC] Transit ad aniles superstitiones , quarumdam , & inanes sollicitudines. QUIS CONSANGUINEUS] Etiamsi consanguineus & heres , & qui magis patienter alioquin ferat hanc insaniam.

195. ANUBIS ] Sacerdos à sacris confessionibus , Curio sive Pœnitentiarius. Anubis enim creditus est nuntius, inter deam Isidem & mulieres , quando eum coluerunt Ægyptii tanquam superiorum & inferorum internuntium. Inde ab Apuleio lib. 11. Metam. *Superûm & inferûm commeator* dicitur. Ceterùm Anubis apud Ægyptios Numen erat, quod capite canino colebatur, inde & latrator dictus est. De Sacerdote autem intelligendum id Juven. Sat. 6. ✡. 533.

*Plangentis populi currit derisor Anubis.*
*Ille petit veniam , quoties non abstinet uxor*
*Concubitu, sacris, observandisque diebus.*

Quæ cùm à Sacerdotibus nostris Christianis non videantur aliena , non malè censeri debet hoc nomine usus Poëta.

196. QUI ABSTULIT &c. ] Virtute Christi, claviumque D. Petro Apostolo traditarum , absolvit noxium à malefactis , eique pollicitus est cæli gloriam , & æternam tranquillamque beatitatem.

197. SINDONE] Amictu ferali ex tenuissimo lino. CRISPATA ] Vario plexu intorta , striis vel plicaturis artificiosè composita. CALAMISTRATISQUE ] Calamistro in annulos , seu cincinnos contortis. *Calamistrum* ferrum tenue, levi igne aut cineribus calefactum , Nympharum in usu, ad crispandum capillitium.

199. ZELOTYPÆ &c.] Ridet festivè, ludendo, in Poëtarum commentis, de regno & connubio Plutonis & Proserpinæ apud inferos : ac si anus iret aucupatum amores nigri Jovis, ringente ac livescente dominâ.

200 EUMENIDUM TURBÆ] Omnibus Furiis & deabus infernalibus. *Eumenides* per antiphrasin dictæ sunt Furiæ , quòd minimè in homines benevolæ. TÆDAS ] Funeri collustrando funalia centum.

201. CASCOS ] Seniculos pauperes , atratis palliis seu stolis talaribus amictos ; pro more urbis nostræ in exequiis eorum , qui semel fuêre conjugati. LONGO ORDINE ] Longo comitatu, procedentibus binis, ordine in longum protracto.

202. DEOS MANES] Mortuos. Animas enim à cor-

*Deteriùs ne quid saperet : de actis & agendis,*
*Exhibuit Parocho volvendum in fine volumen.*
205. *Pluribus exagitem thema ; verùm ne comedatur*
*Frigidum olus, licet incîdam. Quid multa ? subimus :*
*Instruiturque epulum, non quale poëticum Erasmi.*

à corpore digressas, maximè bene meritorum, observantiæ testandæ ac religionis gratiâ, deos manes appellabant. Unde monumenta pleraque antiqua titulum præferebant DIS MANIBUS.] Persistit festivè in joco. COOMANNIUS] Jacobus Coomans mercator, vir multi leporis & elegantiæ.


203. DETERIUS NEQUID &c.] Ne notaretur de superstitione, aut minùs sanè dispostuisse videretur, de rebus justa sua attinentibus.

204. PAROCHO] Curioni, presbytero parochiali, pastorem Belgæ nominamus. IN FINE] Morte jam appropinquante. VOLUMEN] Testamentum vel codicillum.

205. EXAGITEM] Exagitare, excutere, vel tractare possim. THEMA] Hoc argumentum funerale.

206. FRIGIDUM OLUS] Quod usu venit à meridie serò domum ad triclinium revertentibus. Significat Sweertius supremum esse prandendi tempus, adeòque itandum ex condicto. INCIDAM] Abrumpam sermonem. SUBIMUS] Tecta & cœnaculum Sweertiana.

207. EPULUM] Convivium familiare, Poëtæ pro epulo acceptum, & procul dubio lautè conditum. POETICUM ERASMI] Non adeò tenue ac frugale, ut describitur in colloquiis Erasmi Roterodami *convivium poëticum* (id colloquio nomen) ubi præter olera, ficus, pepones, melones, ova variè cocta, cucumerem in laminas sectum, & gallinam unicam cum bellariis in horto adhuc viventibus, nihil opsoniorum convictoribus feprem. Unde initium : *Levis apparatus animus est lautissimus.* Sub finem autem convivii symposiarches, *age nunc*, inquit, *ridete quantum voletis, cras fortasse seriò laudabitis hanc cœnam ; cùm senseris tibi probè fame conditum esse prandium.*



PETRI



# PETRI SCHOLIRII

## ANTVERPIENSIS,

# DIOGENES CYNICUS,

*SIVE*

# SERMONUM FAMILIARIUM

## LIBER TERTIUS.

## PROECTHESIS

### *AD EUMDEM LIB. III.*



DIOGENES CYNICUS Sive Liber III. Sermonum familiariū, in M.SS.à Poëta non semel SATYRA MAGNA nuncupatus, hoc unum proponere videtur, ut sua cuique hominis ætati ulcera & carcinomata denudet, resecet & exurat. Quod ipsum quia Auctor magna felicitate præstitit hoc præsenti libro, quo solius juventutis vitia perstringit, majoríque perrecturus sperabatur ad alias humanæ vitæ ætates, quibus singulos quosque libros destinaverat: non potuit inopina ejus mors, quæ hominem rodendis radendísque hominum strumis natum, repentinâ apoplexiâ correptum sustulit, doctis omnibus ac popularibus Sophis, tum & Musis ac leporibus ipsis, non fuisse amarissima & lamentanda. Apologiam operi præmittere placuit, & sub duplicato Cynici pallio seculi sui proscenia pulsare: ut acriores sales, & fel Satyricæ amarulentiæ, quò se naturæ impulsu rapi sentiebat, quadantenus mitigaret, & ut ipse, dictorum invidiâ à se in Diogenem detortâ, libetiùs in hoc argumento luderet. Porrò Diogenis, imo & Cynicorum omnium in carpendis hominum vitiis decumanam fuisse libertatem, & constantem inverecundiam, neminem fugit, quando non tam verbis, quàm factis sapientiam definiebat Cynica secta, cujus quàm robusta virtus extiterit, nemo tam in Græcis Latinísve litteris hospes est, qui ignoret. Eam quemadmodum multis laudibus celebravit, ita, si unicam demas caninam inverecundiam, vetustas comprobavit. Et nos quædam in decursu delibabimus. Modò sufficerit Epictetum huc produxisse, qui apud J. Lipsium Manuduct. ad Stoic. Philosophiam lib. 1. dissert. 13. De hujus sectæ popularibus ita disserit: *Cynicus explorator quidam est, & velut* LEGATUS *à Iove ad visendas res humanas. Diogenes ille, inter capita ejus secta, post Cheronensem cladem ad Philippum Regem perductus fuit, ut speculator. Statim fassus est: & sum hercules, inquit, sed tua ambitionis, sævitia, & luxus. Itaque monet & inclamat liberè, qua bona, qua mala sint demonstrat; appetenda, fugienda; & elatâ manu, velut tragicâ scenâ conscensâ, homines miseriarum suarum, & vitiorum admonet, ab iisque ad meliora (quantum in ipso est) compellit. Idem est* PUBLICUS

Rr Do-

DOCTOR, *& pædagogus generis humani, instruit simul ac castigat. Idem* MEDICUS *& velut* ÆSCULAPIUS *quidam: qui statim demonstrare possit, & illos si curatione sua utantur sanos fore, & suam valetudinem in argumentum proferre. Convenite omnes, inquit, qui è pedibus, è capite, qui febri laboratis, convenite cæci, amentes; ac videte me ab omni malo expertem & salvum. Denique Dominus &* REX *est, sceptro & diademate à Deo ornatus: qui tales facere pollicetur, sibi audientes. Vt sciatis, ô mortales, vos felicitatem & tranquillitatem, ubi non est, quærere: ecce ego exemplum à Deo vobis sum missus. Non rem habeo, agros, domum; non uxorem, liberos, familiam; imò nec stragulum aut tunicam, aut aliud vasum. Videtis tamen quàm sanus sim? Facito mei periculum. Nihil habeo, nihil egeo, ne cupio quidem: non hominem, non locum, non oblectatiunculam, sicut pueri vindemia dies aut ferias. Ecquid mihi deest? Nónne sine metu sum? Nónne liber? Quando quisquam me in vovendo frustratum vidit? Quando in vitando? Quando Deum vel hominem aliquem incusavit? Quomodo autem alacer & erectus incedo? Quomodo eos tracto & convenio, quos vos timetis? Nónne ut mancipia? Quis me conspecto, se* REGEM *&* DOMINUM *suum videre non putat? Hac ago, hac curo: sicut eum oportet*

Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλεν:

*Qui populos moderetur, & ampla negotia curet.*

*Atque hæc liberè omnia, sine trepidatione aut respectu: quippe qui sole puriorem mentem soleo circumferre. Non habeo satellites, gladios, pompam, sive terriculamenta ista externa: eorum loco* BONA CONSCIENTIA *dat fiduciam mihi & potestatem. Non ipse reprehendendus, in alios incurro; verecundiâ ubique ornatus, & honesti amore, illud sine lege aut pœna colo. Ceteri parietibus, januis, velis teguntur: ego sub dio in propatulo ago, omnium oculis & inquisitioni expositus, Deo me probo. Atque hæc cùm facio, evenit ut malè audiam, imò vapulem: quid mirum à pueris aut fatuis, & qui tangi ulcera sua nolunt? Ego verò affectum aut curam non muto, aut mitto. Dum vapulo, eos ipsos* QUI VERBERANT DILIGO, *tanquam pater omnium, tanquam frater. Neque animo solùm ita firmus & constans sum, sed corpus sufficit: & illo ipso doceo, tenuem & frugalem victum vires augere, adeò non lædere sanitatem. Quid calorem, frigus, incommodat? Nihil. Ecce circumfero corpus meum, ut Diogenes, nitidus, pinguis, bene habitus: credite oculis sensibusque vera dici.*

Quin & vindicem & patronum huic operi, ne sibi fraudi foret, adscivit Poëta, dum illud inscripsit viro sapientissimo doctissimoque, cujus prima tunc in aula Principis Cardinalis Ferdinandi Hispaniarum Infantis, & Belgicæ Proregis, Bruxellæ & per provincias circumjectas erat auctoritas. Inscriptio metrica sic sonat:

AMPLISSIMO DOMINO

# PETRO ROSE

SANCTIORIS CONSILII

## PRÆSIDI.

*Hispida, quò properas, operosaq; sente Thalia,*
*Futilis & titulis invidiosa tuis?*
*Mentis inops, nescis teneri fastidia mundi:*
*Crede mihi, poteras tutiùs esse domi.*
*Illa refert: Soboli si non prohibebis honorem,*
*Judice naturâ debita spina Rosæ.*
*Præsidet exculti fulgens rosa floribus horti;*
*Estq; satellitibus sentibus aspra suis.*

Vir

*Victricis Austriaci* FERNANDI *praesidet aulae;*
*Praesidio dignus, praesidiumq́ viro:*
*Laudibus aversus, rigidusq́ asperitate veri;*
*Nominis indicio, robore, odore, Rosa.*
*Mitte satellitio functuram huc usque Thaliam,*
*Et tua sollicito pectora solve metu.*
*Armat spina rosas: flori sua spina decori est:*
*Contemnunt spinas ut fugiente rosa.*
*His ego pacatus dumos tibi dedico nostros,*
STRENUE VIR, *vepribus praesidium esse velis.*
*Si rosa per latum spatium diffundat odores,*
*Cur non vicinis sentibus afflet humi?*
*Si rosa sit tanti, caput ut corroboret; imos*
*Cur non fomentet sustineatq́ pedes?*
*Incolumem te sic in saecula servet Apollo;*
*Candida purpureis sis Rosa mista Rosis.*
*Praesideas felix, & sint te praeside, Praeses,*
*Principis & populi res meliore loco.*

PETRI SCHOLIRII

# PRO DIOGENE CYNICO

APOLOGIA,

# SIVE SERMO X.

A*Rgum.* Auctore quopiam ex primoribus hodierni moris aulico, versibus epicis & panegyricis, cum rerum & honoris sui incremento deditus Poëta, à Diogene inter curas hortenses occupatur; acriterque increpitus, intermissas Satyras resumere jubetur. Tergiversanti, & plenam invidiae spartam repellenti instat Spectrum, hominum vitiis cum libertate suggillandis modum & leges praescribendo, quas sibi olim Athenis feliciter cessisse non ignoraret: sumat proinde, si populi offensam metuat, personam ipsius, & Athenienses sibi fingat castigandos. Nondum his auscultans Poëta, de auctoramenti Apollinei officio commonetur. Quare cum Dei imperatis refragari, nec fas esset, nec ultrà auderet, ad Satyram, pro solita Musarum comitate, conscribendam animum appellit.

C*Edere temporibus, fato parere lubenter,*

1. CEDERE TEMPORIBUS] Rebus praesentibus semet accommodare. Cic. pro Mil. c. 2. *Quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori judices* Affines huic paroemiae sunt: *Ser-*

*Et simulare loco, prudentis dixerat esse,*
*Inter præcipuos hodiernis moribus Auctor.*
*Adspiro dictis, salebrisque dicacibus ultrò*
*Vitatis resipisco, & me virtutibus aulæ*
*Pumico, & urbanis salibus festivus oberro;*
*Assurrecturus non infimus omine palpo.*

*Servire tempori: uti foro: servire scenæ.* Quæ in unum & eumdem ferè sensum dicuntur. Cic.l.9. famil. Epl. 7. *Quid faciam? Tempori serviendum est.* Senec. Med. ℣. 175.

*-----Tempori aptari decet.*

Fato] Necessitati fatali, quam frustra coneris vitare. Virgil. lib. 5. Æneid. ℣. 22.

*---Superat quoniam fortuna, sequamur.*

Parere libenter] Unicum necessarii doloris solatium est, libens tolerantia. Seneca Oedip. ℣. 980. *Fatis agimur, cedite fatis.*

Seneca Phil. de Provid.c.5. *Quid est boni viri? Præbere se fato.* Senior nautes ad Æneam lib. 5. Æneid. ℣. 709.

*---Quo fata trahunt, retrahuntque sequamur.*

Sensus hic est: haud molestè fer adulationes, fucos, fraudes hujus seculi, quando nullâ eas arte evitaturum te speraveris.

2. Simulare loco] Prudentis, ut fert tritum, est multa pro tempore & loco dissimulare: Rectè Fredericus Aug. apud Lipsium l.4. Civil. Doct. cap. 14. *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Callias inter excerpta Grotiana: *Apud insanos omnibus aiunt esse insanire decorum.* Horat. l. 4. Od. 12. ℣. ult.

*Dulce est desipere in loco.-----*

Lips. Cent. 2. Misc. Epl. 7. *Sapientia pars est leviter desipere, & paullùm extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum.* Ceterùm proverbiales hæ gnomæ ita accipiendæ sunt, ut nihil contra veri fidem, & Christianam sinceritatem & libertatem præcipiant; alioquin obelo eas jure confixeris. Rectè Lipsius in cap.3. Senecæ de tranq. anim. *Salutare præceptum*, inquit, *& simul politicum. ut rebus temporibusque, virtute salva, aptemur.*

3. Præcipuos] Primos. Hodiernis moribus] Aulicis fucis & artibus imbutos. Auctor] Suasor magnæ ac minimè vulgaris anctoritatis.

4. Adspiro] Pareo, consentio. Salebris dicacibus] Asperè dictis, poemaiis mordacibus; verbo, Satyris. *Salebra* loca sunt petrosa & aspera: hinc non rarò pro quavis asperitate usurpari videas. Mart. lib. 11. Epig. 91. ℣. 1.

*Carmina nulla probat molli quæ limite currunt,*
*Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt.*

Cicero lib. 5. de fin. bon. & mal. cap. 84. *venit ad extremum, hæret in salebra.*

5. Resipisco] Ad sanam mentem redeo, seu potiùs videri volo rediisse, ne arguar boni auctoris consilio minus obaudiisse. Virtutibus] Artibus aulicis, & politicæ vitæ institutis, tam de adulando principibus & optimatibus, quàm callidâ & versutâ inter aulicos versandi ratione; quibus qui imbuti, in omnem simulationem & fallaciam animum discingunt.

6. Pumico] Polio, elegantem & gratum me facio. Pumice enim defricantur, lævigantur, & poliuntur corpora, Chartæ, libri &c. Apuleius Apolog. 1. paullò post initium:

*Dentem atque russam pumicare gingivam.*

Hoc fortè apud Catullum Epig. 70. legit pro *defricare.* Vid. Turneb.lib.21. c.27. Lucil. l.7. Sat. in reliq. Dousæ n. 6.

*Rador, subveller, desquamor, pumicor, ornor.*

Salibus] Dictis argutis, jocisque juvantibus, & animum oblectantibus. Id enim præstant urbani sales, lepores scil. hominum in urbe agentium, qui sermonis opportunitate, agrestes & incultos, post se relinquunt. Horat. lib. 1. Sat. 10. ℣. 64.

*Comis & urbanus fuerit Lucilius, inquam.*

Inde homines politi, civiles, urbani, in quibus nihil agreste, nihil inconcinnum *Sales* numero multitudinis tantùm efferri volunt, cum jocos significamus. Notum tamen est istud Terentii Eun. 3. 1. 10. *Qui habet salem qui in te est.* Donato placet *sal* neutraliter *condimentum*, masculinè *sapientiam* dici. Festivus] Comiter lepidus. Oberro] Incedo, vivo & versor inter homines aulicos.

7. Assurrecturus] Evehendus ad præfecturas & magistratus. Non infimus] Non in postremis censendus. Omine palpo] Assentandi studio fausta quævis mihi præsagiente. *Omen* festo dictum quasi *Oremen*, vel Varroni *Osmen*, ab hominum ore. Cicero l. 1. de Divin. c. 102. Neque

*Jamque reservatis pigmentatisque parergis*
*Pagina turgescit, phaleratis versibus apta*
*Humanos captare Joves, recludere Divûm*
*Atria, & accessus sine velo Semideorum.*

*Neque solum Deorum voces Pythagorei observarunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina. Quæ Majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis,* QUOD BONUM, FAUSTUM, FELIX, FORTUNATUMQUE ESSET, *præfabantur: rebusque divinis, quæ publicè fierent, ut* FAVERENT LINGUIS *imperabatur.* Unde propriè *omen* vox est hominis aliquid faciendum aut omittendum significantis, ejus inscii quod pronuntiat. *Palpum* ad blandimentum vel adulationem significandam translatum videtur ab equisonibus, qui plausu manuum blandiuntur equis. Virg. lib. 3. Georg. ℣. 185.

*Tum magis atq; magis blandis gaudere magistri*
*Laudibus, & plausæ sonitum cervicis amare.*

Inde *palpari* pro adulari. Lucil. l. 29. Satyr. apud Dousam in reliq. num. 25.

*Hic me ubi videt, subblanditur, palpatur* &c. Plautus Amphit. Act. 1. Sc. 3. ℣. 9.

*Observatore, quàm blandè mulieri palpabitur.* Hinc adulatores passim *palpones* audiunt: & nota sunt adagia, *obtrudere palpum*, & *palpo percutere.*

8. RESERVATIS ] In hunc usum mihi, inter legendum collectis, & reconditis ad exornandum argumentum, quod fors offerret. PIGMENTATISQUE ] Fuco & laudum pigmento illitis. *Pigmentum* cerussæ vel fuci genus, quo puellæ vultum oblinunt, conciliandæ venustati: & sic metaphoricè pro falsis laudibus, offuciis, & mendaciis, quæ adulandi studio adferuntur. Alio significatu pictorum colores exprimit, & sic, per aliam translationem, pro schemate & Rhetorico ornatu, vel orationis colore reperias. Cic. de Cl. Orat. c. 298. *Intelliges nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem & colorem defuisse.* PARERGIS ] Ornamentis ad institutum nihil pertinentibus. Πάρεργον Græcis operis appendix, vel quod ad susceptum opus accedit: aut, ut Noster in M. SS. *quod alicui rei superfluum additur:* cujusmodi sunt illa, quæ pictores iconibus suis ornandæ tabellæ gratiâ adjiciunt.

9. PAGINA ] Libellus, carmen, versiculi. Pars pro toto. Festo *pagina* dictæ, quod in libris, suam quæque obtineat regionem, ut pagi: vel à pagendo, quod versus in illa pagantur, id est figantur. Virgil. Ecl. 6. ℣. 11.

------*Nec Phœbo gratior ulla est,*
*Quàm sibi, quæ Vari præscripsit pagina nomen.*

Propertius Lib. 2. Eleg. 21. ℣. 1.

*Ah quantum de me Panthi tibi pagina finxit.*

TURGESCIT ] Superbit, grandescit, inflatur. Pers. Sat. 5. ℣. 19.

*Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis*
*Pagina turgescat.*------

PHALERATIS ] Comptis & ad placendum compatatis. *Phalera* equorum ornamenta, quibus non rarò mangones ad celanda eorum vitia utuntur, ut cariùs veneant. Hinc pro extimo vestitu, & boni speciem tantùm referente, quandoque usurpantur: item pro fastu & simulatione &c. Pers. Sat. 3. ℣. 30.

*Ad populū phaleras: ego te intus, & in cute novi.*

Id est, *apage sis cum ornamentis externis*, ut vult Autumnus. Inde phalerata oratio, & phalerata dicta. Terent. Phorm. 3. 2. 15.

*Ut phaleratis dictis ducas me.*--------

10. HUMANOS JOVES ] Principes, Summates, primarum rerum administros, potentes, qui juvent aut prosint. Plaut. Casin. 2. 5. 26.

*Repentè ut emoriantur humani Joves.*

CAPTARE ] Sibi benevolos & obnoxios facere. RECLUDERE DIVÛM ATRIA ] Efficere ut pateat ingressus ad principum palatia, & interiores admissiones. Variè olim, uti & nunc, admittebantur ad limina principum. Meminit Seneca de benefic. lib. 6. c. 33. *Est proprium superbiæ, magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, ut ostio suo propiùs assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt. Apud nos primi omnium C. Gracchus & mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, & alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios cum universis.* Itaque dicebantur amici primæ, secundæ, & tertiæ admissionis, ab ordine quo admittebantur. Vide Lips. in Tacit. 6. Annal. c. 9.

11. ACCESSUS SINE VELO ] Secretos & intimos, non rogatâ ingrediendi potestate, quod amicis primę admissionis proprium. Ælius Lamprid.

*Intercam, calamo si quid mellitius optem.*
*Quippe saginari Magnatum sæpè videbar*
*Ipse mihi mensis; promissis crescere Regum*
*Haud dubiis, magnosque inter strepitare Ministros.*
*Nec spes ipse meas capio, consistere plantis*
*Nescio; & insolitis, dum vado, passibus utor.*
*Vox diversa sonat, pando verba effero rictu,*
*In levitate gravis, levis in gravitate; perinde*

prid. de Alexand. Severo, *cum amicis*, inquit, *tam familiariter vixit, ut salutaretur quasi unus de senatoribus patente velo, admissionalibus remotis; aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant: cùm antea salutare Principem non liceret, quòd eos videre non poterat.* Erant enim in domo Augustana varia ostia, quorum quædam cancellata, quædam velo obducta: inde *cancellarii* & *velarii*, quorum erat admittere, vel repellere Principem adire volentes *Salmas.* in Fla. Vopisc. SEMIDEORUM] Procerum & primorum ministrorum, qui collati cum divo, sive Principe, semidei sint. Vide serm. 9. ad ℣. 46. fol. 291.

12. INTEREAM] Exectationis & adjurationis formula, quæ adjecta particulæ *si*, aut *nisi*, vehementiùs asseverat. Horat. lib. 1. Sat. 9. ℣. 38.

-------*Intercam, si*
*Aut valeo stare, aut novi civilia jura.*

Sic & ibidem ℣ 47. -----*Dispeream, ni*
*Summosses omnes.* -----Catull. Epig 93.
---*Lesbia me, dispeream, nisi amet.*

CALAMO] Stylo, scriptitatione, carminum compositione. MELLITIUS] Suavius, jucundius, amœnius, gratius.

13. SAGINARI] Pinguescere, frequenter summarum epulis adhibitus. Simulat se talem, quales rodit Serm. 1. ℣. 2. fol. 5.

-----*Qui mendicare sorores*
*Constringunt Bromio.*-----

14. CRESCERE] Augere, attolli. PROMISSIS HAUD DUBIIS] Seriis principum pollicitationibus, de rerum mearum incremento.

15. STREPITARE] Multùm & continenter disserere, loquive cum aliis de rebus Principis & patriæ, aut se suaque jactare. Sic & in Græcis adagiis And. Schottus è Suida Cent. 14. n. 86. de jactabundo & obstrepiloquo, ψόφου πλέως, id est, *strepitu plenus.* MINISTROS] Regios summarum rerum curatores.

16. NEC SPES MEAS CAPIO] Insolesco spe promissorum, & honoris potiundi: aut, ut est in proverbiis: *Delphinum patina non capio.* Naso de Mida Metam. lib. 11. ℣. 117.

*Vix spes ipse suas animo capit.*-----

CONSISTERE PLANTIS &c.] Superbiæ fastusque intumentiâ. Solent enim quibus omnia ad votum fluunt, nondum irritatâ Nemesi, arrogantiùs & proterviùs mores componere, adeò præ mollitie & petulantia in rebus agendis cespitantes & soluti, ut nesciant quò properent, aut ubi gressum figant. Belgicè hos dixeris, *aelwaerdige.* Nempe ut ex Menandro proverb. apud Erasmum, *fortuna facit insolentes.* Sic Horat. lib. 1. Od. 37. ℣ 11. Cleopatram *fortuna dulci ebriam* appellat. Cui appositè quadrat isthoc vulgi nostratis *brood-droncken.*

17. INSOLITIS PASSIBUS] Affectatis, ad fastum compositis, clunibus crispatis, undante chlamyde, supinâ fronte &c. ut solent gloriosi, & jactabundi.

18. VOX DIVERSA SONAT] Alia, & alium in modum loquitur, quàm antè; ac sublimiore cothurno mentis sensa enuntiat. *Oratio* quippe, ut notant proverbia, *vita simulacrum.* Nec sermone minùs, quàm gestu & corporis habitu se tumor prodit. PANDO] Diducto & hiante. RICTU] Ore. Pando enim vel hiante ore sua enuntiare, operosè, tardè ac graviter loquentibus solenne. *Rictus* certa est oris compositio, sive hiatus, qui ridentibus, & ringentibus plerumque obvenire solet. Juven. Sat. 10. ℣. 230.

*Ipse ad conspectum cœna diducere rictum*
*Suetus, hias tantùm ceu pullus hirundinis*---

19. LEVITATE] Morum varietate, ac inconstantiâ. GRAVIS] Severus, fastuosus, arrogans. Sub personæ propriæ descriptione, notat aulicos in his & sequentibus.

20.

*Ac si per biduum fortunæ filius essem.*
*Inter majores fungi paritate paratus,*
*Despectare pares, de me pluraliter ipso*
*Fari, & hyperbolicè, & temerè: Nos jussimus ista:*
*Nos ita consilium dedimus: nos Regia legit:*
*Nos æstum tulimus populi: nos poma natamus.*
*Sed nihil invitis possis contendere Divis.*
*Fabula longa quidem, memorabilis attamen, inter*
*Fatales hominum casus & digna notari,*

20. FORTUNÆ FILIUS] Multis fortunæ successibus beatus, ac verè fortunatissimus, & quem cum Flacco lib. 1. Epl. 12. ℣. 9.

*Confestim liquidus fortuna rivus inaurat.*

Apud eumdem vox est eorum, qui à Mæcenatis amicitia, fortunam Horatio malè invidebant libr. 2. Sat. 6. ℣. 48.

*-----Noster ludos spectaverat unà,*
*Luserat in campo. fortunæ filius, omnes.*

Oedipus Sophocleus apud Plutarchum de Fort. Roman. *Ego me ipsum puto fortunæ filium.*

21. INTER MAJORES &c.] Paria cum majoribus audere, dicere, facere: perinde ac si ipse me dignioribus æquiparatum irem.

22. DESPECTARE PARES] Præ me contemnere, mihi posthabere. PLURALITER] In numero multitudinis, ut solent Imperatores, Reges, Principes, aliique summi magistratus.

23. HYPERBOLICE ET TEMERE] Supra fidem, citra rationem, me jactando & extollendo. De *Hyperb* Vid. fol. 250. NOS JUSSIMUS ISTA] Exponit loquendi formulas in numero plurali plenas tumoris & arrogantiæ.

24. CONSILIUM DEDIMUS] Consulti à Principe, non secus quàm primus Provinciæ alicujus administer. Juven. Sat. 1. ℣. 16.

*Consilium dedimus Sullæ.-----*

LEGIT] Ad res magnas, magistratus, legaturas, vel quamvis potestatem.

25. ÆSTUM POPULI] Violentiam, ferociam, invidiam, aliasque perturbati ac tumultuantis populi affectiones. Horat. l. 1. Epl. 2. ℣. 8.

*Stultorum regum & populorum continet æstus.*

Inde autem merita magistratuum vel ministrorum solet aula metiri, si populi invidiam sustinuerint in rem Principis. Hi enim ut fas & fors postulant, neglectis privatis, dum curant publica, contemptoque singulorum dispendio, benè omnibus consultum volunt, dyscolos & obtrectatores sibi infestos non raro reddunt: qui cùm à suprema potestate haud ita facilè se expediunt, acerbiùs solent inferioribus magistratibus, rem communem curantibus, succensere. Verùm cùm verissimum sit illud Plutarchi in Polit. *Omnes populi eâ laborant animorum perversitate, ut de iis malignè sentiant, qui rempublicam regunt:* solent Principes invidiam populi ab ejusmodi latam, amplissimis præmiis compensare. Inde gloria & jactantia, *nos æstum populi* &c. NOS POMA NATAMUS] Vulgo tritum & jactari solitum in eos, qui magni videri volunt, & de rebus minimis sibi gratulantur, ut poma de natatu.

26 INVITIS DIVIS] Repugnante genio, & naturali propensione. Nam ut proverbium: *Mens sua cuique Deus.* Ceterùm hæc opinio semper obtinuit inter homines, ut nihil iratis vel invitis Diis prosperè diu & constanter crederent procedere. Ideò monet optimè Poëtarum princeps lib. Æneid. 2. ℣. 402.

*Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis.*

Catullus Epig 77. ad se ipsum ℣. 12.

*Et, Dis invitis, desinis esse miser?*

Seneca Tragœdus Theb. 205.

*Quod innocens es, Diis quoque invitis.....*

Sic etiam apud Plautum, Terentium, Ciceronem, Horat. legas, *Diis iratis.* Pers. Sat 4 ℣. 27.

*Hunc ait? Hunc Dis iratis, genioque sinistro,*
*Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit?*

27. FABULA] Quam commentus ego, jam eo memoratum. MEMORABILIS] Meritò litteris tradenda, & ad posteros transmittenda, ut memoretur minoribus.

28. FATALES CASUS] Qui non forte vel casu,

*Est locus in fundo postremo Lovaniensi;*
*Quem Pater æternus, primarum in limine rerum,*
*Collibus & vallis, & flumine cinxit utrimque:*
*Interiùs domus est Musis, & Apollinis aula.*
*Partibus in binis sacrata cacumina surgunt:*
*Hâc (latuit Cæsar quâ quondam Julius arce)*
*Castrum antiquum, ingens, non expugnabile telis:*
*Immunis circùm patriæ dat munera Bacchus,*
*Pomona Ausoniæ fructus: viridantia moris*

casu, sed ordine divinæ providentiæ eveniunt, de quo Seneca Oedip. ℣. 991.

*It cuique ratus, prece non ulla*
*Mobilis, ordo.----*

Fabulam hanc, ut rem seriam, jocosè lectoribus Poëta commeodat, ita tameo ut jocus pateat.

29. EST LOCUS IN FUNDO] Intra muros & pomœria urbis Lovaoii: de qua fusè egimus Serm. 3. ℣. 34. fol 33. & inde. POSTREMO] In ora vel extrema urbis parte, sub mœnibus illis, ubi porta, quæ Mechliniam mittit.

30. PATER ÆTERNUS] Deus rerum omnium conditor, & architectus. IN LIMINE] In principio orbis conditi.

31. COLLIBUS ET VALLIS] Ut videre licet in hac urbis regione, ubi muri in jugis collium, & colles pro vallis sunt, quorum radices utroque amne, *Diliâ* quidem majore, minore verò *Furâ* lambuntur. FLUMINE] Gemino jam nominato. CINXIT UTRIMQUE] Rectè: nam Dilia & Fura, australem urbis partem influunt, ad Orientalem ferè, facto in urbe confluente, uno eodemque ostio evolvuntur.

32. INTERIUS] In urbis parte interiore, seu in urbe media. DOMUS EST MUSIS &c.] Academia, sive schola publica omnium disciplinarum. Vide quæ diximus de Lyceo Lovaniensi Serm. 3. fol 33. & inde.

33. PARTIBUS IN BINIS] Ad dextram & lævam eorum, qui urbe egrediuntur per portam Mechliniensem. SACRATA CACUMINA] Bicipitis Parnassi. Ovid. Met. lib. 1. ℣. 316.

*Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus.*

34. HAC] Parte dextrâ. LATUIT &c.] Castrum Cæsaris vocant, quod velint Jul. Cæsarem Imperat. hanc arcem condidisse. Abnuit & irridet Lipsius, quem consule Lovan. l. 1. c. 6. Hanc arcem Regii præfecti titulo habitavit magnus Erycius Puteanus, amor Musarum, & Maximi Lipsii successor, cultor Scholirii, quocum illi intima familiaritatis necessitudo, dum Lovanii hortos & Musas colebat, nondum translatus Antverpiam. De Erycio vide Serm. 1. ad ℣. 43. fol. 9. Auctor ipse in M. S. l. 2. Heroic. ℣. 69. de castro Cæsaris.

*Cujus ne famam possit delere vetustas,*
*Nomina continuat celebris, celebratq; habitando*
*Erycius placidis Musarum satrapa lucis.*

35. CASTRUM ANTIQUUM] Non ævi Juliani, nec vetusti barbari, sed comitum fabricam vult esse Lipsius loco citat. comitum primùm domicilium, dein liberorum, quos volunt illos isthic nutriendos instituendosque collocasse. Carolum V. Aug. hîc pueritiæ suæ tyrocinia posuisse, auctor idem est, ibidem Lipsius. NON EXPUGNABILE] Turribus, propugnaculis, spissisque muris adeò munitum, ut tela impune ferat, majoribus tormentis nîl cedat, frustrandisque hostium conatibus apprimè sit opportunum.

36. IMMUNIS BACCHUS] A pendendis vectigalibus: vinum enim fundo tuo natum, nihil hactenus in Belgio pendit: aliunde advectum, publicum flagellum non fugit. Noster in M. S. lib. 2. Heroic. ℣. 55.

*Nescia vectigal patrii illic munera Bacchi.*

PATRIÆ MUNERA] Vinum in collibus illis prognatum. Nam in hac oppidi regione, vineas, hortos, valles, montes, silvulas prospectu amœnissimo videas. Lovanium autem vini feracitate floruisse, arguit *Porta vinearum* inde nomen sortita: & etiam nunc norunt pauculi, quibus latex ille in quæstu, aut deliciis. Inde LOVANIUM Bauhusio anagrammaticè VINUM ALO Eum adi lib. 4. Epig.

37. POMONA] Hortorum & arborum Dea. Naso Metam. lib. 14. ℣. 623.

Rege

*(Spem lucri ingentis) albis hîc vidimus arva.*
*Parte aliâ cultis æstiva palatia Tempe;*
*Antiqui dixere* PLACET, *servantque minores*
*Nomen, quòd domino placuisse libidine quondam,*
*Deliciisque horti genium oblectasse ferantur.*

*Rege sub hoc pomona fuit: quâ nulla Latinas*
*Inter Hamadryadas, coluit solertiùs hortos,*
*Nec fuit arborei studiosior altera fœtus.*

AUSONIÆ FRUCTUS] Quorum semina, vel plantaria, ex Italia primùm allata. Ut sunt Amygdalæ, citrea, persica, præcocia, &c. sensus est: circùm viridaria pomorum omnis generis spectes feracia. VIRIDANTIA] Frondentia sub initium æstatis, ad vermium alimenta, ut sequitur. ALBIS MORIA] Frondibus mororum albarum, quibus saluberrimè, & ex usu totius Italiæ, pascuntur bombyces. Passim enim isthic videas moros ejusmodi vias præsepire, easdemque mense junio pene depilatas, in vermiculorum eorumdem nutrimentum, frondes profudisse.

38. SPEM LUCRI INGENTIS] Ex copia filorum nentiumque ea vermium. Hoc enim alendorum bombycum institutum, spe quæstus, quidam Lovanio invexerant, ætate Scholirianâ: sed quò successu, & rerum incremento, indicat muta rei fama, quæ in ejusmodi fortunæ successibus, minimè solet esse taciturna. Certè præter hunc, nullum ferè fructum adfert *morus alba:* nam baccæ illius ob saporis fatuitatem mensis non inferuntur. Angelus Politianus in suo Rustico ỿ. 122.

*Mox ubi jam sapiens cœpit frondescere morus;*
*Antè quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ullū*
*Quapariat pomum, sed serica pensa ministret.*

Sapiens morus dicitur, quia non nisi adulto vere frondescit: dum à gelu, grandine, pruinâ, nimbis, nullum ultrà imminet periculum. Mora sanguine tincta in cæde Pyramis & Thisbes fabulatur Ovid Metam. lib 4. ỿ. 127. De moris hujus loci Auctor in M. S. lib. 2. Heroic. ỿ. 56.

*Et nemora inter utrumq; albis viridantia moris,*
*Principium arbitrii ingentis.-----*

De Bombycibus illorumque cura, accuratè scripsit versu heroico Hieronymus Vida, dignus qui hîc legatur: ac inprimis de lucro inde proveniente sic habet lib. 1. ỿ. 24.

*Silvestres tineas alere, atque impendere curam*
*Cœpit, opes multi hinc ad summas emersere.*

39. PARTE ALIA] Ad lævam portæ Mechliniensis, ultra speculam in mœnibus elatam, quam vulgus *impensam cassam*, seu *perditam* nuncupat. Describit locum sui domicilii. ÆSTIVA PALATIA] Supple sunt: id est, prætorium æstivæ habitationi peropportunum. Nam commendatur à CULTIS TEMPE] Hortis optimè cultis, floridis, frondosis, & omni amœnitatis genere refertis. De *tempe* vide Ser. 1. ad ỿ. 113. fol. 19.

40. ANTIQUI DIXERE PLACET] Ita hodieque hoc nomen obtinet locus, & ager, imò & Asceterium FF. Carmelitarum excalceatorum, quod huic inædificatum est. MINORES] Posteri, recentiores. *Minores* sunt, si Servio credimus, qui intra gradus descendentium, certo non gaudent nomine, quales sunt qui dici non possunt; filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos: qui enim longiùs absunt, *minores* dicuntur. Sic & *majores* quibus non cohærent pater, avus, proavus, abavus, atavus. Virg. l. 6. Æneid ỿ. 822.

*-----Utcumque ferent ea fata minores.*

41. DOMINO] Suo, qui prætorium & hortos adjectos incoluit. LIBIDINE] Illic solitus libidinari cum Nympha, quam deperibat. Poëta noster lib. 2. M. S. Heroic. locum uberiùs describens, confert Dominum cum Phœbo, Nympham cum Coronide. Ita enim ỿ. 74.

*Antiqui dixere* PLACET, *servantque minores.*
*Est nequidquam nomen inane loci: memoratur*
*Sæpius occultos hîc Larissæa Coronis*
*Cum Phœbo celebrasse choros.-----*

42. DELICIISQUE HORTI] Amœnitate, fertilitate, cultu, cæli clementiâ, viriditate, antris, umbris, latibulis &c. Nam si alibi in urbe Lovaniensi, hac ejus parte maximè comprobatur, quod Erasmus lib. 17. Epl. ad Taleum: *Utinam,* inquit, *casus aliquis in hanc nostram Brabantiam te propellat. Est Lovanii cælum, quod vel Italico quondam adamato præferas: non amœnum modo, verùm etiam salubre.* Et disertè Barlandus Chron. Duc. Brab. *Lovanium caput est urbium Brabantiæ, cæli & aëris benignitate nulli cedens aliarum. Hic intra muros libera prata, vineæ, horti spatiosi, agri, pomaria, campi, dumi, saltus, pascua, parvæ silvulæ, parva nemuscula;*

*In facie magis ad lævam gratissima odore*
*Silvula; parte cavâ penitus jucunda vireta,*
*Arboribus circùm proceris consita multis.*
*Pantheon excelsis signatum quale columnis*
*Visitur introitu, Romæ; sub limine tali*
*Antrum Musarum; radiis micat insuper aureis*
*Cynthius, optatis zephyrus cui murmurat auris.*
*Myrteus in medio torus, atque sedilia circùm*

*ut meritò hanc sedem ac domicilium optimarum artium delegerint majores nostri.*

43. IN FACIE] In ingressu, vel in latere domus. MAGIS AD LÆVAM] Ulteriùs ad lævam properanti. ODORE] Arboribus citreis, & aliis odoriferis consita.

44. PARTE CAVA PENITUS] Intimo & penitiori cavædio, seu loco subdiali, ubi hortus. Virg. lib. 2. Æneid. ℣. 486.

*Ast domus interior gemitu miseroque tumultu*
*Miscetur: penitusque cava plangoribus ædes*
*Femineis ululans.-----*

Est autem *cavum ædium*, seu *cavædium* locus intra parietes patulus. Alex. ab Alex. lib. 5. c.24. *Præter vestibula fuire cava ædium, & peristylia, ad quæ quisque suo jure, non vocatus admittebatur.* Hic videtur pro extrema parte domus intelligi, ubi hortus & umbraculum, locus ubi genium suum oblectabat Poëta VIRETA] Arborum altissimarum, florum, Herbarum &c.

45. CIRCUM] Cincta undique, & ab omni parte, altissimis tiliis, aliisve arboribus frondosis, ad umbram & oculorum illicium.

46. PANTHEON] Celeberrimum illud templum obstupendi operis & impensæ, quod olim à Marco Agrippa extructum Jovi omnibusque Diis. Indicat hodieque inscriptio porticus in Zophoro: M. AGRIPPA L. F. COS. III. FECIT. Nunc Deiparæ omnibusque sanctis sacrum, à forma orbiculari S. Mariæ rotundæ nuncupatum. Moles est rotunda; spissitudine murorum, amplitudine, & artificio testudinis unicæ, per unicum in medio hiatum, totum fani septum collustrantis, prorsus admiranda. Hujus immanes valvas præsepit spatiosa porticus, columnis sexdecim ex solido marmore portentosæ altitudinis, inclyta, quæ nobis exhibet speciem quadrilateram arborum, quas nobis describit hic Poëta. EXCELSIS COLUMNIS] Quinquagenûm pedum, & ampliùs. SIGNATUM] Supple, est: id est, quale semet exhibet; vel ostendit videntibus.

47. INTROITU] In aditu vel vestibulo templi, illud introire meditantibus. SUB LIMINE TALI] Talibus finibus, & positione jam dictâ quadrilaterâ, se spectandum præbet.

48. ANTRUM MUSARUM] Recessus seu habitaculum musarum. Illic enim Poëta, ob loci amœnitatem, studiis vacabat, & Musis operabatur. Sic & Naso hortos Musis suis consecravit. Arguit id lib. 1. Trist. Eleg. 10. ℣. 37.

*Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis.*

*Antrum* est naturalis, spelæum cavitas arte facta. Antra à veteribus sacra habebantur, ac inprimis dedicata Musis & vatibus. Sic Phœbus ad antra apud Propert. lib. 3. Eleg. 3. ℣. 13.

*Cùm me Castaliâ speculans ex arbore Phœbus,*
*Sic ait auratâ nixus ad antra Lyrâ.*

Horatius lib. 3. Od. 4 ad Musas ℣. 40.

*Pierio recreatis antro.-----*

Nempe solitudine, opaco frigore, & secessu gaudent Musæ, & fatidicæ plerumque ex antris canunt: inde enim oracula reddi solita. Virg. de Sibyl. lib. 6. Æneid. ℣. 77.

*At phœbi nondum patiens immanis in antro*
*Bacchatur vates.-----*

Horatius ad Deorum adyta, unde edebantur oracula, alludens libr. 3. Od. 25. ℣. 3. *quibus antris audiar?* MICAT] Temperando æstum, & radiando per arborum opaca. AUREIS] Vide dicta serm. 9. ad ℣. 172. fol. 308.

49. CYNTHIUS] Phœbus, sol; à Delo insula nativa, in qua Cynthus mons. ZEPHYRUS MURMURAT] Leniter flat, loci amabilitatem, suaviter refrigerando, incendens.

50. TORUS] Stibadium, locus editior, aut umbraculum ex tortis myrtis. Had. Junius Belgicè interpretatur *prieel.* Pro loco editiore & ad sedendum idoneo usurpat Virg. l. 5. Æn. ℣. 388.

Pro-

*Laurina, quæ violis, quæque intertexta hyacinthis:*
*Quo lætis aptare solent modulamina plectris*
*Sicelides, stephanus quæ & ferre recentia Campus.*
*Hîc spatiabar ego; sed in ipsis mœnibus urbis,*
*Nescio quid meditans, serâ jam luce, solutus*
*Fœtibus arboreis, & amœnæ flatibus auræ:*
*Cùm procul intueor duplicatis passibus illac*
*Adventare senem, strepitant quâ parte Camœnæ.*
*Forma viro sed major erat, similisque Deorum;*

*Proximus ut viridante toro consederat herba.* An pro pergula, vel umbraculo apud idoneum quemquam reperias, non temerè affirmavero. Juniana interpretatio huic videtur loco impensè quadrare. CIRCUM] Undique, & ab omni parte, sive figura orbicularis, sive quadrilatera intelligatur.

51. LAURINA] Ex lauris plexa. VIOLIS, HYACINTHIS] Floribus his ad majorem amœnitatem, inter lauros semet inserentibus.

52. LÆTIS] Ob loci ridentis gratiam. SOLENT MODULAMINA] Cantum vel carmina numeris metricis astringere, vel accommodare. Id est, ubi ego pangendis carminibus Musas & ingenium meum excolo.

53. SICELIDES] Musæ, sic dictæ à Sicilia, ubi cultæ à Theocrito. Loca enim in quibus magni Poëtæ floruerunt, digna visa sunt posterioribus, è quibus evocarentur Musæ. Sic *Libethrides* & *Pierides* dictæ propter Orpheum, *Heliconides* propter Hesiodum, & hîc Siculæ, vel Sicelides propter Theocritum, ex quibus sua Bucolica ferè desumpsit Virgilius. De Siculo Musarum domicilio Silius lib. 14. ỳ. 28.

*Hic Phœbo dignum & Musis venerabile, vatum*
*Ora excellentum, sacras qui carmine silvas,*
*Quique Syracusia resonant helicona camœna.*

STEPHANUS CAMPUS] Στεφανοπεδίον, seu Stadium Academicum & coronarum: id est, Athenæum urbis Grudiæ, ubi apodromi Apollinares decurso studiorum curriculo, suæ quisque scientiæ laureâ vel magisterio donantur. *Coronat* stephanorum nomen apud Græcos, ab auctore Stephano sortitas esse, prodit Cælius Rhodig. l. 6. c. 19. Athletarum proprias fuisse docet La Cerda in 5. Æneid. Virg ỳ 110. FERRE] Supple solet. RECENTIA] Nova prorsus, & recentissimè composita. Laureatis enim & magisterio decoratis applauditur ab agnatis, necessariis, amicis, sodalibus &c. protruso in publicum poematio, quo gratulentur honorem & titulum candidato. Et hinc quotidiana pæne Lovanii panguntur carmina, quibus officiosas suis se alumnis præbent Camœnæ. Sic & noster lusit ad Tucherum. Vide proëcthesim ad Serm. 1.

54. HIC] Loco jam descripto. MŒNIBUS URBIS] Ædes Scholirianas & hortum cominus spectantibus, sive iis admodum vicinis.

55. SERA JAM LUCE] Inclinato jam sole, crepusculo, sub noctem caligantibus oculis: scil. ex decoro temporis quo cientur phasmata. SOLUTUS] Liber jam, tam à cura & cultu arborum, quàm Musarum.

56. FŒTIBUS ARBOREIS] A curandis arboribus nobilioribus, citreis, lauris, &c. Ovid. Metamorph. libro 15. ỳ. 97.

*Fœtibus arboreis, &, quas humus educat, herbis.*

FLATIBUS] In captanda Zephyri lenimenta vespertina. Sic & Petronius Arb. *Anicula, quamvis soluta mero ac libidine essent.*

57. DUPLICATIS PASSIBUS] Gressu celeri ac præcipiti. ILLAC] Ab illa parte.

58. STREPITANT CAMŒNÆ] Puteanææ: id est ab arce, quam tunc incolebat Erycius Puteanus suprà non semel laudatus.

59. FORMA VIRO &c.] Ut ferè apparent spectra: nam territis imagines ejusmodi augustæ, & humanis notis majores videntur. Virgilius Æneid. 2. ỳ. 773.

*Visa mihi ante oculos, & notâ major imago.*

Lipsius animad. in Oedip. Senecæ n. 174. *Hæc opinio veterum, manias istas, & mortuales imagines, semper apparere supra verum humanumque statum.* Timor enim speciem amplificat.

60. *Si quando humanâ lustrant sub imagine terras.*
*Dextra subit baculum : talari candor amictu :*
*Pera latus cingit : redimitur tempora quercu.*
*Hæreo , Gymnasii num sit reverentia specto,*

60. LUSTRANT ] Spectandos hominibus se præbent & terram visunt. Ovid. Met. 1. ℣. 213.

*Et Deus humanâ lustro sub imagine terras.*

61. DEXTRA SUBIT BACULUM ] Hypallage, pro eo quod est, baculus subit dextram. Sic enim Juven. Satyr. 3. ℣. 28.

-----*Nullo dextram subeunte bacillo.*

Quo schemate, etiam pro *ferre* usurpatur *subire*. Virgil. Æneid. 4. ℣. 599.

*Quem subiisse humeris confectum ætate parentē.*

Imò quandoque pro conscendere : sic invenias apud Juven. Sat. 16. *subire ad castra*, & *subiri castra*. Et apud Virgil. lib. 12 Æneid. ℣. 471.

*Ipsa subit*----- temonem scil. id est, conscendit ad aurigandum. De *baculo* mox infrà. CANDOR AMICTU ] Candidus amictus usque ad talos demissus. Candor enim Deorum proprius, utpotè faustus, atroque colori infausto oppositus. Horat. lib. 1. Od. 2. ℣ 31.

*Nube candentes humeros amictus*
*Augur Apollo.*

Sic & Tibullo visus idem lib. 3. Eleg. 4. ℣. 29 cui

*Candor erat, qualem præfert Latonia luna.*

Idem Tibullus ibidem Eleg 6. ℣. 1

*Candide Liber ades.*-----

De apotheosi Daphnidis Virg Eclog 5. ℣. 56.

*Candidus insuetum miratur limen Olympi.*

Candor enim innocentiæ, sanctimoniæ, ac cujusdam Deitatis insigne. Inde ob venerationem, & vivorum in mortuos observantiam, Manibus etiam tanquam geniis sanctis attributus: & hinc meritò Diogeni. TALARI ] Ex decoro Cynici, cui post mortem, quæ vitam humilem & sordidam subsecuta est, elegantior hic cultus debetur, ad reverentiam & magnificentiam, tanquam Apollinis sacerdoti. Mystis enim ejusmodi, talaris amictus fuit in usu. Virgilius libr. 6. Æneid. ℣ 645.

*Nec non Threicius longa cum veste sacerdos.*

Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. ℣. 384.

*Hic vatis Phœbique fides non vana parentis*
*Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno*
*Palla imos ferit alba pedes.*-----

62. PERA LATUS CINGIT ] Peram olim circumtulit Diogenes unicum familiæ suæ penum, teste Laërtio lib. 6. ubi etiam refert eumdem, cùm infirmus esset, primùm baculo innixum, posteà eum semper tulisse, non in urbe, sed iter agentem, unà cum pera. Describit Martialis librô 4. Epigram. 53. ℣. 3.

*Cum baculo, peraque senem: cui cana putrisque*
*Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.*

Auson. Epig. 52. de Diogene:

*Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex*
*Ista fuit Cynici : sed putat hanc nimiam.*

REDIMITUR QUERCU ] Coronâ civicâ, quâ donabantur à Romanis, qui civem servassent; eratque è querna fronde: *quoniam*, ut est apud A. Gellium lib. 5. c. 6. *cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit.* Consentit Plutarchus Quæst. Roman. 92. Plin. lib. 16 c. 4. Quernas etiam aureas, aut quasvis alias coronas superasse commemorat. De illa Claudianus Laud. Stilic. lib. 3. ℣. 72.

*Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu*
*Velaret, validis qui fuso viribus hoste,*
*Casurum potuit morti subducere civem.*

Quercus ergo Diogeni jure tribuitur, ob cives servatos, tanquam alteri Herculi. Nam ut Laërtius lib. 6. *Dicebat se vivere Herculis vitam, nihil libertati præferens.* Et apud Stobæum Serm. 11. ejus vox est : *Caues mordent inimicos, ego autem pro libertate mea amicos, ut incolumes servem.* Uti ergo pro æquitate ac libertate pugnando Hercules, ita & pro virtute, factis & verbis, hominibus inculcanda, naviter laborando, de civibus suis optimè meritus est Diogenes.

63. HÆREO ] Metu & stupore correptus, ignarus quæ, aut cujus esset species. GYMNASII REVERENTIA ] Rector Academiæ, prima & summa Lovanii potestas, cui omnes Doctores juxtà & discipuli se submittunt. Vide Ser. 1. ad ℣. 13. fol. 7. *Gymnasia* olim dicta, in quibus nudi palestritæ se exercebant, ἀπὸ τοῦ γυμνοῦ, quod est nudus. Postea latiùs patuere, ut quorumlibet exercitiorum & artium loca involverent : qua ratione ludi litterarii, Academiæ, scholæ Philosophorum hoc nomine censa sunt. Cicero 2. de Orat. c. 8. *Multis*, inquit, *antè seculis gymnasia inventa sunt, quàm in his Philosophi garrire cœperunt.*

64.

*Aut aliquod numen Doctoris fortè sepulti,*
*Ore renidenti propior cùm multa prementem*
*Talibus aggreditur dictis: Desistere cœptis*
*In satyrâ, vitiis est connivere: mehercle*
*Sperabam meliùs. Quid amœnis collibus erras,*
*Inter delicias faciles, pomaria, vites?*
*Inter Hamadryadas non est tua gloria: Chloris,*
*Utilis ut vulgo, non tam pretiosa Poëtis.*
*Abdere se testis, fisso vel cortice lignum*
*Inserere, & succos alieno quærere alumno,*

64. NUMEN &c.] Umbra Doctoris cujuspiam. Manes olim in magna reverentia, & pro Diis habitos fuisse, jam suprà monuimus: & arguunt notæ veterum epitaphiorum, D. M. & D. M. S. quod est DIS MANIBUS, vel DIIS MANIBUS SACRUM. Ovid. Epl. Heroid. 3. Briseid. ℣. 105.

*Perque trium fortes animas, mea Numina, fratrum,*
*Qui bene pro patria, cum patriâque jacent.*

65. ORE RENIDENTI] Relucente ac hilaritatem præferente. Blandè enim correpturus accedebat. PROPIOR] Mihi factus accessu. MULTA PREMENTEM] Metum, anxietatem, & mentis commotiones dissimulantem, quod sapientum & virorum. Sic Æneas apud Virg. Æn. 4. ℣. 332.

*-----Obnixus curam sub corde premebat.*

Domitius apud Lucan. lib. 2. ℣. 521.

*-----Premit ille graves interritus iras.*

66. AGGREDITUR] Affatur, alloquitur. CŒPTIS] Ab instituto satyrarum, quas jam cœpisti masculo stylo exornare.

67. VITIIS CONNIVERE] Probare ac fovere vitia. *Connivere*, genis est oculos integere, quod non rarò est annuentium & assentientium; atque ita Plautius exponit isthoc Persii Sat. 6. ℣. 50. *Va, nisi connives*--- Alibi est dissimulare, ut delicta impunita transeant; quasi non videamus, clausis vel obtectis idcirco oculis, quæ plectere obstringimur. Prius tamen significantius est hoc loco, quàm posterius.

68. AMŒNIS COLLIBUS] A singulari amœnitate jam descripta commendatis. ERRAS] Vagaris, otiaris, Musis jam misso nuntio.

69. DELICIAS FACILES] Non multo studio, aut seriâ meditatione parandas, ut solent Musarum voluptates. POMARIA] Poma vel arbores pomiferas. Ovid. Epl. Heroid. 4. Phædræ ℣. 29.

*Est aliquid plenis pomaria carpere ramis.*

Locus scil. pro arbore, vel fructu.

70. HAMADRYADAS] Arbores. Hemistichium Nasonis Metamorph. l. 1. ℣. 690. *Hamadryades* arborum Nymphę, quòd nascuntur *ἅμα ταῖς δρυσί*, id est: *simul cum arboribus*. Virgilius Eclog. 10. ℣. 62.

*Iam neque Hamadryades rursus, nec carmina nobis*
*Ipsa placent.-----*

Has in conjectaneis notat Jos. Scaliger *Viras querquetulanas* vocari à Varrone & Festo. Vide La Cerda in locum Virg. CHLORIS] Studium Chloridis, seu florum cura. *Chloris* enim Dea quæ floribus præesse credebatur: alio nomine Flora. Ovid. Fast. 5. ℣. 195.

*Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latino*
*Nominis est nostri littera Græca sono.*

71. UTILIS UT VULGO] Quamquam est utilis hominibus plebeis, mechanicis, & de vulgo, NON TAM PRETIOSA POETIS] Non tanti facienda Poëtis, ut per eam liceat Musarum & ingenii cultum abjicere.

72. ABDERE SE TESTIS] Abscondere se inter flores & arbusculas, quæ in testaceis & fictilibus tantùm vasis educantur apud nos; ne brumæ ferociâ tenelli, & mitiori cælo assueti fœtus strangulentur, dum fundo subdiali subduci non possunt. FISSO VEL CORTICE] Caudicis inciso cortice: quod fit, dum arbusculis oculi imponuntur, sive dum inoculantur. Vide quæ diximus Serm. 4. ad ℣. 6. fol. 66.

73. INSERERE ET SUCCO &c.] Desumptum ex Ovid. Met. 14. ℣. 630.

*-----Fisso modò cortice lignum*

*Indultum est aliis: Cereris modò regia parva est:*
*Vertendum est aliò: nec enim cultoribus agri*
*Tempus eget: meliore geras te falce colonum.*
*Hîc ego, & attonitus, suffusus & ora rubore:*
*Haud equidem tanto (sed imagine luderis istâ*
*Indubiè) Venerande Senex, me dignor honore.*
*Nam, licèt in mores calamos distrinximus olim,*
*Erroresque hominum: (sunt qui feliciter aiunt)*
*Non tamen hoc iterum vellem me includere ludo.*
*Si quis enim nostris (& quis non?) læditur æstris:*

*Inserit: & succos alieno præstat alumno.*
Id est germini, vel virgæ ex aliena arbore decerptæ. Alii legunt, *fissa modo cortice virgam inserit.* Sed prior lectio magis huic loco consentit, cùm hic agatur de oculatione, seu primo insitionis genere, non de secundo; cujus utriusque meminit Plin. lib. 17. c. 14. *Ratio,* inquit, *duplex: & prima inter corticem lignumque inserendi. Timebant prisci truncum findere. Mox inserare ausi medio: ipsique medulla calamum imprimebant, unum inserentes: neque enim plures capiebat medulla subtilior. Postea ratio vel senos adjecit, mortalitati eorum ex numero succurrere persuasa, per media trunco leviter fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus.* Insitio itaque prima germen ex alia arbore resectum, in alteram transfert, modo quem describit Virg. lib. 2. Georg. ỷ. 74.

*Nam quà se medio trudunt de cortice gemmæ,*
*Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso*
*Fit nodo sinus: huc alienâ ex arbore germen*
*Includunt, udoque docent inolescere libro.*

74. ALIIS] Quibus aut non est ingenium poëticum, aut non favet Delius in obsequium Thaliæ, vel Satyrarum scriptitationem. CERERIS] Agriculturæ. *Ceres* enim rei frumentariæ præses & Dea; prima frugum usum hominibus monstravit, & invexit. PARVA EST] Paucis frequentatur hodie. Olim enim non pigebat patricios, consulares, & viros triumphales, agros colere: nunc passim, isthoc ab urbanis & cultis omnibus detrectatùr, laboremque hunc solis agrestibus relictum volunt.

75. VERTENDUM EST ALIO] Ingenii tui industria ad studium sublimius erigenda est.

76. TEMPUS] Seculi præsentis ratio, seu præsens rerum constitutio. Virgil. lib. 2. Æneid. ỷ. 521. --- *Non defensoribus istis tempus eget.* ---- MELIORE GERAS, &c.] Resecandis hominum vitiis si te dederis, meliorem uberioremque frugem messueris.

77. HIC EGO &c] Consternatus & pudibundus; supple; sic loquor.

78. HAUD EQUIDEM &c.] A Virgilio mutuatum lib. 1. Æneid. ỷ. 339.

-----*Haud equidem tali me dignor honore.*

SED IMAGINE &c.] Festivè jocatur hac parenthesi lectorem compellando, innuendoque ludi ac decipi, quisquis huic commento fidem habuerit. Imago enim sæpe pro fabula vel similitudine usurpatur. Horat. lib. 1. Epl. 7. ỷ. 34.

*Hac ego si compellar imagine.---*

Quod de fabula mustelæ ac vulpeculæ dictum.

80. IN MORES DISTRINXIMUS &c.] Satyras scripsimus castigandis hominum pravis moribus, & sceleratæ vitæ.

81. SUNT QUI FELICITER &c.] Ad leniendam invidiam, quosdam ait existimare, non omnino malè hoc se argumentum pertractasse, celans interim suam ipse de se opinionem.

82. NON VELLEM ME &c] Ludo Satyrico id est, nollem iterum scribere Satyras. Horat. lib. 1. Epl. 1. ỷ. 2.

*Spectatum satis & donatum jam rude quæris,*
*Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.*

Ubi Flaccus persistens in metaphora gladiatorum, narrat se frustra urgeri à Mæcenate, ad resumendas Musas & carmina.

83. ET QUIS NON?] Supple, vapulat, aut carpitur: omnes enim suis vitiis obnoxii, poëtarum ferulis & censuris subjacent. OESTRIS] Punctioni-

*Actutum populis, atri me sanguinis ater*
*Insimulat, facilesque hominum mihi commodat iras:*
*Et citò peccavit qui non metuendus, & exsors,*
*Læsus ut offensas per operta retaliet umquam.*
*Sed cui noster honos, morum & curvamina curæ?*
*O quem te memorem? Magnis spectabar Athenis,*
*Arte canis, quondam: nunc sedibus esse beatis*

ctionibus, stimulis aculeis. De *œstro* vide serm. 8. ad ℣. 135. fol. 273.

84. ACTUTUM] Mox, statim. ATRI ME SANGUINIS] Noxii & virulenti ingenii. *Niger* malus, contra *albus* bonus dicitur. Horat. l. 1. Sat. 4. ℣. 85.

*---Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.*

Et Catullus Epigram. 93. in Cæsarem.

*Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere:*
*Nec scire utrum sis albus an ater homo.*

Inde nescire albus an ater sit, dicitur pro eo quod est, hominem prorsus habere incognitum.

85. COMMODAT IRAS] Commovet, suscitat, accendit. Sic & dicimus alicui in aliquem commodare invidiam. Lucan. lib. 1. ℣. 82.

*-----Nec gentibus ullis*
*Commodat in populum, terra pelagiq; potentem*
*Invidiam Fortuna suam.-----*

Id est, ciet vel movet invidiam, quæ ferè inter pares. Nulli autem genti pari esse licuit populo Romano. Unde hæc invidia gentibus utilis & commoda fuisset, uti & ira Scholirio nostro. Inde enim nominis celebritas, & famæ perpetuum decus, quod tamen aversatur.

86. ET CITO PECCAVIT] Arguitur peccasse. NON METUENDUS] Ob magistratum, potestatem, vel grande aliquod ministerium. Nempe ut vulgatum isthoc: *Citò peccat, quem nemo metuit.* Tardiores enim iras concipimus in eos, quos metuimus, & novimus acriter se ulturos. EXSORS] Supple, hujus sortis, vel potentiæ.

87. OFFENSAS] Injuriam sibi illatam. PER OPERTA] Clàm, & expectato tempore opportuno. Sic enim Principes & potentes vindicare solent, vel subtrahendo gratiam, vel noxas graviùs plectendo, vel conductâ clandestinâ manu potentiùs feriendo. RETALIET] Ad æqualitatem malefacti puniat, aut talione vindicet. Aulus Gel. l. 20. c. 1. *Quod per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet.*

88. SED CUI NOSTER &c.] Ac si dicat: Quis tu, qui à scribendis Satyris honorem meum, & dirigenda morum curas curvamina? *Morum curvamina* hìc sunt mores incurui & pravi.

89. O QUEM TE MEMOREM?] Ecphonesis Virgil. lib. 1. Æneid. ℣. 331. hìc religionis & admirationis gratiâ inducta. MAGNIS] Ob litteras & sapientiam veterum Philosophorum. Ex hoc enim primo & locupletissimo scientiarum emporio, Romanarum litterarum, artiumque encyclopedia in orbem nostrum prodiit. Vox est, respondentis Diogenis. ATHENIS] Hic enim magnus ille sapientiæ doctor, patriâ Synopensis, sectâ Cynicus, exulem & pauperem vitam egit. SPECTABAR] Rectè; ejus enim doctrina non in verbis principaliter versabatur, sed in actionibus, quæ spectantur non audiuntur.

90. ARTE CANIS] Non naturâ, sed sectâ, & ingeniosâ imitatione. Cynici quippe Latinis canini dicuntur, vel à Cynosarge gymnasio, ubi Antisthenes Pater familiæ Cynicæ, Diogenis præceptor docebat; vel à sordida vita; vel quòd mendicatò viverent more canum, & obvios quosque allatrarent; vel denique *quòd natura in publico obsequere[illegible]r,* ut inquit Lips. l. 1. Manud. ad Stoic. Phil. D[illegible]s. 13. *ingerendo, egerendo, atque etiam inferendo, animalis illius exemplo.* Diogenes autem sæpe se canem gloriabatur. Dicente enim Alexandro: *Ego sum Alexander, magnus ille Rex; ego,* inquit, *Diogenes canis.* Rationem reddit apud Laërtium l. 6. *Quod eis,* inquit, *blandior qui dant, in eos verò qui non dant, latro, malos autem mordeo.* Mart. lib. 4. Epig. 53. de Diogene Canc. ℣. 8.

*Non est hic Cynicus Cosme: quid ergo? Canis.*

Auson. ad canem sepulchri Diog. Epitaph. 31.

*Dic canis: hic cujus titulus? Canis. At canis hic quis?*
*Diogenes. Obiit? Non obiit sed abit.*

Empiricus apud Lipsium loco cit. à sagacitate, prudentiâ, gratitudine, fide, malorum odio, ceterisque virtutibus canis, dictos Cynicos existimat.

*Moribus obtinui, solidique latratibus oris.*
*Tunc ego ter conor, totidem mimesibus, imos*
*Urbanè prensare pedes, surasque seniles.*
*Ter negat attingi: & nasum, non immemor, ille*
*Crispat, inumbratis illudere moribus aulæ.*
*Túnc, inquam, flectendo genu, celeberrimus ille*
*Activæ Antistes satyræ; chrysendeta Regum*
*Non veritus ridere extorris, servus, inanis,*

mat. SEDIBUS BEATIS ] In Elysio, ut volunt Poëtarum commenta.

91. MORIBUS ] Motum integritate, quam disces ex Epicteto supra in Proëcthesi adducto, & ex Laërtio lib. 6. & ex Æliano var. Histor. lib. 3. c. 29. apud quem Diogenes de se dicere solet: *Se implere, & ferre tragicas execrationes. Nam erronem se esse, domo & patriâ carere, mendicum agere, malè vestiri, & in diem vivere.* SOLIDIQUE ORIS ] Sermonis suffulti mole rationis. LATRATIBUS ] Mordacitate, sale, ac insectatione morum pravorum & inficetorum.

92. TUNC EGO ] Poëtæ vox. TOTIDEM MIMESIBUS ] Gestibus morem hujus ævi imitantibus, ad eorumdem irrisionem: id est, submissâ & profundâ corporis totius inclinatione. *Mimesis* Ironiæ species, sermonem, gestum, vel morem alicujus imitatur.

93. PRENSARE PEDES ] In morem aulicorum, qui vel pedes lingant eorum, quibus assentantur. SURASQUE ] Tibias & crura: nam *sura* venter est cruri objectus, Had. Junio, *de bra van t' been.* SENILES ] R[illegible], nam Diogenes ætatem prope nonagenariam attigit.

94. TER NEGAT ATTINGI ] Fastus humani, & servitutis ejusmodi contemptor pertinax. *Ter* pro sæpè vel aliquoties, frequenter cum repetitione in altero orationis commate. Ovid. Amor. lib. 1. Eleg. 7. ℣. 61.

*Ter tamen ante pedes volui procumbere supplex:*
*Ter formidatas reppulit illa manus.*

Et libro 5. Fastor. ℣. 247.

*Ter volui promittere opem, ter lingua retenta est.*

ET NASUM CRISPAT ] Contrahit, suspendit, intorquet, in modum irridentis me, quòd aulicâ nimiâque urbanitate, ac servili observantiâ ipsum prensabam. Nasum irrisioni dicatum esse vidimus suprà fol. 15. & 85.

95. NON IMMEMOR ILLUDERE ] Etiam post mortem gnavus mores aulicorum & assentationes deridere, uti in vita. INUMBRATIS ] Fucatis, & apparentibus tantùm, non veram benevolentiam vel observantiam spirantibus.

96. FLECTENDO GENU ] Ut reverentiæ signa deferat tantæ auctoritati. CELEBERRIMUS &c. ] Erotesis vehemens, ut exprimat affectum, & opinionem jam conceptam de illius magnitudine ac majestate.

97. ACTIVÆ ANTISTES SATYRÆ ] Princeps omnium eorum, qui egerunt vel vixerunt satyram: id est, qui actionibus suis usui pravo & communi contrariis, hominum vitia castigarunt. Quod enim Poëtæ salibus & argutiis suis vocalibus, id Cynici actionibus præstiterunt. CHRYSENDETA ] Pretiosissima quævis utensilia. *Chrysendeta* enim Græcis *ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ*, id est. *aurum*, & *δέομαι*, quod est *ligor*, vasa sunt gemmata, sive aurea gemmis intexta. Vide Turneb. lib. 14. cap. 3. Cælio Rhodig. sunt *lances auro lita.* lib. 25. c. 19. In usu mensario splendorem addidere. Mart. lib 6. Epig 94.

*Ponuntur semper Chrysendeta Calpetiane,*
*Sive foris, seu cùm cœnat in urbe domi.*

Lances autem hoc nomine etiam venisse indicat idem lib. 14. Lemm. 97. *Lances Chrysendetæ.*

*Grandia ne viola parvo chrysendeta mullo:*
*Vt minimum libras debet habere duas.*

98. RIDERE ] Contemnere, & Principum in eis fastum suggillare. EXTORRIS ] Patriâ suâ Synope, sive exul. Exilii ejus variæ, sed non compertæ caussæ. Monetam cum patre adulterasse quidam ferunt, ideoque vel fugisse, vel pulsum esse. Certè cùm quispiam illi opprobraret: *Synopei te exilio condemnant, & ego*, inquit, *illos mansione.* Laert. lib. 6. SERVUS ] A piratis namque captus in Cretam deductus, & venditus Xeniadi. *Laert.* ibid. *Diogenes Cynicus*, inquit A. Gellius l. 2. c. 18. *servitutem servivit: sed is ex*

*Erector morum, unius virtutis avarus?*
100. *O mihi tollatur, sapientum, scrupulus, alpha?*
*Instat, agam secum pro libertate Poëtæ.*
*In latus alterutrum detortus lumina pergo.*
*Diceris (ignoscas) hominem Titane supremo*
*In medio plantasse foro. Scurriliter actum,*

*ex libertate, in servitium venum iërat: quem cùm emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificii novisset percontatus: novi, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Tum Xeniades responsum ejus demiratus emit & manumisit, filiosque suos ei tradens, accipe, inquit, liberos meos quibus imperes.* Inanis] Pauper, egens, nihil habens in marsupio. Plaut. Mostel. 3. 1 44. *Hic homo est inanis.* Propert. lib. 4. Eleg. 5. ℣. 47.

*Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,*
*Surdus in obductam somniet usque seram.*

Cynici enim tenuiter & sordidè vivebant, opum & nobilitatis contemptores: nam præter peram, baculum, & pallium nihil possidebant. Vide Auson. supra cit. ad ℣. 62. fol. 324.

99. Erector morum] Utpote qui mores infra rationem voluptatibus immersos, extulit, erexit, & ad institutum honestatis reducere adnisus est. Unius virtutis] Solius virtutis cupidus & studiosus. Scilicet ut canit Flaccus lib. 2. Sat. 1. ℣. 70.

----*Uni æquus virtuti, atque ejus amicis.*

100. O mihi tollatur &c.] Oro te, ut tollas mihi scrupulum, sive dubium hoc, quod subjicio. *Scrupulus* offendiculum quodpiam est, aut anxietas, & solicitudo dubitantis. Diminutivum à scrupo lapide, ut sit quasi lapillus, qui inter ambulandum insilit in calceos hominis, ac pedem torquet. Vid. Serm. 1. ad ℣. 35. fol. 9. Inde proverbia *injicere*, vel *eximere scrupulum*. Terent. Andr. Act. 5. Sc. 4. ℣. 37.

*Ast mihi unus scrupulus etiam restat, qui me malè habet.*

Sapientum alpha] Princeps in ordine Sapientum, sicut *Alpha* in ordine litterarum. Martialis lib. 2. Epig. 57. ℣. 4.

*Non ipse Cedrus Alpha penulatorum.*

Sic apud Ulpium *Beta Sapientum*, pro eo qui inter doctos secundas tenet, aut qui in re quapiam infimus non est.

101. Instat] Urget me & compellit Diogenes. Agam &c.] Ut liberè, fidenter, sine fuco vel pudore, enuntiem quid me angat, ut solent Poëtæ, ac inprimis satyrographi, esse audaces & liberi, in traducendis quorumcumque virorum etiam primorum vitiis.

102. In latus alterutrum] In alterum latus sive dextrum sive sinistrum. Detortus lumina] Secundùm lumina. Id est, deflexis in terram oculis, in signum reverentiæ, modestiæ, ac verecundiæ, in re turpissima, de qua magnum sapientiæ antistitem appellatum ibat. *Oculi* pudoris sedes. Virgil. lib. 11. Æneid. ℣. 480.

*Caussa mali tanti, atque oculos dejecta decoros.*

Ovid. Epl. 6. Heroid. Hypsipeles ℣. 25.

*Æsonides, dixi, quid agit meus? Ille pudore*
*Hæsit in opposita lumina fixus humo.*

Item Epl. 11. Canaces ℣. 35.

*Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos.*

Contrarium ei est, oculos attollere, quod superbi, effrontis, & præfidentis notam præfert.

103. Ignoscas] Præfatur veniam dicti. Titane supremo] Sole mediam & altissimam cæli regionem obtinente. Id est, plena meridie, sive cælo clarissimo.

104. In medio plantasse &c.] Cynicorum dogma erat: quod rectè & justè fit, etiam ubique & palàm, & sinè erubescentia fieri posse: ideo Diogenes multa pudenda ipso foro exercuisse perhibetur. De illo Laert. l. 6. *Solebat omnia palàm facere, & quæ ad Cererem, & quæ ad Venerem pertinent. Dicebat & mulieres communes esse oportere, nuptias nihil esse arbitratus: sed ut quisque cuique persuasisset, ita illi coiret, communesque idcirco filios fieri.* Referunt alii Diogenem in propatulo concubuisse, interrogatumque quid actitaret; respondisse, *se plantare hominem.* Vide Renat. Laur. in Tertul. Apol. cont. Gent. c. 45. Ubi de Phryne Diogenis meretrice. S. Augustinus l. 14. de Civit. c. 20. *Perhibent*, inquit, *hoc aliquando gloriabundum fecisse Diogenem.* Ad nobilitatem sectæ scil. Vide ibidem Cynicorum impudentiam. Lactant. apud Joan. Britannicum;

*Prostibulis, clamant, qui nocte dieque vagantur:*
*Nec potui obscœnæ reperire levamina culpæ.*
*Tum Cynicus: Vitiis, Venere indignante, nefandis*
*Impar est nostri populi quodcumque pudenter*
*Non feci; vel me volui fecisse putari.*
*Nam si communi lex & natura jubebat*
*Lascivire bono, tantùm pudor obstiterit mî*
*Ingenuus: potui meliori fine moveri.*
*Nota fuit nostri mens nostra sagacibus ævi.*
*Nam verba & voces, & quæ scribuntur, inanes*
*Dixerat ingenii, popularis censor, ofellas:*

nicum: *Quid loquar de Cynicis, quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit?* Scurriliter] Turpiter, impudenter, & procaciter pro more scurrarum.

105. Prostibulis &c.] Clamant etiam ipsi scortatores, qui noctes diesque indulgent Veneri, sed clàm in prostibulis, fornicibus, & lupanatibus, non in foro, ut tu Diogene.

106. Nec potui &c] Nec rationes mihi in promptu fuere, quibus impudens factum tuum diluerem & excusarem.

107. Tum Cynicus] Supple, sic fatur. Vitiis Venere &c.] Hyperbaton, pro eo quod est: vitiis nefandis, quæ indignante Venere populus noster admittebat, longè tolerabilius est, quod vel minùs verecundè feci, aut volui videri fecisse.

108. Est] Erat. Tempus pro tempore. Sic enim & ipse exponit in M.SS Non pudenter] Impudenter, inverecundè.

109. Volui fecisse putari] Optimè, hac enim ratione Diogenem & Cynicos excusat S. Augustinus lib. 14. de Civit. c. a sic enim de Cynicis & Diogene differens; *Postea*, inquit, *à Cynicis fieri cessatum est: unde & illum, vel illos qui hoc fecisse referuntur, potiùs arbitror concumbentium motus dedisse oculis hominum nescientium, quid sub pallio gereretur, quàm humano premente conspectu, potuisse illam peragi voluptatem. Illi enim philosophi non erubescebant videri se velle concumbere, ubi libido ipsa erubesceret surgere.*

110. Lex et natura] Omnium gentium leges & instituta; tum & naturæ instinctus, producto pruritu & Veneris voluptate.

111. Communi bono] Humano generi propagando, & civibus multiplicandis. Ad hoc enim conjugium præcipiebant, & inculcabant, & cælibatum insectabantur magistratus.

112. Potui meliore &c] Id est, aliter fortè mihi constiterint facti rationes: potui enim ad hoc caussâ boni publici moveri.

113. Mens nostra] Consilium, propositum, finis noster. Sagacibus] Sapientibus, & rem penitiùs rimantibus, hominibus emunctæ naris, & arcana quælibet, etiam & recondita facilè subolentibus.

114. Verba et voces &c.] Orationem vocalem & scriptam.

115. Ofellas inanes] Speciosas & apparentes, non hominem saturantes; frusta indigesta, tumida, informia, & quæ in probum alimentum non decoquantur; id est, quæ reddant animos vel nihil, vel perparum meliores. Ita Socrates, de quo Xenophon apud Lycosthenem: *Nihil scripsit in vita, judicans librorum copiam officere studiosis sapientiæ.* Popularis censor] Antisthenes, ut conjicio; nam is popularis erat Diogenis, id est ejusdem sectæ: imò & præceptor, ut jam diximus, & suæ scholæ princeps. Sic Stoicos suos populares vocat Seneca Nam c. 13. de Vit. Beat. *Invitis*, inquit, *hoc nostris popularibus dicam:* id est, ut inquit Lipsius, *Stoicis*. Fuit autem Antisthenes in censendis hominum moribus, & populi vitiis acer & mordax: dictusque vel inde ἁπλοκύων, quasi purè putèque canis. Docebat virtutem in actione consistere, nec copiosis verbis, aut disciplinis indigere: sapientem sibi sufficere, non ad leges, sed virtutis præscrip-

to

*Acrior & nobis fuit oppugnanda libido:*
*Argumentari vivaciùs ergo tenebar.*
*Quid refert videas quod aperto noveris esse?*
*Disputat Elysiis mecum Lucilius agris*
*De satyræ pretio, nonnumquam in collibus ipsis;*
*Nempe Deas inter. Pro me sententia Divûm,*
*Qui satyram vixi; scribens, minùs egit, acerbè.*
*Prima fides oculis, non auribus esse putatur.*
*Dicebar Cynicus, quando oblatrare volebam*

ta victurum. Et generalia Cynicorum placita sunt: sublatâ naturali philosophiâ, morali studendum esse, rejiciendas liberales disciplinas, litteras, Geometriam, Musicam &c. ne perverterentur alienis.

116. ACRIOR] Nequior & sceleratior, quàm Venus illa communis. OPPUGNANDA] Carpenda, arguenda, castiganda. LIBIDO] Genus quoddam libidinis maximè execrandum.

117. ARGUMENTARI] Docere, probare, inculcare. VIVACIUS] Non verbo aut sermone, quæ mortua sunt rerum simulacra, aut inanes offæ; sed factis admirandis, & rebus viventibus, & quæ oculo spectari poterant.

118. QUOD APERTO &c.] Quid refert videas illa, quæ certò scis fieri, & quidem rectè? Et hoc ex Cynicorum placitis unum est: *Quod bene fit, ubique & palàm fieri posse.* Hæc enim erat Diogenis argutiola: *Si prandere nihil mali est, neque in foro prandere malum est.* Laërt. lib. 6.

119. ELYSIIS] Beatorum sedibus de quibus Serm. 7. ad ℣. 167. fol. 173. LUCILIUS] Satyræ inventor, utpote qui primus tam inter Græcos, quàm inter Latinos hoc argumentum tractavit. Quintilianus lib. 10. c. 1. *Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum omnibus Poëtis præferre non dubitent. Eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas & abunde salis.* Ex prisca Græcorum comœdia Latinam Satyram fecisse innuit Horat. l. 1. Sat. 4. initio. Hodie extant sola fragmenta, vel reliquiæ Satyrarum, quas ex variis auctoribus collectas disposuit Franciscus Jani F. Dousa, vel ideo de re antiquaria Latina optimè meritus

120. DE SATYRÆ PRETIO] Utriusque nimirum, activæ & vocalis, utra sit alterâ præstantior. IN COLLIBUS IPSIS] Bicipiti Parnasso. Nam apud inferos volunt omnia extare, quę sunt apud superos. Pluto apud Claudian. libr. 2. de raptu Proserp. ℣. 282. -----*Sunt altera nobis*
*Sidera, sunt orbes alii*-----

Virgil. lib. 6. Æneid. ℣. 641. de Elysiis viretis,
-----*Solemque suum, sua sidera norunt.*

Et Plutar. de sera Punit. describit apud inferos, omnem jocantium & se oblectantium Musam adfuisse.

121. DEAS INTER] Musas. SENTENTIA DIVUM] A me, seu pro Satyrâ activâ stetit sententia Apollinis & Musarum.

122. SATYRAM VIXI] Qui moribus Satyram, id est, vivam vitiorum castigationem expressi. SCRIBENS] Lucilius ejusque imitatores Poëtæ, procaciter, acerbè, mordaciterque scribendo, minùs egerunt, quàm ego.

123. PRIMA FIDES OCULIS &c.] Vehementiùs movent quæ aguntur & spectantur, quàm quæ scribuntur. Fides enim oculorum certior quàm aurium. Hinc Plaut. Trucul. 2. 6. 8.

*Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.*

Nam, ut sequitur, qui audiunt audita dicunt: qui vident planè sciunt. Sic & Satyræ scriptæ propriè audiuntur, vel saltem mediis aurium phantasmatis percipiuntur: vita verò satyrica vivaciùs afficit inspectores. Sic & Jureconsultis testimonia scripta, *cæca* dicuntur, quòd minùs afficiant absentes judices. Horat. de arte ℣. 180.

*Segniùs irritant animos demissa per aurem,*
*Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.*--------

124. DICEBAR CYNICUS] Caninus vel canis in opprobrium meæ sectæ, quam de impudentia passim

125. *Moribus obliquis populi: ridebar ab ipsis*
*Principibus, qui se post paullum, pollice nostro*
*Fingendos dederunt, & me flevere cadentem.*
*Sed, velut hoc ævi, qui sunt in honore supini,*
*Hercule vel dextro, vel Marte, vel arte levati,*

passim traducebant. OBLATRARE] Obstrepere, arguere, mordere.

125. MORTBUS OBLIQUIS] Curvis, vel in obliquum tendentibus, aut à recti tramite deflectentibus; id est pravis. Nam ut refert Ælianus Var. Hist. lib. 13. c. 26. *Omnibus invisa erat, ejus in reprehendendo acrimonia.* Imò à quibusdam vel ideo amens eredebatur. RIDEBAR] Contemnebat, deridebat, ob vitæ egestatem, & vilitatem, quæ pro insipientia habebantur: tum etiam quia præ ceteris nobilitatem vilipendebam: acer quoque in despiciendis reliquis, & pertinax fastus & luxus impugnator.

126. PRINCIPIBUS] Regibus, Tetrarchis, Dynastis. Quotidianum enim illi erat rideri, utpote qui semper hominum receptis moribus contraria factitabat. Quare cùm illi diceretur, amici te rident: *At ego*, inquit, *minimè rideor.* Aliis verò dicentibus, cuncti te vituperant: *Oportet*, inquit, *sapientiam ab insipientibus feriri: esse enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit.* Ita Lycosth. Saresber. Plutarch. in Fabio Max. Indicat igitur hoc loco Diogenes, se à principibus delusum, quo tempore malè audiebat, propter promiscuam reprehensionem omnium factorum dictorumque uniuscujusque. POST PAULLUM] Quando re compertâ, æquiùs de me judicare cœperunt. Sic Alexander Magnus animi magnitudinem in Diogene demiratus, cùm comites sui ipsum inter abeundum luderent; *Atqui ego*, inquit, *nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem.* Vide plura infra ad ℣ 150. Abductus ad Philippum Alexandri patrem, rogatusque quis esset? cum respondisset: *Explorator insatiabilis aviditatis tuæ:* cum magna tanti animi admiratione, liber à Rege dimissus est. *Laert.* l. 6. *Lycosth.* POLLICE NOSTRO] Præceptis disciplinæ meæ.

127. FINGENDOS DEDERUNT] Tradiderunt se formandos. Fingere figulorum est, qui digitis vas, aut aliud quidvis formant: aut etiam sculptorum, qui vultus in molli cera, vel sigillaria, pollice aut digitis pingunt. Inde deductâ metaphorâ *fingere* sonat idem ferè, quod mentem formare. Pers. Satyr. 3. ℣. 23.

*Vdum & molle lutum es, nunc nunc properandus & acri*
*Fingendus sine fine rotâ.* ----- Et Sat. 5. ℣. 39.
*Et premitur ratione animus, vincique laborat,*
*Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.*

Juven. Satyr. 7. ℣. 237.

*Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,*
*Vt siquis cerâ vultum facit.* -----

Porrò varios Principes Diogeni philosophanti auditores accessisse, disces ex Diog. Laertio, Plutarch. Æliano &c. Inter eos fuere Philippus, Alexander, Perdiccas, Craterus &c. Ex sapientibus verò & doctis, Phocion & Stilpon Megarensis, Adrosthenes, qui sermonibus ejus ita capiebatur, ut primùm fratrem suum Philiscum, & tandem patrem Onesicritum Æginensem, ad eum audiendum pellexerit, & unà cum eodem philosophati sint. *Laertius.* lib. 6. FLEVERE CADENTEM] Mortuum luxerunt: ut solent qui amantur vivi. Certè petulanti cuipiam, qui dolium ejus confregerat Athenienses plagas intulerunt, illique aliud tradiderunt: ʹortâque discordiâ inter eos, qui illum ibant tumulatum, Patres & primores eum humatum voluere juxta portam, quę in Isthmum mittit; ejusque honori & monumento columnam erexerunt, cui superpositus ex pario marmore Canis invigilat. Ab aliis epitaphiis & epigrammatis, ab aliis verò statuis decoratus. Videsis Laërt. lib. 6. in Diog.

128. HOC ÆVI] Hoc tempore præsenti, quo tu vivis Scholiri. IN HONORE SUPINI] Superbi & arrogantes, ipso capite in altum elato animi fastum prodentes. Hi quippe adeò erecto corpore incedunt, ut oculis in cælum sublatis caput resupinent in cervicem, non secus quàm aves supino vertice aquam per gulam transmittentes, ut describit Plin. lib. 10. c. 46. Hoc sensu dixit Persius Sat. 1. ℣. 129.

------*Italo quòd honore supinus*
*Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.*

129. HERCULE VEL DEXTRO] Patrimonio, thesauro, vel divitiis: nam olim *propitio vel bono Hercule* dicebant, quòd & *lucri Deus*, & *Incubus* vocabatur, ideò utique quoniam thesauris

*Id sibi permittunt, re vel sermonibus ortis,*
*Quòd nolint ratione premi; constanter in omnes*
*Urgent propositum, quamvis sine pondere norint*
*Sæpè quod occipiunt: populo sic tempore nostro,*
*Gratia magna sui, fuit inque solentia major:*
*Tota stupebat enim vitio, immutabilis ætas.*
*Exemplis præeo, monitisque reduco benignis,*
*Et ratione premo; nolunt ratione cieri:*
*Urgent propositum; quin deteriora sequuntur.*

sautis & lucro crederetur incubare. Horat, lib. 2. Sat. 6. ỷ. 12. --- *Divet amice Hercule.* --- Pers. Satyr. 2. ỷ. 11.

*Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro*
*Hercule.* -------

Ita decimas bonorum Herculi dicatunt Romanorum ditissimi, Sulla, Crassus, Lucullus: de qua consuetudine legendus Plutarchus probl. 17. Huc spectat illud Plaut. Stich. 1. 3. 81.

*Vti decumam partem Herculi polluceam.*

Et idem Bacchid. Act. 4. Scen. 4. ỷ. 15.

---- *Herculem fecit ex patre: decumam partem ei*
*Dedit, sibi novem abstulit.* ----

Quæ cùm ex ditescendi amore fiebant, rectè Hercules thesauris prodesse creditus est. Lege Turneb l 29. c. 35. & Erasm. Chil. VEL MARTE] Rebus bello præclarè gestis. VEL ARTE] Studio sapientiç, doctrinâ, vel scientiâ, vel quavis arte ingenuâ. LEVATI] auctoritatem & honores nacti.

130. ID SIBI PERMITTUNT] Hoc juris sibi tribuunt, voluntque id sibi licere. RE VEL SERMONIBUS ORTIS] Natâ factorum dictorumque occasione.

131. NOLINT RATIONE PREMI] Non velint secum pervicaciùs certari & contendi, etiam ratione ab opposita parte stante. IN OMNES] Nihil quidquam aliis concedentes, contra saniores aliorum opiniones.

132. URGENT] Pertinaciter tuentur. PROPOSITUM] Dictum suum vel sententiam. SINE PONDERE] Sinè justæ rationis vel juris auctoritate. NORINT] Id à se sustineri aut defendi.

133. OCCIPIUNT] Assumunt sibi, vel quod incipiunt affirmare. POPULO NOSTRO] Atheniensi, Græcanico mei ævi.

134. GRATIA MAGNA SUI] Arrogantia & philautia, quia multùm sibi tribuebant, optima de se sentientes. *Gratia* hoc loco est amicitia, sicut exposuimus Serm. 3. ad ỷ. 279. fol. 56. sic & Cicero lib. 1. Epl. 9. famil. *Cum illo mihi gratia magna est.* Ac si dicat Poëta: magnus erat sui amor, magna regnabat philautia. FUIT INQUE &c.] Tmesis, fuit major insolentia. *Insolentia* autem propriè Ciceroni est intolerantia, audacia, superbia, ex qua nascitur arrogantia, ut ait lib. 1. de Invent. c. 42. Sic & Act. 6. in Ver. c. 89. *An verò ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia?* Alioquin & alibi significat non usum, non consuetudinem; propter quam aliquid arguitur insolens vel insolitum. Sic & Cicero lib. 1. de Invent. c. 2. *Primò propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosiùs audientes.*

135. STUPEBAT] Sinè sensu laborabat, adeò ut nihil admitteret vel intelligeret. Sic ægrotantes non rarò stupent, dum vis morbi maxima est, ita ut dolores affecti corporis non sentiant. Et hâc metaphorâ dixit Persius Sat. 3. ỷ. 32.

*Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum*
*Pingue: caret culpâ: nescit quid perdat.* -----

Ut sit quasi animo apoplecticus, nec sentiens, nec remedium applicans. IMMUTABILIS] Sequitur ex morbo, qui dum non sentitur, non curatur. Sic & malum quod non reprehenditur, non mutatur vel corrigitur, imò & quandoque per stuporem ignoratur.

136. EXEMPLIS PRÆEO.] Doceo factis, & vitæ meæ institutione, quemadmodum rectè beatèque vivendum sit. REDUCO] Reducere conor.

137. RATIONE PREMO.] Validâ declamatione incito, urgeo, impello. RATIONE CIERI] Nolunt secum disputari pertinaciùs, ut & modò vestri seculi homines agere suprà dictum est.

138. PROPOSITUM] Sententiam suam vitiis patrocinantem mordicus defendunt. QUIN DE-

*Tunc cœpi invitas mordaci radere vero*
*Auriculas, secui totam tunc morsibus urbem,*
*Sustinuique canis pro externo cive vocari.*
*Non sequor ad mensas, non ulli jactito caudam:*
*Allatro dumtaxat, vitæ tamen integer, omnes.*
*Magnus Alexander solitus cum patre Philippo,*
*Jam dicteriolis ad dolia nostra jocari,*
*Casibus insolitis jam nostram arcessere mentem,*
*Tam mea suspexit, tam me vehementer amavit,*

TERTORA &c. Imò verò tantùm abest, ut me verbis corripiente corrigantur, ut vel ideò in pejora se præcipites agant.

139. MORDACI VERO] Desumptum ex Persio Satyr. 1. ℣. 107.

*Sed quid opus teneras mordaci radere vero*
*Auriculas?--------*

Elegans epitheton: nam veritas nudè ac simpliciter exposita in re probrosa, sceleratos mordet & lancinat. Terent. And. 1. 1. 41.

*Obsequium amicos, veritas odium parit.*

140. SECUI TUNC MORSIBUS URBEM] Laceravi, momordi, flagellavi. Pers. Sat. 1. ℣. 114.

*------Secuit Lucilius urbem,*
*Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.*

Id est, linguæ mordacis dentibus discerpsi populum Atheniensem, Corinthium, Spartanum, aliosque apud quos ex intervallo diversatus sum, habitans porticus & vestibula portarum.

141. SUSTINUI] Non detrectavi, non erubui, non dubitavi. Ovid. lib. 6. Metamorph. ℣. 563.

*Sustinet ad Pregnen post talia facta reverti.*

CANIS] Quo nomine adeò famosus erat Athenis, ut prandenti circumstantes identidem clamarent CANIS, CANIS, quibus ipse, *imò*, inquit, *vos canes estis, qui prandentem circumstatis.* Laert. EXTERNO CIVE] Exule Synopæo, non peregrino aut barbaro, sed Græco.

142. NON SEQUOR AD MENSAS] Verissimè: Cratero enim rogante, ut ad se ille Domicilium transferret: *Malo*, inquit, *Athenis sal lingere, quam apud Craterum opiparè helluari.* Ad cœnam ab alio quopiam compellatus, affuturum se negavit, quod pridie illi gratiæ non erant actæ. Calisthenem dicentibus felicem, quod splendidè cœnaret apud Alexandrum: *Imò*, inquit, *infelix, quòd cœnet dum visum est Alexandro.* Plutarchus id de Aristotele, non de Calisthene refert, lib. de Exul. ac ita respondisse Cynicum: *Prandet Aristoteles quando Philippo lubet, Diogenes, quando Diogeni.* JACTITO CAUDAM] Nulli blandior vel adulor. Translatio à canibus motu caudæ blandientibus pro frusto panis, ut monuimus Serm. 8. ad ℣. 147. fol. 275.

143. ALLATRO] Obgannio, obstrepo, & mores redarguo. Ut suprà ad ℣. 90. fol. 327. ex Laërtio adduximus. VITÆ INTEGER] Innocens, intaminatus, homo vitæ inculpabilis. Horatius libr. 1. Od. 22. ℣. 1.

*Integer vitæ, scelerisque purus.*

Et in Satyris l. 2. Sat. 3. ℣. 65. *Integer mentis:* & ℣. 220. *Integer animi.*

144. MAGNUS ALEXANDER] Macedonum Rex, quem cum Diogene frequenter contulisse sermonem, refert Plutarchus in vita Alexandri. Laertius lib. 6. Cicero l. 5. Tuscul. QQ. c. 92. & 265. aliique. PHILIPPO] Item Macedonum Rege, cujus gloria rerumque gestarum magnitudo, Alexandrum filium ad summam animi celsitudinem extulit.

145. DICTERIOLIS] Argutè ac salsè dictis: pro more sapientium, & Lacedemoniorum, qui amabant salsè dictis alios citra molestiam petere, & æquo animo dicteria ferre. *Plut.* Symp. 2. DOLIA NOSTRA] Dolium enim Diogeni versatile prætorium erat. Nam cum ad quemdam scripsisset, ut sibi pararet cellulam, & ille tardiusculè id præstaret, dolium quod in Metroô erat, pro domo occupavit.

146. CASIBUS INSOLITIS] Non frequenter accidentibus, in rebus minimè obviis, vel vulgaribus. ARCESSERE] Explorare & audire sententiam meam.

147. MEA] Dogmata, sensa, dicta &c.

148.

*Ut nostras habitare casas, populoque latrare,*
*Pallia quin baculo voluisset & addere peram,*
*Magnus Alexander nisi cognitus orbe fuisset.*
*Non tamen urgebo te vivere more canino.*
*Tempora mutantur: satis est committere chartæ,*
*Aure vaporatâ quibus indulgere Potestas*
*Gestiat, & curvis quæ opponi moribus optet.*
*Principis opprobrium non æquis auribus haurit*
*Princeps, adversas sibi ut improbet ire phalanges.*
*Omne, liquet, numen sub numine læditur uno.*
*Quos Deus Heroës, fratres fortuna putavit:*

148. UT NOSTRAS HABITARE &c.] Voluisset fieri Diogenes, nisi &c. vide suprà ad ✝. 126. voluisset itaque sordidè in dolio habitare, ut ego. POPULOQUE LATRARE] Ut ego.

149. PALLIA QUIN &c.] Prorsus esse & veste & supellectile Diogenes. *Pallium* inquit Laërtius, *primus duplicatum in usu habuit, ut illo se dormiens obvolveret, peramque tulit, in qua & cibos portabat, omniúque ad omnia utebatur loco, prandens, dormiens, & loquens.*

150. ALEXANDER NISI &c.] Hæc sanè intellige ex Plutarcho de Fort. Alex Orat. 1. *Alexander cum Diogene apud Corinthum collocutus, ita obstupuit & attonitus est viri vitâ & gravitate; ut sæpenumero ejus mentionem faciens dixerit, nisi essem Alexander, Diogenes esse vellem. Non enim fortunam sapientia præferebat, nec purpuram & diadema pallio ac pera; sed hoc dicebat: nisi instituissem gentes barbaras cum Græcis commiscere &c. non equidem in otio desident, potentiam meam ad luxuriandum contulissem, sed frugalitatem Diogenis æmulatus fuissem.*

151. NON TAMEN &c] Auctor tibi non fuerim, non adigo te, ut caninam meam mordacitatem assumas in Satyris.

152. TEMPORA MUTANTUR] Res, personæ, mores, ingenia, opiniones, judicia, aliaque cum tempore mutantur, quorum omnium in aggrediundo conficiendoque negotio, rationem habere sapientis est. Rectè vetus istud, γνῶθι καιρὸν, quod dicitur, *nosce tempus.* Quò spectat istud Theocrit. Idyll. λ.

Ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίγνεται ἐν χειμῶνι.

Id est, *sed alia quidem æstate, alia verò hieme fiunt.* COMMITTERE CHARTÆ] In charta exarare, vel scribere talia, quibus &c.

153. AURE VAPORATA] Calidâ, fervente, & se vapore suo imbuente. Phrasis desumpta ex Persio Satyr. 1. ✝. 126.

*Inde vaporatâ lector mihi ferveat aure.*

Id est, aure ferventer studiosa, frequente, avidâ, Olim enim poëmata sua palàm recitabant Poëtæ; unde non tam oculis, quàm auribus accipiebantur. Sententia est: satis est illa scribere, quæ ferventer, avidè ac sedulò audiat. INDULGERE] Veniam recitandi aut edendi dare. POTESTAS] Princeps, aliique magistratus. Sic Imperatores, Reges, Prætores omnesque vel majores vel minores magistratus, *potestates* dicuntur. Lucanus lib. 10. Civil. Bel. ✝. 136.

*Discubuere toris Reges, majorque potestas*
*Cæsar---------*

154 GESTIAT] Gratum habeat, aut cui gratum sit. OPPONI] Adhiberi tanquam remedia tollendis morbis seu vitiis publicis.

155. PRINCIPIS OPPROBRIUM &c.] Id est, Principes aliorum Principum probra divulgari & suggillari, iniquissimè ferunt.

156. ADVERSAS SIBI &c.] Licèt sint inimici, & inter se bellum gerant, ducendo phalanges & copias contra se mutuò. In M. SS. sic reperio.

*Princeps adversas licet horreat ire phalanges.*

157. OMNE NUMEN &c.] Uno Principe læso, omnes se læsos existimant, sive in uno suggillantur omnes. Numina Imperatorum & Principum apud priscos familiaria & frequentia sunt.

158. HEROES] Supple, fecit. *Heroës* dicit ea ratione quâ suprà Semideos. Hesiodus in ἔργοις dicit

*Commisere quibus, nobis incognita jura,*
*Respondenda sibi: plaudat sapienter utrimque*
*Quisque suis, dictis juvet, armis, ære, favore.*
*Verba olim nocitura cave: nunc prælia miscent,*
*Fœdere fraterno coituri cras, Jovis acti*
*Imperiis; hominum obnixè scelere antè piato,*
*Ceu luis indomitæ causså. Queis libera, longa,*

dicit divinum Heroum genus vocitari Semideos. Horat. lib. 4. Od. 2. ꝟ. 13.

*Seu Deos Regesque canit Deorum*
*Sanguinem.-------*

Heroës autem censentur Principes, virique potentiâ, vel rerum gestarum gloriâ, vel sapientiâ, vel virtute immortales, quos veterum superstitio Diis immortalibus accensuerit. FRATER] Æquales, sodales, amicissimos instar fratrû. FORTUNA] Potentia & auctoritas principalis. PUTAVIT] Existimavit & judicavit. Nam ut patet ex quotidiano usu, adeo cordi habent mutuæ auctoritatis & observantiæ, apud sibi subjectos cuique populos, defensionem, ut fratris frater læsionem minùs vindicet. Juvenalis Satyr. 5. fortunæ & nummis honorem & vim tribuit, ut pares tanquam fratres inter se nectat: sic enim ꝟ. 136.

*---O nummi, vobis hunc præstat honorem,*
*Vos estis fratres.-----*

159. COMMISERE] Deus & fortuna. INCOGNITA JURA] Recondita & occulta nobis, illis inter se notissima, quæ nolunt nos scrutari, multò minus assequi.

160. RESPONDENDA SIBI] Defendenda, excusanda, diluenda non in alio tribunali quàm in suo, cùm penes illos suprema sit judicandi potestas. Id est, quorum ipsi nobis non tenentur rationem reddere. *Respondere* hîc respondet quæstionibus, quas habent quæsitores rerum capitalium, dum in noxios anquirunt, aut eosdem percontantur. Unde quod illi repellendo vel diluendo crimini in medium adferunt, responsum, vel responderi dicitur. PLAUDAT] Gratuletur vel laudes occinat. UTRIMQUE] Utrivis regno vel ditioni subjectus.

161. QUISQUE] Civis, ut decet fideles & bene volentes suo Principi. SUIS] Regibus, Principibus, Dominis. DICTIS] Animosis, & rem Principis efferentibus: id est, bene loquatur vel scribat de Principe ejusque re, aut bonis consiliis illi subveniat. ARMIS] Etiam militando illi, si opus est. ÆRE] Pecuniâ, & liberali contributione nutriendis militibus, aut quovis alio favore. Id est, quisque sit fidelis civis & observans sui Principis, tam ore, quàm factis: nec hoc cuiquam fraudi esse potest, etiam apud inimicum Principis, aut qui contra eum educit exercitum.

162. OLIM] Etiam post multos annos. NOCITURA] Quæ possint aliquando nocere, aut quovis modo tibi obesse. Sententia est: ita lauda, & auge rem Principis tui, ut tamen in inimicum Principem nullam contumeliam aut probrum jacias. Licèt enim hoc durante bello impunitum fortasse maneat, compositâ tamen pace vindictam non evadas. Prudentissimè hîc Diogenes suadet omnibus, sacro-sanctos habere Principes, nequis malum capiti suo, à longis eorum manibus accersat. PRÆLIA MISCENT] Inter se præliantur.

163. CRAS] Paullò pòst, ubi ærarium accisum, & armorum ærumnæ æstum & animos tranquillaverint. FRATERNO FŒDERE &c.] Pacem facturi, & fraterno osculo se amplexuri.

164. JOVIS IMPERIIS] Deo sic volente, in cujus manu sunt corda Regum. OBNIXE] Omni conatu, per preces publicas & privatas, eleëmosynas, hostias, jejunia, æquanimem malorum tolerantiam, corporis castigationes, aliaque præsentissima apud Deum malorum remedia. HOMINUM SCELERE PIATO] Hominum peccatis jam satis superque per divinam Nemesin punitis, & expiatis. Divina siquidem providentia, uti est apud S. Augustinum lib. 1. de Civit. Dei cap. 1. *Solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere.* Et hinc rectè scelus hominum hîc caussa belli assignatur.

165. LUIS INDOMITÆ] Martii furoris, hostilis truculentiæ, militaris licentiæ, omniumque miseriarum quæ bellum consequuntur. LIBERA] Non restricta, nec alicujus potentiæ, nisi solius Dei subjecta. LONGA] In longa tempora, & multos longo ordine pro arbitratu puniendos ex-

*Formidanda manus, parcas natura docebit.*
*Incidat in laqueos magni moliminis ullus,*
*Conscius ipse sibi? Nihil hac in parte labores.*
*Sit titulus novus, antiquus, merus, aut beneſictus;*
*Sive Periscelidis ſit Eques, ſeu Velleris aurei,*
*Alitis aut ſacri, Cruciger, ſit grandior ipſo*

extenſa. Ovidius Epiſtol. Heroidum 17. Helenæ ad Paridem, ℣. 166.

*An neſcis longas regibus eſſe manus?*

Herodotus in Urania: καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἄνθρωπον ἡ βασιλῆος ἐστὶ, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης: id eſt: *Etenim potentia regis ſupra hominem eſt; & manus prælonga.* Et Græca parœmia eſt: μακραὶ τυράννων χεῖρες: quod eſt: *longa Regum manus.*

166. FORMIDANDA] Ob poteſtatem vindicandi: iis enim quod libet licet. Aptè monet adagium, *vitandas eſſe potentum offenſas*: nam læſi vel leviter, indignantur graviter, & ut ait Plautus Pænul. 3. 6. 18. *Plumbeas iras gerunt.* PARCAS] Ut parcas, non convitiando, exprobrando, aut proſcindendo, ipſa natura te docebit, cujus inſtinctu quiſque ſibi bene vult.

167. IN LAQUEOS] In ſcelus aliquod enorme & execrandum, v.g. proditionem, conjurationem, aut attentatum parricidium &c. cujus indicio facto, reus actus ſit in Regem vel Rempublicam. Verba ſunt interrogantis Poëtæ. MOLIMINIS] Ut jam diximus, proditionis, perfidiæ, perduellionis, parricidii. Tales fuere apud Reges ſuos olim gratioſi, quos Ser. 1. ℣. 49. recenſet.

-------*Vafroſque miniſtros*
*Regum extirpatos, Bironem, Calderon, Ancrum.*

Crimina ipſorum diſce fol. 51. quo loco Poëta inſinuat, minimè ſibi ſe ab eorum cenſura temperare poſſe.

168. CONSCIUS IPSE SIBI] Propriâ conſcientiâ & confeſſione reus. NIHIL HAC IN &c.] Reſpondet Diogenes, ac ſi dicat: Animi ne angare, ne dubita, liberè eos ac impetterritè verſibus tuis inſectare.

169. TITULUS] Principis, Ducis, Marchionis, Comitis, Baronis &c. NOVUS] Heri aut nudius tertius, virtutis aut cenſus merito, à Rege impetratus. ANTIQUUS] Ex antiqua majorum ſerie ac nobilitate deſcendens. MERUS] Verus cum re & cenſu. BENE FICTUS] Sine fructu aut poteſtate. Sunt enim tituli quidam, ſoli honori ancillantes, ſine magiſtratu & proventu, dicis cauſsâ tantū comparati, umbræ ſine corpore.

170. PERISCELIDIS] Illuſtriſſimi & Regalis ſodalitii in Anglia, de quo mox. VELLERIS AUREI] In Belgio, & hodiernis regnis Principum Auſtriacorum, qui ab invictiſſimis Burgundiæ Ducibus & Belgarum principibus deſcenderunt. Initia nobiliſſimi hujus Ordinis refert Pontus Heuterus lib. 4. Rer. Burg. c. 3. unde priora, hæc, & ſequentia illuſtrantur, ideò hîc ſubjicienda. Poſtquam commemoraverat nuptias Philippi Boni Burgundiæ Ducis, cum Iſabella Joannis Portugalliæ Regis filia celebratas Brugis Flandorum III. Id. Jan. Anno CIↃ. CCCC. XXIX. *Primo*, inquit, *nuptiarum die Ordinem Equitum aurei velleris inſtituit, ductus exemplo Principum variorum: nimirùm Caroli Martelli, qui Ordinem Genetta inſtituit: Arthi Britanni, qui equites menſæ orbicularis verſatiliſque ordinavit: Ioannis Valeſii Francorum Regis, qui anno* CIↃ. CCC. LI. *ſignum ſtellæ ſuis equitibus, & aurea monetæ dedit. Eduardi III. Anglorum Regis, qui paucis antè annis in gratiam Comitis Salberica (quam deperibat) ſui Ordinis Equitibus Periſcelidem, hoc eſt vinculum, quo caliga ſub genua aſtringuntur, donavit.* Ejus autem ordinis Equites ab aureo Argonautæ Jaſonis vellere appellari voluit. Inſtituitque eos numero triginta & unum, licèt poſtea plures acceſſerint. Vide ibidem Diploma & alia huc ſpectantia. Variat Guicciardinus in deſcriptione comitiorum ejuſdem ordinis, quæ Philippus II. Hiſpan. Rex, Antverpiæ in æde ſumma S. Mariæ, ſibi prima celebravit an. CIↃ IↃ. LVI. Eum adi in Antverp.

171. ALITIS AUT SACRI] S. Spiritus in Francia. Ordo hic inſtitutus ab Henrico III. Valeſio, qui *quo erat ingenio*, ut eſt apud Thuanum ad annum CIↃ. IↃ. LXXIX. *vetera faſtidiens & novarum rerum ſemper cupidus, obſoleſcente conchyliato ordine, ob communicatum promiſcuè indignis hominibus, jam à multo tempore, hunc præcipuum nobilitati & militaribus meritis honorem debitum, novum Equitum collegium à ſe*

 *inſti-*

*Grandi; nec casu hoc sibi parcet summa Potestas.*
*Nemo adeò vivit vitiis obnoxius, ut non*
*Communi ferulæ submissas præbeat aures.*
*Ædepol immerito fulgebit honore, protervis*
*Si quis adhuc pedicas divellere moribus audet.*
*Et quoniam Heroum duplex natura: minori*
*Si quid adhuc restat, satyræ populabile limâ:*

*institutum, ac nomine S. Spiritus nuncupatum solenni lustratione celebravit. Centenario numero absolutum collegium.* Factum id prid. Cal. Januar. id est novissimo anni CIↃ. IↃ. LXXVIII. die. Nomen obtinuit à die Pentecostes, quo S. Spiritus delapsum in corda primorum credentium celebrat Ecclesia: tum quòd sacratissimâ illâ luce Rex ipse in lucem prodierat, tum quòd gemini regni Franciæ ac Poloniæ eâdem die Rex auguratus fuerat. Renovatum deinde Ineunte Januario, anno hujus seculi xx. à Ludovico XIII. Rege, auctor est Gramondus lib. 5. Videri potest Bussieres lib. 20. CRUCIGER ] Ordinis militaris S. Jacobi in Hispania, cui Rex ipse præsidet. Institutus is est anno salutis CIↃ. CLXV. à Petro Ferdinando, ut tradit Onuphrius in Chronico suo Ecclesiastico, approbante Alexandro III. P. M. sub regula S. Augustini. Petrus ipse Ferdinandus ejus militiæ primus Magister creatus. Insigne militibus in veste candida Crux in gladii militaris modum conformata. Vide Miræum de Orig. Equest. Ord. fol. 22. Hi statis diebus, divinis Mysteriis assistunt, ac S. Synaxin magno religionis decore adeunt, plerumque in ædibus sacris sodalium Eremitarum S Augustini, candidâ veste Ordinis cruce insignitâ, talari, & magno syrmate terram verrente, solenniter induti. Reliquo tempore, rubentem illam crucem in palliis & armis circumferunt. GRANDIOR ] Dignior, nobilior; nam ad hos cœtus non nisi meritis & sanguine nobilissimi admittuntur.

172. GRANDI ] Ita patrio sermone, Hispani designant Primates illos seu Megisthanes, quorum insigne inter cetera privilegium est, operto capite Regem circumsistere & compellare, reliquis ad aperiendum caput obstrictis. CASU HOC ] Criminis publicè liquentis & puniti, ut suprà. SIBI PARCET ] Sibi parcendum, de se à Satyrographis silendum existimabit. SUMMA POTESTAS ] Supremus Princeps nullius clientelæ obnoxius. Alibi in M. SS. non absolutè, sed cum hac cautela, de summa Potestate loquitur:

*Quatenus humana est, nec sanguine tangit*
*Olympum.*

173. NEMO ADEO &c. ] Nemo adeò profligatæ nequitiæ, aut desperatæ salutis est.

174. COMMUNI FERULÆ ] Mordentis Poëtæ, publicæ famæ ac censuræ. SUBMISSAS &c.) Patientes, obsequentes, sinè ira vel ferocia.

175. IMMERITO FULGEBIT &c. ] Indignus famâ fuerit, vel dignitate quam habet in populo. PROTERVIS ] Ferocibus, superbis, & contrà pervicaciter nitentibus. Ovid. Met. 5 ✠. 670.

*Conataque loqui, & magno clamore protervas*
*intentare manus.------*

Tauri propriè *protervi* dicuntur, qui dum in Venerem ardent, obvia quæque temere proturbant & proterunt, sinè cura servandi, aut non lædendi proprii corporis.

176. PEDICAS ] Metum infamiæ, quo solo nexu sæpè intra septa honestatis continentur, qui omnem Dei timorem abjecerunt. *Pedicæ* pedum vincula vel retinacula, ulteriùs pedes progredi prohibent. DIVELLERE ] Disrumpere, vel amovere. Sententia est, qui audeat etiam negligere ac vilipendere propriam famam.

177. HEROUM DUPLEX NATURA ] Divina scil. & humana. Heroës enim esse Semideos suprà notavimus ad ✠. 158. fol. 336. Talis describitur à Patre Jove Hercules in sua apotheosi apud Nason Met. lib. 9. ✠. 251.

*Nec nisi materna Vulcanum parte potentem*
*Sentiet: æternum est à me quod traxit, & expers*
*Atque immune necis, nullâque domabile flammâ.*

MINORI ] Humanæ naturæ, seu quatenus homines sunt.

178. SI QUID ] Vitiorum aut limi. ADHUC RESTAT ] Culpabile vel excoquendum, quod Deitatis communio nondum planè absumpsit. POPULABILE ] Subaudi, *est*. Hoc est absumi vel deteri potest, seu fas est. Sic & ibid. ✠. 262.

*Interea quodcumque fuit populabile flammâ*

Mul-

*Parte sui meliore, Dei vestigia servant.*
*Hinc inculpatæ stat eis fiducia vitæ:*
*Et populi nasos Majestas ridet inertes.*
*Nos meritò Regum scimus cum piscibus esse*
*Consilia, atque aliâ regimen librare bilance,*
*Quàm rude vulgus amat: nos, illi, credere fidunt;*
*Quidquid agunt Reges, populi spectare salutem.*
*Nec dubium, se lege sciunt hâc esse creatos.*
*Hæc de Principibus. Qui proximitate sequuntur,*
*Et quasi conformes ovo nascuntur eodem,*
*Vera est nobilitas, fragrans virtute, benignis*

*Mulciber abstulerat.-----*

SATYRÆ LIMA] Argutâ mordacitate Satyrarum tuarum. Circumspecta prorsus & religiosa in Principes reverentia: quos ut Numina quædam suspicere, si ceteros incolumes præstant, publica suadet utilitas. *Iovi* enim, ut inquit Theocritus, *cura est venerandi Principis, cui soli hunc populi vota relinquunt.*

179. PARTE SUI MELIORE] Naturâ divinâ, seu quatenus creti Divorum sanguine. Sic & Hercules apud Ovid. Met. 9. ℣. 269.

*Parte sui meliore viget; majorque videri*
*Cœpit; & augustâ fieri gravitate verendus.*

DEI VESTIGIA] Dei similitudinem, puritatem & innocentiam, sicut Hercules ibid. ℣. 264.

*-----Nec quidquam ab imagine ductum*
*Matris habet: tantùmque Iovis vestigia servat.*

180. HINC INCULPATÆ &c.] Hinc fidenter existimant se vivere sceleris puros, & innoxios, adeoque à nemine jure reprehendendos.

181. NASOS INERTES] Censuras & dicteria, quæ sine arte, sale, ratione à populo jaciuntur. MAJESTAS] Regum & Principum. RIDET] Contemnit & pro nihilo habet.

182. CUM PISCIBUS] Taciturnis. Pisces enim ἄφωνοι, seu vocis expertes. Hor. l. 4. Od. 3. ℣. 19.

*O mutis quoque piscibus*
*Donatura Cygni, si libeat, sonum!*

Hinc natum adagium, *magis mutus quàm piscis*, quod de hominibus immodicæ taciturnitatis dicitur, sive eam probes sive damnes. Sensus est: habent consilia secretissima cum hominibus ea ipsa fidelissimè celaturis.

183. ALIA BILANCE] Aliâ judicandi regulâ. Rectè: uti enim lance corporis pondus, ita & judicio, vel judicandi ratione, rei dignitas vel natura expenditur. REGIMEN] Regendi rationem, seu modum & methodum.

184. RUDE VULGUS] Privata tantùm æstimare doctum, publicorum incurium. Publica tamen Princeps privatis anteferre debet. AMAT] Solet. Sallustianum est, & à Græco translatum. Quintil. l. 9 c. 3. illo utitur, uti & Horatius lib. Carm. 3. Od. 16. ℣. 9.

*Aurum per medios ire satellites*
*Et perrumpere amat saxa-----*

ILLI] Principes. FIDUNT] Putant nos existimare.

185. POPULI SPECTARE &c.] Sententia est: Principes quæ agunt, putant ita accipi à populo, quasi omnia ad salutem publicam destinentur.

186. HAC LEGE CREATOS] In hoc lectos & creatos esse Principes, ut bonum commune curent ac stabiliant: unde & ab hoc capite gloriam suam aucupantur.

187. HÆC DE PRINCIPIBUS] Subaudi, dicta sint. PROXIMITATE] Quasi quodam jure consanguinitatis vel affinitatis.

188. CONFORMES] Ejusdem formæ, sortis, ingenii, qui non magis corripi se patiantur, quàm Principes. OVO NASCUNTUR EODEM] Ingenio, moribus, halo ferociâ consimiles sunt, non secus quàm gemini eodem ovo exclusi. Quod ex Horatio desumptum, inter adagia sua celebrat Erasmus Lem. *Ovo prognatus eodem.*

189. VERA EST NOBILITAS] Non hesternâ, coëmptâ, vel emendicatâ nobilitate superbi, sed nobilium primores, quos spectata proavorum virtus, & vetustorum stemmatum claritudo jam

*Moribus, & nitidis gaudet favisse Poëtis.*
*Præterea sunt, qui Regum dominantur in aulis,*
*Præsidioque valent, celebres Heliconis alumni;*
*Quorum vera præest ratio, & prudentia factis.*
*Hos face dignamur, priscæ si lucis egebunt,*
*Nobiliumque choris adscribimus. Auxiliares*
*Inde tibi, si fors sit opus, desumere vires*
*Semper oportunum fraterno jure, minaces,*
*In malè versantes quovis velamine, ronchos.*

olim celsioribus titulis & honoribus, præter alios evexit. Intelligit Duces, Marchiones, Comites &c. FRAGRANS VIRTUTE] Fortitudine, animis, amore honesti &c. Nam ut optimè Juven. Satyr. 8. ℣. 20.

----- *Nobilitas sola est, atque unica virtus.*

BENIGNIS MORIBUS] Comitate, affabilitate, sermone, ac obsequio.

190. NITIDIS] Cultis, politis, festivis, & urbanè jocantibus. FAVISSE] Favere. Tempus pro tempore. Heterosis Nasoni frequens.

191. DOMINANTUR] Rebus summis intendunt, & auctore Principe vel ejus Legato, populo imperitant.

192. PRÆSIDIOQUE VALENT] Prima post Principes potestate sellâque utentes. utpote supremi Senatus principes, quos Præsides dicimus à Præsidendo rebus universalibus Provinciæ. De officio Præsidis extat Tit. 18. lib. 1. Digest. ubi leg. 4. Ulpianus: *Præses Provinciæ majus imperium in ea Provincia habet omnibus post Principem.* Tacitè hîc adulatur viro summo & impensè erudito Petro Rose sanctioris concilii Præsidi, litteratorum patrono, cui Diogenem suum inscripsit, ut vidimus in Proëcthesi hujus libri; ubi inter cetera cordatam ipsius sapientiam, tanquam trium cordium viri commendat:

*Vir tricor Austriaci* FERNANDI *præsidet aulâ,*
*Præsidio dignus, præsidiumque viro.*

Concilium autem illud privatum, sanctius & intimius Principi, apud Belgas amplissimum & primum est, & tam de Burgundiæ, quàm de Belgicarum provinciarum caussis, cum suprema potestate cognoscit. Quæ sequuntur licèt pluribus tribuantur, laudem tamen ejusdem viri, sub Diogenis persona celebrant. HELICONIS ALUMNI] In sinu Musarum nutriti, id est, artibus & scientiis liberalibus liberaliter imbuti; quarum scil. adjumento gradum sibi straverunt ad hanc dignitatis eminentiam.

193. QUORUM VERA &c.] Qui rempublicam ita moderantur, ut nihil à prudentia civili, æqui boniique studio, aut rectâ ratione alienum decernant.

194. FACE DIGNAMUR] Primorum natalium splendore dignos ducimus, & suâ virtute abundè gloriosos, inter illustrissimos quosvis reponimus. PRISCÆ SI LUCIS &c.] Si fortè à vetusta, aut longa illustrium majorum serie, ac stemmatum numero, nequeant claritatem arcessere.

195. NOBILIUMQUE] Ex vera proavorum virtute descendentium, & nobilitatis suæ lumen accendentium; id est, verè nobilium de quibus ℣ 189. fol. 339. CHORIS ADSCRIBIMUS] In eadem cum illis classe collocamus.

196. SI FORS SIT OPUS] Si fortè, immerenter & citra culpam tuam, malorum conviciis vel maledictis impetaris, aut quâvis injuriâ lacessaris. MINACES] Cohæret cum eo quod præcessit, *vires auxiliares*: ut sensus sit: inde tibi opportunum auxiliares vires desumere, minaces in malè vertentes &c.

197. FRATERNO JURE] Jure paris eruditionis. Uti enim Principes fortuna & par potestas, ita Doctos Apollo & Minerva pares inter se, & quasi fratres facit.

198. MALE VERSANTES] Malè interpretantes, & sensum argutiarum salsum, lepidum, bonum, in contrarium vertentes: quos frequenter Poëtis, inprimis Satyricis necesse est pati. Docent exempla Nostri Serm. 1. & 2. QUOVIS VELAMINE] Verborum caligine, involucro, vel obscuritate: id est, ubi offenderint in carmine quævis loca obscura, quæ fortè non assequuntur.

RON-

*Sunt modò, qui quondam nebulas Helicone legebant;*
*Notis majores, aut qui nituntur haberi:*
*Quive volunt, quia munus habent, nimis esse ministri:*
*Ingenio pingues plerumque, & naris obesæ.*
*Grassando obsequio Magnis, nunc rebus agendis*
*Prospiciunt patriæ, nunc multa sine ordine clamant:*
*Nunc hoc nunc illud populariter arbitrantur.*
*Se sibi gratantur, summâ vix pelle decori,*

RONCHOS] Censuras, irrisiones, Styli aculeos. Uti enim Nasus, ita & *ronchus*, qui est stertentis è naso prorumpens sonus, irrisionis symbolum & nota est. Mart. lib. 1. Epig. 4. ℣. 5.

*Majores nusquam ronchi: juvenesque senesque*
*Et pueri nasum rhinocerotis habent.*

Et libro 4. Epigrammate 87. ℣. 7.

*Nec ronchos metuens maligniorum.*

199. NEBULAS HELICONE &c.] Qui quondam in juventute sua, dum politioribus litteris vacabant, non solida, sed inania, nugatoria, fumos didicerunt. *Nebulas* enim pro rebus inutilibus & fumis dixit Persius Sat. 5. ℣. 7.

*Grande locuturi, nebulas Helicone legunto.*

Plautus Pœnul. Act. 1. Scen. 2. ℣. 62.

*Quius ego vel nebulæ cyatho septem noctes non emam.*

Vide infrà Serm. 11. ad ℣. 403.

200. NOTIS MAJORES] Claris, aut notæ eruditionis viris, aut saltem majores quàm ipsi sint vel habeantur. NITUNTUR] Totis viribus contendunt, & volunt æstimari majores.

201. MUNUS] Spartam aliquam, præfecturam, magistratum, vel potestatem aliquam inferiorem. NIMIS ESSE MINISTRI] Plùs sapere, plùs curare quàm muneris ratio postulet: semet intromittentes ad illa, quæ curæ suæ non habent demandata: ardeliones, inquietes, qui rebus summis se ingerunt, iisdem se ab altioribus adhiberi simulantes; perinde ac si cum primis ministris, æqua illis potestas foret.

202. INGENIO PINGUES] Rudes, stupidi, caudices, nullâ ingenii vel artis laude excellentes. Sic dicimus, *pinguis* vel *crassa minerva*. Item *pingue* argumentum, *pingue* ingenium: id est rude, hebes. Horat. lib. 2. Sat. 6. ℣. 14.

*Pingue pecus Domino facias, & cetera, præter Ingenium.-----*

NARIS OBESÆ] Obtusi, & nihil vel parum intelligentes. *Acuta nares* sagaciorum sunt, *obesæ* obtusiorum. Vide quæ diximus Serm. 8. ad ℣. 57. fol. 263.

203. GRASSANDO OBSEQUIO] Adulando, & quovis obsequii genere, viam sibi pandendo ad benevolentiam. Horat. lib. 2. Sat. 5. ℣. 93.

*Obsequio grassare: mone, si increbuit aura,*
*Cautus uti velet carum caput.-----*

Antiqui, ut placet Festo, *grassari* posuerunt pro adulari. MAGNIS] Optimatibus & primis administris. REBUS AGENDIS] Curandis contra hostes, populi murmura, aut turbas, quæ fortè timentur, aut prævidentur.

204. PROSPICIUNT] Uti quidem jactitant, ut persuasum sit aliis, se consulere saluti patriæ, adeoque de Rege & patria benè mereri. MULTA SINE ORDINE] Mixtim & confusè plurima blaterant non satis adhuc explorata: & sine delectu temere, in obvios quosque, quælibet effundunt, quò videantur magna valere auctoritate in aula, & recondita quævis consilia secum habere communicata. Describit notos aliquot sui ævi jactabundos ardeliones, homines bombylios & polypragmones, qui omnia in aula factitare se credebant, cùm nihil agerent, à minimis etiam & vilissimis obsequiis gloriam aucupantes. In hos Græci rectè torserint, τῦ διὸς σάνδαλον, id est quod aiunt, *Iovis crepida*, vel *sandalium*.

205. POPULARITER] Indoctè, temerè, imprudenter, in morem vulgi. ARBITRANTUR] Judicant, probant, aut damnant.

206. SE SIBI GRATANTUR] Suffeni, semet admirantes, suam sibi doctrinam, prudentiam, auctoritatem gratulantes, vel umbrâ suâ delusi. SUMMA PELLE] Secundùm extimam speciem, superficie tenus. Pers. Sat. 4. ℣. 14.

*-------Summa nec quidquam pelle decorus.*

Translatio fit, à decore vultus, ad decorem animi. Sic & Horat. lib. 1. Epl. 16. ℣. 45.

*Cùm Diis iratis vivant, genioque sinistro.*
*Quantum nugarum, & rationis adulteræ ubique*
*Inter eos, mora longa, vacet nec vatibus ullis*
*Dicere membratim, nec erit res digna relatu.*
*Acribus, his, fateor, mos oggannire Poëtis,*
*Et præferre suas, prætenso tempore, curas,*
*Unde salus patriæ; quasi nullus carminis usus*
*Militiæ quondam toto orbe domive fuisset.*
*Maxima ferre animæ nunc Regum opprobria dignæ,*
*Et multas post fata Erebi consumere pœnas!*
*Denique si quis adhuc nebulonum regulus aulas*
*Lambit, & inverso ostendat convitia plectro*

*Introrsum turpem, speciosum pelle decora.*
Sic etiam ad quemdam probè ac omnibus modis cognitum. Persius Satyr. 3. ℣. 30.
-----*Ego te intus, & in cute novi.*

207. DIIS IRATIS] Adversis, invitis, utpote qui, vitiis immodicè dediti, nullâ virtute sunt gratiosi. Phrasis est Persiana, de qua jam egimus ad ℣. 26. fol. 319. GENIOQUE SINISTRO] Propriâ & ingenuâ indole repugnante, serviliter adulando, laudes suas buccinando, fumo & verbis, quàm re & factis, gloriosiores.

208. RATIONIS ADULTERÆ] Apparentis, cortice tenus speciosæ, fucatæ, falsæ. UBIQUE] In omni loco & sermone.

209. INTER EOS] Supple, *sit* vel *fuerit*. VACET] Tempus suffecerit, aut animus.

210. MEMBRATIM] Singulatim & ordine. RES DIGNA RELATU] Quæ neglectis nobilioribus argumentis, referatur, & tam legentis, quàm scribentis mentem avocet à rebus magè seriis.

211. ACRIBUS] Argutis, dicacibus, & aceto lotis. HIS] Indoctis & sciolis, id est: asinorum mos est obrudere Poëtis. Rectè: ita enim vetus istud: *indocto nihil iniquius*.

212. PRÆFERRE SUAS CURAS] Obtendere suas curas, & in excusationem adducere, cur minùs legant Poëtarum commentationes, cùm sint inertes, ignavi, & Musarum sacris minimè initiati. PRÆTENSO TEMPORE] Temporis penuriâ, per quam non liceat animum à publicis illis, seriis, utilibus & coquinam opimantibus negotiis aut studiis, ad lusus & ineptias metricas (ita vocant) transferre.

213. UNDE SALUS PATRIÆ] Supple, dependet, vel dependêre denuntiant. Id est, negligunt & aspernantur lectionem Poëtarum, caussantes sine dispendio salutis publicæ, se nugis ejusmodi vacare non posse. NULLUS USUS] Nulla utilitas ex versibus & Poëticâ

214. TOTO ORBE] Usquam terrarum. MILITIÆ DOMIVE] Tam in re civili, quàm militari. FUISSET] Reipublicæ obtigisset.

215. MAXIMA FERRE &c.] Ordina: Animæ dignæ ferre nunc maxima Regum opprobria. Id est, digni qui in hac mortali vita, Regum offensâ & irâ plectantur.

216 MULTAS EREBI &c.] Et post mortem apud inferos atrocibus pœnis excarnificentur. Sententiæ auctoritatem Diogeni tribuit, ut Poëtarum defensioni ab auctoris sapientiâ pondus accedat. CONSUMERE] Aptè: ut priùs intelligantur defecturæ expiandis pœnæ, quam sensus & reatus. Ita enim premitur sceleris atrocitas.

217. NEBULONUM REGULUS] Nugatorum corypheus, seu nugacissimus nugator. *Nebulones* à nebula nomen habent, quam exposuimus suprà ad ℣. 199. fol. 341. non aliter quàm à tenebris tenebriones; utrique enim utroque nomine gaudent. *Nebulones & tenebriones* dicti sunt, ait Nonius, quia mendaciis & astutiis suis nebulam quamdam & tenebras objiciunt. Lucil. l. 20. Sat. in reliq. Dousæ n 7.
*Nugator quidam; ac nebulo sit maximus' multò.*

218. LAMBIT] Blandimentis & adulatione sua demulcet, & circumdat. Sic canes hominibus lambendo blandiuntur. INVERSO PLECTRO] Intorto

*Versibus esse tuis; exerto vertice, tantum*
220. *Huic linguæ, sitiens quantum canis Apula, prome.*
*Gratus erit toti populo, plenèque satisdet*
*Quisquam, cùm placeat nec Juppiter omnibus? Æqua*
*Sufficit ad plausum selecta per ora statera.*
*Ætherei vates: arcu quis verberet æthren?*

torto in pravum, & fortè contrarium sensum carmine. *Plectrum* fidibus sonum excitat. Hic ponitur pro carmine quod modulatur. OSTENDAT] Doceat, seu potiùs docere contendat. CONVITIA] Probra, maledicta, morsus virulentos, quibus eum vel alios impetis.

219. ESSE] Inesse. EXERTO VERTICE] Capite in altum sublato, in signum majoris contemptus.

220. TANTUM LINGUÆ &c.] Despice ac ride illum, linguâ tantùm extra os promissâ, quantùm sit cani sitienti. Persius Sat. 1. tria sannarum genera describit. Prima dicitur *Ciconia*, sitque digitis in morem rostri ciconiæ. Altera pollice temporibus appresso, reliquam manum in formam asininæ auriculæ erigit. Tertia linguam quàm longissimè exerit. De hac ✠. 60.

*Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tanta.*
Canis Apula, hic sitiens intelligitur, quia Apulia regio est Italiæ admodum æstuosa, quam inde Horatius siticulosam nominat Vide suprà Ser. 1. ad ✠. 85. f. 15. Sensus est, eum insigniter irride.

221. SATISDET] Ita componat omnia, aut nitatur componere, ut nullus omnino relinquatur locus obtrectatoribus, qui satisdato non acquiescant.

222. NEC JUPITER &c.] Cum ne Deus quidem mortalium omnium desideria & æstus tranquillare possit. Jactatum hoc ævo proverbium:

*Nemo unus omnibus facere satis potest.*
Cui consonat illhoc Theognidis apud Erasmum:

------- Οὐ δὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει οὔτ' ἀνέχων.
----- *Neque Juppiter ipse*
*Sive pluat, seu non, unicuique placet.*

223. ÆQUA STATERA] Puro & recto judicio, seu nullo sequiori affectu depravato, aut turbido. Rectissimè enim Horat. lib. 2. Satyr. 2. ✠. 8.

----- *Malè verum examinat omnis*
*Corruptus judex.* -----

*Statera* hic Metaphoricws pro judicio ponitur. Statera enim ponderis seu gravitatis cujusque rei indicium facit. Quod ipsum præstat humana mens post serium examen, & expensionem probitatis aut improbitatis cujuslibet rei, libratis utrimque omnibus ejusdem rei momentis. Inde & *ponderare* pro considerare, de quo Serm. 9. ad ✠. 11. fol. 287. Quod ipsum de trutina ejusdem significationis vocabulo Horat. lib. 1. Sat. 3. ✠. 72.

--- *Hac lege in trutinâ ponetur eâdem.*
Persius Satyr. 1. ✠. 6.

*Elevet, accedas: examénve improbum in illa*
*Castiges trutina.* -----

Porrò inter *stateram*, *libram*, & *trutinam*, quæ passim pro eodem usurpantur, hoc interesse volunt: quod *statera* sine lancibus rei pondus appendat, *libra* cum lancibus, inde & *bilanx*: *trutina verò* propriè pars libræ quæ Græcis dicitur τρυτάνη, de cujus significatione variant auctores. Cornutus apud Persium, & Lambinus apud Horat. aiunt, quòd sit foramen, seu illa libræ pars, per quam horsum & illorsum vergit lingula, seu examen; ansam latinè dixeris, in cujus medio puncto si hæret lingula, fit ἰσοῤῥοπία, id est, æquamentum, seu æquilibrium. Torrentius in eumdem locum cit. Horat. dicit esse ipsum examen, sive lingulam in medio jugi erectam. Prior expositio verior est, & loco Persii congruentior. SELECTA ORA] Per ora eruditorum, virorum selectorum & sapientium. SUFFICIT AD PLAUSUM] Ad celebritatem & famam poëtarum satis est. Rectissimè: pluris enim unius eruditi plausus docto Poëtæ est, quam stiolorum mille.

224. ÆTHERII] Supple, *sunt*. Nam ut Serm. 2. ad ✠. 13. & 39. Poetæ divinum genus sunt, quòd non suo sed numinis instinctu canere ac vaticinari olim crediti sint. Inde Naso ibidem adductus: *Est Deus in nobis* &c. Insignis poëtarum laus ab ore Diogenis. ARCU] Sagittis per arcum emittendis. QUIS] Adeo insanus & demens fuerit, ut aërem qui vulnerari non potest, feriat? ÆTHREN] Scitè. Æthra vel Æthre cælum sudum propriissimè, uti aër contrà, pluvium & nebulosum designat: ut vaniùs stultiúsque fuerit,

*Spicula in auctorem redeunt. Te verbero culpet ?*
*Invenies , vel erit nullis majoribus ortus,*
*Rege vel illuso merito promotus emaci,*
*Aut sciolus nugax , atque ambitione profanus.*
*Macte animis , calamosque move. Te gymnadas acres*
*Exercere iterùm Parnassi curia mandat.*
*Stringe , dola , ferias , uras , ita jussit Apollo.*
*Sic fatus , tacuit. Quo possum Marte reluctor,*
*Fungor & extremis. Annalibus eruta priscis*

fuerit, ob corpusculorum majorem subtilitatem, ætherem quàm aëra ferire : quamvis utrumque stultum , & proverbiali phrasi , meritò de operâ frustraneâ dicatur. Simili ferè sensu dicimus *in cælum exspuere.* Hoc loco utraque parœmia ita accipienda est , ut quis ætherem directè,seu verticis sui zenith , ut vocant , sputo vel telo impetat : quo casu sæpè fit quod sequitur.

225. SPICULA IN AUCTOREM &c. ] Recidunt in caput evibrantis. Ita nempe convitia jacta in Poëtarum versus , livido sensu & temere interpretatos , non rarò fraudi sunt convitiatoribus, ut locum habeat Senec. Troad. ℣. 868.

*Sceleris coacti culpa ad auctores redit.*

Et Thyest. ℣. 310.

*Sæpe in magistrum scelera redierunt sua.*

VERBERO] Nomen contumeliosum: verberibus dignus, verbereus, flagro, plagitriba,cujus costæ plagis vel verberibus occaluere. Servi enim plagis instituuntur. Hos & mastigias, plagipatidas, flagritribas, &c. appellat Plautus.

226. INVENIES ] Deprehendes. NULLIS MAJORIBUS ORTUS ] Nobilibus scil. quos ciere possit ad illustrandam suam familiam : id est,vel erit obscurus, vel ex fæce plebis.

227. REGE VEL ILLUSO ] Decepto per falsa instrumenta , vel testimonia. MERITO EMACI] Auri interventu. PROMOTUS ] Nobilitatus. Id est : nobilitatem pretio mercatus.

228. SCIOLUS] Indoctus, seu quod pejus est, semidoctus. NUGAX ] Nugis & nebulis ex Helicone collectis armatus. AMBITIONE PROFANUS ] Infamis , & procul à sacris Musarum arcendus, quòd velit haberi doctus , cùm sit indoctus, imò & cultum Dearum despiciat.

229. MACTE ANIMIS ] Animandi formula, quasi *magis auctus esto animis*. Eâ enim utimur dum à te feliciter cœptâ quempiam laudamus,& ad prosequendum hortamur. Jungitur nunc ablativo, nunc genitivo. Virg.lib.9.Æneid.℣.641.

*Macte nova virtute puer,sic itur ad astra.*

Cicero ad Attic. suum lib.12. Epl.7. *Tantúmne ab re tua est otii tibi , ut etiam Oratorem legas ? Macte virtute:mihi quidem gratum erit &c.* Silius lib. 12. ℣.256.

*Agnoscensque decus , macte ô virtutis avitæ,*
*Macte Antenoride,nunc,inquit,rapta petamus.*

Martialis lib. 12. Epig.6. ℣.7. *Macte animi.*--- CALAMOSQUE MOVE] Scribe Satyras. GYMNADAS] Pugnas,luctas. *Gymnades* ludi sunt palestrici sive gymnici , quibus se exercebant nudi luctatores. Vide quæ diximus suprà ad ℣.63.fol. 324. Papin. Achil. l.1.℣.357. ---*nêve exercere protervas Gymnadas* --- Thebaid. l. 4. ℣.106.

-----*Herculeæ turpatus gymnade vultus.*

Sententia est:te iterum jubet pugnare,seu luctari cum moribus hominum depravatis.

230. PARNASSI CURIA] Concilium Apollinis & Musarum.

231. STRINGE] Constringe. aut ferrum poëticum exere. DOLA] Complana scabritiem vitiorum dolabrâ metricâ. FERIAS, URAS] Ferulâ & igni castiga & exure vitia.

232. SIC FATUS TACUIT] Diogenes. MARTE] Qua possum virtute ac ratione. Sic tritum istud: *Marte suo* , id est suismet viribus & adminiculis. Cicero de off. 3 c.34. *Hanc partem explebimus , nullius adminiculis , sed ut dicitur marte nostro.* Imperat. Zeno Codic. l.3. Tit. *de judiciis* leg.12. §. 9. *Si neque per alteram litigantium partem , nec per judicem steterit , quo minùs lis suo marte decurrat , sed per patronos caussarum &c.* Vide Erasm.Chil.

233. EXTREMIS] Extremas rationes, seu reliquam

*Multùm plausibili coquitur mihi massa camino,*
*Utile epos domino; quo subdola necto alienis*
*Stemmata stemmatibus, ramosque intersero ramis.*
*Huic caput, huic caudam levo, do, nova condo vetustis,*
*Mutuo, compono, confundo falsa meracis.*
*Mentior audacter, tollo super astra, marito,*
*Comparo, & optatis præsentia numina verbis*
*Palpando veneror. Me tempero tempori. Amantur*
*Artifices calami: nec me felicior alter,*
*Si sit in aspectum mihi fas educere fetum.*

liquam mihi argumentorum vim expedio.

234. PLAUSIBILI] Placituro, plausum captaturo. Cic. Act. 1 in Ver. c. 8. *Iudicum culpâ, atque dedecore, etiam censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur: id jam populare atque plausibile factum est.* MASSA] Materia laudis aliquando mihi procudenda. CAMINO] Ingenio meo. Id est, Historiis vaco, & laudum argumenta coacervo, quibus aliquaodo extollam Principes & aulæ proceres, ut primarum gentium gratiam demerear. Translatum à camino vel fornace argentario, sive furno, ad animum argumenti scribendi excoctorem.

235 UTILE] Futurum, rem amplificaturum. EPOS] Carmen heroicum, non familiare illud & satyricum, sed magniloquum, dactylicum, & senarium istud, quo gesta Heröum, Principum, aut virorum fortium decantantur. DOMINO] Poëtæ auctori suo SUBDOLA] Subdolè: nomen pro adverbio, antimeristicè.

236. STEMMATA STEMMATIBUS] Commisceo stemmata inter se, & ex aliena familia mutuor necessitudines, quibus exornem alteram: id est: uni familiæ stemmata tribuo impropria, illa propriis permiscendo. Vide quæ diximus de stemmatis Serm 6. ad ỷ. 76. fol 131. & Serm. 7. ad ỷ 320. fol 209. RAMOSQUE] Lineas cognationis commisceo cum gradibus alienæ familiæ. Rami hîc sunt lineæ, sicut arbor est series Genealogiæ. Constat ex Persio Sat 3 ỷ 28 quem adduximus fol. 209.

237. CAPUT] Ortum vel parentes primogenios, probrosos scil. & qui virtutem seriem nobilitatis, aut qui satis antiqui non sint; ut satiùs sit ignorare originem, quam eam nosse hesternam. CAUDAM] Patrem matremve, vel avum & aviam ejusdem farinæ, qui potius infuscarunt, quam collustrarunt gentem suam. LEVO] Demo: sic enim ipse notat in M.SS & phrasi Italicâ id verbum idem ferè sonat Nec abludit illud Livii l.6. *plagam levare*, pro auferre. Et istud Ovid. Met. 8 ỷ 647. ----- *Furcâ levat ille bicorni*
*Sordida terga suis, nigro pendentia tigno.*
DO] Quibus deest caput vel cauda. In his omnibus videtur taxare notos quosdam sui seculi genialogos, quibus quæstus fonè, ab his offuciis, minimè nobilis. Sententia hæc est: ubi deest familiæ caput vel cauda, affingo & do cujusmodi stemmata volo.

238. MUTUO] Commodo ramos raptos ex aliena arbore genealogica COMPONO] Ex variis ramis aliunde avulsis. FALSA MERACIS] Commisceo vera juxta & falsa inter se.

239. MARITO] Comminiscor nuptias, quæ numquam extitere, dicendo v g Caiam nupsisse Sempronio, unde illustrior domus evadat.

240. COMPARO] Minora majoribus, ut magis extollam. PRÆSENTIA NUMINA] Heroës, Semideos, Principes adhuc viventes, ut mihi prosint.

241 PALPANDO] Adulando. Vide ad ỷ. 7. fol. 317. ME TEMPERO TEMPORI] Attempero, accommodo me moribus hujus ævi, doctus scil. & instructus ab auctore non contemnendo, *cedere temporibus*, ut dixit supra ỷ. 1.

242 ARTIFICES CALAMI] Stylus & sermo ad assentationem, & captandos Joves artificiosè compositus. FELICIOR ALTER] Subaudi, fuerit.

243. SI SIT IN ASPECTUM &c.] Si liceat edere poëmata sic deducta.

*Ille manu mulcens spatiosam ad pectora barbam,*
*Librantesque oculos paullùm tellure moratus;*
*Auctoramento, Clario, Ducibusque teneris*
*Militiæ cælestis, ait: quæ signa sequaris*
*Hos penes arbitrium est; invitâ nemo Minervâ*
*Postulet accingi: pro seclo & viribus arma,*
*Qui nos, plus nobis Superi novere, ministrant.*
*Ipse Pater, sacris vatum qui præsidet armis,*

244. ILLE MANU MULCENS] In morem deliberantis, vel pensitantis, quid ad hæc responderet. Eodem gestu postremo loco Nasoni respondet Janus Fast. 1. ℣. 259.
*Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam.*
SPATIOSAM BARBAM] Laxam, latam, & in pectus promissam. Sic enim suprà Diogenem describit Martialis ad ℣. 62. citatus. Sidon. Apoll. l. 9. Epl. 9. *Quòd per gymnasia pingantur Areopagitica, vel Prytaneũ, Zeusippus cervice curvâ, Aratus pandâ, Zenon fronte contractâ, Epicurus cute distentâ, Diogenes barbâ comante,* &c. Idem Carm. 15. ℣. 183.

*Qua Cynici per menta feri rugosaque colla,*
*Rupit odoratam redolenti forpice barbam.*

245. LIBRANTESQUE OCULOS] Divinum quid ejaculantes. Synecdochicws, pro secundùm oculos, aut librantibus oculis. TELLURE MORATUS] Humum oculis defigens, id est aspiciens. Ovid. Metam. 13. de Ulysse ℣. 125.

*-----Oculos paullum tellure moratos*
*Sustulit ad proceres.-----*

In morem cogitabundi, & attentionem parantis. Sic enim præcipit Quintil. lib. 11. c. 3. *Dicturo non pretinus erumpendum, sed danda brevis cogitationi mora. Hoc præcipit Homerus Ulyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, priusquam illam eloquentia procellam effunderet, dicit.* Ita & hîc Cynicus.

246. AUCTORAMENTO] Debito, promisso, sacramento. Severè, tanquam dux imperat militi. *Auctoramentum* nexus est militaris solenni sacramento injectus, quo milites duci se obstrinxerunt. Cic. lib. 1. Off. c. 150. *Est in mercenariis ipsa merces auctoramentum servitutis.* CLARIO] Apollini vatum Duci. *Clarius* enim Apollo dicitur à Claro Joniæ civitate, ubi illius fanum & oraculum. Ovid. de art. lib. 2. ℣. 80.

*Et Paros, & Clario Delos amata Deo.*

Et ipse de se apud eumdem Met. 1. ℣. 555.

*-----Mihi Delphica tellus*
*Et Claros, & Tenedos, Patareaque regia servit.*

DUCIBUSQUE] Musis, earumque legatis doctorum sapientiumque primoribus immortalibus, quibus & ego accenseor.

247. MILITIÆ CÆLESTIS AIT] Ætheriæ, sive Poëticæ, quæ de cælo, & cui animorum & ingeniorum armis militatur. Sic Diogenes. QUÆ SIGNA SEQUARIS] Perstat in metaphora: cujus metri vel argumenti poëma tibi elucubrandum sit. Musis enim sua signa sunt & cohortes. Alios sibi militantes habet Calliope, alios Thalia, alios Clio &c. *Signa* verò dicta sunt in bello, quæ visa vel audita monent milites, stare aut progredi, prosequi hostem aut se recipere, &c. Porrò signorum alia sunt muta, ut aquilæ, lupi, minotauri, equi, apri, dracones, vexilla &c. alia vocalia, ut tubæ, tympana, cornua &c.

248. HOS PENES &c.] Decernendi, imperandique potestas. Id est, illorum est tibi imperare. INVITA MINERVA] Ita suprà ℣. 26. fol. 319 *Invitis Divis.* Exponit Cic. l. 1. Off. c. 110. *Nihil decet invitâ, ut aiunt, Minervâ, id est adversante & repugnante naturâ.* Horat. de arte Poët ℣. 385.

*Tu nihil invitâ dices, faciésve Minervâ.*

249. POSTULET ACCINGI] Muniri vel parari ad exercitium Poëticæ. Id est, nemo aggrediatur scribere, quod novit genio suo contrarium. PRO SECLO] Pro moribus temporis. VIRIBUS] Ingenii. Alios enim soluta, alios ligata; alios seria, alios jocosa; alios festiva, alios maledica & mordax Musa ad scribendum impellit. ARMA] Facultatem necessariam, inventiones, impetus, calores &c. quibus constat ingeniosa quævis & laude digna lucubratio.

250. QUI NOS PLUS NOBIS &c.] Qui nos meliùs & intimiùs novere, quàm ipsimet nos.

251. IPSE PATER QUI &c.] Apollo Litterarii exercitus Imperator.

252.

*Splendeat, aut medicet, cantet, venetur, amétve,*
*Occidat, aut surgat, pharetratus obambulat: ille*
*Ipse tibi nostro assignat Pater ore sagittas,*
*Orbe novo Pythona quibus molemque vaporum*
*Diffidit: humores jubet impugnare malignos*
*Te mundi senio; cicuresque ferosque dracones*
*Figere, cœnosis hominum conatibus ortos.*
*Parce tibi, patriæque tuæ, si te timor arguit;*
*Me scenæ adducas, & suggillentur Athenæ.*

252. SPLENDEAT] Lucem orbi subministret. Nam idem sol, Phœbus, Cynthius. MEDICET] Medicinam faciat. Inventor enim est medicinæ, aut saltem partis quam vocant φαρμακευτικὴν. Ipse de se apud Ovid. Met. 1. ℣. 521.

*Inventum Medicina meũ est, opiferque per orbem*
*Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.*

*Medicare* Servius vult esse antiquum, medicari verò recentioribus Latinis in usu fuisse: inde metri necessitate compulsum cecinisse Virgilium Georg. 1. ℣. 193.

*Semina vidi equidem multos medicare ferentes.*

CANTET] Carminis ipse & Musices auctor, qui & ibid. Met. 1. ℣. 518.

*-----Per me concordant carmina nervis.*

VENETUR] Et Apollini peritiam sagittandi veteres retulerunt acceptam. Ceterùm venatu semet exercuisse innuit Ovid. Met. 1. ℣. 441.

*Hunc Deus arcitenens, & numquã talibus armis*
*Antè, nisi in damis, capreisque fugacibus usus.*

Inde cæso Pythone Pythia per orbem instituta. AMETVE] Daphnen, Coronidem, Chionem &c. Vide Ovid. Metam. libros 1. 2. 11. &c.

253 OCCIDAT AUT SURGAT] Nocti aut Diei pariendis, quatenus nimirum Sol est. PHARETRATUS] Pharetrâ semper accinctus. Inde enim arcitenens sæpe nuncupatur.

254. NOSTRO ORE] Per me, seu meo Diogenis hortamento. ASSIGNAT] Præfigit seu præscribit tibi materiam, in quam spicula tua dirigas, vel unde tibi tela depromas. SAGITTAS] Sermones familiares, Satyras, Poëmata mordacia, & aculeata.

255. ORBE NOVO] Post cataclysmum renovato. De quo Naso Met. lib. 1. ℣. 343. decrescente jam diluvio:

*Iam mare littus habet: plenos capit alveus amnes:*
*Flumina subsidunt: colles exire videntur.*
*Surgit humus: crescunt loca decrescentibus undis.*
*Postque diem longum nudata cacumina silvæ*
*Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum:*
*Redditus orbis erat.-----*

PYTHONA] Serpentem maximam & incognitam, ex terræ inundatæ vaporibus & solis calore prognatam, quàm Apollo sagittis suis confixit. Vide Ovid. Met. l. 1. ℣ 438. MOLEMQUE VAPORUM] Nebulas & moles monstrorum ex vaporibus & æstu solis genitas.

356. DIFFIDIT] Discussit, disscidit. HUMORES MALIGNOS] Noxios mores, facinora, scelera, & malefacta hominum, imò & monstra.

257. TE MUNDI SENIO.] Hoc novissimo seculo. CICURESQUE] Molles, effeminatos, & adulandi cacoëthe serviliter discinctos. FEROSQUE] Feroces, obduratos, pertinacis malitiæ, qui nec humanam nec divinam potestatem revereantur. DRACONES] Facinorosos, sceleratos, omni noxiarum genere venenosos.

258. FIGERE] Transfigere, perimere. CŒNOSIS] Vitiosis. CONATIBUS] Pravis libidinibus, maximè usu jam roboratis, & in immanem molem, Pythonis instar, concretis.

259. PARCE TIBI PATRIÆQUE TUÆ] Amolire invidiam à te & patriâ tuâ; generatim tantùm, & celato sceleratorum nomine, quasi alienigena exterorum mores arrodens. SI TE TIMOR ARGUIT] Si offensam metuis, & nolis sub personâ propriâ nomen tuum odio exponi.

260. ME SCENÆ ADDUCAS] Duc me in theatrum tuis verbis, & sub personâ meâ liberè quidvis dicito. Aptè scenæ hic meminit, cum Satyræ olim fuerint pars Comœdiarum. SUGGILLENTUR ATHENÆ] Ita compone sermones tuos, ut ego Diogenes inducar, non Antverpienses, Bra-


bantos,

*Unus ab antiquo naturæ vultus in orbe est:*
*Sæpè & diverso res una coincidit ævo.*
*Nil ultrà: tenues agilis decessit in auras.*
*Quid mihi tunc animi potuit calamive fuisse,*
*Dicite Pierides: pugnant nova vota, Deusque:*
*Et cupio, & nequeo, mihi nunc servire, Deo nunc.*
*Spéne cadam tantâ? Emoriar. Phœbóne resistam?*
*Dat mihi quodcumque hoc oris. Placet illa, vel iste,*
*Deficiunt ad cœpta manus. Sed vincite, Divi;*
*Sic voluistis enim: mea meque adscribite fatis.*
*In partes venias operis director. Ineptum,*

bantos, vel Belgas; sed Athenienses reprehendere.

261. UNUS AB ANTIQUO &c ] Eadem est rerum facies, quæ fuit olim: eadem mundi constitutio, eædem siderum & cæli inclinationes, eædem hominum cupiditates & affectus. Natura enim depravata quolibet tempore hominum mentes in malum inclinavit.

262. SÆPE ET DIVERSO &c.] Eadem non rarò diversis temporibus usu veniunt: & quæ olim gesta sunt, non rarò videas hoc tempore evenire.

263. NIL ULTRA] Supple, dixit. TENUES &c.] Disparuit, pro more spectrorum.

264. QUID MIHI &c.] Quis mihi tunc animus ad meditandum, quis calamus ad scribendum potuerit fuisse? Ovid. Met. 14. ℣ 178.

*Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem*
*Sensum animumque) fuit?* -----

Hæsisse ac titubasse se innuit Poëta tanquam in bivio, non potem definire in utram partem se flecteret, an ad Epos, an ad Satyras.

165. DICITE PIERIDES] Vos Musæ denuntiate, cum tantæ consternationi & dubitationi describendæ, me imparem agnoscam. NOVA VOTA] Desiderium scribendi carmina epica, & cantandi fortia facta Principum. DEUSQUE] Apollo Satyras imperans.

266. ET CUPIO &c.] Ordina: cupio nunc mihi, nunc Deo servire, & nequeo. Id est, optem adulari magnatibus scribendo plausibilia & placentia, & simul Apollini scribendo Satyras.

267. SPENE CADAM TANTA.] Excidámne tantâ spe augendarum rerum mearum à gratia & benevolentia optimatum? Jam enim suprà cecinerat ℣.14. -----*Promissis crescere Regum*
*Haud dubiis, magnosque inter strepitare ministros.*
*Nec spes ipse meas capio.* -----

EMORIAR ] Luctu scil. si me hac spe frustratum competiam. Quasi dicat: nolo institutum aut decretum opus abjicere. PHŒBÓNE RESISTAM?] Non obtemperabo Phœbo Imperatori militiæ poëticæ, cujus auctoramento teneor, jam nunc mihi satyricum genus demandanti?

268. QUODCUMQUE HOC ORIS ] Ingenium hoc qualecumque, & scribendi characterem. Æolus ad Junonem apud Virgil. l. 1. Æneid. ℣. 82.

*Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque*
*Concilias.* -----

PLACET ILLA VEL ISTE] Assyndeton suppressâ disiunctivâ, ut sensus sit: sive placet illa spes tanta, sive placet iste Deus.

269. DEFICIUNT AD CŒPTA MANUS ] Ipso initio retrahuntur à scribendo, animo nondum ad alterutrius argumenti scriptionem semet efficaciter inclinante. SED VINCITE DIVI ] Vos Apollo, Musæ, Diogenes, quos Principibus & Semideis hodiernis antefero. Succumbit Parnassi imperio, & religionis impulsu satyricam telam ordiri instituit.

270. VOLUISTIS ] Me incitando per Diogenem, & genium meum eò me impellentem. MEA, MEQUE ADSCRIBITE FATIS ] Mihi & scriptis meis ita fuisse in fatis credite. Id est, pensate me fatali quadam necessitate (genio scil. meo continenter me urgente) incitatum & compulsum hanc satyram conscribere. Hoc pacto cavet invidiæ, vel eam insigniter minuit.

271. OPERIS DIRECTOR] Tu Diogene, qui me in hoc opere conscribendo direxisti, docendo

quâ

*Criticus exclamat: pol pol, Biante relicto*
*Laudetur Cynicus? Noli me Critice nugis*
*Perturbare tuis. Si ideas jacto Platonis,*
*Surget Aristoteles? Crepitem paradoxa Fieni;*
*Nonnius obmusset? Placuit si concio Gaudæ;*

quâ ratione, cautelâ, energiâ mihi scribendum sit: quemadmodum suasisti, commoda huic satyræ personam tuam, & permitte ut ore tuo latrem, ac dente tuo mores hujus temporis mordeam. INEPTUM] Quod sordidi ac impudentis Diogenis persona assumatur.

272. CRITICUS] Censor quispiam de numero Criticorum, qui de omnibus scriptoribus & scriptis judicant. Dicti παρὰ τὸ κρίνω, quod est, *discerno, dirimo:* vel ἀπὸ τοῦ κριτοῦ, quod est judex, vel arbitrator: unde κριτικὸς Græcis est, *solers ad judicandum*, vel *judicandi peritus*. Item qui judicat de aliorum scriptis. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. docet Apollodotum Cumanum primùm suscepisse Critici nomen. Criticorum meminit Horat. lib. 2. Epl. 1. ℣. 50.

*Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,*
*Ut Critici dicunt.------*

Noster extendit primam in *criticus*. Fortè secutus Martialem lib. 7. Epig. 89. ℣. 4.

*Æqualis liber est, critice qui malus est.*

Ubi alii legunt *Cretice*, uti & in titulo: voluntque hîc deceptum Despauterium, qui primam in *Critice* ancipitem dixit. Vide Raderum. POL POL] Affirmandi & jurandi particula, sicut *hercule, adepol, mediusfidius* &c. Ac si dicat, certéne laudetur Diogenes? Geminatio hîc vim affirmandi intendit. BIANTE] Prienæo Philosopho, uno ex septem sapientibus: quem ferunt ob captivas filias sibi coëmptas, nutritas, & cum dote ad patrem domum remissas, invento à piscatoribus aureo Athenis tripode, cui inscriptum, SAPIENTI, donatum, postquam pietatis hujus in captivas indicium concioni delatum erat. Illum tamen & munus, & nomen rejecisse in Apollinem prodiderunt. Sententiæ illius vehementer placuerunt, de quibus Laërtius lib. 1. Inter ceteras hæ celebrantur: *civibus placere omnibus stude, habet enim id multum gratia: contrà verò fastus ac superbia semper nocuit. Infelix qui non potest ferre infelicitatem. Vita tempus metire, tanquam diu & parum victurus. Lentè institutum aggredere, electum constanter tene. De Diis loquere, ut sunt: in eos refer quidquid boni egeris. Vita viaticum tibi sapientiam para.* Hipponax & Heraclius ejus doctrinam ceteris præferre non dubitarunt: quare & Prienenses illi sacellum dedicarunt. Rectè itaque clament Critici de Biante, cujus doctrinam noverunt esse maximè popularem & civilem, austeræ ac horridæ Diogenis disciplinæ prorsus contrariam.

273. LAUDETUR CYNICUS] Cynicus quispiam & ex familia Cynicorum, quorum *ratio*, ut inquit Cicero l. 1. off. c. 148. *tota est ejicienda. Est enim inimica verecundia, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum*, & quidem Diogenes ille canis impudens & omnibus obstrepens? Ac si dicat: neglecto viro sapientissimo & civibus gratioso, laudetur mordax ille, qui locum sibi non vendicat inter sapientes? NOLI &c.] Respondet Poëta. NUGIS] Argutiolis, & altercationibus de re nihili. Lips. Præfat. ad lib. Elect. *Plerique delicati hoc Criticum genus aspernantur, quasi ludum aliquem nugarum.* Certè nisi studium isthoc arte, temperanterque tractetur, in fumos & superstitiosas nugarum anxietates dissolvitur.

274. IDEAS] Illas Platonicas, in pulvere Logico ita tritas, ut ne sciolis quidem lateant. Platonis sententiæ, laudesque in veterum ethnicorum, ac SS. Patrum, & inprimis S. Aug. monumentis passim obviæ sunt.

275. SURGET] Insurget, jure scil. & non temere: ut sensus sit: laudando Platonem non aspernor Aristotelem; eâdemque ratione intelliges quæ sequuntur. PARADOXA] Ab omnium opinione recedentia, quale est illud: fœtum in utero materno tertiâ jam luce conceptum animâ rationali vegetari. Et hoc est παράδοξος FIENI] Thomæ Fieni Antverpiensis, Medici celeberrimi, qui posito artis tirocinio sub eruditissimis Doctoribus in Italia, Lovanii ex primaria cathedra Medicen professus, dubium an parem; certè superiorem se in penetrandis naturæ arcanis æmulum habuisse, minimè dubium reliquit. Commentationes ejus publico donatæ recensentur in Biblioth. Val. And. & Ath. Sweertii.

276. NONNIUS] Ludovicus Nonnius Alvari

*An mihi vel meritò Patrum succenseat ullus?*
*Non ego de capite ullius diadema revello.*
*Sume tibi Septem, vel totam Porticum; apertos*
*Concedo campos: genio meus utilis isti*
*Stat mihi laudandus satyrarum robore Primas.*
*Democritus risit: flevit contrarius auctor:*

F. Lud. N. Medicus itidem Antverpiensis clarissimus, Poëta singularis, utriusque litteraturæ ac antiquitatis peritissimus, qui cùm aliis, tum Diætetico suo, sive libris de re cibaria, optimè de posteris meritus est. Consule Val. And. & Sweert. citat. In ejus effigiem olim lusit Antverpiæ & Belgicæ nostræ delicium, Casperius Gevartius hoc tristichon.

*Quem Genitor, quē clarus avus, Podaliria proles*
*Stirpe Asclepiadûm comprobat esse satum;*
*Talis Apollinea bis* NONNIUS *inclytus arte,*
*Ora gerit, Musis & tibi Hygæa sacer.*
*Prorogat & duplici Parcarum stamina vitâ,*
*Ex æquo Panacis vi, calamoque potens.*

OBMUSSET] Obmurmuret. *Mussare* est submissa voce loqui. CONCIO GAUDÆ] Sacra declamatio R. P. Joannis à Gauda, qui ævo Scholiriano famosissimus & eloquentissimus fuit concionator Soc. Jesu Presbyter, scriptis clarus, facundiæ Belgicæ Demosthenes, cui peroranti, maxima quæque fana & auditoria, angusta fuisse sæpenumero deprehensa sunt.

277. AN MIHI VEL &c.] An mihi meritò succenseat quispiam. PATRUM] Presbyterorum concionantium, Soc. Jesu, aliorùmve ordinum?

278. NON EGO DE CAPITE &c.] Id est: neminem velim sua laude frustratum. In M. SS. sic extat explicatius:

*-----Illi non ego detrahere ausim*
*Hærentem capiti multa cum laude coronam.*

Probrosum id olim judicatum. Hinc Antoninus Caracallus August. apud Ælium Spart. damnatos voluit, *qui coronas imaginibus ejus detraxerant.* Coronæ autem sive diademata hoc loco, pro laudibus vel præclarè gestis usurpantur, ut ex Mureto suprà exposuimus Sermon. 6. ad ℣. 76. fol. 132.

279. SEPTEM] Græciæ sapientes, tibi laudandos, imitandos, in scenam producendos assume. Auson. prolog. Ludi VII. Sapient.

*Septem sapientes, nomen quibus istud dedit*
*Superior ætas, nec secuta sustulit.*
*Hodie in orchestram palliati prodeunt.*

De numero constat, de nominibus non item, quorum apud idoneos scriptores aliqua varietas. Ausonio referuntur, Bias Prienæus, Pittacus Mitylinęus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius, Solon Atheniensis, Chilo Lacedęmonius, Thales Milesius. VEL TOTAM PORTICUM] Totam Scholam sive sectam Stoicorum, qui olim in porticu philosophari solebant, sic dicti ἀπὸ τῆς στοᾶς, id est, à porticu, quasi *porticenses*. Ejus familię Princeps Zeno, unde Zenonii, quibus schola erat Porticus Pisianactæa, quæ postea picturis à Polygnoto variè decorata, nomen ποικίλης, sive *varia* accepit. De Chrysippi porticu meminit Venusinus Satyr. 3. l. 2. ℣ 44. Vide etiam Lips. manuduct. ad Stoic. Phil. lib. I. Dissert. 12.

280. CONCEDO CAMPOS] Excurre, ut libuerit in laudes omnium Sapientum & philosophorum Græciæ, per me licet, non invideo, non obmusso. GENIO MEUS &c.] Sic ordinandum: stat laudandus mihi meus Diogenes robore satyrarum primas, utilis isti meo genio satyrico. SATYRARUM] Activarum & vocalium: nam & actiones suas satyricas argutiis condivit. PRIMAS] Princeps omnium Satyricorum, qui non oscitanter id argumentum, sed fortiter, & maximâ tam factorum quàm verborum contentione & energiâ tractavit; nihil quidem scriptitando, sed plurima factitando, & satyricè inter ea cum multo sale differendo.

282. DEMOCRITUS] Abderites Philosophus celebris, de quo suprà egimus Serm. 9 ad ℣. 50. fol. 291. CONTRARIUS AUCTOR] Heraclitus Ephesius, qui sicut Democritus cuncta, quæ inter se homines actitarent, tanquam ineptias ridebat; ita & ipse eadem, tanquam miserias, deflebat. Unde quoties in publicum eorum uterque procedebat, hic flebat, ille ridebat. Innuit Juven. Satyr. 10. ℣. 28.

*Jámne igitur laudas, quòd de sapientibus alter*
*Ridebat, quoties de limine moverat unum,*
*Protuleratque pedem: flebat contrarius auctor?*

Ob-

*Dignus uterque cedro: sed quid profecerit ultrà,*
*Non video, quàm quòd memorandum emblema remansit.*
*Quid precor ad Cynicum, qui caustica moribus adfert,*
*Atque salutari medicatur vulnera linguâ?*
*Prodit Aristippus doctus variare colores,*
*Si quis adulatoris habet defendere caussam.*
*Vivat Aristippus, nostras concurrat ad aulas;*
*Nónne fame miserè, nisi discat multa, peribit?*
*Invenies multos hac tempestate Platones;*
*Dantur Aristoteles: nam quæ non atria abundant*
*Magna sophis? Ex incessu cognoscere possis.*

Obscuritatem hujus, perspicuitatem illius notat Cicero lib. 2. de Divin. c. 132. *Valde Heraclitus obscurus: minimè Democritus.*

283. CEDRO] Immortalitate, perpetuæ laudis memoriâ. *Cedrus* arbor cariem non sentit, uti nec illa, quæ succo illius imbuta sunt: inde æterna creduntur. Pers. Sat. 1. ℣. 42.

*Os populi meruisse: & cedro digna locutus.*

PROFECERIT] Hic flendo, ille ridendo, quid contulerit ad vitiorum extirpationem.

284. EMBLEMA] Pictura, seu picturæ argumentum, quo moneantur homines mundi vanitatem contemnere, ab hoc defletam, ab illo derisam. Statuariis enim & pictoribus uterque sui effingendi insignem materiem præbet. *Emblemata* ab inserendo dicta sunt, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν, quod est, *inserere*: suntque opera illa segmentata, seu ex tessellis coagmentata opere musivo, de quo egimus fol. 234. col. 2. rei alicujus figuram exprimentia. Sunt & poculorum exemptilia ornamenta. Hoc loco autem ἔμβλημα est pictura loquax, instar notarum Hieroglyphicarum apud Ægyptios, quasi symbolis quibusdam arcana sapientiæ & morum præcepta inculcans; cui breve subjectum epigramma, ejus salem & sensum non rarò explanare solet.

285. QUID &c.] Quid illi cum Diogene collati? CAUSTICA] Urentia & efficacissima remedia, quibus animi vulnera quàm citissimè coëant. *Caustica medicamenta*, medicis censentur omnium vehementissima, utpote quæ ex tempore virtutem suam in partem affectam exerant, & malum auferant.

287. ARISTIPPUS] Cyrenæus ille, de quo Serm. 1. ad ℣. 99. fol. 17. VARIARE COLORES] Mutare ingenium, judicium, sensa, pro personis & rebus. Vide quæ diximus ibid.

288. ADULATORIS] Qualis fuit Aristippus, qui dapibus Siculis servivit. Vide ibid. Sensus est: in scenam producatur Aristippus ab eo, qui defendendam sibi suscipit adulationem.

289. VIVAT] Demus illum vivere; aut sit ita; vivat. NOSTRAS AULAS] Ad aulas Principum nostri temporis veniat; sicut olim ad Siculas Dionysii tyranni.

290. NISI DISCAT MULTA] Hodie scitu necessaria, quibus gratiam à Principibus ineat; quæ ipse, licèt doctus variare colores pro tempore & personis, nondum plenè calluit. Reprehenduntur hic prisci Philosophi, & rejiciuntur tanquam præsenti instituto minùs utiles. FAME PERIBIT] Liceret ipsi fame perire, cùm tamen olim lautè à Dionysio habitus sit. Notat Aristippum, serviliter mensas alienas sectatum.

291. PLATONES] Magnos & insignes Philosophos, qui morum & vitæ fastu Platonem æquent, aut proximè illi accedant.

292. ARISTOTELES] Celeberrimi & in scholis tritissimi Doctoris æmulatores & interpretes, qui variarum rerum doctrinâ animum excolunt, & Principis sui vestigiis insistunt. Recenset hîc diversarum sectarum Philosophos, quibus sicuti nulla, aut perexigua de castigandis hominum vitiis cura fuit, ob metum offensæ vel damni, maximè apud potentiores: ita & hoc seculo paucos habent; qui hanc eorum incuriam non sectentur. EX INCESSU &c.] Superbo, gravi, & ad fastum composito. Notat eos fortasse de quibus Serm.

*Dantur Anaximenes: Periandros vendo minoris:*
*Dantur Aristippi: Cynosargis janua clausa est:*
*Mentio nulla virûm. Periit cum Antisthene Crates,*
*Infra qui humanam cùm auderent vivere sortem,*
*Et latrare sui circum præcordia civis*
*Utiliter, veri secli pecuarii, odori,*
*Plus sibi, quàm reliquis, supra vixisse, fatemur,*
*Sortem hominis. Exemplar cur non imitabile? Dicam.*
*Aut quia difficile est Cynicorum more latrare;*

Serm. 1. ℣ 33. ----- *Professi grandia turgent.* Scientia enim inflat.

294. ANAXIMENES] Similes Anaximeni Milesio, qui docuit aërem esse infinitum, rerum omnium principium, & in eo moveri sidera, non supra sed circa terram. Laërt. lib. 2 Cicero de nat. lib. 1. c. 26. *Anaximenes aërem Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum & semper in motu.* PERIANDROS] Sequaces Periandri Corinthii. VENDO MINORIS] Minoris æstimo. Impietatem ejus in uxorem & filios; incestumque cum matre concubitum, disces ex Laërt. & aliis Unde mirantur nonnulli, ei septem inter sapientes locum obtigisse Ejus sententiam Ausonius de VII. Sap. celebrat hanc fuisse:

*Numquam discrepat utile à decoro.*

295. ARISTIPPI] Qui tempori serviant, colores varient, Principibus assententur. CYNOSARGIS] Scholæ Cynicæ, sive gymnasii, in quo Antisthenes sectæ pater philosophatus est. De illo Laërtius lib 6. *Differebat autem in gymnasio quod κυνόσαργες appellatur, non longè à portis civitatis* Nomen illi datum à cane albo vel veloci JANUA CLAUSA EST] Id est, nullos habet auditores, hodie non inveniuntur Cynici.

296. VIRÛM] Cynicorum qui masculâ virtute ac constantiâ pravos mores invadant. PERIIT] Negligitur, eius Doctrina vel exemplum non admittitur. CUM ANTISTHENE] Atheniensi, Cynicæ sectæ Principe, Diogenis præceptore: cui baculo se repellere nitenti, *cæde*, inquit Diogenes, *tam durum neutiquam baculum reperreris, qui me donec aliquid dixeris, à te abigat.* CRATES] Thebanus Diogenis Discipulus, qui re paternâ in cives distributâ, Cynicum institutum amplexus, insectandis vitiis adeo incubuit, ut cum θυρεπανοίκτης, id est januarum apertorem dicerent, quod in omnem domum correpturus penetraret. Alii volunt eum, auctore Diogene, pecunias in mare abjecisse, alii trapezitæ tradidisse stipulatum ab eo, ut si quidem filii idiotæ forent, eas illis redderet: si sapientes in plebem divideret Laert. l 6 Et hi quamvis Cynici etiam minùs utiles præsenti Satyræ habentur à Poëta, ob rationes quæ mox subjicientur.

297. INFRA HUMANAM SORTEM] Sordidiùs, humiliùs, austeriùs, quam ferret naturæ humanæ imbecillitas; & sic inimitabiles.

298 CIRCUM PRÆCORDIA] Sermone duro & acuto, & intima cordis pervadente.

299. VERI PECUARII] Defensores gregis civilis, contra luporum, id est, pravarum libidinum incursus. *Pecuarii* canes sunt pastorales, qui gregem custodiunt, & lupos arcent ODORI] Sagaces vel sagaciter odorantes, activè scilicet, ut Virgil libr. 4. Æneid ℣. 132. *Odora canum vis.* Bellè persistit in Metaphora canum.

300. PLUS SIBI QUAM RELIQUIS] Utiliores sibi quam aliis. Corripiebant enim non corrigebant, quòd pervicaciter nimis domos irrumpentes, non audirentur, sed rejicerentur. Ad hæc nimia austeritas eos fecerat inimitabiles. Moderatior autem Diogenes obvios tantùm allatrabat, & præcipiebat ea, quæ per naturæ imbecillitatem exerceri poterant: atque ita audiebatur, & tam aliis quàm sibi proderat.

301. SUPRA SORTEM HOMINIS] Sublimiùs & excellentiùs, quàm ferant vires humanorum affectuum NON IMITABILE] Cur imitari modò non liceat gesta Cynicorum? DICAM] Ipse sibi respondet Poëta.

302 CYNICORUM MORE] Vitâ & factis, quod arduum est Cynici enim in extrema paupertate divitias, honores, & voluptates contemnebant,

nibil

*Irreprehensibili vel opinor vivimus ævo;*
*Aut prohibent pravi, si magni, prava notari.*
*Sed quid ego? Sacris audimus nonne cathedris*
*Sæpè salutari Sacros baubarier ore?*
*Aure repurgatâ verùm quis colligit escas*
*Sedulus, aut veri custos, imitator honesti?*
*Quis bonus in verâ pernoctat simplicitate?*
*Ursus, aper, pardus discunt parere lupatis;*
*Non rationi homines: ad nulla pudenda rubere*
*Erudiunt frontem, vitiisque senescere gaudent.*
*Ergo secabit hydram, quisquis sermonis acerbi*
*Conaturus erit gladiis defigere culpas.*
*Vincere desperet, sed contendisse decorum est.*

nihil sibi ad vitæ mollioris subsidia, indulgentes. Quod profectò liberaliter molliterque enutritis quàm difficile!

303. IRREPREHENSIBILI] Omni culpâ carente, & correptionem quamcumque nequidquam admissuro. Rider.

304. AUT PROHIBENT PRAVI &c.] Potentes vetant sua vitia taxari, ferociter interminando vindictam, & exercendo.

305. SED QUID EGO?] Nempe agam vel aggrediar. Dubitantis & consultantis formula. SACRIS CATHEDRIS] Pulpitis vel suggestis templorum, è quibus verbum Dei ad populum.

306. SACROS] Oratores, Sacerdotes, divini Verbi præcones. BAUBARI] Acriter invehi, mordaciterque hominum mores pravos carpere, ac instar Cynicorum latrare: *Baubari* enim canum est, ut ostendimus Serm. 8 ad ℣. 217. fol. 284.

307. AURE REPURGATA] Præparatâ, & diligenter mundatâ ab omni pravâ mentis judiciique perturbatione, aut quovis præjudicio. COLLIGIT ESCAS] Mentis scil. Id est, quis fructum refert? Seu quis animum inducit ad corrigendos mores? Aptè *escas*: nam Verbum Dei inter animi Christiani pabula refertur à SS. Patribus.

308 VERI CUSTOS] Quis tenet fideliter verum istud, quod inculcat ecclesiastes! HONESTI] Virtutis ac religionis Christianæ.

309. QUIS BONUS &c] Quis sacrâ exhortatione commotus, propositi sui adeo tenax est, ut semper, vel diu persistat in seria voluntate exequendi, quod sibi proposuit. SIMPLICITATE] Sincera intentione boni.

310. URSUS, APER, PARDUS] Animalia ferocissima. PARERE LUPATIS] Frenantur, cicurantur, arte vel vi. De *lupatis* egimus suprà Serm. 1. ad ℣. 58. fol. 12.

311. AD NULLA PUDENDA] Flagitia quantumcumque turpia & atrocia. RUBERE] Erubescere.

312. ERUDIUNT FRONTEM] Id est, perfricant frontem, omnem pudorem deponunt. VITIISQUE SENESCERE] Optimè! Id est, vitiis adeo continenter & sine cura emendationis dediti sunt, ut inductâ per longam consuetudinem peccandi necessitate, ab illis desistere non possint aut velint, nisi in sera senectute. Meritò tales peccatores jam mortuos, imò sepultos, quatriduanos & fœtentes pronuntiat Augustinus Ser. 44. de Verb. Dom. cap. 5. & 6. Simili phrasi dixit Horat. lib. 1. Epl. 7. ℣. 85.

--------*Amore senescit habendi.*

313. SECABIT HYDRAM] Premet, non opprimet, vulnerabit non perimet flagitia; animis semper in malum pronis, & vires sibi sufficientibus: non secus quàm Hydra serpens Lernæa, cui reciso uno capite, alterum renascebatur: ot diu irrito conatu cum ea conflictatus sit Hercules.

314. GLADIIS SERMONIS ACERBI] Invectivis, & correptionibus verborum. DEFIGERE] Tollere, configere, & jugulare. Vide Serm. 9. ad ℣ 49 fol 291.

315. VINCERE DESPERET] Sibimet respon-



det;

*Et quoniam Deus ora movet sub nare caninâ,*
*Ritè Deum, naresque sequar; spatiisque solutis*
*Tentabo nigrum vitio præfigere theta.*
*Parcant morbosi. Et quamvis Parnasse resistas*
*Invidiis hominum, superesque cacumine nubes:*
*Sunt tamen urbanæ & comes, offendere nolint*
*Virgineæ mentes; velut hîc palpare recusant.*
*Palantes homines passim, & rationis egentes,*
*Quando in præcipiti vitium stat, pace bonorum,*
*Despectari iterùm, non indignabitur hostis.*

det; quasi dicat: sit ita, ut desperet vincere. CONTENDISSE DECORUM EST] Pulchrum est, pro suis quemque viribus id tentasse; etiam non succedente correctione.

316. ORA MOVET] Jubet me scribere Apollo. SUB NARE CANINA] Sub censurâ & irrisione Diogenis Cynici.

317. DEUM] Apollinis mandatum. NARESQUE] Irridendi carpendique modum, quem in vivis tenuit Diogenes. Ovid. Met. 15. ℣. 143.

*Et quoniam Deus ora movet, sequar ora moventem*
*Rite Deum.-----*

SPATIISQUE] Dilationibus quibusvis solutis: id est, sine ulla procrastinatione, mox, statim, è vestigio. *Spatium* pro dilatione dicitur.

318. NIGRUM THETA PRÆFIGERE] Damnare, seu jugulare vitium. *Nigrum*, id est, lethiferum, & infelix signum θ, quo, tanquam notâ condemnationis, θάνατον sive mortem præcipiebant judices. Pers. Satyr. 4. ℣. 13.

*Et potis es nigrum vitio præfigere theta.*

Eadem littera θ olim in sepulchris, mortuum; ut & V. vivum significabat.

319. PARCANT] Ne succenseant mihi MORBOSI] Vitiorum morbis obnoxii. RESISTAS] Resistere possis constantiâ tuâ, & saxo illo durissimo, ex quo compositus mons es.

320. SUPERESQUE NUBES] Adeò excelsus sis, ut caput condas intra nubes: id est, altior sis, quàm ut homines jaculis suis te feriant.

321. URBANÆ ET COMES] Cùm omnis humanitatis urbanitatisque fontes, per litteras humaniores nobis profundant. OFFENDERE NOLINT] Quatenus licet per ipsas: id est non moliuntur quemquam offendere, sed emendare.

322. VIRGINEÆ MENTES] Musæ virgines. VELUT HIC &c.] Eâdem prorsus ratione, quâ nemini student adulari, eædem & æquè comes semper erga omnes.

323 PALANTES] Vagantes per omnia noxarum genera. RATIONIS EGENTES] Temere & fatuè contra & præter rationis dictamen pleraque agentes. Ovid. Met. 15. ℣. 150.

*Palantesque animos passim & rationis egentes*
*Despectare procul.-----*

324. IN PRÆCIPITI] In summo præcipitii discrimine, quod secum etiam Rempublicam in ruinam trahat. Juven Satyr. 1. ℣. 149.

*Omne in præcipiti vitium stetit.-----*

PACE BONORUM] Bonis & cordatis sub hanc meam censuram non venientibus, sed potiùs in sententiam meam itantibus & consentientibus.

325. DESPECTARI] Castigari, & publicè irridendos propinare. HOSTIS] Etiam vel inimicus non ægrè feret, aut mihi succensebit.

DIOGE-

# DIOGENES CYNICUS
## SIVE
# SERMO XI.

A*rgum.* Inductus Cynicus accensâ interdiu lucernâ homines quæritans, interloquente Poëta, philautiam primùm, & perturbatam affectibus rationem, quâ definimus esse homines, severè castigat. Deinde jubens unumquemque se ipsum novisse, ad perversam puerorum educationem se convertit, parentumque incuriam & indulgentiam graviter traducendo, eorumdem argumenta in contrarium, sarcasticè expendit & refellit. Mox Adolescentiam aggressus; luxum, mollitiem, petulantiam, gastrimargiam, temulentiam, commessationes, stupra, scortationes, & plagas ea consequentes, multo cum sale ac felle describit, & configit. Damnatâ denique aleâ, barbarâque duellandi impietate, Augustissimam Gentem Austriacam, ejusque vastum in orbe dominatum, sub quo monomachia non toleratur impunita, ac aliquot ejusdem Domus Heroës Burgundo-Belgico sanguine procreatos, à studio in Musas earumque alumnos, singulariter commendat. Atque ita per Diogenem caussâ ( instituendæ primæ ætatis ) parænetìcè ad parentes peroratâ, Poëta, si per otium & valetudinem licebit, majora pollicetur.

*CUm face quò properas, Cynice, isthoc sole supremo?*
*Quæro homines, inquit. Quid Cosmus hic, ille Camertes,*
*Andromachus, Messala, Elpenor, Maltha, Panurgus,*
*Fufidius, Bassus? Bipedes ostendis asellos,*

1. CUM FACE] Lucernâ, vel accensâ lampade. Vox est Poetæ, qui frequentiùs huic scenę interloquitur, sciscitantis à Diogene rationem facti, de quo ad ℣ sequentem. SOLE SUPREMO] E suprema cæli regione terram collustrante; id est, plenâ meridie.

2. QUÆRO HOMINES] Idem Æsopo tribuit Phœdrus lib. 3. fabulâ 19. ℣. 8.

*Æsope medio sole quid tu cum lumine?*
*Hominem, inquit, quæro.-----*

Sed lucernam portabat Æsopus ob aliam caussam, quàm Diogenes, de quo Laërtius lib. 6. *Lucernam interdiu accendens, hominem, aiebat quæro.* Tertullianus lib. 1 cont Marc. init. *Ille canicula Diogenes hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circumferens.* Nota utrobique, hìc singulariter dici *hominem*, quasi unicum tantùm speret invenire, prematque paucitatem eorum, qui jure homines, id est, qui ad præcepta rationis vitam instituant, dici queant. Similia ferè de eodem sparsim narrat Laërtius *Cùm clamasset*, inquit, *heus homines! convenissentque plurimi, baculo illos abigebat. homines, inquiens, non purgamenta vocavi. E balneis autem cùm exivisset, percontanti num homines multi lavarent? negavit; num turba multa? confessus est.* QUID COSMUS &c ] Quasi dicat Poeta: Cosmus, Camertes, Andromachus &c. non tibi censentur homines? COSMUS ] Luxuriosus, & nimio corporis cultui deditus. CAMERTES ] Dives, ut vult Auctor in M. SS.

3. ANDROMACHUS ] Adulator. MESSALA] Gulosus. MALTHA ] Effeminatus. ELPENOR ] Arrogans & sibi præfidens. PANURGUS ] Veterator, versipellis.

4. FUFIDIUS ] Fœnerator sordidus & impro-

 bissi-

*Simiolos aulæ, Circæo verbere porcos,*
*Et simulacra hominum variarum corde ferarum.*
*Cæcutis calue: appositis utare specillis.*
*Hunc veteres aviæ commendant, Semideorum*
*Hunc favor: & quamvis modicus sit originis ille,*
*Institor est multæ sapientiæ, & anteferendus*
*Majestate auri quod possidet: impetuosus*
*Ille sui vindex, mordaci hic lotus aceto.*
*Quo te constituam luco? Mordere cave ultrà:*

bissimus, de quo Venusinus lib. 1. Sat. 2. ℣. 12.

*Fufidius vappæ famam times, ac nebulonis;*
*Dives agris, dives positis in fœnore nummis.*

BASSUS] Crassus popino. BIPEDES ASELLOS] Homines quidem corpore, sed ingenio asinos. Juven. Satyr. 9. ℣. 92.

*----Atque alium bipedem sibi quærit asellum.*

5. SIMIOLOS AULÆ] Imitatores, mimos, & instar simiarum, quæ actiones humanas gaudent imitari. AULÆ] Morum aulicorum. CIRCÆO VERBERE PORCOS] Voluptarios, & nimio voluptatis studio, in sues conversos, non secus quàm socii Ulyssis, quos Circe virgæ percussione seu verbere, & adhibitâ potione pharmaceutica, in porcos transformavit. *Circen* autem Mythologi pro voluptate accipiunt. Vide Serm. 7. ad ℣. 331. fol. 214. Porcorum autem nomine insigniri voluptarios, innuit Horat. lib. 1. Epl. 4. ℣. 16.

*Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.*

Et ibidem Epistol. 2. ℣. 26.

*Vixisset canis immundus, & amica luto sus.*

6. SIMULACRA] Umbras vel imagines hominum, non homines. VARIARUM MENTE FERARUM] Intus & mente feras, in quas Ulyssis socios transformavit Circe. De illis pulchrè Virg. lib. 7. Æneid. ℣. 15.

*Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum*
*Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:*
*Setigerique sues, atque in præsepibus ursi*
*Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:*
*Quos hominũ ex facie dea sæva potentibus herbis*
*Induerat Circe in vultus, & terga ferarum.*

7. CÆCUTIS CALVE] Ita iterùm Poëta ad senem & calvum Diogenem. APPOSITIS] Ante oculos positis. SPECILLIS] Conspiciliis, ut rectiùs videas, & dignoscas?

8. HUNC VETERES AVIÆ] Opinio nobilitatis, & ventosa arrogantia. Pers. Sat. 5 ℣. 92.

*Dum veteres avias tibi de pulmone revello.*

Id est, nænias & aniles fabellas, quas de majoribus solent aviæ parvulis occinere: ex quibus opiniones vetustæ nobilitatis concipiunt, quas semel imbibitas à vacuis & bibulis puerorum memoriis, nec serum quidem senium aboleat. SEMIDEORUM] Magnatum.

9. MODICUS ORIGINIS] Modicâ seu obscurâ stirpe natus. Hellenismus frequens: ut Horatio, *sceleris purus*: Virgil. præstans *animi*, *maturus ævi*: Persio, *modicus voti*: Silio, *nimius vitæ*: Sallustio & Tacito, *optimus, nimius, immodicus animi*: *ager lætus frugum & pabuli*.

10. INSTITOR EST MULTÆ SAPIENTIÆ] Venditor & index sapientiæ, quam plenis buccis nusquam non deprædicat in rem & gloriam suam, ut solent institores mercem. Sic in proverbiis invenias, *nugarum institores*: & apud Quintilianum, *eloquentiæ institor*. Sunt autem *institores* qui merces venales circumferunt. ANTEFERENDUS] Præhabendus aliis.

11. MAJESTATE AURI] Reverentiâ, & æstimatione divitiarum, quas admodum opulentas possidet. Juven. Satyr. 1. ℣. 112.

*Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum*
*Majestas.------*

12. MORDACI LOTUS ACETO] Acribus & aculeatis dictis armatus. Pers. Satyr. 5. ℣. 86.

*Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.*

*Acetum* pro acrimonia dicitur: acida enim & salsa stomachum acuunt. Horat. l. 1. Sat. 7. ℣ 32.

*Ast Græcus, post quam est Italo perfusus aceto.*

Et Plaut. Bacchid. Act. 3. Scen. 3. ℣. 1.

*Nunc experiar, sitne acetũ tibi peracre in pectore.*

13. LUCO] Ubi tutò lateas, liber ab iis qui ad pœnam deposcant linguæ tuæ mordacitatem.

*Lucus*

*Vapulet ut canis, inveniet nam occasio fustem.*
*Obbrutescit homo: ast odium parit uncia veri.*
*Ad statuam meio. Tiberinis obrutus undis*
*Multa coaxavit Pasquinus. Cogitur ullus,*
*Ultrà quàm possit vitio stimulante tacere?*
*Nec Phalaris terret: memori me deferat aulæ,*

*Lucus*, locus est arboribus tectus, Deo vel Manibus consecratus, cui religio est à loci opacitate & nominis reverentia. Sensus est: ubi te collocabo, ut tutus sis ab iis, qui injuriam & plagas tibi intentare decernent?

14. VAPULET UT CANIS &c.] Vulgo nostro tritissimum isthoc: *Citò fustem invenit, cui mens est canem cadere:* quo significatum volunt in promptu fore quamvis caussam obtendere, volenti se ulcisci de altero, aut quidvis non bene agere. Nam ut Menander:

*Ad pravè agendum parva satis occasio est.*

15. OBBRUTESCIT HOMO] Obstupescit, vitiorum usu sensum virtutis amisit, per omnia bruto similis, ut frustra illi honestum inculces. Ac si dicat: nihil proficies carpendo & todendo mores hominum: ridebunt te, non se corrigent; sed à contratio ODIUM PARIT UNCIA VERI] Quantulumcumque veri dixeris, magnam tibi conflabis invidiam, malumque capiti tuo accerses.

16. AD STATUAM MEIO] Rideo, nil pensi habeo, contemno, non curo, meio Romæ ad statuam Pasquini, de qua Serm. 7. ad ℣. 359. fol. 221. & sublatis oculis lego amarulenta ipsius scripta, quibus vitia hominum & facinora proscindit. Olim nefas erat ad Deûm vel Principum imagines meire. Juven. Sat. 1. ℣. 131. De statua triumphali Crispini Ægyptii vel Arabarchæ:

*Cujus ad effigiem non tantùm meiere fas est.*

Ubi agitur de contemptu ejusdem statuæ: nam Brittanicus in hunc locum, *sensus*, inquit, *est: adeo statua illa Crispini contemnenda est, ut non solum urinâ respergenda, sed etiam spurciori re. Tali enim notâ affici solent, qua maximè contemnuntur. Vnde Tarentini alterum ex Legatis Romanorum urinâ resperserunt. Nero item, auctore Tranquillo, in ludibrium religionis, Deam Syriam urinâ contaminavit.* Et hinc Principes & Imperatores Romani caverunt, ut non tantùm non liceret meiere ad ipsorum statuas, sed etiam, ne in locis quidem ubi eorum statuæ consistebant. Ælius Spart. in Antonin. Caracal. *Damnati sunt eo tempore, qui urinam in eo loco fecerunt, in quo statuæ aut imagines erant Principis.* Dicit itaque Diogenes hoc loco contemnere se invidiam, indignationem, & plagas hominum, & simul cum venustate alludit ad Pasquini statuam, ex qua discat hominum acta nefanda. TIBERINIS UNDIS] Ut sit Tiberi humiliorem urbem, in qua Pasquinus, inundante: quod uti frequentissimè accidisse memorant historiæ, ita & Pasquinus, eruditorum sale, non semel sub undis fingitur coaxasse. Verùm allegoricws hæc à se dici prodit Poëta in M. SS. ubi hæc reperio:

*Ad statuam meiam: Tiberinis obrutus undis*
*Multa coaxabit Pasquinus.-----*

Per undas itaque Tiberinas, necesse est hìc intelligere vitia Romæ grassantia. OBRUTUS] Inundatus, demersus aquis Tiberinis olim, dum viam dorso sternebat, sicut modò flagitiis Romanorum, quæ dentatis maledicentium chartis isthic vel notantur, vel notari finguntur.

17. COAXAVIT] Etiam in undis non siluit, sed hominum scelera prodidit. Arguta translatio à rauco ranarum sub aquis sono, quem propriè coaxationem Latini nominant. Nam ranæ apud Ovid. Met. 6. ℣. 375.

*Litibus exercent linguas, pulsoque pudore*
*Quamvis sint sub aquâ, sub aquâ maledicere tentant.*

Sic & Pasquinus convitiari prohibitus undis jam demersus, instar ranarum adhuc lites exercet, & sub aquâ in facinorosos maledictis coaxat. Aptè Ludovicus Suessanus, in Apopht. Christ. Beyerlinck. Adriano VI. Pont. Max. Pasquini statuam morsibus & dicteriis infamem, in Tiberim conjici mandanti, negabat id fore utile: Pasquinum enim in imo vado ranarum more non taciturum.

18 VITIO STIMULANTE] Dirâ peccandi consuetudine ita invalescente ac jam roboratâ, ut quantumcumque mansuetis & taciturnis, iram vocemque reprehensionis extorqueat.

19. PHALARIS] Tyrannus quispiam etiam crudelissimus, & instar Phalaridis, quem mundo celebrat æneus Perilli taurus, in quo vivos homines exurebat; ac ejulantium inter tormenta

*Obvia palponi qui dirigit omnia pennæ,*
*Ne vel hili duco. Vexet sua quemque petigo,*
*Quid mea? Abest perâ mucor: peto dolia, ab aulâ*
*Si me præcipitet quisquam: neglecto Philippos,*
*Rideo Alexandros, & fastus calco Platonum.*
*Unius Jovis imperio trepidabimus: illi*
*In nos æternæ vitæque necisque potestas.*
*Sunt favor, ortus, opes, spumosa & cortice pingui:*
*Virtuti innitendum: hic murus aheneus esto.*
*Desipit interdum multis quicumque seorsum*

mugitu se oblectabat: inde φαλαρισμὸν pro immani crudelitate videas usurpari; & in proverbiis, φαλάριδος ἀρχὴ: id est, *Phalaridis imperium*, pro potestate crudeliùs exercita. MEMORI] In longum tempus eorum quæ dicta, factáve sint contra Principem & optimates.

20. OBVIA] Quæque tam vulgaria, quàm momentosa, tam audita, quàm visa. DIRIGIT] Destinat. PALPONI PENNÆ] Ad pennam adulatricem. Id est, qui temere quidliber denuntiet in aulâ, ut aduletur, & gratiam ineat à Principe. Notat quemdam ejus farinæ hominem, qui ad illa tempora, ejusmodi clandestinis indiciis aulicorum aures, ut ferè fit semper, vaporabat: sibi utilis, plurimis noxius.

21. PETIGO] Pruritus, seu desiderii sui stimulus. *Petigo*, vel *impetigo* eos vexare dicitur, quos, à summæ cutis affectione & asperitate, levis pruritus exercet: ut sensus sit: quisque suo pruritu, vitio vel malo torqueatur, quid ad me?

22. QUID MEA?] Supple, *refert*: quasi dicat, quid ad me? ABEST PERA MUCOR] Panis mihi in pera non est mucidus. In dies enim viventi panis semper novus mendicatò suppetit, & cavet mucoris periculo. DOLIA] Dolium meum quod inhabito. Numerus pro numero.

23. NEGLECTO] Negligo, despicio PHILIPPOS] Quosvis Reges etiam potentissimos, & victoriis gloriosos, qualis extitit Philippus Macedonum Rex, Alexandri Pater.

24. ALEXANDROS] Qualis item Alexander Magnus. Aptè & ex decoro scenæ: vixit enim iis in Græcia dominantibus Diogenes noster, ut vidimus Ser. 10. ad ℣ 544. fol 334. PLATONUM] Quorumvis philosophorum etiam præstantissimorum, qualem volunt fuisse Platonem, quem ob incredibilem sapientiam divinum appellarunt. Rectè alludit ad fastum Platonis; referunt enim Diogenem, cum Platonis stratum calcaret, dixisset *Calco Platonis fastum*: illumque respondisse: *sed fastu alio*. Laërt. lib. 6.

25 UNIUS JOVIS &c.] Solius Dei judicio stabimus, eum solum timebimus & tremèmus, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. cap. 10. ℣. 28.

26. ILLI IN NOS ÆTERNÆ &c.] Deo potestas est, vel nos perpetuâ vitâ beandi, vel æternâ morte perimendi.

27. FAVOR] Benevolentia & amicitia Regum vel Principum. ORTUS] Natalium splendor, nativitas, nobilitas. SPUMOSA] Inflata & inania, & facilè disparentia instar spumæ. *Spumosa*, inquit Auctor in M. SS. *id est, præter inanem speciem nihil habentia.* CORTICE PINGUI] Tumida & crassa, id est, nugatoria. Nempe ad sensum Persii Satyr. 1 ℣ 96

*----- Nónne hoc spumosum & cortice pingui.*

Quem locum exponens Casaubonus, *pingui*, inquit, *id est crasso, non ὁ πίων, quod est pingue, ut nonnullarum arborum cortices; sed ὁ παχὺς, quod est crassum, vel spissum.*

28 VIRTUTI INNITENDUM] Hæc sola enim perstat & constat, ceteris omnibus semet inclinantibus, & pereuntibus. MURUS AHENEUS ESTO] Murus immobilis, firmus, inexpugnabilis, sibi constans, & cui tutò & certò innitaris. Horat. l. 561. Epistol. 1. ℣ 60.

*----- Hic murus aheneus esto:*
*Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*

29. DESIPIT &c.] Poeta hæc tacitè secum agitat: quasi dicat: licèt nobis videamur sapientes, & revera seorsum multa sciamus & sapiamus, in mul-

*Multa sapit : maneat virtus sine corpore nomen,*
*Ingeniis hominum quæ se vel captibus effert.*
*Me docilem sisto. Sed tu qui moribus istis*
*Crederis esse canis vitiosus morsibus, oro*
*Pignora des hominis, meque in tua dogmata firmes*
*Abdita, & hunc animis errorem detrahe nostris.*
*Me Cynicâ dignere rotâ, placitisque : nec, ut scis,*
*Nascimur artifices : neque tu mirere, quòd omnes*
*Surgentes vasto Oceano dilabimur undæ.*

multis tamen decipimur & desipimus. Monet & parat se ad audiendum.

30. MANEAT] Aliis, qui se philosophos & sapientes arbitrantur, cum tales sint potiùs dictis, quàm factis. SINE CORPORE NOMEN] Sine re, natura, proprietate, aut veritate virtutis; solo gaudens nomine; non virtus, sed virtutis simulacrum; mera fabula, verba, λόγοι : illis scil. quibus virtus magis in sermone consistit, ut jam dictum. Horat. lib. 1. Epl. 6. ℣. 31. --- *Virtutem verba putas ut lucum ligna*--- Apud Dionem lib. 47. In illo ultimo prælio cum Octavianô, & M. Antonio, jam accepta clade, Bruti sermo fuit: *O misera virtus, eras igitur fabula, seu verba: atque ego te ut rem colebam & exercebam, tu autem fortunæ serviebas* Quare optimè Horat. l. 2. Satyr. 5. ℣. 8.

*Et genus & virtus nisi cum re vilior algâ est.*

Virgilius à contrario dixit de corpore capite truncato lib. 2. Æneid. ℣ 558.

*Avulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.*

31. INGENIIS VEL CAPTIBUS EFFERT] Quæ semet extollit pro cujusque genio vel intellectu. Illa enim dubia, incerta, vaga, & instabilis est.

32. ME DOCILEM SISTO] Audiam Diogenem, ejusque præceptis me instituendum submittam. Hactenus secum, nunc Diogenem affatur. SED TU QUI &c.] Sed tu Diogene, qui moribus istis austeris, crudis, & hominum receptæ consuetudini semper contrariis, luxum, fastum, & voluptatem fastidientibus & reprobantibus, Canis nominaris, & haberis.

33. VITIOSUS MORSIBUS] Malè audiens, exosus, contemptus ob mordacitatem, & in reprehendendo acerbitatem.

34. PIGNORA DES HOMINIS] Expone nobis vitam mortalium, mores puerorum, epheborum, adolescentium, & vivaciter hîc repræsenta hominum pignora : id est, filios, liberos. Liberi quia videntur tanquam pignora inter marem & feminam esse, tum vinculi connubialis, tum amoris sæpe per nomen *pignora* exprimuntur. Propert. lib. 4 Eleg. ult. ℣. 73.

*Nunc tibi commendo communia pignora natos.*

Sueton. lib. 3. in Tib. c. 7. *Intercepto communis filii pignore, qui Aquileiæ natus infans extinctus est.* Martial. de Spect. 14.

*Sus fera jam gravior, maturi pignora ventris*
*Emisit fœtum, vulnere facta parens.*

Seneca Tragœd. Med. ℣. 1011.

*In matre si quod pignus etiamnum latet,*
*Scrutabor ense viscera, & ferro extraham.*

Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 3. ℣. 60.

*Respiciens oculis pignora cara meis.*

35. ABDITA DOGMATA] A communi hominum sensu, opinione, ac usu remota. ERROREM] Quo seducti, arbitramur virtutem in verbis & specie externa potiùs consistere, quàm in animo aut in ipso rerum honesto.

36. CYNICA DIGNERE ROTA] Doctrinâ tuâ Cynicâ, seu sectæ tuæ institutione dignum me habe. *Rota* pro institutione, desumitur metaphoricus à figulorum rotâ, sicut *fingere* pro instituere. Vide quæ diximus suprà Serm. 10. ad ℣. 127. fol. 332 ac ibidem citat. Persium de *acri rota*. PLACITISQUE] Præceptis, regulis, sententiis.

37. NASCIMUR ARTIFICES] Ignari, rudes, impoliti, barbari, nascimur, & tales per omnem vitam simus, si desit institutio, vel artis observatio. Hinc verissimum jactatum illud apud nostrates adagium : *Nemo nascitur artifex :* quod dicunt : *niemant en is met de const geboren*

38. VASTO OCEANO &c.] In hoc mundo procelloso, tot iniquitatum tempestatibus agitato. UNDÆ] Instar undarum, quę non reversurę, continenter

tinenter

*Fluctibus adversis Nasicæ ducere cymbam,*
*Una potens ratio est; corruptis moribus intus*
*Quæ latrat, ultrices opponens Numinis iras.*

tinenter propelluntur in suum interitum. Mulier Thecuitis ad Davidem lib. Reg. 2. c. 14. ℣. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Ov. de arte l. 3. ℣. 62.

*-----Eunt anni more fluentis aquæ.*
*Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda:*
*Nec, quæ præteriit, hora redire potest.*

Pulcherrimè lib. 15. Metamorph. ℣. 177.

*-----Nihil est toto quod perstet in orbe.*
*Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.*
*Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu*
*Non secus ac flumen. Neque enim consistere flumen*
*Nec levis aura potest: sed ut unda impellitur undâ,*
*Vrgeturque prior venienti, urgetque priorem,*
*Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,*
*Et nova sunt semper. Nam quod fuit ante relictum est:*
*Fitque quod haud fuerat: momentaque cuncta novantur.*

39. FLUCTIBUS ADVERSIS] Æstuantium cupiditatum & perturbationum. Illis enim per omnem vitam obniti, & gressum obstinare ei necesse est, cui stat virtutis viam insistere. Diogenes hic infit, & institutionem suam exorditur, persistendo in eadem metaphora maris procellosi. NASICA] Hominis integri & probi, solum bonum & honestum adamantis. Talis enim olim à Romanis judicatus fuit *P. Scipio Nasica*, ita cognominatus ab adunco naso. Nam jussu Senatus simulacrum Matris Deûm ex Phrygia petitum, ac Tiberim advectum, & per portam Capenam ductum in urbem, domo recepit; cùm antea oraculo responsum esset: Numen id, non nisi à viro optimo recipi, ac consecrari velle. Juven. Satyr. 3. ℣. 137.

*Da testem Romæ, tam sanctum quàm fuit hospes Numinis Idæi.-----*

Ovid. Fast. 4. ℣. 345. de Matre Deûm:

*Ipsa sedens plaustro portâ est invecta Capenâ:*
*Spargnntur junctæ flore recente boves.*
*Nasica accepit: templi tunc extitit auctor.*
*Augustus nunc est, antè Metellus erat.*

Vide Titum Livium lib. 38. CYMBAM] Vitam Nasicæ. Id est, ducere vitam innoxiam, integram, honestam, sanctam. *Cymbam* esse vitam humanam eleganter declarat Seneca. Epl. 70. *Prænavigamus vitam: & quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noster ---- TERRÆQUE URBESQUE RECEDUNT: sic in hoc cursu rapidissimi temporis, primùm pueritiam abscondimus; deinde adolescentiam, deinde quidquid est illud inter juvenem & senem medium, in utriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos: novissimè incipit ostendi, publicus finis generis humani. Scopulum illum esse putamus dementissimi? Portus est aliquando petendus, nunquam recusandus. In quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quàm qui citò navigavit. Alium enim, ut scis, venti segnes ludunt & detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant: alium pertinax flatus celerrimè perfert.* Sic & Naso se, vel vitam suam Cymbæ comparat lib. 1. Trist. Eleg. 1. ℣. 85.

*Et mea Cymba semel vastâ percussa procellâ,*
*Illum, quo læsa est, horret adire locum.*

Sic & Aristoteles ait animam *esse in corpore, ut nautam in navi.* Et Æschylus apud Del Rio in Senec. synt. 3. *mori* dicit esse *omnium portum quò appellimus.*

40. UNA RATIO] Sola rationis intentio. Juven. Satyr. 14. ℣. 39.

*Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur*
*Ex nobis geniti.------*

41. QUÆ LATRAT] Intus oblatrat flagitiis, justâ cujusvis dicti vel facti expensione, semet ipsa damnans. Nimirum sua cuique conscientia malum arguit intùs, quod foris homo interdum probat: nec cessat continenti latratu hominem lacessere. Juven. Satyr. 13. ℣. 193.

*Evasisse putes quos diri conscia facti*
*Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit*
*Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
*Pœna autem vehemens, ac multò sævior illis,*
*Quas & Caditius gravis invenit, & Rhadamanthus,*
*Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Lucanus Civil. Bel. l. 7. ℣. 784.

*Et quantum pœna misero mens conscia donat.*

Hinc adagia, *conscientia animum mordet.* Item animum *exulcerat, verberat, exagitat:* & *Conscientia mille testes*, &c. Cicero pro Sext. Rosc. c. 67. *Sua quemque fraus, & suus error maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiáque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi*

*Sed lenociniis, rapimurque philautiâ, abundans*
*In nobis quamvis Deus, & cautela parentum.*
*O miseri! O homines! In quantis Cimmeriorum*
*Versamur tenebris, quantâ caligine mentis!*
*Nitimur ut vitium tamen emendare, specillis*
*Utimur intinctis, affectus nempe colore,*
*Sortis, & ætatis. Crystallo noscere purâ*

*animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque furiæ.* Hæ sunt canes nocte dieque latrantes. Optimè Gandensis Consularis Havræus Arc. virt. Satyr. 2. ℣. 55.

*Vis numquam tristes animos? Bene vivere cura.*
*Vis numquam læsos? Injustus & impius esto.*
*Supplicium innatū est sceleri, quod verbere surdo*
*Continuò mentem exagitat, depungit & angit.*
*Nec Iudex ullus tam formidabilis, atque*
*Interior testis: miser es, si respuis illum.*

Ultrices iras] Æternas pœnas post mortem exsolvendas, Deo, postpositâ clementiâ, soli justitiæ censenda crimina delaturo. Nam ut iterùm Havræus ibid. ℣ 24.

*Lenta quidem vindicta Dei; sed durius instat:*
*Quæ dilata diu, graviore hac verbere cadit.*
*Vmbra velut corpus sequitur, sic pœna nocentes.*

Ovidius in Ibin. ℣. 159.

*Verbera torta dabunt sonitum, nexæque colubris,*
*Conscia fumabunt semper ad ora faces.*

42. Lenociniis] Blandimentis, quibus nostrasmet ipsi culpas elevamus, nobisque blandimur. Rapimurque] Extra septa rationis, & recti æquique judicii potentiam. Philautia] Cæco nostri amore. Verissimè Plato apud Stobæum: *Nimius in se ipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est caussa.* Φιλαυτία Græcis est, *amor sui:* sic & nimiùm sibi adulantes & sui studiosos φιλαύτυς appellamus. Cicero lib 2. Att. Epistol. 1. *nisi fortè me communis φιλαυτία decipit.*

43. Deus] Auxilium Dei per lumen rationis & Gratiæ. Cautela parentum] Anxia educatio, institutio, coërcitio, quibus parentes à malo deterrent liberos, & ad bonum excitant.

44 O miseri! O homines!] Ecphonesis geminata, majoris doloris, & commiserationis testandæ gratiâ. Cimmeriorum] Maximè caligantium. *Cimmerii* olim populi septemtrionales fuere, quibus multa caligo, & rarus solis aspectus: ita ut in proverbium abierint *tenebræ Cimmeriæ* pro multa animi obscuritate & caligine. *Cimmeriis* enim, inquit Cic. Acad. QQ. 4. c. 61. *aspectum solis sive Deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci, quem incolebant, situs.* Metaphoricos usus Lactant. lib 4. Instit. *O cæcum pectus, inquit! O mentem Cimmeriis ut aiunt tenebris atriorem!* Olim *Cimmerii* varii fuere, de quibus consule Lexic. Phil. Ferrar. & Mich. Ant. Baudrand.

45. Versamur tenebris] Etiam se involvit Diogenes, ad declinandam invidiam: ne solus in luce esse, & sibi videre aliis cæcutientibus, videatur. Quasi dicat: quàm cæcutimus ego & vos omnes!

46. Nitimur ut vitium &c.] Quamquam cæcitati mederi studeamus, appositis conspicillis. Id est, licèt nos reflectamus, & attendamus ad animorum nostrorum motus & opera, seriò cavendo, ne quid fiat contra rationis præscriptum.

47. Intinctis] Factis ex materia aliter coloratâ, vel alio colore imbutâ, quàm sit illa, ex quâ fiunt conspicilia pura, & quæ repræsentant res visas, ut in se sunt. Bellissimè! Nam qualiter colorata sunt specilla, taliter oculis nostris se objiciunt res quæ videntur, licèt reverà non sint tales. Sic per spicillum viride contuentibus, cuncta apparent viridia, per cæruleum, cærulea, per purpureum, purpurea &c. Affectus colore] Exponit allegoriam suam, quasi dicat; non quidem colore corporeo, sed animi affectu. Sicut enim per specilla colorata fallitur & corrumpitur visus, ita per animi perturbationes, acies mentis & judicium.

48. Sortis et ætatis] Pro sorte, vel ætate hominum. Aliter enim Principes & Magistratus, quàm subjecti; aliter divites, quàm pauperes; aliter pueri, aliter adolescentes, aliter juvenes, aliter viri, aliter senes de rebus arbitrantur. Crystallo pura] Mente ab omni fuco perturbationum, vel præjudiciorum prorsus expurgatâ. *Crystallus* metonymicos, pro

*Vera bona affectant pauci. Per vitra juventæ*
*Cuncta virent viridis; senio quæcumque nigrescunt.*
*Ætas quæ media est, affectibus oblita multis;*
*Sanguineis modò, nunc ocularibus utitur aureis,*
*Et modò lividulis, interdum murice tinctis;*
*Nunc his, nunc illis, sed ubique cupidine plenis.*
*Irus & à Crœso speculis dissentit, ut æger*
*A sano, rudis à docto, à popularibus Heros.*
*Utimur ante-oculis pro conditione, vel annis;*

conspicillo: ex crystallo enim fiunt conspicilla. Materia scil. pro forma.

49. VERA BONA] Virtutem & Honestum, & quidquid propter se est expetendum, cujus numquam nos pudeat aut pœniteat.

50. VIRENT] Hilaria, grata, amœna, & quamvis prosperitatem promittentia. Inde enim juvenibus majores animi, & ex his audacia, temeritas, jactantia, superbia &c. Viriditas quippe hilaritatis & spei symbolum est. Sic enim ad claritatem hujus & sequentium versuum, de colorum notis canit Alciatus Emblem. 117.

*Index mæstitiæ est pullus color: utimur omnes*
*Hoc habitu, tumulis cùm damus inferias.*
*At sinceri animi, & mentis stola candida puræ:*
*Hinc sindon Sacris linea grata viris.*
*Nos sperare docet viridis. Spes dicitur esse*
*In viridi, quoties irrita retro cadit.*
*Est cupidis flavus color, est & amantibus aptus,*
*Et scortis, & queis spes sua certa fuit.*
*At ruber armatos equites exornet amictus,*
*Indicet & pueros erubuisse pudor.*
*Caeruleus nautas, & qui cælestia vates*
*Attoniti nimiâ religione petunt.*
*Vilia sunt giluis, nativaque vellera burrhis,*
*Qualia lignipedes stragula habere solent.*
*Quem curæ ingentes cruciant, vel zelus amoris,*
*Creditur hic fulvâ non malè veste tegi.*
*Quisquis sorte suâ contentus ianthina gestet:*
*Fortunæ æquanimis tædia quisque ferat.*
*Ut varia est natura coloribus in gignendis;*
*Sic aliis aliud: sed sua cuique placent.*

NIGRESCUNT] Tristia & gravia apparent. Vide Alciat. jam cit. *Index mæstitiæ pullus color &c.* Nec hic nos fallit Poëta. Juvenibus enim quidlibet sperare in promptu est, cùm omnia illis videantur facilia, pulchra, amabilia &c. senibus contrà, qui jam longioris vitæ & fortunæ spe exciderunt, cuncta se præbent tristia & funesta.

51. ÆTAS QUÆ MEDIA] Virilis, inter juventutem & senium media, quâ gaudent qui intra quadragesimum & sexagesimum ætatis annum versantur. AFFECTIBUS] Cupiditatibus, libidinibus, & animi perturbationibus.

52. SANGUINEIS] Iram, vindictam, aut sanguinis sitim, vel crudelitatem spirantibus. OCULARIBUS] Orbibus crystallinis, virtutem oculorum sive opticam adjuvantibus: id est, conspicillis. AUREIS] Auri cupiditatem vel amores referentibus. Nam ut ad ℣. 50. citatus Alciat. ℣. 7. *Est cupidis flavus color, est & amantibus aptus.*

53. LIVIDULIS] Invidiæ, ac zeli tabem exhalantibus. MURICE TINCTIS] Gloriæ studium, ambitum, ardorem militię manifestantibus.

54. NUNC HIS, NUNC ILLIS] Pro re nata, & ut à rebus externis, hoc vel illo casu, animi afficiuntur. CUPIDINE PLENIS] Turbidâ quavis affectione, rationis visum & usum auferentibus.

55. IRUS ET A CRŒSO &c.] Pauper à divite. Propert l. 3. Eleg. 5. ℣. 17. apud Pass.

*Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.*

Vide quæ diximus suprà de Crœso Serm. 8. ad ℣ 70. fol 265 ac de utroque Serm. 4. ad ℣ 139. fol. 84 SPECULIS] Judiciis corruptis, tanquam colorato cujusvis cupidinis conspicilio rem contuentes; aut semet in animo, philautiâ turbido, tanquam in speculo fallace & adulante contemplantes.

56. ÆGER A SANO, RUDIS &c] Rectè: alia enim videntur & placent ægris, alia sanis; alia doctis, alia rudibus; alia vulgaribus & obscuris; alia nobilibus & Principibus.

57. ANTE-OCULIS] Orbiculis crystallinis ante-ocularibus. Phrasi Hetruscâ, *antocchi.* Hispanâ

*Sed species alias veris referentibus. Eheu*
*Perfido in Oceano quis fida specilla requirat!*
*Cui tamen est sincera acies, cui libera menti*
*Irradiat ratio, perque admirabile rete;*
*Hic sanus mundo illudet toto organo, & omnes*
*Affectus hominis facili depresserit ausu.*
*Principio ut morbos evites*, γνῶθι σεαυτόν.

panâ *antoiot*. Alii dixerint, conspiciliis, ocularìis specillis, alii ocularibus & perspiciliis, alii spicillis, quæ licèt videantur in alia significatione apud probatos usurpari, doctis tamen non omninò censentur aspernanda. Hic autem varietatis & ornatus gratiâ sic vocantur, orbiculi vitrei, quos ad clariorem visum plerique senes oculis admovent.

58. VERIS ] Puris, nullo affectuum colore tinctis. ALIAS SPECIES REFERENTIBUS ] Longè aliter rem repræsentantibus, seu repræsentari facientibus, quàm in se est.

59. PERFIDO IN OCEANO ] Turbido, vario, mutabili, inconstante, inquieto, procelloso mundo. FIDA ] Sincera, non colorata, veracia, non mendacia. Ac si dicat: cùm omnia assiduò agitentur, moveantur & mutentur in mundo, tam ees ipsæ, quàm rerum libidines: nullum de iis fidum & certum satis judicium haberi potest.

60. SINCERA ACIES ] Vis mentis pura, & ab affectionum fæce expurgata. LIBERA ] Non impedita interjecto quovis corpore non transparente, seu adiaphano.

61. IRRADIAT RATIO ] Tanquam sol in caliginosum ergastulum, per rimas vel clathros lumen trajiciens. Anima enim nostra corpus inhabitat, non secus quàm carcerem. D. Paullus Rom. 7. ℣ 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Arnob. lib. 2. cont. gent. *Quid sumus homines nisi animæ corporibus clausæ?* Platonis istud est: σῶμα ἡμῖν σῆμα. Id est, *Corpus nobis sepulchrum*. Apud Ciceronem in Somnio Scipionis, ubi sciscitanti P. Scipioni, *viverétne ipse pater Paullus & alii, quos nos extinctos arbitremur: imò verò*, respondet Africanus, *vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere evolaverunt*. Plutarchus in Conviv. VII. Sap. animam dicit abditam in corpore, *tanquam in pistrino*. Seneca consol. ad Marc. c. 24. *Hæc quæ vides ossa*, inquit, *circumvoluta nervis, & obductam cutem, vultúmque & ministras manus, & cetera quibus involuti sumus, vincula animorum tenebræque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur à veris & suis, in falsa conjectus. Omne illi cum hac carne grave certamen est, ne abstrahatur & sidat.* ADMIRABILE RETE ] Organum capitis rectè constitutum, nec pravis humoribus infestum. Id est, cui caput sanum. *Admirabile rete* appellant recentiores Medici, quod veteribus est *plexus retiformis*, ob mirabilem structuram quam habet sub basi cerebri in anteriori capitis parte: apparet enim instar multorum retium invicem junctorum, constatque ex arteriis carotidibus. Creduntur spiritus vitales & animales isthic confici, ideóque tot implexibus hoc organum constare, ut spiritus longiore morâ perfectiùs coquantur. Vesalius & alii negant in homine reperiri: plerique tamen contrarium opinantur, & digito monstrant Anatomici. Intercluso hoc plexu ab humoribus pravis, volunt gigni soporem, lethargum, apoplexiam &c. Vide Barthol. Paræum &c.

62. HIC SANUS ] Sapiens. MUNDO ILLUDET ] Ridebit rerum inanitatem, hominumque de iis falsas opiniones. TOTO ORGANO ] Promptè, perfectè, absolutè, quovis loco, tempore, casu: non secus quàm cantor ad quidlibet cantandum expeditus, gaudens voce firma, facili, tractabili, & quæ per omnes intentionis remissionisque gradus sequax & flexilis traducitur. Hic enim *toto* instructus *organo* dici queat. Proverbio utitur Quintil. lib. 11. c. 3. ubi de Orationis pronuntiatione ac voce sic loquitur: *Utique habens omnes in se, qui desiderantur sonos, intentionesque, & toto (ut aiunt) Organo instructa.* Vide Erasm.

63. AFFECTUS ] Motus animi turbidos, perturbationes, appetitus vehementiores, & rationi repugnantes. DEPRESSERIT ] Coërcuerit, & frenaverit. Atque ita prooemium suæ orationis absolvit Diogenes.

64. PRINCIPIO ] Ante omnia. MORBOS ] Animi scil. morbos, seu vitia, & pravos habitus; id est,

*Quid sit homo inquiras. Deus est sub imagine parvâ;*
*Sepositâ ratione, fera. Egrediatur ab alvo,*
*In freta & in terras, jus est, & in æthera, natum,*
*Nudo & mortali: cui tandem animantia parent*
*Cetera, naturæ arbitrio se commoda præbent*
*Pabula, & assiduis famulantur motibus astra.*

est, vitia usu jam roborata. ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ ] Ausonius interpretatur Lud. VII. Sap.

*Delphis Solonem scripsse fama est Atticum*
*Γνῶθι σεαυτόν, quod latinum est,* NOSCE TE.

Alii Chilonis, alii Thaleris, alii Phemonoës dictum esse volunt. Vide Laërt. lib. 1. in Thalete. Schotti proverb Vat. App. Cent. 1. n. 37. E cælo descendisse vult Juven. Satyr. 11 ℣. 27.

*---E calo descendit γνῶθι σεαυτόν*
*Figendum & memori tractandum pectore.---*

Quidam socratis dictum esse autumant; idque tamquam oraculum è cælo lapsum, pro foribus templi Delphici aureis litteris scriptum fuit. Seneca de consol. ad Marc. c. 11. *Pythicis*, inquit, *oraculis adscripta vox* NOSCE TE. Pythici Apollinis præceptum fuisse innuit istud Ciceronis l. 5. de fin. c 44. *Iubet nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos.* Et lib. 1. de leg. c. 58. *Et philosophia nos docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cujus præcepti tanta vis, tanta sapientia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur.* Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. *Apertius* inquit, NOSCE TE IPSUM, *præcipiens Moses, sæpe dicit: attende tibi ipsi.*

65. QUID SIT HOMO INQUIRAS] Sic & Seneca mox citat. inquirit & describit, quid sit homo. Itaque id primò serióque expendendum sapienti. DEUS EST] Hoc veteribus persuasum, ob divinæ auræ particulam, sive animum immortalem & rationis participem. Cicero lib. 1. Tusc. QQ. cap. 66. *Quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est.* Varro apud S. August. l. 7. de Civit. c. 5. dicit animum, qui est in humano corpore, simillimum esse immortalis animi, id est Dei. Arnob. lib. 9. cont. gent. *Animus qui immortalis à vobis & Deus narratur.* SUB IMAGINE PARVA] Similitudinis alicujus, non naturæ aut æqualitatis. Homo nempe, ut nos Veritas Gen. 1 docet, ad imaginem Dei conditus, quatenus illi animus rationis particeps & immortalis, neutiquam tamen Deus, sed imago Dei.

66. SEPOSITA RATIONE FERA] Si rationem seponas, bestia & quidem fera. Augustinus Tract. 3. in Joann. *Non distas à pecore nisi intellectu.* Hugo à S. Vict. de Spir. & anima c. 31. Tom. 3. inter opera S. Aug. *Uno verbo*, inquit, *quod rationale dicitur, separatur à bestiis: illud nisi retinueris, bestia erit.* Seneca Epl. 76. *In homine optimum quid est? Ratio: hâc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est: cetera illi cum animalibus, satisque communia sunt.* EGREDIATUR AB ALVO] Nascatur: id est, ubi natus fuerit.

67. IN FRETA, IN TERRAS] Dominatur, vel jus habet in omnia quæ Deus in hoc mundo fabricavit. Genes. 1. ℣ 28. *Replete terram & subjicite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* In quem locum Aug. lib. 3. de Gen. ad Litt. c. 20. *Cum dixisset ad imaginem nostram: statim subjunxit, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cœli, & cæterorum animalium rationis expertium, ut videlicet intelligamus, in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus animantibus antecellit. Id autem est ipsa ratio, vel mens, vel intelligentia, vel siquo alio vocabulo commodiùs appellatur.* JUS EST] Junge: Jus natum est.

68. NUDO ET MORTALI] Licèt & pauperi, rerum egeno, & mortis violentiæ ac tyrannidi obnoxio: ita enim nascitur.

69. NATURÆ ARBITRIO] Sic ordinante, providente, imperante, statuente, vel volente naturâ.

70. PABULA] Omne genus cibariorum è terrâ, mari, & cælo quæsitorum, ad alimentum & victum humani corporis. FAMULANTUR MOTIBUS ASTRA] Sol inprimis & Luna, statis temporibus orientes & occidentes, diem noctemque constituentes; item temporum vicissitudines, annos, menses, ver, æstatem, autumnum, hiemem: nunc imbre, nunc nive, nunc frigore, nunc æstu terræ famulantes, & influxu suo ipsam & animantia fœcundantes. Item & alia sidera in usus nostros

*O homo divinâ si possis sistere formâ!*
*O Deus humanâ quoties temerande figurâ!*
*Estne operæ pretium rationi obvertere mentem,*
*Quâ necis immunis, nullo & delebilis igne es,*
*Quâ Deus in terris, Superis post fata cohæres?*
*Hæc mihi concedis, quia non potuere negari.*
*Accipe, & ipse homines rationis quære lucernâ.*
*Invenies homines hominis vix nomine dignos:*
*Invenies tantæ solùm vestigia formæ.*
*Sum rigidus? Quacumque voles te verte, videbis*
*Cornua, rostra, jubas, armos, caudasque torosque:*

nostros nocturnum cælum collustrantia, & occulta quadam vi in ea, quæ sub luna continentur, dominantia.

71. SISTERE] Stare, subsistere. Cic. Act. 5. in Ver. c. 223. *Rempublicam sistere negat posse.* DIVINA FORMA] Solâ illa quâ Deus es, seu animus rationis particeps.

72. O DEUS HUMANA &c.] Quoties non sentites & nosciiares offendi te, temerari, inquinari ab humana figura; id est à fæce carnis tuæ, &, quæ ex hâc nascuntur, libidinibus. Hugo à S. Vict. ibid. ut suprà ℣. 66. *Sensibus impeditur anima, ne cernere semet ipsam valeas.*

73. ESTNE OPERÆ PRETIUM] Dignum tuâ excellentiâ: ac si dicat: indignum est animi tui rationalis præstantia seu nobilitate, mores componere contra dictamen rationis.

74. NECIS IMMUNIS &c.] Quâ immortalis es. Cicero Somn. Scip. *Enitere & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc: nec enim is es quem forma declaras, sed mens cujusque, is est quisque; non ea figura, quæ digito demonstrari potest.*

75. QUA DEUS IN TERRIS] Instar Dei, ob summum imperium inter animantia, viventia, & vitæ expertia. Africanus iterum ad nepotem Scipionem apud Cicer. loco citato. *Deum te igitur scito esse. Siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est, quàm hunc mundum Princeps ille Deus: & ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.* SUPERIS POST FATA COHÆRES] Quâ post mortem Superis conjungeris. Nisi mavis per to *cohæres*, nomen intelligi, ut sensus sit: quâ cum aliis à Deo electis regni cælestis hæres institutus es? *Sumus* enim, ut ait Apost. Rom. 8. ℣. 17. *heredes Dei, cohæredes autem Christi.*

77. RATIONIS LUCERNA] Rationis lumine, vel maturâ mente pensitando, diversos hominum motus, mores, studia, cupiditates, &c.

78. HOMINES] Solâ corporis figurâ. HOMINIS] Ratione pollentis, & ad ejus ductum, vitam instituentis. Arnob. lib. 1. contra gent. *Homines*, inquit, *brutum genus, & quod situm sub lumine est, cæcitate nequeunt ei videre.*

79. TANTÆ FORMÆ] Divinæ sub humanâ figurâ. Animus enim imago & particula Dei. VESTIGIA] Corporis humani lineamenta, tanquam signa latentis intus rationis.

80. SUM RIGIDUS] Durus, austerus? Quasi dicat, nolim me tibi videri rigidum, non enim hæc temerè affirmantur. VERTE TE] In omnem partem, & homines quoscumque intuere, cujuscumque ætatis, sortis, sexus &c.

81. CORNUA, ROSTRA, JUBAS &c.] Reperies ubique certissimas notas animorum brutorum, & à brutis animantibus vix unguem distantium. Conspicias enim ubique pravas brutorum proprietates in hominibus, quos inde dixeris, cervos, tauros, equos, leones, asinos; corvos, noctuas, camelos, vulpes, ursos, elephantos, passeres, sues, lupos, capras, vitulos, canes, oves, damas, accipitres, dracones, &c. adeoque quosdam cornutos, jubatos, caudatos &c. *Iuba* pili longiores & proni, quarumdam bestiarum colla vel armos vestientes, ut leonum, equorum &c. Jubati etiam dicuntur serpentes; id est, quibus cristæ & cervi-

*Percipies fremitus, gannire, rugire, boare.*
*Tanges cum setis squamas, & frigus & æstum.*
*Æstuat hic Drances, turget natalibus ille.*
85. *Hic tumet ingenio, canit ille Simonidis ore.*
*Hic asinus portans mysteria, sæpè tribunal*

ces erectæ. Cic. l. 4. ad Heren. c. 72. *Iste quotidie per forum medium, tanquam jubatus draco serpit.* Plauto dicuntur *angues jubati*, Amphit. 5. 1. 56. *Armi* autem bestiis sunt, qui hominibus humeri. Virgil. Georg. 3. ℣. 86.

*Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo.* Equum generosum depingit. *Tori* sunt prominentes carnis in corpore partes, pulpæ, musculi eminentes, quales in corpore athletico seu robustiore invenias. Inde *torosus* pro *robustus*, ut vidimus Serm. 9. ad ℣. 106. fol. 299. quòd potissimùm dicuntur lacertorum, suntque capita eorumdem, in quibus est robur. Hercules apud Cicer. libr. 2. Tusc. QQ. cap. 22. ex Sophoclis Trachiniis:

*O pectora! O terga! O lacertorum tori!*

Ovid. Met. 14. ℣. 283. *Colla tumere toris*---& Met. 15. ℣. 230. ---*Solidorum mole tororum.*

82. FREMITUS] Equorum: nam licèt fremere fluctibus & mari, item ventis & leonibus tributum non rarò invenias, maximè tamen equis. Horat. l. 4. Od. 14. ℣. 23. -----*Et frementem*

*Mittere equum medios per ignes.*

Virg. Georg. lib. 1. ℣. 12.

-----*Tuque ò cui prima frementem*
*Fudit equum, magno tellus percussa tridenti.*

GANNIRE] Quod vulpium esse volunt, aliquando etiam canum, cum claro ululatu dolorem vel gaudium testantur. RUGIRE] Leonum. Prima hic contrahitur, exemplo fortè illius, quisquis est auctor Philomelæ inter Nasonis opera ℣. 49.

*Tigrides indomitæ raucant: rugiuntque leones.*

BOARE] Boum. Sonos proprios animalium, vide apud auctorem Philomelæ jam citat. & Joan. Bapt. Pium Bonon. Annot. poster cap. 20.

83. SETIS] Porcorum, equorum, & leonum propriis. Nam *setæ* sunt pili rigidiores & crassiores. SQUAMAS] Piscium, & serpentium. FRIGUS] Eorumdem & ceterorum. ÆSTUM] Quadrupedum, alitum, &c. Periodi summa est: uti multiplex ferarum & bestiarum genus est, quod cognoscas à corporis figura, aliisque adjunctis; ita & multiplex brutorum hominum species est, quam non nisi ex morum fœditate, ac vitiorum variâ proprietate intellexeris.

84. ÆSTUAT] Invidiâ, irâ, sermone, arrogantiâ, ferociâ. DRANCES] Ferox declamator, seditiosus, ignavus quispiam, illique similis, de quo Virg. lib. 11. Æneid. ℣. 336.

*Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni*
*Obliquâ invidiâ stimulisque agitabat amaris,*
*Largus opum, & linguâ melior, sed frigida bello*
*Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,*
*Seditione potens.*------

TURGET NATALIBUS] Nobilitatem suam crepat, nullius non fastidio. CANIT ILLE SIMONIDIS ORE.] In quæstum suum vafer, nusquam non captandis lucris explicat retia. Aristophanes apud Suidam, ᾄδει Σιμωνίδου μέλη: id est: *Canit Simonidis carmina:* unde in adagium abivit, Σιμωνίδου μέλη, sive *Simonidis cantilena*: quod torquetur in vafros & subdolos. *Simonidem* enim astutiam & quæstum tradunt in artem induxisse. Commentus duo sibi esse scrinia, alterum gratiarum, alterum præmiorum: arcam gratiarum post temporis aliquantum cùm aperiret, semper vacuam, præmiorum se plenam invenire jactitabat. Hac arte significabat, nolle gratis se donare carmina. Plutarchus περὶ τῆς πολυπραγμοσύνης refert Simonidem cum avaritiæ taxaretur respondisse: Senectutem sibi reliquis voluptatibus orbatam, uno lucri oblectamine recreandam fore. *Chil. Erasm.*

86. HIC ASINUS PORTANS MYSTERIA] Munere, dignitate, titulo, vel fortunâ, quâ utitur, indignus. Adagium refertur ab And. Schotto ex Suida Cent. x. n. 92. Ὄνος ἄγων μυστήρια: quod est, *Asinus portant mysteria.* Tractum ab asinis, qui olim deportabant res omnes necessarias ad sacra Eleusina, quibus sua non officiebat vilitas, quò minùs ab omnibus illis assurgeretur, ob reverentiam & religionem mysteriorum, quæ portabant; quamquam alioquin non desinerent plagis onerari, nihilo hoc nobiliores. Dici potest in eos, qui Doctoris vel Magistri titulo superbiunt, cùm rudes ipsi vixdum cum asinis queant rudere. TRIBUNAL] Justitiam eorum qui juri dicundo præsunt.

87.

*Ille argentatis expugnat nequiter hastis.*
*Tu mirere supercilium, mentemque sagacem*
*Cordatorum hominum: sed scenâ gesticulantes*
*Reges esse putas, grallatoresque gigantes.*
*Humanæ simul ac urgetur tessera mentis,*
*Et cribres ratione hominum molimina; poscas:*
Quid sumus: & quidnam victuri gignimur: ordo

87. ARGENTATIS HASTIS] Pervertit, vel corrumpit argento, vel muneribus. Hæc enim violentia minimè violenta, quâvis violentiâ violentior est.

88. MIRERE] Fortè & tu mirari possis. SUPERCILIUM] Gravitatem ac censendi auctoritatem, fastum, superbiam, arrogantiam, & simulatam extrinsecus in agendis rebus dexteritatem, quibus impares sunt. Juven. Sat. 6. ỷ. 168.

*-----Si cum magnis virtutibus adfert*
*Grande supercilium, & numerat in dote triumphos.*

89. CORDATORUM] Quos putes cordatos; id est sapientiâ & consilio præstantes. Tales enim Romani corculos nuncupabant. Lucret. libr. 5. de Rer. Nat. ỷ. 1148.

*Ingenio qui præstabant, & corde vigebant.*

*Cor* enim metonymicως veteres pro *animo* posuerunt. Nam in corde animi sedem quosdam olim collocasse, auctor est Athen. lib. 14. Sic & Plutarchus in Apopht. dixit, *καρδίαν μὴ ἔχειν*, quod est, *cor non habere*, pro non sapere, non habere animum. Hinc apud Ciceronem lib. 1. de Oratore c. 198 & l. 1 Tusc. QQ c. 18. extat hic versus summi & veteris Poëtæ: Ennii crediderim.

*Egregiè cordatus homo, catus Ælius Sextus.*

Nempe jam antè præmiserat post. loc. *Quid sit porrò ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur: & Nasica ille prudens, bis* COS. *corculum*. Plin. l. 7. c. 31. *Reliquis animi bonis præstitere cæteros mortales sapientiâ, ob id cati, corculi, apud Romanos cognominati.* SCENA] In theatro vel orchestra. GESTICULANTES] Actiones, gestus, & personam Regum repræsentantes: id est, ita se componentes, ac si veri & non scenici essent Reges.

90. GRALLATORESQUE] Qui grallis gradiuntur. Sunt autem *Grallæ* perticæ quibus innituntur pedibus, ut altiores videantur, & celeriùs procedant. Sic Plaut. Pœnul. 3. 1. 27.

*Vinceritis cervum cursu, vel grallatorem gradu.*

Ubi Taubmannus ex lectione & fide Turnebi lib. 25. c. 7. posuit *clavatorem*: quod etsi tolerari quadantenus possit, ob fidem veterum membranarum, quas aliquando se habuisse testatur Turnebus, nobis tamen recedendum non est à fide veterum Grammaticorum Festi & Nonii, imò nec à gravissimi Varronis auctoritate, à quibus hic Plauti versus citatur, quo modo nos suprà. *Grallatores*, inquit Festus, *appellabantur Pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes ob similitudinem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi.* Hunc gradum vulgus Belgicum nominat, *op stelten gaen*, estque pueris ludentibus in usu. Sensus ergo hic est: non secus falleris hos illósve viros credendo fore prudentes, cordatos, sagaces, catos, doctos, ingeniosos, probos, honestos, quàm illi qui ludios putant Reges, & grallatores gigantes.

91. URGETUR] Seriò & urgenter postulatur. TESSERA] Signum aliquod humanæ mentis, seu rationis intus regnantis.

92. CRIBRES] Cribrare, excutere, vel examinare velis. MOLIMINA] Studia, curas, desideria. POSCAS] Quære cum Persio Sat. 3. ỷ. 67.

93. QUID SUMUS] Natura nostra ejusque proprietates inquiruntur, ut audiatur Pythico illi præcepto *γνῶθι σεαυτόν*, de quo supra ad ỷ. 64. fol. 364. QUIDNAM VICTURI] Ad quid agendum, vel in quem finem vivimus? Lactant. de falsa Sapient. lib. 3. c. 16. *Constat hominem non ad stultitiam, sed ad sapientiam nasci.* Et cap. 8. *Virtus autem cum scientia conjuncta, est sapientia.* Augustinus de dilig. Deo cap. 2. *Fecit Deus rationalem creaturam, qua summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur.*

94.

Quis datus : & metæ quàm mollis flexus, & unde.
*Pro me pugnabis pugnis & calcibus : eccos;*
*Audi, quid primis referas è cœtibus. Heus tu,*
*Quid sumus ?* A. *Insanis ? Deus est in utroque parente.*
D. *Salve Divorum soboles. Respondeat alter :*
*Quid sumus ?* B. *Heroës.* D. *Muni tua scuta coronis.*
*Quid sumus ?* C. *Heroum centesimus arbore ramus.*
D. *Vade pari passu cum præcedentibus. Et tu;*

94. ORDO QUIS DATUS?] Agendis rebus per omnem vitam, seu totius vitæ decursu. Id est, qua ratione, modo, & ordine vita per singulas ætates instituenda. METÆ] Ætatis, sive ævi ex Dei fato, seu decreto nobis peragendi. FLEXUS] In alteram vitam. In circo ad metam quâ inflectebatur curriculum, *flexus* dicebatur, ut & in stadio. In ipso autem flexu maxima aurigandi industria erat, maximumque periculum imperitiæ. Cum autem humanæ vitæ spatium scitissimè comparetur curriculo Circensi, per *flexum metæ* Persius intelligit artem vitæ regendæ, & moderandæ. *Turneb.* l. 23. c. 23. ET UNDE] Ex quo loco & tempore flexus ille ad artem, & securè faciendus. Nam & locus erat in circo, unde cursum flectere oportebat, qui secus fecerat, rotam plerumque ad metam allidebat.

95. PRO ME] Pro sententia, & dicto meo. PUGNIS ET CALCIBUS] Totis viribus, omni conatu. Adagium Græcis usitatum totidem verbis: Πὺξ καὶ λάξ. Usus & Cicero Act. 5. in Ver. c. 56. *Ibi cum pugnis & calcibus concisus esset.* ECCOS] Ecce hos, quasi digito monstraret hominum turbam seu multitudinem, ut paret attentionem, & aures accommodet Poëta.

96. QUID REFERAS] Quid responsi accipias, quid tibi respondeatur E PRIMIS CŒTIBUS] Ab hoc cœtu primo, vel primis ex hoc cœtu nobis occursuris, quos percontabor. HEUS TU] Conversus ad unum quempiam clamat Diogenes.

97 QUID SUMUS?] Hâc formulâ Persianâ interrogat jam factus propior. INSANIS?] Miratus A. clamorem & insolentiam quæstionis, rogat Diogenem an insaniat? DEUS EST] Deorum sanguis. IN UTROQUE PARENTE] Id est, ex paterna maternaque serie, vel arbore utrâque genealogicâ, regalem duco progeniem : seu pater & mater mihi sunt ex regum progenie descendentes. Regum plerique veterum à Diis prima gentis suæ stemmata deducebant. Inde Ulysses contra Aiacem insigniter crepat apud Ovid. Metamorph. libr. 13. ỽ. 147.

*Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis*
*Altera nobilitas : Deus est in utroque parente.*

98. SALVE DIVORUM &c.] Ridet hominem Diogenes, & abit ad alterum, quæstionem suam prosecuturus.

99. HEROES] Vox est B. quem compellavit Diogenes. De Heröibus vide supra Serm. 10. ad ỽ 158. fol. 335. MUNI TUA SCUTA CORONIS] Et hic toto splene ridet Diogenes, dicendo, scuta tua gentilitia exorna, vel insigni coronis, in morem potentiorum nobilium, quos hodie titulares dixeris; qui simplicibus, & nonnihil obliquum tuentibus galeis non contenti, coronis titulo cuique propriis, clypeos exornant, amantque salvete, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones &c Vid. Sat. 10 ad ỽ. 169 f. 337.

100. QUID SUMUS] Ad C. tertium quemquam progreditur Diogenes, & in eo arripit totum gregem communium nobilium, nullo majori titulo gaudentium. HEROUM CENTESIMUS RAMUS] Respondet C. interrogatus : ex vetustissima Heroum serie descendo centesimâ geneâ vel generatione; seu nepos centesimus à principe gentis auctore. Pers. Satyr. 3 ỽ. 28.

*Sanguine quod Tusco ramum millesime ducis.*

Vide commentatores in hunc locum, de arbore & ramis genealogicis. Nota ordinem: primò percontatur Reges, deinde Principes & optimates, tandem nobiles : & hinc sequitur

101 VADE PARI PASSU &c.] Vade & tu cum Regibus & Principibus, quorum ratio versatur in excellentia nobilitatis Irridet & hic Diogenes, quasi dando idem responsum, quod præcedentibus datum est, & eò hunc ablegando. ET TU] Quartum quempiam E. arripit ex cœtu divitum & mercatorum.

*Quid sumus?* E. *Inclusus latet istâ Juppiter arcâ.*
D. *Et genus & formam regina pecunia donat.*
*Quid sumus?* F. *Imperii titulo quocumque ministri.*
D. *Ansam fortunæ pro conditione tenetis.*
*Quid sumus?* G. *Historici, Vates, promoti in utroque.*
D. *Scrinia doctrinæ, fateor, miracula mundi.*
*Quid sumus?* H. *Expallet, quoties ego nominor, hostis.*
D. *Deaurandum te Rex feriat, vel pectora signet.*
*Hoc sumus: ulteriùs nisi Scipio somniet ullus.*

102. Latet Juppiter arca] Vox est E. qui Diogeni respondet: ac si dicat: dives & opulentus sum, ingens mihi auri vis est. Nam Jupiter in aureum imbrem transformatus, in sinum Danaës illapsus, & voto potitus Persea genuit. Ovid. Metamorph. lib. 4. ỽ. 697.

*Quam clausam implevit, fecundo Iuppiter auro.*
Seneca Tragœd. Oct. ỽ 760.

*----- Cui miranti*
*Fulvo Danaë fluxit in auro.*

Vide Horat l. 3 Od. 16 Inde Petronius Arb. Sat.

*Quisquis habet numos, securâ naviget aurâ,*
*Fortunamque suo temperet arbitrio.*
*Uxorem ducat Danaën, ipsumque licebit*
*Acrisium jubeat credere, quod Danaën.*
*Carmina componat, declamet, concrepet omneis*
*Et peragat caussas, sitque Catone prior.*
*Iurisconsultus* PARET, NON PARET, *habeto,*
*Atque esto quidquid Servius & Labeo.*
*Multa loquor: quidvis numis præsentibus opta,*
*Et veniet. Clausum possidet arca Iovem.*

103. Et genus &c.] Iterum Diogenes, & hunc ridet ac rejicit cum ceteris, dicendo cum Horat. lib. 1. Epi. 6. ỽ. 37.

*Et genus & formam Regina pecunia donat.*

Id est, pecuniæ omnia esse pervia, nihil non posse, omnem formam dare: ut docet Epigramma Petronii Arbitri citatum.

104. Imperii ministri] Quodvis quovis nomine ministerium in aula tenentes. Sic F.

105. Ansam fortunæ et] Et illis illudit, vanam ridendo eorum spem, quâ sibi ab ansâ volubilis fortunæ, quam jam nunc tenent, promittunt autem montes: fortassè ad minimum flamen sinisterioris auræ, in ima casuri, unde numquam emergant.

106. Historici &c.] Et G. Diogeni respondet. *Historici*, Regii fortè historiographi, qui acta Principis, & eventa rerum in commentarios referunt. Vates] Poëtæ Epici, Elegiaci, Lyrici, tragœdi, Comœdi, Satyrici &c. Promoti in utroque] Jure scil. Canonico & Civili, prolytæ, Jureconsulti, Doctores utriusque juris &c.

107. Scrinia doctrinæ &c.] Et hæc Ironia est, quâ tacitè deridet quosdam titulo suo indignos Cynicus, quòd sint tanquam asini portantes mysteria, vel simiæ in purpura: licèt alioquin à vero commendetur sententia, cùm nihil admiratione dignius sit, quàm doctrina.

108. Expallet &c.] Reddit H. aliquis ex cœtu militari hoc responsum: militum ductor sum, belli fulmen, hostium metus & pallor.

109. Deaurandum &c.] Ludit postremò Cynicus, ac si dicat: Rex te creet Equitem auratum. *Aurati* dicuntur equites, à calcaribus inauratis, quibus insigniuntur. Feriat] Rectè: nam Equites gladio feriri solent, dum creantur. Pectora signet] Cruce, vel aureo vellere de quibus suprà Serm. 10. ad ỽ. 170. fol. 337.

110. Hoc sumus &c.] Loquitur tanquam adhuc in vivis Diogenes, & edicit: existimamus tantùm nos id esse, quod ad gloriam, vanitatem, & fucatas nostras voluptates spectat, & quod interrogati se fore responderunt. Ergo nihil ultra id sumus. Nisi scipio &c.] Nisi quispiam alius suæ gloriæ magis velificando, aliquid de se nobilius excogitaverit, quàm de se hîc dixerint interrogati. Quasi dicat: hoc tenen vel vobis confitentibus, nihil vos ultra esse. P. Corn. *Scipio* Æmilianus, seu Africanus minor apud Ciceronem infragmento, quod vulgo inscribitur *Somnium Scipionis*, plurima somniat, audire se ex avo & patre, excellentia, & unde olim gloriari possit. Unde hoc loco *Scipio* ponitur pro sui adulatore, qui

*Hoc homo bulla sumus? Satis est: attollite caudas*
*Sordipedes Junonis aves. Sine vindice constat*
*Quid sumus.* Et quidnam victuri gignimur? *Obe*
*Pingue vel ingenium denodet. Crescat ad unguem*
*Investis, Cypriæ spargatur floribus aulæ,*

qui multa sibi de se pollicetur, & suismet se somniis oblectat.

111 HOMO BULLA] Adagium Græcum: Πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος, id est, *homo bulla*. Eo usus Varro Præfat. lib. de agricult. *Quod si*, inquit, *ut dicitur, homo est bulla, eo magis & senex. Annus enim octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar ex hac vita.* Est autem bulla hoc loco tumor ille inanis, quem videas in aqua bulliente vel aliàs agitatâ, momento temporis enascens & evanescens. Monet nos parœmia de fragilitate, brevitate ac fugacitate vitæ nostræ, quòd omnes brevissimis quibusdam intervallis nascamur & moriamur, & à minimo flatu ex hac vita dispellamur & pereamus. Unde optimè etiam Sophocles inter excerpta Grotiana:

*Nam video nil nos esse mortales, nisi*
*Imaginosa somnia, aut umbram levem.*

ATTOLLITE CAUDAS] Intumescite, superbite. Sarcasmus, & irrisio Cynica.

112. JUNONIS AVES] Pavones. Hæc ales enim Junoni sacra ob fastum & majestatem, quæ reginam Deorum decet. Creditur laudes suas sentire, aut sui admirationem apud circumstantes. Ovid. de Medic faciei ✝. 33.

*Laudatas homini volucris Iunonia pennas*
*Explicat, & formâ muta superbit avis.*

Plinius lib. 10. c. 20 De pavone: *Gemmantes laudatus expandit colores, adverso maximè sole, quia sic fulgentiùs radiant... Idem caudâ annuis vicibus amissâ cum foliis arborum, donec renascatur iterum cum flore, pudibundus ac mœrens quærit latebram..... Ab auctoribus non gloriosum tantum animal hoc traditur, sed & malevolum.* Inde caudas illius meritò superbas appellat Propert l. 2. Eleg. 24. ✝ 11.

*Et modo pavonis caudæ flabella superbæ.*

Nam dum superbit caudam explicat & attollit in gyrum: sordidos verò pedes suspiciens, animos demittit. Hinc pavo symbolum superbiæ vulgo habetur, & passim pingitur. Adagii vice celebratur isthoc Ovid. Metamorph. 13. ✝ 802.

*Laudato pavone superbior, acrior igni.*

Junonis currui subjungitur, quia ut dictum, illi sacer est. SINE VINDICE] Nemine contrarium affirmante, vel defendente. Id est, in confesso est. Vindex hic accipitur pro quovis defensore vel patrono. Sic & Ovid. Fast. 3. ✝ 551.

*Protinus invadunt Numidæ sine vindice regnum.*

113 QUIDNAM VICTURI &c.] Ad secundum quæstionis articulum progreditur, & percontatur. OHE] Admirantis est & indignantis, tam nota & liquida quæri, quæ ubique obvia, non possunt non satietatem & fastidium gignere, cujus nota est interjectio *Ohe*, de qua egimus Sermone 8. ad ✝ 225. fol 285.

114. PINGUE VEL INGENIUM &c.] Etiam stipes & fungus, sciolus & indoctus quispiam hunc nodum dissolverit. *Pingui*, & *crassâ minervâ* exposuimus Serm. 10. ad ✝. 202. fol. 341. ubi & de *pingui ingenio*. CRESCAT AD UNGUEM] Exquisitâ curâ & diligentiâ nutriatur, ac instituatur artibus hoc ævo receptis, & acceptis; id est, à vero animi robore ad mollitiem deflectentibus. *Ad unguem* hîc ferè valet idem, quod ad amussim, pro exactè, & ad artis præcepta, ut diximus Serm. 3. ad ✝ 344 fol. 64 Plutarchus de Sanit. tuend. Δι᾽ ὄνυχος λεγομένη δίαιτα, id est, *ad unguem observata victus ratio.*

115. INVESTIS] Impubes, imberbis, cujus contrarium *Vesticeps*. Apuleius: *Investem à nobis accepisti, vesticipem illico reddidisti.* Virg. lib. 8. Æneid. ✝ 659.

*Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.*

Ubi eruditi volunt *vestem* esse barbam. Lucret. de Rer. Nat. lib. 5 ✝ 674

*-----Impubem molli pubescere veste,*
*Et pariter mollem malis demittere barbam.*

Nonius: *Investes dicuntur impuberes, quibus propter teneram ætatem, nulla pars corporis pilat.* CYPRIÆ SPARGATUR &c.] Amandi, procandi, & molliter comiterque inter puellas versandi artes discat. Hæc patrum in filios cura hodie obtinet apud aulæ proceres, in pestem & perniciem animorum. Optimè Quintilianus lib. 1. c. 2 de seculo suo nostri quàm simillimo: *Mollis illa (liberorum) educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit.*

In

*Sit levior Tipulâ, bibat, & canat, & sonet aptè;*
*Idalios superet, sit Pindarus ore trilingui:*
*Per quidquid Deus est, Jovis ille potentia; totum*
*Quære per Elysium: numquæ Cythereïa virgo?*

*In lecticis crescunt. Si terram attigerint, è manibus utrimque sustinentium pendent. Gaudemus siquid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus.*

116. SIT LEVIOR TIPULA ] Exerceatur, & doceatur, tam flexili membrorum omnium mobilitate, & agilitate saltare, ut terram minimè ferire imò nec tangere videatur. Nempe ut Horat. De virginibus, lib. 3. Od. 6. ℣. 21.

*Motus doceri gaudet Ionicos*
*Matura virgo, & fingitur artubus,*
*Iam nunc, & incestos amores*
*De tenero meditatur ungni.*

*Tipula* bestiolæ genus est, Festo, sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat. Had. Junius Belgicè interpretatur *Waterspinne* Plaut. Pers. 2. 2. 62.

*Neque tipula levius pondus est, quã fides lenonia.*

BIBAT ] Assuescat Baccho & vino generosiori, ut discat non inebriari. CANAT ] Scitè ac molliter cum grata vocis & affectuum modulatione, discat cantare. SONET APTE ] Discat pulsare testudinem, cytharam, chelyn, panduram, sambucum, vel quodvis aliud organum musicum. In his enim spectatur laus & elegantia hodiernæ pubertatis, quantum attinet aulam Cypridis.

117. IDALIOS SUPERET ] Cultu scil. & religione Veneris, à quibus celebres olim inprimis Idalii. *Idalium* Cypri nemus & oppidum, ubi fanum Veneris, quod multa religione visebatur. Catull. Carm. 65. Epith. Pelei & Thed. ℣. 96.

*Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum.*

Venus ad filium Cupidinem de abdendo Ascanio, apud Virg. lib. 1. Æneid. ℣ 684.

*Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,*
*Aut super Idalium sacratâ sede recondam.*

Sententia hæc est: adeò Dionæis ritibus & sacris assuescat, ut etiam Idalios nobilissimos Veneris cultores antevertat. SIT PINDARUS ] Elegans, disertus instar Pindari, qui ἐρωτικὰ, id est, amatoria, & Lyrica scripsit, ob dictionis & numerorum præstantiam Lyricorum ab omnibus Princeps habitus. Inimitabilem illum censet Horatius lib. 4. Od. 2. ℣. 1.

*Pindarum quisquis studet æmulari*
*Iule, ceratis ope Dædalea*
*Nititur pennis, vitreo daturus*
*Nomina ponto.*

Quintil. lib. 10. c. 1. *Novem*, inquit, *Lyricorum longè Pindarus Princeps, spiritus magnificentiâ, sententiis figuris, beatissimâ rerum verborumque copiâ, & velut quodam eloquentia flumine: propter, qua Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem.* Papin. de Pindaro Sil. 4. Car. 7. ℣. 5.

*Tuque regnator Lyricæ cohortis.*

Lyricum carmen ad mensas canebatur: hoc est, in frequenti hominum cœtu, ubi hilaria pertractantur: ut ferè solet hodie in congressibus nobilium & aulicorum. Argumentum erant amores, lusus, potationes. ORE TRILINGUI ] Triplice linguâ vel sermone. Sensus est, doceatur carmina vel cantilenas cantare, aut etiam eadem recitare, vel quidvis aliud disertè eloqui tribus linguis, nimirùm Gallicâ, Hispanâ, Italicâ: nam vernacula nostra Belgica, licèt antiquitate, puritate, proprietate, energiâ & verborum copiâ, quasvis alias possit superare, ut docet Goropius, cùm non excolatur, apud nos languet, floccisit, imò pæne cum laude ignoratur.

118 DEUS EST ] Quacumque arte summus aut singularis est. Sic apud Erasm. invenias adagia *Deum esse*, & *Deum facere*, pro singulari laude dignum esse vel facere. De supra modum fortunato dixit Terent. Hecyr. 5. 4. 3. *Deus sum, si hoc ita est.* De summo vel singulari Cicero l. 2. de Orat. c. 179. *Qui ordo tibi placet, inquit Catulus, & quæ dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper Deus videri soles.* De omnibus numeris absoluto Quintil. l. 1. JOVIS ] Summatis patris sui, divitis & præpotentis. Vide dicta Serm. 10. ad ℣. 10 fol. 317. POTENTIA ] Spes, solamen, voluptas, tutela. Venus de suo Cupidine apud Virg. lib 1. Æneid. ℣ 668.

*Nate mea vires, mea magna potentia solus.*

Papinius Silvar. l. 1. Carm. 2. ℣. 137.

*Sed dabitur juveni, cui tu mea summa potestas*
*Nate, cupis ------*

119. PER ELYSIUM ] Per campos illos fortunatorum, & læta arva, ubi animæ non nisi purgatæ & percolatæ ac Diis dignæ, de quibus adeundus Virg lib. 6. Æneid. & nos suprà ali-

*Mox puero lepores cursu frangantur anhelo:*
*His vegetet nervos. Tum naviter arripiendum*
*Quidquid ad optatæ perducit commoda vitæ.*
*Nempe struantur opes ausu quocumque vel astu,*
*Nî patre sis Crœso: simul obtineantur honores.*
*Esse potestatem, titulis præcellere multos;*
*Tota hinc libertas, popularis & aura resultat.*
*Inde quies vitæ; multis genialiter annis*

quid tetigimus Serm. 7. ad ỽ. 167. fol. 173. In Elysio autem puellas & juvenes deliciari docet Tibull. l. 1. Eleg 3. ỽ. 57.

*Sed me, qui facilis tenero sum semper amori,*
*Ipsa Venus campos ducet in Elysios.*
*Hic choreæ cantusque vigent, passimq; vagantur,*
*Dulce sonant tenui gutture carmen aves.*
*Ac juvenum series teneris immista puellis*
*Ludit, & assiduè prælia miscet amor.*

Metaphoricus hic designatur virginum formosissimarum universitas, ex qua eligatur huic Deo miscenda. NUMQUÆ CYTHEREIA VIRGO] Supple, *adest, visitur, reperitur,* aut quid simile. Eâ scil. formæ venustate, ut cum Venere vel Cytherea de præstantia certet, & digna sit, quæ cum hoc patris delicio delicietur, & amoribus ejus consuescat: aut certè quæ ex Elysio ad Superos transeat, quandoque hu[illegible] Jovis filio dignè nuptura: quasi alioquin non reperiatur in mundo, quæ tantas nuptias mereatur.

120. LEPORES FRANGANTUR] Fatigentur, in fugam agantur: id est, puer vel ephebus venetur, ad corporis exercitium & artuum robur.

121. VEGETET] Corroboret, ad usum faciliorem: quod primâ ætate faciendum. Pollux enim apud La Crida in 4. Æneid. venatorem suum *cupit esse juvenem, agilem, promptum, velocem, acrem, amatorem periculorum, operosum, laboriosum* &c. Et Onomast. 5. venationem vocat studium Heroicum Regiumque, & ad corporis & animi bonam constitutionem conferens. *Gevart.* int. Ferd. fol. 93. NAVITER ARRIPIENDUM] Omni studio & conatu persequendū.

122. OPTATÆ] Mollis, commodæ, splendidæ, lautæ, fastuosæ, sine cura vel metu egestatis, aut ærumnarum &c.

123. STRUANTUR] Parentur, condantur & cumulentur nummi, augeantur census, quocumque demum medio & consilio.

124. NI PATRE SIS CRŒSO] Nisi de quærendis opibus nihil te cogitare velit pater Crœso magis aureus, qui te post mortem regaliter inauret. Vide dicta ad ỽ. 55. fol. 362. OBTINEANTUR] Comparentur astu, importunitate, vel emaci merito. HONORES] Præfecturæ provinciarum, imperia legionum &c. tituli majoris nobilitatis, de quibus suprà ad ỽ 99. fol. 368.

125. ESSE POTESTATEM &c.] Supple *est:* ut ordo sit: titulis multos præcellere, est esse potestatem. Quasi dicat: titulis jam memoratis alios antecellere, aliquod instar potestatis seu principatus habet.

126. LIBERTAS] Quidlibet impunè agendi, & sine offendiculo, vel saltem sine reprehensione. POPULARIS AURA] Favor, plausus, & afflatus populi. Auram namque autumant esse leviorem ventorum flatum, qui æstivo cælo favere creditur. Inde *aurarii*, Servio, *favitores sunt.* Virg. l. 6. Æneid. ỽ. 816.

*----Iam nimiùm gaudens popularibus auris.*

Horat. lib. 3. Od 2 ỽ. 20.

*Arbitrio popularis auræ.*

RESULTAT] Res quippe secundæ favorem & venerationem conciliant: nam ut dixit Serm. 4. ỽ. 532. fol. 83. *fortuna exultans virtutis buccina:* cùm non tantùm ad virtutes excitet spe gloriæ, verùm etiam virtutes majores faciat apud alios. Laudabilia enim Principum & Magnatum facinora, plus admirationis habent, & magis efferuntur, quàm privatorum.

127. QUIES VITÆ] Vita otiosa, deses, mollis, voluptaria, sine censore vel castigatore. MULTIS GENIALITER &c.] Hyperbaton perobscurum sic ordina: quam vitæ quietem qui multis annis sani secundâ Junone aut Cypride, extendunt genialiter sub cultu Cereris & Patris Lyæi, munus adimplent &c. Sensus est, qui multis annis conantur sani vitam exigere, indulgendo veneri,

*Sub Cereris cultu quam qui patrisque Lyæi*
*Fecunda extendunt Junone aut Cypride sani,*
*Ad quod victuri gignuntur, munus adimplent.*
*Sic apis, & vulpes, elephas, formica, leo, sus.*
*Hoc sumus: hoc etiam victuri gignimur.* Ordo
Quis datus? *Ædepol hic rebus feliciter actis,*
*Lascivire iterùm festis epulisque Deorum:*
*Atque illic vario Junonem, Pallada, Martem,*
*Mercurium, Cererem & Bacchum sermone morari;*
*Et narrare Jovis furta exuperantia furta,*

neri, Cereri Baccho, munus adimplent, ad quod genitos se existimant.

128. SUB CERERIS &c.] Commessando & potitando: gastrimargia enim libidinis irritamentum est. Verissimum hoc Terentianum hodie pro adagio celebratur. Eun. 4. 5. 6.

*-----Sine Cerere & Libero friget Venus.*

Quam sententiam expressit hoc modo Euripides:

Νεκρὸν ἀφροδίτη διονύσου δίχα καὶ δήμητρος.

*Mortua nos est Venus sine Baccho & Cerere.*

Hinc & Plautinus senex de juvenili sua ætate, sic loquitur Bacchid. Act. 4. Sc. 10. ℣. 6.

*Duxi, habui scortum, potavi, edi, donavi.---*

129. FECUNDA JUNONE AUT CYPRIDE] Fecundi, vel ex legitimo toro, per nuptias scil. quibus præest Juno, ut vidimus fol. 24. col. 2. vel ex vago aut propudioso complexu, ut sic notetur præcox Veneris usus, & proventus liberorũ ante nuptias. Venus enim non minùs favet pudendis, quàm licitis amoribus. EXTENDUNT] Producunt, agunt, prolongant. SANI] Ævo juvenili, quo minùs noxiè licet operari ejusmodi sacris. Juvenum enim valetudini, non tantum creduntur officere Bacchus, Ceres, Venus, quantum senibus.

130. MUNUS ADIMPLENT] Ironicè, & ad sensum hominum brutorum, qui tum demum existimant se partes hominis egisse strenuè; dum tribus hisce diis pro viribus obsecuti sunt.

131. SIC APIS ET VULPES &c.] Sic parva & magna, noxia & innoxia, callida & incauta, ac universim omnia animantia vivunt, quæ rapiuntur duobus potissimùm sensibus, tactu & gustu, quos veteres ideo appellarunt non humanos, sed brutos. Sensus est: Animantia bruta omnia faciunt eadem, quæ tu, quî ergo differs à Brutis?

132. HOC SUMUS] Nihil ultra: scil. ventris & Veneris mancipia. HOC GIGNIMUR] Ironicè: quasi dicat, ad hoc unum tantùm videmur nobis geniti, cùm eò omnia nostra vota, desideria & studia ferantur. ORDO &c.] Pergit ad tertium articulum quæstionis Persianæ.

133. HIS ACTIS] Hisce rudimentis in pueritia & ephebia ad modum memoratum positis.

134 LASCIVIRE] Lascivo more, & ore versari cum præsentibus instituunt. FESTIS EPULISQUE DEORUM] In symposiis, congressibus & cœtibus virorum Principum, illustrium matronarum, procerum, nobiliumque virginum &c. pro more nobilitatis, quæ solet statis aut condictis diebus maximè hiberno tempore, quo longiorum noctium otia fallat, unà cum filiis & filiabus in unum coire, ludis & choreis vacare, varioque inter se sermone differere, & structâ apophoretorum inprimis & tragematum, cœnâ convivari: Venere ac Junone amorum auspicia plus æquò aliquando fortunante. Galli congressum ejusmodi vocant suâ linguâ, *assemblée* vel *festin*, Itali *festino*.

135. JUNONEM, PALLADA &c.] Principes viros, matronas, nymphas, isthic congregatos. MORARI] Detinere.

137. FURTA] Adulteria, vel clandestinas scortationes. *Furtum* olim dicebatur, quidquid subdolè ac clàm committebatur. Inde adulteria, & clandestini congressus, passim apud Poëtas audiunt furta. De furtis Jovis legendus Ovid. in sua Metamorphosi. EXUPERANTIA JOVIS FURTA] Callidiora, nequiora, magisque furtiva, quàm fuere furta Jovis. Id est, loquitur de amoribus & Venereis, ut elegans & festivus habeatur; sed adeò turpibus, ac ab ingenuo pudore remotis, ut alii in hoc genere per nativam & naturalem Ve-

*Quæ Cytherea Deos celaverat hactenus ipsos:*
*Et celebrata novis facibus connubia, quæque*
*Protea defigant simulandi mille figuras:*
*Extenuare odium, Troiæ pro mœnibus olim*
*Quod fovère Dii, & cum proditionibus iras,*
*Quas exercemus nunc ingeniosiùs orbe,*
*Quàm veteres inter se Dii potuere recocti.*
*Quodque magis stupeant Superûm consortia, cæli*
*Non curant operas homines, nec egere videntur.*

nerem minimè rudes, discant suam ignorantiam, & ad majorem lasciviam proritentur.

138. CYTHERÆA] Venus, & ingenita cuique suæ naturæ procacia. CELAVERAT] Nondum apeƚuerat vel manifestarat. Sensus est, varias referendo turpitudines, docet & accendit lasciviam.

139. NOVIS FACIBUS &c.] Ductâ secundâ conjuge, repudiatâ primâ; aut etiam pluribus: vel ductâ bis eâdem, irritis primis nuptiis ob vitium aliquod contra Canones: vel nequiter pactis nuptiis contra leges & sanctiones Canonicas, ut postea dirempto primo, ineatur secundum conjugium: aut denique ductâ clam pellice, quæ se conjugem arbitretur, ignata viro superesse alteram; vel aliâ quacumque fraude interjectâ: nam in hoc genere plurimæ sunt, etiam inter Potestates. Et hîc allusum ad nuptias probrosas, illo tempore notas. *Faces* olim novis nuptis præferri solitas, diximus Serm. 6. ad ℣ 38. fol. 127 Apud Græcos à matribus ferebantur, apud Romanos à pueris patrimis & matrimis, aut in servilibus nuptiis à servis. Quò spectat id Senec. Med. 27.

*Non ibo in hostes? Manibus excutiam faces.*

140 PROTEA] Qui variatum formarum Deus mirùm fallebat. Vide dicta Serm. 9. ad ℣. 25. fol. 289. DEFIGANT] Admiratione & desiderio novæ artis discendæ detineant. SIMULANDI FIGURAS] Ne furtum, noxam pellicis, aut quemvis astum interpositum rescifcat uxor.

141. EXTENUARE] Elevare, despicere, minoris pendere. ODIUM] Quo Troianos insectati sunt. TROIÆ PRO MŒNIBUS] Durante obsidione decennali, Græcis muros Troiæ vallantibus & quatientibus.

142. FOVERE DII] Partium studio inter se distracti. Ovid. lib. 1. Trist. Eleg 2. ℣. 5.

*Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo:*
*Æqua venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*

Inimica Troiæ numina Venus ostendit filio Æneæ lib. 2. Æneid ℣ 610. & inde. Sunt autem Neptunus, Juno, Pallas; quin & ipse omnibus alioquin idem Jupiter. Variæ illorum insidiæ, in excidium aut salutem Troiæ passim narrantur in Iliade Homeri, & Virgilii Æneide. IRAS] Sic ferme pluraliter de Deorum ira. Virgil. libr. 1. Æneid. ℣. 15.

*-------Tantæne animis cælestibus iræ?*

Ovid. Metamorph. lib. 1 ℣ 166.

*Ingentes animo, & dignas Iove concipit Iras.*

Notat hîc latenter Principum versutias & technas, quibus invicem non raro clàm circumveniunt, licèt inter eos palàm conveniat.

143 QUAS NUNC] Hoc seculo. Ita ex opinione Juvenum, qui præsentia inprimis premunt & extollunt, ignari eorum, quæ jam olim usu venere. Nec mirum, cum ne quidem primoribus labris antiquitatem degustarint, nec vacet illis per mundi studia & nugamenta, probatorum scriptorum lectioni incumbere. INGENIOSIUS] Artificiosiùs & fraudulentius.

144 RECOCTI] Callidi, veteratores, multo usu exerciti; non secus quàm ferri massa igni frequenter reddita, & recocta. Vide quæ diximus Serm. 5. ad ℣. 58 fol. 94.

145. SUPERÛM] Primatum seniorum in hoc consessu talia audientium. Agit enim contra quosdam juvenculos lautiores, qui temere ad id ævi quælibet effundebant in ejusmodi cœtibus, persuasum sibi habentes, quod scirent quam plurima, cum ignorarent pæne omnia. Misera certè ignorantia, quæ ignorat quid. & quantum nesciat,

146 CÆLI OPERAS] Cæli fabricam, sive ipsum cælum, aut opera quibus cælum mereantur. CURANT] Non curare dicunt. Hoc nempe jactitant

*Numina constituunt passim, & se mutuò adorant.*
*Gloria quæ surget, referenti talia, cælo?*
*Maxima; dicetur nam sus docuisse Minervam.*
*Hoc sumus, hoc etiam victuri gignimur, ordo*
*Hic datus. Ast* metæ quàm mollis flexus & unde?
*Scilicet est verum: mors sceptra ligonibus æquat:*
*Mista senum ac juvenum deflentur funera; fortis*
*Nec prior imbelli est: hinc, momentanea quæ mors,*
*Mille modis lethi nos tota ætate fatiget?*
*Non persuadebis quamvis persuaseris. Atqui*
*Elicias citiùs; fugitiva ut gaudia carpas,*

tant insulsè voluptatibus ebrii. EGERE] Cælo: ac si dicant: minimè de cælo cogitant, aut cælum esse credunt, contenti voluptatibus terrenis.

147. NUMINA CONSTITUUNT &c.] In hominibus, quos suspiciunt, adorant, palpant, quæstus vel honoris gratiâ; aut in voluptatibus suis, quas instar Dearum colunt, & iis perpetuò se velint esse sacratissimos.

148. CÆLO] In hoc cœtu & sodalitio illustrissimo primatum, audientibus doctis, & multa auctoritate, & longo rerum usu exercitis.

149. MAXIMA] Ironia. DICETUR] Ab omnibus qui dicta audierunt. SUS MINERVAM] Indoctum & rudem docuisse doctos, à quibus ipse doceri debuerat. Tritissimum adagium apud Græcos: ὗς τὴν Ἀθηνᾶν, quod est apud Latinos: *sus Minervam*: ac tunc dicitur, ut docet Sextus Pompeius, *ubi quis id docet alterum, cujus ipse inscius est.* Minerva enim artium & ingeniorum vindex & præses est. Sus autem animal maximè ignavum, ventri & sordibus deditum, ad epulandum dumtaxat natum; cui anima tantùm pro sale, ut jocatur Varro lib. 2. de Ling. Lat. Id est, ne caro illius, hominum esui opportuna, putrescat aut corrumpatur.

150. HOC SUMUS] Revocat repetitque jam antè citata articulatim ex Persio, quibus nunc abundè responsum: & pergit ad postremum quæstionis articulum.

152. SCILICET EST VERUM] Iterum ex aliorum temerariâ & insulsâ opinione, sive Epicureorum sententia hæc adfert, eo fine ut refutet. MORS SCEPTRA LIGONIBUS &c.] Reges pares facit pauperibus, & pauperes Regibus: eadem enim omnibus. Horat. l. 1. Od. 4. ỷ. 13.

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas*
*Regumque turres.------*

Item lib. 3. Carm. Od. 1. ỷ. 14.

*------ Æqua lege necessitas*
*Sortitur insignes & imos,*
*Omne capax movet urna nomen.*

Claud de raptu Proserp. l. 2. ỷ. 302.

*Omnia mors æquat.-------*

Boëthius libro 2. Metro. 7. ỷ 13.

*Involvit humile pariter, & celsum caput,*
*Æquatque summis infima.*

153. JUVENUM ET SENUM &c.] Æquè moriuntur juvenes, quàm senes. Hor. l. 2. Od. 3. ỷ. 25

*Omnes eodem cogimur: omnium*
*Versatur urna: seriùs, ocyùs*
*Sors exitura, & nos in æternum*
*Exilium impositura Cymbæ.*

Virg. in obit Mæcen. ỷ. 7. seu C. Ped. Albinovan.

*Illa rapit juvenes prima florente juventa,*
*Non oblita rapit, sed tamen illa senes.*

154. FORTIS NEC PRIOR &c.] Non est felicior seu potentior fortis, quàm infirmus & imbecillus, ad protelandam mortem. MOMENTANEA] Momento interimens.

155. MILLE MODIS LETHI] Mille anxietatibus ipsa morte sævioribus. TOTA ÆTATE] Per omnem vitam. FATIGET?] Anxios reddat, affligat, cruciet. Metus enim mortis, ipsa morte gravior est.

156. NON PERSUADEBIS &c.] Numquam mihi tam commodus orator fueris, ut sinam hâc futuræ mortis anxietate me cruciari, ac perimi. Ab Aristophane adagium profluxit: *Non persuadebis,*

*Dum licet, indulgens genio. Cùm sis brevis ævi,*
*Scribitur hora tibi, quâ tu solatia differs:*
*Fabula mox fies, & Manes. Ergo bibamus*
*Ante focum, si frigus erit: stet mensa, sodales,*
*Mens hilaris, cum bellâ cantatrice: fruamur*
*Quo natura, Deus, nos & fortuna beavit.*
*Hoc sumus; hoc etiam victuri gignimur, ordo*
*Hic datus, & metæ sine curâ flexus & unde.*

*debis, ne si persuaseris quidem:* habetque speciem hyperboles, ac si dicerem: non credidero, etiamsi videro.

158. DUM LICET] Per vitam & fortunam. INDULGENS GENIO] Pro genio & lubentia vivens, naturæ & voluptatibus obsecundans. *Genius* veteribus naturæ & voluptatis Deus habitus est. Pers. Satyr. 5. ℣.151.

*Indulge genio; carpamus dulcia: nostrum est*
*Quod vivis: cinis & Manes, & fabula fies.*

Epicuri dictum apud Lactant. lib. 3. de fals. Sapient. c. 17. *Voluptatibus igitur, quomodo possumus, serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur: ne quia ipsi quandoque perituri sumus, id ipsum quod viximus pereat.* Et apud Isaiam c. 22. ℣.13. & 1. Cor. 15. ℣.32. *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* A *genius* fit *genialis*. Sic dies genialis apud Juven. Satyr. 4. ℣.66.

-------*Genialis agatur*
*Iste dies, propera stomachum laxare saginis.*

Id est lætus, & opiparè structo epulo jucundus, ut solet dum sacrificatur genio. Sic dicimus *fraudare genium*, pro semet abstinere ab iis, quæ postulat natura, vel genius. Quod lepidè Plautus dixit, *cum genio belligerare.* Sic enim Truc. 1.2.81.

---*Qui cum geniis suis belligerant, parcipromi.*

BREVIS ÆVI] Cum sis vitæ mortalis & brevis, quæ indies deteritur & roditur à tempore continenter excedente ac properante.

159. HORA] Exigua temporis portio. SOLATIA DIFFERS] Iterum ex dicto Epicuri suprà arguit, aliquem temporis punctum sine voluptate effluere. Mart. lib. 10. Epig. 44. ℣. 5.

*Gaudia tu differs: at non & stamina differt*
*Atropos; atque omnis scribitur hora tibi.*

Ovidius libro 3. de Arte amandi ℣. 61.

*Dum licet, & veros etiam nunc editis annos;*
*Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.*
*Utendum est ætate: cito pede labitur ætas*
*Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.*

160. FABULA ET MANES] Inane commentum eris, quasi vero aliquid tui supersit; cum defuncto corpori superesse Manes, sit mera fabula. Ex Persio desumptum, uti mox ad ℣. 158. citatum.

-----*Cinis & Manes, & fabula fies.*

Id est: sermo tantùm de te supererit, & nihil ulterà. MANES] Corpus funeratum, homo extinctus; verbo, nihil. Nempe ex sensu Epicuri ejusque familiarium. Horat. lib. 1. Od. 4. ℣. 16.

*Iam te premet nox, fabulæque Manes.*

Opinabantur enim non pauci veterum ethnicorum, quæcumque vel Philosophi vel Poëtæ de Manibus, inferis, & reorum cruciatibus tradiderunt, esse meras fabulas ad continendos, & ab impietate deterrendos homines: nempe ut in transversum rapiebantur à desultoriis erroribus paganismi, nondum fundati in petra veritatis & fiduciæ Christianæ.

161. ANTE FOCUM SI FRIGUS ERIT] Tempore brumali, quando focus luculentus humidi frigidique cæli medicamentum, non minimum voluptatis & hilaritatis momentum est. Virgil. Eclog. 5. ℣. 70.

*Ante focum si frigus erit; si messis in umbra.*

MENSA] Basilicè instructa, & gulam irritamentis exacuens, & genio arridens. SODALES] Ejusdem genii & libertatis, justo numero ad excitandam fovendamque lætitiam conducti.

162. MENS HILARIS] Curis ac tædiis soluta, captandis gaudiis accincta & exporrecta. BELLA CANTATRICE] Aliter enim non constant hæc sacra. Ternario enim Bacchi Veneris & Cereris numine hic consummantur omnia.

164. HOC SUMUS] Concludunt bellissimo hoc epiphonemate voluptarii, malis suis gratulando.

165. SINE CURA FLEXUS] Hypallage: pro flexus

*Vivite lurcones, comedones, vivite ventres;*
*Aut, sultis, viles Epicuri de grege porci.*
*Hîc lateat ratio? Divinæ hæc tessera mentis?*
*Sic hominum sermo est.* E. *Mentiris.* D. *Cede duello*
*Incivile animal. Refert quis se exprimat ore,*
*Cùm facinus vivat, si re, si dixerit ausu?*

flexus sine cura vel formidine metæ, seu temporis unde flectendus cursus. Id est, non timemus vitæ nostræ curriculum in metam impingere; nec ideo curamus, unde flectere incipiamus. Ac si dicat: sine curâ mortis vivimus, nec ad eam nos præparamus. Vide suprà ad ỳ. 94. fol. 368.

166. VIVITE &c.] Versus hic, tantus quantus, Lucilianus est, ex libro Satyrarum 4. in reliq. Dousæ n. 9. LURCONES] Gulosi, qui rem suam lurcando absumunt. *Lurcare* autem Nonio est, cum aviditate cibum sumere. Auctor in M. SS. exponit, *qui sua dilapidant comedendo, id est, nepotes.* His accedunt *comedones*, qui edunt ob solam gulæ voluptatem; id est, edunt ut edant, non ut corpus pascant, aut legi naturæ, ac Hygeiæ obtemperent. VENTRES] Soli ventri dediti, ventris mancipia. Terent. Phorm. 5. 7. 95.

-----*Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.*

Ubi Donatus, *in ventrem*, inquit, *quasi parasito.*

167. SULTIS] Si vultis, vox Plauto familiaris, particula mitigans invidiam vel ruditatem imperii, ut suprà, *sis*, pro, *si vis.* Sermon. 9. ad ỳ. 23. fol. 288. Plaut. Asin. Prol. 1.

*Hoc agite, sultis, spectatores, nunc jam.*

EPICURI DE GREGE PORCI] In sordibus voluptatum fœdissimarum volutati, porcorum instar, gutturi & abdomini turpissimè servientes. Horat. lib. 1. Epl. 4. ỳ. 16

*Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.*

Epicuri dictum est apud Cicer. lib. 2. de fin. c. 7. *Ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quid sit ullum bonum, præter illud, quod cibo aut potione, & aurium delectatione, & obscœna voluptate capiatur.* Unde pessimè traductus est apud posteros omnes Epicurus, tanquam auctor fœdissimarum voluptatum, & à Zenone BESTIA appellatus. Ipse tamen, ut auctor est Laërtius in ejus vita, vir optimus fuisse memoratur. Quamquam enim in jucunditate vitæ summum bonum collocabat, jucundè tamen sine virtute vivi negabat. Seneca lib. de vita beata cap. 13 *Invitis hoc nostris popularibus dicam, sancta Epicurum & recta præcipere, & si propiùs accesseris tristia. Voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur.* Fuit autem ipse Philosophus Atheniensis, vitæ continentissimæ, qui teste eodem Laërtio, aquâ & cibario pane contentus vixit. Inde Juven. Satyr. 14 ỳ. 319.

*Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.*

168. LATEAT RATIO] Non videat, quantum contra se ac judicii sinceritatem peccetur. TESSERA] Signum & imago divinitatis, quæ est ratio ipsa. Hæc enim sola hominem arguit.

169. SIC HOMINUM SERMO EST.] Sic loquuntur homines, cum revera non abhorreant à secta Epicurea. MENTIRIS] Alius quispiam ex hodierno grege Epicureorum: ac si dicat: nemo voluptati, ejusque assertori Epicuro hodie consentit vel adstipulatur, sed uno ore omnes ejus opiniones condemnant. CEDE DUELLO] Abi hinc, noli mecum contendere, satis rationibus meis jam victus es & defixus. Diogenis respondentis vox. *Duellum* pro bello passim; bellum autem pro pugna, vel quavis contentione. Horat. lib. 3. Od. 14. ỳ. 18.

*Et cadum Marsi memorem duelli.*

170. INCIVILE] Crudum, superbum, arrogans, violentum, acerbum. Civilis enim dicitur, qui sævus non est, sed moderatus; incivilis, superbus & arrogans. Turneb. lib. 5. c. 11. Quid autem hodie incivilius, & responso sedatiore indignius, quàm spectatç fidei viro oggerere isthoc, *mentiris?* SE EXPRIMAT ORE] Ac si dicat: nihil refert ore edicere, quod facto loqueris: id est, homines quidem ore vel sermone suo non probant Epicurum, sed factis & vivendi ratione. Avarus enim licèt ore detestetur, imò dedoceat avaritiam; moribus tamen illam asserit, & alieno sæpe damno amplectitur.

171. FACINUS VIVAT] Cùm re ipsa id faciat, quod ore videri vult condemnare. Rectissimè hìc philosophatur sub persona Diogenis Poëta. Hâc enim ætate palàm omnes in Epicurum, ejus sectatores, & voluptatis turpissimum idolum inve-

*Nîl ita quàm ratio mortalibus errat in udo;*
*Nil minùs observant. Servam venerantur ad usus,*
*Nituntur dominam cohibere celeusmate juncto.*
*Carcere secludunt & cannabe subdolâ, aluntque*
*Cortice silvestri. Deus, aut mihi dicite Musæ,*
*Quæ ratio; quòd nec ratio nos servet ab ictu,*
*Nec medicet ratio: nam hæc munera vestra, Puellæ.*
*Ipsa, aies, ratio; sed non exculta. Quiesce.*

vehuntur, pauci tamen vivendi methodo & ratione, ab ejus institutis se alienos profitentur. Unde voluptas, licèt cæca, nec sermone se prodens, solida tamen res est: è diverso continentia λόγοι, sine corpore nomen, ut suprà ℣. 30. fol. 359. In hoc Epicureis similes & ipsi Epicuro, de quo Lactant. l. 3. de fals. Sap. c. 17. *Hac ille*, inquit, *tametsi non dicit verbo, re tamen ipsa docet.*

172. In udo] In ore, in labris. Persius Satyrâ 1. ℣. 104. -----*Summa delumbe saliva Hoc natat in labris: & in udo est Mænas & Atys.* Id est, in ore est, vel de illis assiduus est sermo. Vox enim ab arteriarum, faucium & oris madore, uda dicitur. Sic Virg lib. 7. Æneid. ℣ 533.

----*Hæsit enim sub gutture vulnus, & uda*
*Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam.*

Sententia itaque hæc conficitur: nihil tam frequenter in hominum ore versatur, quàm speciosa illa & superficiaria ratio, quæ ore asseritur, facto perimitur. Servam] Optimè, quatenus scil. cupiditatibus & voluptatibus commoda subseruit. Primùm enim homini lubentia, pro voluntate est, deinde excogitatur & protrahitur ratio, quâ id specie tenus fiat honestum, quod revera pravum est, & rationi adversum. Ad usus] In rem & commodum suum.

174. Dominam] Imperantem tristia, incommoda, & sensibus fastidiosa. Cohibere] Supprimere, abscondere, excogiratis ratiunculis quibusdam, veri speciem habentibus. Celeusmate juncto] Unanimi jussu, consensu, vociferatione. Cicero Tusc. QQ lib. 3. c. 3. *Maximus quidam magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo.* Eleganter & bellè utitur hâc voce *celeusma*: est enim clamor nautarum, vel aliorum, cùm uno aliquid jubente, omnes uniformiter respondent: quasi invicem jubentes, & ad factum idem exhortantes. Origo illius est, ἀπὸ τῦ κελεύω, quod est *jubeo*. Mart. lib. 3. Epig. 67. ℣. 4.

*Lentos tingitis ad celeusma remos.*

175. Carcere secludunt.] Servilem in morem habent rationem, captivam sub imperio sensuum & perturbationum eam detinentes. Cannabe subdola] Funibus & vinculis cannabinis vafri, corrupti, ac mendacis ingenii, quidlibet ad arbitrium & gustum sensuum dulcantis, ac illiberaliter sibi decernentis.

176. Cortice silvestri] Constringunt illam moribus pravis consuescere, educando silvestrem in morem: uti olim homines inculti & rudiores, qui glande arborumque cortice victitarunt. Clemens Alex. libr. 1. Strom. Aliodios sinè tecto refert habitare, corticibus indui, glandes & arborum baccas comedere, aquam bibere. Milites Antonii dum Alpes transcendebant, arborum cortices abliguriebant. *Plutarchus* in M. Anton. Erasmus Colloq. Cyc. Euang. *Ista gladiatoria laterum firmitas, vel fœno arborumque corticibus poterat ali.*

177. Ratio] Quid caussæ. Ratio] Mens rationis compos. Ab ictu] Tyrannicæ cupiditatis aut voluptatis dominatu; & diro verbere flagitiorum.

178. Medicet ratio] Jam mentem à crimine ictam, & sauciatam curet vel sanet. Munera vestra] A musis enim & Pallade vel sapientia, discimus pravos animi motus frenare & componere.

179 Ratio] Mens corporis vinculis nexa, pravis cupiditatibus mersa; seu natura primogeniâ primi hominis labe infecta, & semper in malum inclinans. Non exculta] Non instructa vel instituta bonis litteris, vel sapientiæ studiis; unde discant satiùs esse animo & rationi, quàm sensibus morem gerere. Quiesce] Ac si dicat,

*Vos ego compello, quibus irrorare juventæ*
*Mentibus incumbit sacras cum moribus artes:*
*Quæ caussa abscessus, tantive occasio morbi?*
*Respondent: Sanos dimisimus. Ergo aliunde*
*Suppeditate rogo. Melius non discere sæpè*
*Ingenuas artes, quàm non perdiscere, credunt.*
*Sidera culpantur, seclum, contagio belli.*
*Ridiculum. Pueros multi præclara minantes*
*A formâ ingenui deturbavere parentes,*
*Plurima dum primæ inculcant præpostera curæ;*

dicat, hîc subsiste paullulum: aditus enim est ad digressionem.

180. VOS EGO &c.] Apostrophe ad præceptores politioris litteraturæ, & artium ac Philosophiæ doctores. IRRORARE] Sensim instillare, infundere, quà docendo, quà exercitando.

181. SACRAS ARTES] Venerandas & religiosas disciplinas. CUM MORIBUS] Ingenuis, honestis, & ad rationis & honestatis amussim exigendis. Uti in Belgica quidem fieri solet, per sodales Eremitanos S. Augustini, nec non per PP. Societatis Jesu in toto orbe, qui juventutem in gymnasiis suis litterariis, non modò litteris, sed etiam moribus bonis, pietate, timore Dei, Religione &c. magna cum sedulitate & charitate instituunt: vel hoc uno de republica Christiano-catholica optimè merentes. Digni proinde, qui vel ideò gratas omnium ubique in se voluntates experiantur.

182. QUÆ CAUSSA ABSCESSUS &c.] Exulcerationis communis, & morbi universalis. De voce *abscessus*, vide supra Ser. 8. ad ℣. 74. fol. 266.

183. RESPONDENT] Doctores, magistri, præceptores. SANOS] Bonis præceptis institutos, innocentes, incorruptos. DIMISIMUS] Ex palæstra litteraria. ERGO] Concludit Diogenes.

184. ALIUNDE SUPPEDITATE] Alias nobis proferte caussas & rationes hujus mali. MELIUS NON DISCERE &c.] Rectissimè: satius enim plerumque est non discere, quàm non perdiscere: & tolerabilior est indoctus, quàm sciolus. Quintil. lib. 1. c. 1. *Nihil peius est iis, qui paullum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt.*

186. SIDERA] Situs regionis, terræ clima, astrorum inclinationes. SECLUM] Consuetudo hujus ævi, longo usu roborata. CONTAGIO BELLI] Morum corruptio & perversitas, à militum nobis commixtorum ferociâ & licentiâ sensim contracta, & invalescens: uti jam tria propemodum secula inter arma gemuit Belgica nostra: utinam Deus quis è Machina!

187 RIDICULUM] Ac si dicat: Ridiculum est culpare clima, seculum vel bellum: aliunde malum nascitur. PRÆCLARA] Res magnas, facta insignia, animos & fortitudinem heroïcam. MINANTES] Promittentes. Horat. l. 2. Sat. 3. ℣. 9.
*Atqui vultus erat multa & præclara minantis.*
Et idem lib. 1. Epistol. 8. ℣. 3.
*Si queret quid agam: dic multa & pulchra minantem.*
Sic & Virgilius pro *minari* dixit *promittere*. l. 2. Æneid. ℣. 96.
*Promisi ultorem, & verbis odia aspera movi.*
Quamquam ferè minamur mala, promittimus bona, ut vult Servius in Virg.

188. A FORMA] A venustate, institutione, regulâ. INGENUI] Honestatis & virtutis: id est veræ sapientiæ, quæ inprimis decet ingenuos. DETURBAVERE] Arcuere, aut neglectê eorum institutione removêre vel dejecêre. Sic A. Gellius lib. 8. c. 9. *Theophrastus deturbatus verecundiâ obticuerit.*

189. PRIMÆ CURÆ] Primis rudimentis, seu inter primorum annorum exercitia & documenta. INCULCANT PRÆPOSTERA] Aliqua perversa, noxia, vel saltem minùs necessaria, quæ postea vel sponte sua, vel rerum usu, vel commodiùs per præcepta assequantur. Imò quandoque talia, quæ in ipso vitæ aditu, nefas sit novisse.

*Quando vetant raſis inſcribi ſacra tabellis,*
*Quando negant aptos fingendis moribus annos,*
*Quando negant ſolis formari pectora Muſis.*
*Educat indulgens nunc pæne paterculus omnis*
*Ad ſpecimen tantùm natos ; ſine Numine multi.*
*Nempe impollutis deferri pauca Camœnis :*
*Sic obiter multi , quaſi ſit ſine numine Numen.*
*Hinc ea prima mali labes , hinc fons & origo*

190. Rasis tabellis] Ingeniis puerorum jam aptis ad quamvis formam ſeu boni ſeu mali recipiendam. Non ſecus quam tabella raſa, & poſtremùm comparata ad quamvis ſcripturam, ſeu bonam, ſeu malam. Sacra] Cultum animi, Dei reverentiam, puram religionem, bonas artes. Vetant] Eos diſciplinæ non ſubmittendo, non coërcendo à pravis otiis, non impellendo ad exercitia litteraria.

191. Negant aptos annos] Dum contendunt primos pueritiæ annos, non eſſe idoneos formandis moribus ad ſeveriora ſtudia. Inde quæ pueri imprudentes aliquando peccant, cum riſu & plauſu excipiunt parentes; etiam ea, quæ ætate adultiore non ferant, quæque ſerò poſtea nitantur corrigere.

192. Negant solis Musis] Ut incuriam ac indulgentiam excuſent, aiunt non ſolis litteris ab ingenuis pueris incumbendum eſſe; ſed etiam artibus aulicis, equeſtribus, militaribus, ludicris, choreis &c. Pectora] Ingenia. In corde enim ingenium, mentem, & ſapientiam reſidere, ſuprà oſtendimus ad ℣. 89. fol. 367. Horat. libro 1. Epl. 4. ℣. 6.

*Non tu corpus eras ſine pectore.-----*

193. Indulgens] Multum libertatis & arbitrii concedens filiolo : eumque relinquens propriæ voluntati, ut ſuo guſtu & ductu ſectetur ſtudia placentia. Paterculus] Scitè, per contemptum, & diminutionem; quaſi patris nomen non mereatur, cui non eſt paterna auctoritas & poteſtas in filium, niſi multùm diminuta.

194. Ad specimen tantum] Ad oſtentationem & inanem ſpeciem, ſeu externum apparatum, ut plauſum captet aulicorum & vulgi. Lucil. lib. incert. in Reliq. Douſæ n. 16.

*Aurum atque ambitio ſpecimē virtutis utriq; eſt:*
*Quantum habeas tanti ipſe ſies, tantiq; habearis.*

Sine numine] Nihil de Deo, religione, credendorum ſymbolo, ſacrarum legum & præceptorum obſervantia, ceteriſque ſpectantibus animi incolumitatem, filiis inſtillant : perinde ac ſi athei ipſi, nihil rectum de Deo, vel animarum immortalitate ſentirent.

195. Nempe impollutis &c.] In ſui excuſationem adferunt : parum prodeſſe litteras : eas non tanti fieri in aulis Principum, ut quis ob earum imperitiam arceatur à gradibus honorum ſublimioribus; maximè ſi verſutiis, dolis, uſu rerum, agendi dexteritate careat. Id eſt : meræ Muſæ vel ſcientiæ vilipenduntur, niſi polluantur, & hac ratione commendentur à malis & perverſis artibus, quæ hoc ævo delectant & detinent potentes.

196. Sic obiter] Adeò tumultuariè ac perfunctoriè. *Obiter* quaſi *ob iter*, vel in tranſitu ſeu tranſcurſu. Sine numine Numen] Ac ſi foret Deus ſine majeſtate, auctoritate, vel vindicandi poteſtate. Uni quandoque Deo plura *numina*, id eſt poteſtates, tribuunt Poetæ. Junoni octo, ut minimùm, Gyraldus. Inde Virgilius quærens, quod numen Junonis læſum, iſtas, contra Æneam & Troianos, iras concitaverit; ſic canit lib. 1. Æneid. ℣. 12.

*Muſa mihi cauſſas memora ; quo numine læſo;*
*Quidve dolens Regina Deûm, tot volvere caſus*
*Inſignem pietate virum, tot adire labores*
*Impulerit. Tantæne animis cæleſtibus iræ?*

Id eſt, quam Junonis poteſtatem læſit. Idem non obſcurè innuit Arnob. lib. 2. contra Gent. *Ut enim Dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, poteſtates ; neque eorum ab aliquo, id quod ejus non ſit poteſtatis ac licentiæ, poſtulatis.* Utuntur hoc verbo *numen* veteres plerumque, cùm de Deorum offenſa ſermo eſt. Vide La Cerda in l. 1. Æneid.

197. Hinc ea prima mali &c.] Excuſſo Dei timore, ac ſpe impunitatis ſemel admiſſa, laxan-

*Tot generum vitiis corrupti protinus ævi.*
*Quos video pueros cum libertate vagari,*
200. *Esse coërcendos sub virgâ pluribus annis*
*Autumo, Pieridúmque jugis sine fine rotandos;*
*Ventum erit, æternum spectans cum Pythagorei*
*Grammatis ad bivium, quò invadant Herculis ore*
*Molle voluptatis spectrum virtutis amore.*

laxantur claustra in quælibet vitia, malefacta, & flagitiorum monstra.

198. CORRUPTI ÆVI ] Ætatis juvenilis, sive adolescentiæ, omnium vitiorum illuvie & cœno olidissimè stagnantis.

199. CUM LIBERTATE VAGARI ] Ut passim videre licet, otiabundos per vias publicas, quolibet diei tempore, prorepere; domi vel in palæstra abjectis studiis. Inde declinant ad mala otia, popinas, aleam, scorta, pugnas, latrocinia &c. parentibus minimè castigantibus, imò quandoque ultro indulgentibus.

200. SUB VIRGA ] Sub disciplina ac ferula præceptoris, pædotribæ, grammatici vel artium doctoris.

201. AUTUMO ] Dico, censeo, opinor: vide A.Gell. l.15. c.3. Ubi Nigidii dictum tanquam audacius argutiusque reprehendit, quo voluit *autumo* dici tanquam *abæstumo*: hoc est, *totum probo*. PIERIDUM JUGIS ] In parnasso, ludo litterario, vel academia. ROTANDOS ] Formandos. Vide metaphoram à rota figuli, suprà ad ℣. 36. fol. 359. SINE FINE ] Continenter ac incessanter, ne temporis opportunitas negligatur, & neglecta iis olim fraudi sit.

202. VENTUM ERIT &c. ] Hyperbaton tres versus confundens, sic ordina: quò amore virtutis invadant molle spectrum voluptatis, cùm erit ventum ad bivium grammatis Pythagorei, spectans æternum. Id est mittens vel ad dextram vel ad lævam, vel ad beatam, vel ad calamitosam & horrendam æternitatem.

203. BIVIUM GRAMMATIS PYTHAGORÆI ] Littera Pythagoræ, seu nota hæc Y, id est, duo rami utrimque se ex uno stipite in altum erigentes, quorum sinister amplus & latus, vitii; dexter angustus, virtutis viam; stipes, impubetem & tenellam ætatem ad alterutrum indifferentem, designant. Quò spectat istud Persii Sat. 5. ℣. 34.
*Cùmque iter ambiguum est, & vitæ nescius error,*
*Deducit trepidas ramosa in compita mentes.*
Auctor epigrammatis de littera Y, quod inter opera P. Virgilii Maronis circumfertur. ℣. 1.
*Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,*
*Humanæ vitæ speciem præferre videtur.*
*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,*
*Difficilemque aditum primum spectantibus offert:*
*Sed requiem præbet fessis in vertice summo.*
*Molle ostendit iter via lata: sed ultima meta*
*Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.*
Persius Satyr. 3. ℣ 56.
*Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos,*
*Surgentem dextro monstravit limite callem.*
*Ramos* vocat *Samios*, à Pythagora Samio, ejus litteræ vel grammatis inventore. Hæc de se inter alias, apud Auson. de litt. Græcis & Lat. ℣. 9.
*Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis.*

INVADANT HERCULIS ORE ] Eâ fortitudine ac generositate à se repellant, quâ Hercules. Hunc Prodicus Ceius Socratis præceptor de virtute verba faciens, commentus est, jam ephebum in deserto ad bivium dubitasse, utram viam eligeret: deinde à virtute ac voluptate, suam utrâque semitam commendante, interpellatum, rejecisse vanas pollicitationes voluptatis, arduum virtutis iter ad beatam immortalitatem inivisse. Commentum plurimis refert Xenophon. lib. 2. Memorab. Et ex eodem Cicero lib. 1. Off. c. 118. Meminit & Max. Tyrius Dissert. 4. apud Gevart. Int. Ferd. fol. 159. Et Stephanus Vinandus Pighius Præfat. ad suum Hercul. Prodic.

204. VOLUPTATIS SPECTRUM ] Imaginem voluptatis, seu speciem mulieris ad omnem lasciviam & mollitiem comparatæ. Vide Xenophont. loc. cit. VIRTUTIS AMORE ] Ut duce virtute ad gloriam perveniat. Sententia universim hæc est: Dico pueros, quos passim otio diffluere & vagari video, diu esse in scholis detinendos & exercendos, ut jam puberes, de rebus apti judicare, ac constituti in bivio deligendæ rationis aut vitæ instituti, fortiter queant voluptatem spernere, virtutem amplexari.

*Crede mihi, primos sibi testa reservat odores.*
*Percipies genitor cum damno dedecus, ultrò*
*Quod sese reteget; digitisque in pectine junctis,*
*Attollensque oculos positâ caligine, tandem*
*Illacrymans dices: Quò me meus abstulit error!*
*Non veto, curriculo studiorum ritè peracto,*
*Usibus externis quæ concomitantia alumnum*
*Exercere meum: jure hæc mortalibus addo.*
*Doctus & experiens evadat, per mare currat,*
*Per terras, mores hominum cognoscat, & urbes;*
*Tergora per gyros sudantia lasset equorum,*
*Sectetur lepores, & tendat retia cervis,*

205. PRIMOS SIBI TESTA &c.] Id est, quidquid primis annis puero instillaveris, in reliquum vitæ tempus reservat, non secus quàm odores primùm infusos testa. Horat. lib. 1. Epl. 2. ℣ 69.

*Quo semel est imbuta recens servabis odorem*
*Testa diu.------*

206. GENITOR] Tu quicumque genitor es. CUM DAMNO] Tuo maximè, & filii. DEDECUS] Perpetuam apud alios ignominiam.

207. RETEGET] Aperiet ac se manifestabit. DIGITSSQUE IN PECTINE JUNCTIS] Mœrentium ac suspirantium gestu, quo staminis instar pectinem textrinum filatim subeuntis, utriusque manus digiti invicem complicantur. Ovidius Metamorph. 9. ℣ 298.

*----- Dextroque à poplite lævum*
*Pressa genu, digitis inter se pectine junctis.*

208. POSITA CALIGINE] Mentis cæcitate jam depositâ, postquam demum & serò intellexeris, quàm turpissimè in educatione liberorum tuorum erraveris.

209. QUO ME MEUS &c.] Quo me tam procul à ratione abripuit error incuriæ vel ignaviæ meæ. Virgil. Ecl. 8. ℣. 41.

*Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.*

Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 2. ℣ 99.

*Immo ita, vos scitis: si me meus abstulit error.*

Idem lib. 2. Trist. Eleg. 1. ℣. 109.

*Illa namque die, quâ me meus abstulit error.*

210. CURRICULO PERACTO] Absolutis studiis litterarum politiorum, & Academicis.

211. USIBUS EXTERNIS] Commercio humano succurrentibus, hominem ingenuum inter pares venustantibus, quæque non tam ducant ad doctrinam, quàm eam comitentur, nec liberalium scientiarum studia aut exercitia remorentur. ALUMNUM MEUM] Præceptis meis imbuendum, aut quem ego instituendum suscipiam. Sententia est: non damno cetera quævis ingenua & honesta exercitia, quibus præter litteras hodierna adolescentia operam dat. Quin imò

212 JURE HÆC MORTALIBUS ADDO] Jubeo etiam & volo, ut semet iis exerceant.

213. DOCTUS ET EXPERIENS &c.] Agendis rebus, versando & consuescendo cum hominibus prudentibus, rerum peritis, & callidis, prudentiam, judicii maturitatem, justam in rebus curam & astutiam sibi comparet. *Experiens* hoc loco est prudens, peritus, & qui suâ scientiâ fretus periclitari, & tentare res audet. Horat. lib. 1. Epl. 17. ℣. 42.

*Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.*

*Expertus* autem est, qui longo usu habitum quemdam, & facilitatem assecutus est.

214. MORES HOMINUM COGNOSCAT] Ut sciat quid ex illis laudandum vel vituperandum, quid amplectendum & persequendum, quid detestandum & fugiendum sit.

215. TERGORA PER GYROS &c.] Discat scitè & ex arte equitare in circo, & equos feroces perdomare. Nempe ut diximus suprà Serm 7. ad ℣. 302. fol. 205. *ad intus, ad extra &c.* Id enim præcipuum & primum est equestris fortunæ ornamentum.

216. SECTETUR LEPORES &c.] Venetur, aut venari discat. Nobile enim, equestre, imò heroïcum

*Ad numeros saltet, quin scloppis eminus uti,*
*Et jaculo, & pharetris, & discat cominus ense;*
*Pingere, nare, loqui, & digitos cum voce movere:*
*Siquid ad ornatum & juvenum solatia restat*
*Prætereà, extremis jubeo gustare labellis;*
*Tempore nequa sibi immeritò putet esse negata.*
*Plurimâ cum primâ resecantur frivola barbâ,*
*Plenè cum sacris qui lallavere Puellis.*
*Hos transscribe tibi de te metuenda Virago:*

roicum & regium id esse exercitium, suprà ad ℣. 121. fol. 372. ex Polluce docuimus.

217. AD NUMEROS SALTET] Ad modulos symphoniacos agili pede, scitè & artificiosè saltare discat. SCLOPPIS EMINUS &c.] Majoribus tubis ignivomis dextrè laxandis, & rectè in scopum evibrandis. *Scloppus* propriè sonus est ex buccarum inflatione erumpens: ab eruditis, post inventum pulverem pyrium, pro fistulis ignem vomentibus usurpatur. Vide suprà Serm. 7. ad ℣. 40. fol. 157.

218. JACULO ET PHARETRIS] Sagittare quovis sagittandi genere, vel arcu, vel ballista. COMINUS ENSE] Digladiati.

219. PINGERE] Quantum satis est, ad usum familiarem & frequentiorem: puta ad delineationes architectonicas, & castrenses. NARE] Ut aquis demersi emergant, & rebus poscentibus domi vel militiæ flumina transmittant. LOQUI] Aptè, disertè, ac cum pondere argumentorum de quavis re differere. DIGITOS CUM VOCE MOVERE] Inter loquendum, cum gestibus concinnis propositum suum defendere ac stabilire. Quæ res si usquam terrarum, obtinet in Italia, ubi pueri & homines etiam triviales, tam oris, oculorum & manuum conformatione, quàm totius corporis habitu & constitutione, eloquentiam minimè puerilem aut trivialem ostentant.

220. JUVENUM SOLATIA] Oblectamenta, tædiorum diverticula, honesta otia, utilia & jucunda temporis detrimenta.

221. EXTREMIS LABELLIS] Leviter, per transennam, in transcursu. *Primoribus labris*, dixit Cicero, uti & *extremis digitis attingere*. Orat. pro M. Cæl. c. 28. *Multos & vidi in hac civitate & audivi, non modò qui primoribus labris gustassent genus hoc vitæ, & extremis ut dicitur digitis attigissent.* Ducta est metaphora à tenuiter degustantibus, nihilque in stomachum transmittentibus. *Erasm.*

222. TEMPORE NEQUA &c.] Ne forte olim seu futuris temporibus arguat parentes, tutores vel educatores suos; quòd hæc aut id genus alia sibi contra fas & æquum negata fuere.

223. CUM PRIMA BARBA] Prima lanugine, quæ jam adolescentibus primùm rasitatur. Phrasis & consilium Juvenalis Sat. 8. ℣. 166.

*Quædam cum prima resecentur crimina barba,*
*Indulge veniam pueris.*-----

Sensus est, quædam pueritiæ vitia, unà cum barba deponuntur. Primam barbam, adolescentes magnę indolis & patricii ordinis apud Romanos, resectam, Diis consecrabant. Sic refert Tranquil. de Nerone c. 12. barbam primam conditam in auream pixidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecrasse. Athenienses cum ex ephebis excessissent, primitias crinium Delphos deferebant. Vide Alex. ab Alex. l. 5. c. 18.

224. PLENE] Supple, iis qui plenè &c. QUI LALLAVERE &c.] Id est, qui cum ipsis Musis educati sunt, & loqui didicerunt. *Lallare* dicuntur infantes, dum blandiusculis verbis incipiunt efferre tritum isthoc *la la*. Quamquam non desint, qui id accipiant pro blandimentis nutricum, quibus in somnum componere tentant infantes, occinentes antiquissimum istud *la la la*: ut apud nostrates nutriculas *na na*. Alii accipiunt pro dormire: ut in illo Persii Satyr. 3. ℣. 16.

-----*Et iratus mammæ lallare recusat.*

Prima interpretatio non displicet Plautio. Infantium enim primus conatus loquendi in hos similésve sonos ferè desinit.

225. HOS TRANSCRIBE] Adolescentes nobiles litteris ceterisque tam pacis quàm belli artibus

tibus

*His confide tuas quascumque, Philippe, cohortes:*
*Militiæve domíve illis date munia Reges.*
*Armis consilium, ceu consilio arma requiro.*
*Majorum libet hîc quorumdam scita referre.*
*Turpe laboriferis bene natos credere Musis;*
*Quos sua nobilitas, & centum millia census*
*Sevocat ad majus. Tantùm mihi filius unus,*
*Omnibus Uraniis, Melda, irascentibus, inquit,*
*Unica qui matrisque suæ patrisque voluptas,*

tibus jam recensis instructos, transfer in jus tuum, & militiæ tuæ adscribe. *Transcripti* apud Romanos dicebantur, qui in colonias deducebantur, quasi ex urbe in aliam transcripti. Virgil. lib. 5. Æneid. ℣. 750.

*Transcribunt urbi matres, populumque volentem*
*Deponunt.--------*

METUENDA VIRAGO] Pallas belli præses, hastâ & ægide formidabilis. Ovid. Metam. lib. 2. ℣. 765. Palladem eâdem phrasi describit.

*Huc ubi pervenit belli metuenda virago.*

*Virago* propriè dicitur, quæ viri partes vel officium explet, fortis, audax, generosa, intrepida &c. Sic Virgilius Juturnam, quæ Metiscum aurigam dejecerat, & jam partes illius aurigandi viriliter explebat, viraginem appellat l. 12. Æneid. ℣. 468.

*Hoc concussa metu mentem Iuturna virago,*
*Aurigam Turni media inter lora Metiscum*
*Excutit, & longè lapsum temone relinquit.*

Festus apud Passeratium in Catull. *Feminas quas dicimus, antiqui viras appellabant, unde adhuc permanent virgines & viragines.* Sic apud Hebræos *is*, dicitur vir, *issa*, fœmina; unde servatâ ratione etymologica in textu Hebræo Gen. 2. ℣. 23. rectè dicitur: *hæc vocabitur virago* (Hebræis *issa*, priscis Latinis *vira*) *quoniam de viro sumpta est.*

226. CONFIDE TUAS COHORTES?] Ex his tuarum cohortium, manipulorum, turmarum, & legionum duces elige. PHILIPPE] Maxime Hispaniarum & Indiarum Monarcha. Alloquitur sub persona Diogenis Dominum suum Poëta: PHILIPPUM scil. Austriacum ejus nominis IV. Regem Catholicum, Belgarum optimum Principem, qui ad id tempus vastissima regna, & provincias Belgicas moderabatur.

227. MILITIÆVE DOMIVE &c.] Credite ac committite illis præfecturas, & munia tam sagi, quàm togæ; tam militaria, quàm civilia: pacis enim Martisque artibus & studiis instructi sunt.

228. ARMIS CONSILIO &c.] Ut armis consilium, ita consilio arma necessaria esse dictito. Neque enim minùs prudentiâ, quàm fortudine geruntur & fortunantur bella. Hinc & Pallas sapientiæ Diva, bellis etiam præesse credita est: & vis sine consilio sua mole ruit, ut vidimus suprà Serm. 7. ad ℣. 354. fol. 220.

220. MAJORUM] Primatum & potentiorum quorumdam hujus ævi. SCITA] Sententias, opiniones, dicta; præpostera nempe.

230. TURPE LABORIFERIS &c.] Turpe est, addicere scientiis & artibus, sine improbo labore, ac obfirmato studio, non acquirēdis. BENE NATOS] Illustres, nobiles, & natalibus claros adolescentes. Argumenta sunt illorum, quos molitur corrigere.

231. CENTUM MILLIA CENSUS] Amplissimi census & divitiæ: centenorum millium, v.g. aureorum, seu florenorum quotannis.

232. SEVOCAT] Ab hominum doctorum communi sorte. AD MAJUS] Res altiores & nobiliores, quàm sint honores, census, aut præmia Musarum & artium.

233. OMNIBUS URANIIS IRASCENTIBUS] Omnibus astris, auguriis, auspiciis reclamantibus, & sinistra quæque minitantibus: vel Musis omnibus indignantibus, maximè sublimioribus: qualis Uranie, quæ Astronomiæ aliisque artibus cælestibus præest. *Vranie* dicta, ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, id est, à cælo. Inde etiam *Venus Vrania*, de qua Xenoph. in Symp. & Rhodig. l. 14. c. 4. MELDA] Nomen confictum, ut tutius vapulet is, quem notat. Hic namque Marchionem, aut Comitem quemdam suggillari, docent sequentia.

234. UNICA QUI &c.] Filius unicus, spes & deli-

*Obtundendus erit, consumendúsque Camœnis*
*Vilibus, ut vilis sit mercenarius umquam,*
*Aut legat, aut scribat, legúmve ænigmata solvat,*
*Ceu dominus Doctor, qui multâ abnormis in arte?*
*Nil solidi. Ignoscat vestra Excellentia: vellem*
*Nobilium studiis, quæ non de pane lucrando,*
*Immaturus adhuc bello, rebúsve gerendis,*
*Se puer exiguis vacuisque impenderet horis,*
*Otia ne pravâ temerent rubigine sensus.*

delicium unicum, utriusque parentis.

235. OBTUNDENDUS] Obruendus, hebetandus. Sani antiphrasticè dictum existimēt. CONSUMENDUS] Debilitandus, enervandus, perimendus.

236. CAMŒNIS VILIBUS] Abjectis, vulgaribus, proletariis. Ita quidam ignobiles, iis non imbuti, artes liberales & ingenuas despiciunt, quòd earum ope ac adminiculo, videant homines de vulgo, ex imis sordibus ad honores fortunasque emergere. MERCENARIUS] Mercede conducendus, ut consilio præsto sit, caussas agat, suadeat, patrocinetur, vel arte suâ prosit consulenti aut conducenti.

237. AUT LEGAT] Prælegat, doceat in auditoriis Academicis, explanet vel interpretetur leges canonicas & civiles. Agitur hîc de studio vel disciplina legum: ad alias enim facultates nobilium liberi rariùs destinantur. Mathematica enim, Politica, & Historica, ex usu eorumdem, leges plerumque comitantur. SCRIBAT] Caussam quæstione scriptâ sibi propositam, scripto deducat, rationum & legum pondera expendat & proferat: argumenta, commoda, incommoda, aliaque rerum adjuncta coacervet. Hodie talia scripta barbari appellant, *advisamenta, motiva* &c. ÆNIGMATA] Loca obscuriora, quæ magis conjecturis, quàm firmis rationibus illustrantur. Vide quæ diximus de *ænigmatis* suprà Serm. 3. ad ℣. 126. fol. 41.

238. CEU DOMINUS DOCTOR] Ironicè. Sic enim nobiles, obscuros, licèt etiam eruditos, despiciunt; quòd existimant titulum dominii non virtuti aut doctrinæ, sed solis natalibus, ordini equestri, aut toparchiis deberi. Sed, si rectè calculum ponimus, cum Seneca dominium sapientibus tribuimus. Et olim teste eodem Epl. 47. Patresfamilias domini vocati sunt. Et Epl. 3. di-serte edicit: *obvios quosque, dum nomen non succurrit, dominos compellamus.* Quibus respondet hodiernus mos. Sed nomen istud varia, apud varios significat: apud Theologos solum Deum, apud aulicos solum Principem, apud nobiles solos equites: reliqui enim *domini* aut *domicelli* titulo jubentur esse contenti. ABNORMIS IN ARTE] Licèt excultus & eruditus, moribus tamen abnormis est, seu deviat à norma nobilium & ingenuorum hominum. Vide Horat. citatum suprà Serm. 2. ad ℣. 61. fol. 28.

239. NIL SOLIDI] Vox est Diogenis: ac si dicat, rationes tuæ parùm solidæ aut firmæ sunt. IGNOSCAT VESTRA EXCELLENTIA] Pro more aulæ, ac hodiernæ urbanitatis compellat hominem: seriò an joco, vel ironicè, tu lector conjice. Hâc formulâ salutamus Marchiones & Comites &c. Dicto suo veniam hâc ratione præfatur; ne alioquin offendat unum hunc ex eorum numero, de quibus Serm. 10. ℣. 13.
*Id sibi permittunt... Quod nolint ratione premi.*

240. NON DE PANE LUCRANDO.] Non quæstuosis, aut quibus opera navetur victus parandi gratiâ. Aliunde enim prospectum est nobilitati, illi potissimū, cui ampliores agri & fortunæ.

241. IMMATURUS BELLO] Nondum aptus militiæ, impubes. REBUSQUE GERENDIS] Negotiis domesticis curandis aut publicis.

242. VACUIS] Ab aliis rebus, puta lusu, somno, mensâ, cursu, venatu, colloquio &c. IMPENDERET] Litterariis exercitiis, quæ veram nobilitatem ornant, & ad cultum animi spectant.

243. OTIA NE TEMERENT SENSUS] Corrumpant ac depravent ingenia, cor ab honesti amore retrahant, animos enervent. RUBIGINE] Vitiorum, pravorum habituum, quæ rubiginis instar, dum non excoluntur, animos inficiunt &

*Non, adipifcendis, propriè, quod honoribus aptum,*
*Speque pecuniolæ quod fit, ftudium voco (conftet*
*Semper magnorum reverentia in arte virorum)*
*Sed quod perpetuis arcet velamina curis,*
*Supplantatque animo appofitum quodcumque ferinum eft,*
*Noctes atque dies fecretam garrit ad aurem:*
Quid fumus? & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, & metæ quàm mollis flexus & unde?
*Jurare unius quis nos in verba magiftri*
*Urgeat? ad metam ftudiis non tendimus unam.*

exedunt. Sic ferrum quod manibus vel ufu non teritur, rubiginem conrrabit. Optimè ptoverbia: *otia dant vitia*. Item, *homines nihil agendo malè agere difcunt*. Et iftud Menandri:

Δειλῶν δὲ ἀνδρῶν δειλὰ τὰ φρονήματα

*Ignavorum virorum ignava cogitationes.*

Verinus: -------- *Corrumpunt otia mentem.*

244. NON ADIPISCENDIS &c.] Sic ordina: non voco propriè ftudium, quod inftituitur adipifcendis honoribus. Quafi dicat: nolim magnatum filios iis artibus incumbere, quibus fibi honores parare fperent; nam cùm in culmine honorum & fortunarum fuarum verfentur, non eft cur eo fine ad ftudia impellantur.

245. SPEQUE PECUNIOLÆ] Quæftus fpe, quo non egent, fortis & cenfus fui opulentiâ fecuri. STUDIUM VOCO] Verum ftudium & honeftum. Indicat primum ftudiorum finem apud omnes effe oportere, cultum animi: eoque nomine indignam operam quamcumque, quæ perdifcendis artibus alio fine impenditur

246. CONSTET REVERENTIA &c.] Ac fi dicat per hanc parenthefin: nolim inftitutum doctorum virorum arguere, qui hac ratione vitam tolerant & reipublicæ profunt: nam fordido fine cùm ad ftudiorum facra minimè accefferint; & ubique animos ad generofum honeftum conentur inclinare, eos præ ceteris magni faciendos, & perpetuò venerandos fore omnibus exiftimo. De illis enim aliud opinandum eft.

247. ARCET VELAMINA] Perturbationes & cupidines mentem offufcantes; feu cæcitatem in difpiciendo, quid quovis loco vel tempore agendum fit. PERPETUIS CURIS] Continente anxietate, attentione, titubatione, quid hîc aut nùnc agendum vel fugiendum fit.

248. SUPPLANTATQUE] Vincit, fternit, dejicit, & domat. *Supplantare* propriè dicuntur, qui pede fuppofito vel objecto aliquem fternunt aut dejiciunt. Et in hoc luctatorum verfatur victoria. Id tamen in curfu fieri vetat Chryfippus apud Ciceron. lib. 3. Off. c. 42. *Qui ftadium, inquit, currit, eniti & contendere debet, quàm maximè poffit, ut vincat: fupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet.* QUODCUMQUE FERINUM EST] Quiquid à calle rationis deflectit, & magis beliuinum eft, quàm humanum. Quippe contagione corporis, animus non tatò in brutas & ferinas appetitiones prorumpit.

249. GARRIT] Inceffanter occinit, fonatque illud Perfianum Sat. 3. ✠. 67. *Quid fumus* &c. SECRETAM IN AUREM] In aurem mentis abftrufam, & ab hominum vifu fecretam.

252. JURARE UNIUS &c.] Quid cogat uni eidemque inftituto vel difciplinæ nos dedere? Quafi innuat, varias effe fcientias & facultates, ex quibus eligatur, quod animo collibitum fuerit. *Iurare in verba magiftri* dicuntur, qui eafdem ubique, ac prorfus invariatas auctoris cujufpiam opiniones fectantur: ut videantur, illo facramenti formulam præeunte, in verba ejus juraffe. Horat. lib. 1. Epl. 1. ✠. 14.

*Nullius addictus jurare in verba magiftri.*

*Iurare in verba* quandoque etiam dicuntur, qui femper anxiè faciunt, quod alius fuadet, promittit, vel poftulat. Sic Horat. Epod. 15. ✠. 4.

*In verba jurabas mea.*

253. AD METAM NON &c.] Varii varia nobis propofita habemus in perdifcendis artibus, feu in varios fines vel metas curfum noftrum dirigimus; licèt tamen animi cultum, tanquam principalem finem refpicere, omnes oporteat.

254.

*Sunt quæ delectent, nostris quædam usibus errant:*
*Hîc data libertas: animum formantia nemo*
*Evadat, nisi qui silvis alimenta requirat.*
*Detinuit multos numeris animosa Poësis:*
*Judice si vulgo studium sit inutile, saltem*
*Segregat à vulgo, conceptibus imbuit altis,*
*Recreat ingenuos, illuminat, occupat, ornat.*
*Certa Mathematicæ jaciat fundamina: quâvis,*
*Nec minor est virtus, eluditur arte Cupido:*

254. SUNT QUÆ DELECTENT] Voluptate quâdam animi constanter nos detineant, & tenerè afficiant. NOSTRIS USIBUS ERRANT] In usus nostros rebus ita poscentibus, quandoque convertenda: licèt non principaliter illis inhæreatur, sed studio quasi desultorio in ea feramur.

255. LIBERTAS] Eligendi quod libuerit. ANIMUM FORMANTIA] Studia litteraria, qualiacumque fuerint, modò ad animi cultum faciant. EVADAT] Omittat aut negligat.

256. NISI QUIS SILVIS &c] Nisi quis ab omni hominum societate ac commercio remotus, in silvis habitare decreverit, & inter feras velit vagè pasci, & obbrutescere.

257. NUMERIS] Pedibus metricis, harmoniâ Poëticâ, versibus, quæ reddunt orationem ipsam venustiorem, & ad commovendos hominum affectiones potentiorem. Pers. Satyr. 1. ℣. 13.

*Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.*

ANIMOSA] Spirituum poëticorum impulsu orationem animans, & semet efferens.

258. STUDIUM SIT INUTILE] Minimè quæstuosum, nihil ad opes & honores parandos conducens. Præter laudum enim inanias, & ventosas manuum complosiones, nihil mercedis Poëticæ relictum est. Assentit Sulmonensis lib. 4. Trist. Eleg. 10. ℣. 21.

*Sæpe pater dixit, studium quid inutile tentas?*
*Mæonides nullas ipse reliquit opes.*

Vide quæ diximus Serm 2. ad ℣. 55. fol. 22.

259. SEGREGAT A VULGO] Facit, ut homines de vulgo post te relinquas, illos superes & præcellas: quæ sunt prima vota, & studia veræ nobilitatis. Nobiles enim *honestum*, vulgus *utile* sibi propositum habent. CONCEPTIBUS IMBUIT &c. ] Altis & animosis cogitationibus, & ad veram virtutem stimulantibus, mentem pascit.

260. INGENUOS] Illustres, nobiles, liberales, ingenuis artibus deditos. *Ingenui* enim sunt, qui parentibus liberis nati, aut saltem eorum altero non libertino. OCCUPAT ] Ne mens malè otietur, & in pravas artes & habitus delabatur. Ovid. lib 5. Trist. Eleg. 7. ℣ 65.

*Sic animum tempusque traho: meque ipse reduco,*
*A contemplatu submoveoque mali.*
*Carminibus quæro miserarum oblivia rerum.*
*Præmia si studio consequar ista, sat est.*

ORNAT ] Facit, ut ceteræ quævis dotes vel laudes, quæ in te sunt, venustiores appareant.

261. CERTA FUNDAMINA ] Primas regulas magis necessarias, seu principia; quæ quidem *certa* dicuntur optimè, quia demonstrantur clarissimè, & ad oculum. Rhodig. l. 16. c. 4. de mathematicis agens: *Scire oportet*, inquit, *mathefeos studia apud veteres, inter puerorum rudimenta esse connumerata. Porrò ejusmodi ferè deprehenduntur hæ disciplinæ, ut à limine aut paulò interiùs consalutata, in philosophia profecturis multum afferant adjumenti. Quod si in illis diutiùs morandum gyris, aut etiam consenescendum ducas, non gradus tibi ad altiora pares, sed lapsum struas.* Optimè itaque Noster canit, *jaciat fundamina*, nihil ultrà: nequis à se abreptus, statuat apud hanc Sirenem consenescere.

262. NEC MINOR EST VIRTUS ] Fugere aut fallere Cupidinem vel amores, in quos ætas illa adolescentiæ prona est: quàm virtutem quamvis aliam exercere. QUAVIS ARTE ELUDITUR.] Quacumque aliâ occupatione mentis vincitur & irridetur: otia enim fovent Venerem. Ovid. de Remed. lib. 1, ℣. 141.

*Quam Platanus vino gaudet, quâ populus unda,*
*Et quam limosâ canna palustris humo;*
*Tam Venus otia amat. Qui finem quæris amoris,*

 (Ce-

*Circino & interdum prodest occasio. Cælum*
*Scrutetur cum sideribus, motusque, polosque:*
*Præter ephemeridas quidquam latet arte sub ista:*
*Aut vacet historiis: discat generosa, suisque*
*Tempora temporibus diu præcedentia nectat:*
*Quò valeat populi rector moderare futura.*
*Indaget rerum caussas, elementaque discat*
*Corporis humani, quibus organa nostra moventur*

*(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.*

263. CIRCINO] Qui dum vertitur in gyrum, centro manente immobili, circulum designat. Primum Mathematicorum instrumentum. Sub Mathematica comprehendes omnes disciplinas, quæ firmis nituntur demonstrationibus: ut sunt Geometria, Astronomia, Musica, Arithmetica &c. Antonomasticè quippe hoc nomen sortita est Mathematica, cùm sit nomen generale deflexum ἀπὸ τοῦ μαθήματος, quod est id, quod quis discit, aut didicit. PRODEST OCCASIO] Hypallage, pro circinus prodest occasioni: id est, utilis est cuivis occasioni. Principibus enim, Ducibus, Imperatoribus, Chiliarchis, aliisque militiæ præfectis, non raro accidunt locus & tempus, ubi mathematica cognitio illis prosit, aut usui sit. Polybius lib. 9 censet opus esse Ducibus cognitione mathematum & theorematum, maximè Astrologiæ & Geometrices.

264. CUM SIDERIBUS MOTUSQUE &c.] Studeat Astronomiæ, cujus est proprium siderum motus, ortus, occasus, ac universam cæli regionem observare.

265. PRÆTER EPHEMERIDAS &c.] Mathematicas scil. quas vulgo *calendaria*, seu *almanaca*, à voce Arabica *manaca* nominamus: quæ non sunt nisi tabulæ fastorum, seu lunaria astronomorum, quibus uti ortus, occasus, concursus, aut alia siderum accidentia quolibet die anni indicantur, ita & ex siderum inclinatione & influxu in hæc corpora sublunaria, futurarum rerum eventa divinantur. Vide suprà Serm. 4. ad ✝ 61. fol. 73. Sunt etiam *ephemerides* in quibus rationes domesticæ describuntur. Sententia sit: ne quis fortè sordes vulgarium lunariorum dictis meis objiciat: Astronomia non tantùm facit ad conficiendas componendásve ephemerides mathematicas, seu vulgares illas & ridiculas divinationes, sed etiam ad alia multa: nimirùm ut cognoscantur sub sideribus regiones, earum situs, maria & æstus, ortus & occasus solis & lunæ, ad distinguenda tempora &c. Quæ omnia, uti rei bellicæ artibusque imperatoriis non rarò subserviunt, ita & viris generosis & militaribus non sunt indigna. Lipsius inter ceteras artes Principe dignas Not. ad lib. 1. Polit. Cap. 10. recenset etiam Astronomicam, *ut tempora anni*, inquit, *imò & tempestates noverit, aut præsagiat: dies noctesque alibi diversas; communiter cursus siderum, & alia jucunda, sed & usui, ad opportunitates aggressionum terrâ & mari.*

266. VACET HISTORIIS] Ut in re quavis ardua, & in omni deliberatione illi faveat Consus. Lipsius ibid. *Ad prudentiam palàm faciunt politica & historia, quas dixeris eorum fontem: quod illa præceptis complexa sunt, hæ præiverunt exemplis: & prudens aliqua, meliorque mens hauries semper ex istis. Hæc propria & peculiaris lectio ac palæstra Principum: se atque otium hic exerceant, incredibili suo & alieno fructu.* DISCAT GENEROSA] Fortia facta virorum, quibus ad æmulationem & gloriam accendatur.

267. TEMPORA TEMPORIBUS NECTAT] Inter se conferat, & ex eventis rerum à seculis gestarum, discat, quid hoc tempore iisdem aut similibus rebus accidentibus, & adjunctis concurrentibus, sibi faciendum sit.

268. POPULI RECTOR] Si quando regendo populo admotus fuerit. MODERARE FUTURA] Mitigare mala quæ prævidet. Id est, prospiciendo futuris dextrè ac prudenter gubernare.

269. INDAGET RERUM CAUSSAS] Vacet Physicis vel Physiologiæ, quæ in corporis naturalis principiis, affectionibus, partibus & formis explicandis versatur: nimirum, *ut mentem attollant*, teste Lipsio ibidem, ut ad ✝. 265. *& abducant à vano metu aut admiratione rerum.* ELEMENTAQUE] Principia & partes, ut jam dictum. Quò spectant Aristotelis Physicorum libri octo.

270. ORGANA NOSTRA] Instrumenta actionum

*Spiritibus, quâ parte animæ vitæque facultas.*
*Volvat Aristotelem quo de virtute locutus*
*Codice, & impuris pueros à moribus arcet:*
*Quo duce se vincat: de se victoria magna est.*
*Vimina flectuntur facili conamine, non sic*
*Robora silvarum. Quem mavis elige cultum:*
*Pro cujusque patent, in diversissima, mente*
*Atria Musarum: nec enim fecundior aula.*
P. *Ille vorat libros, qui non sapit.* D. *Ipse fatebor:*
*Ut qui deliciis farcitur, macrior & fit;*

num vitalium, seu membra corporis, sensuum organa &c. Græcis ὄργανον nihil est aliud, quàm Latinis instrumentum. Peculiariter tamen dicitur de instrumentis symphoniacis, & famosè de uno: ut diximus Serm. 8. ad ℣. 46. fol. 261.

271. SPIRITIBUS, QUA PARTE &c.] Generatim & verbo, det etiàm operam libris Aristotelis III. de animô, cujus principes facultates, quâ parte materiæ adhærescit, fusè in his explicantur; ubi primùm de vegetante, deinde de sentiente, postremò de vi intelligendi disceptatur.

272. VOLVAT ARISTOTELEM &c.] Aristotelis Ethicorum libros decem, quibus universam doctrinam de moribus complectitur, de virtute media, & vitiis utrimque extremis copiosè ac disertè disserendo. Principem, inquit Lipsius ibidem, ut ad ℣. 265. *probum moribus, ingenio modestum, constantem adversùm metus, æqui amantem, facient Ethica, & quam verè ac propriè Philosophiam licet dicas.*

273. IMPURIS] Pravis vel perversis. PUEROS] Jam Ephebos vel adolescentes, & pares factos iis ipsis intelligendis.

274. QUO DUCE SE VINCAT] Quo morum institutore, scil. eodem Aristotele discere possit, quemadmodum refrenet cupidines & pravas animi commotiones, ac se ipse vincat. DE SE VICTORIA &c.] Scitum Platonis libr. 1. de legibus: *Omnium victoriarum prima & optima, se ipsum vicisse.* Optimè iterum Gandensis noster Epictetus Havræus Arc. Virt. Sat. 3. ℣. 278.
*Vis summum imperium nancisci? Vince teipsum*
*Multos ipse reges, modò tu ratione regaris.*

275. VIMINA] Virgulæ tenues: id est, pueri teneri facilè flectuntur. Ætas enim tenella quamvis flexionẽ admittit, robusta & virilis non item.

276. ROBORA SILVARUM] Quæ jam adolevere, & ad justam magnitudinem & duritiem excrevere, inflecti ultrà ad nullam partem queunt.

277. PRO CUJUSQUE MENTE] Pro cujusque ingenio, & propensione naturali. IN DIVERSISSIMA] Studia, nihil commune cum aliis habentia, seu planè à se mutuo diffidentia.

278. ATRIA MUSARUM] Regnum, Palatium, & dominatus Musarum. NEC ENIM &c.] Non est aula vel dominatus tam latè patens & vastus, quàm Musarum; quarum potestas se porrigit ad omnes artes & disciplinas, quæ litteras & ingenium desiderant.

279. ILLE VORAT LIBROS &c.] Argutatur Poëta, & notat quemdam sui ævi fatuum aut fungum (Principem fortè aut Potentem) qui per assiduam & vigilem lectionem, nihil sapientior evadebat. *Vorare libros* dicuntur, qui inexhaustâ aviditate, numquam saturi, libros volvunt & evolvunt. Indè Cicero M. Catonem vocat *librorum helluonem* lib. 3. de fin. c. 7. Et lib. 4. ad Att. Epl. 10. Nos, inquit, *hic voramus literas, cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio: qui te omnesque vos salutat.* QUI NON SAPIT] Persistit in metaphorâ comedendi vel vorandi; ac si dicat, qui gustum non habet, qui nĩl sapit. Sententia est: Hic & ille studiis liberalibus insudant, & stulti habentur, vin' me iis accensere? IPSE FATEBOR] Iterum Diogenes, etiam in eâdem metaphorâ.

280. UT QUI DELICIIS FARCITUR &c] Qui lautissimis indies vescitur cibis, & nihilominus macrescit; non ciborum, sed stomachi, cibos non conficientis, vitio. Seneca Ep. 2. *Sed modò inquit, hunc librum evolvere volo, modò illum. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quæ*

 ubi

*Circino & interdum prodest occasio. Cælum*
*Scrutetur cum sideribus, motusque, polosque:*
*Præter ephemeridas quidquam latet arte sub ista:*
*Aut vacet historiis: discat generosa, suisque*
*Tempora temporibus diu præcedentia nectat:*
*Quò valeat populi rector moderare futura.*
*Indaget rerum caussas, elementaque discat*
*Corporis humani, quibus organa nostra moventur*

*(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.*

263. CIRCINO] Qui dum vertitur in gyrum, centro manente immobili, circulum designat. Primum Mathematicorum instrumentum. Sub Mathematica comprehendes omnes disciplinas, quæ firmis nituntur demonstrationibus: ut sunt Geometria, Astronomia, Musica, Arithmetica &c. Antonomasticè quippe hoc nomen sortita est Mathematica, cùm sit nomen generale deflexum *ἀπὸ τοῦ μαθήματος*, quod est id, quod quis discit, aut didicit. PRODEST OCCASIO] Hypallage, pro circinus prodest occasioni: id est, utilis est cuivis occasioni. Principibus enim, Ducibus, Imperatoribus, Chiliarchis, aliisque militiæ præfectis, non rarò accidunt locus & tempus, ubi mathematica cognitio illis prosit, aut usui sit. Polybius lib. 9 censet opus esse Ducibus cognitione mathematum & theorematum, maximè Astrologiæ & Geometrices.

264. CUM SIDERIBUS MOTUSQUE &c. ] Studeat Astronomiæ, cujus est proprium siderum motus, ortus, occasus, ac universam cæli regionem observare.

265. PRÆTER EPHEMERIDAS &c. ] Mathematicas scil. quas vulgo *calendaria*, seu *almanaca*; à voce Arabica, *manaca* nominamus: quæ non sunt nisi tabulæ fastorum, seu lunaria astronomorum, quibus uti ortus, occasus, concursus, aut alia siderum accidentia quolibet die anni indicantur, ita & ex siderum inclinatione & influxu in hæc corpora sublunaria, futurarum rerum eventa divinantur. Vide suprà Serm. 4. ad ℣ 61. fol. 73. Sunt etiam *ephemerides* in quibus rationes domesticæ describuntur. Sententia fit: ne quis fortè sordes vulgarium lunariorum dictis meis objiciat: Astronomia non tantùm facit ad conficiendas componendásve ephemerides mathematicas, seu vulgares illas & ridiculas divinationes, sed etiam ad alia multa: nimirùm ut cognoscantur sub sideribus regiones, earum situs, maria & æstus, ortus & occasus solis & lunæ, ad distinguenda tempora &c. Quæ omnia, uti rei bellicæ artibusque imperatoriis non rarò subserviunt, ita & viris generosis & militaribus non sunt indigna. Lipsius inter ceteras artes Principe dignas Not. ad lib. 1. Polit. Cap. 10. recenset etiam Astronomicam, *ut tempora anni*, inquit, *imò & tempestates noverit, aut præsagiat: dies noctesque alibi diversas; communiter cursus siderum, & alia jucunda, sed & usui, ad opportunitates aggressionum terrâ & mari.*

266. VACET HISTORIIS ] Ut in re quavis ardua, & in omni deliberatione illi faveat Consus. Lipsius ibid. *Ad prudentiam palàm faciunt politica & historia, quas dixeris eorum fontem: quod illa præceptis complexa sunt, hæ præiverunt exemplis: & prudens aliqua, meliórque mens hauries semper ex istis. Hæc propria & peculiaris lectio ac palæstra Principum: se atque otium hic exerceant, incredibili suo & alieno fructu.* DISCAT GENEROSA] Fortia facta virorum, quibus ad æmulationem & gloriam accendatur.

267. TEMPORA TEMPORIBUS NECTAT] Inter se conferat, & ex eventis rerum à seculis gestarum, discat, quid hoc tempore iisdem aut similibus rebus accidentibus, & adjunctis concurrentibus, sibi faciendum sit.

268. POPULI RECTOR] Si quando regendo populo admotus fuerit. MODERARE FUTURA] Mitigare mala quæ prævidet. Id est, prospiciendo futuris dextrè ac prudenter gubernare.

269. INDAGET RERUM CAUSSAS] Vacet Physicis vel Physiologiæ, quæ in corporis naturalis principiis, affectionibus, partibus & formis explicandis versatur: nimirum, *ut mentem attollant*, teste Lipsio ibidem, ut ad ℣ 265. *& abducant à vano metu aut admiratione rerum.* ELEMENTAQUE] Principia & partes, ut jam dictum. Quò spectant Aristotelis Physicorum libri octo.

270. ORGANA NOSTRA] Instrumenta actionum

*Spiritibus, quâ parte animæ vitæque facultas.*
*Volvat Aristotelem quo de virtute locutus*
*Codice, & impuris pueros à moribus arcet:*
*Quo duce se vincat: de se victoria magna est.*
*Vimina flectuntur facili conamine, non sic*
*Robora silvarum. Quem mavis elige cultum:*
*Pro cujusque patent, in diversissima, mente*
*Atria Musarum: nec enim fecundior aula.*
P. *Ille vorat libros, qui non sapit.* D. *Ipse fatebor:*
*Ut qui deliciis farcitur, macrior & fit;*

num vitalium, seu membra corporis, sensuum organa &c. Græcis ὄργανον nihil est aliud, quàm Latinis instrumentum. Peculiariter tamen dicitur de instrumentis symphoniacis, & famosè de uno: ut diximus Serm. 8. ad ℣. 46. fol. 261.

271. SPIRITIBUS, QUA PARTE &c.] Generatim & verbo, det etiàm operam libris Aristotelis III. de animô, cujus principes facultates, quâ parte materiæ adhærescit, fusè in his explicantur; ubi primùm de vegetante, deinde de sentiente, postremò de vi intelligendi disceptatur.

272. VOLVAT ARISTOTELEM &c.] Aristotelis Ethicorum libros decem, quibus universam doctrinam de moribus complectitur, de virtute media, & vitiis utrimque extremis copiosè ac disertè disserendo. Principem, inquit Lipsius ibidem, ut ad ℣. 265. *probum moribus, ingenio modestum, constantem adversùm metus, æqui amantem, faciunt Ethica, & quam verè ac propriè Philosophiam licet dicas.*

273. IMPURIS] Pravis vel perversis. PUEROS] Jam Ephebos vel adolescentes, & pares factos iis ipsis intelligendis.

274. QUO DUCE SE VINCAT] Quo morum institutore, scil. eodem Aristotele discere possit, quemadmodum refrenet cupidines & pravas animi commotiones, ac se ipse vincat. DE SE VICTORIA &c.] Scitum Platonis libr. 1. de legibus: *Omnium victoriarum prima & optima, se ipsum vicisse.* Optimè iterum Gandensis noster Epictetus Havræus Arc. Virt. Sat. 3. ℣. 278.
*Vis summum imperium nancisci? Vince teipsum*
*Multos ipse reges, modò tu ratione regaris.*

275. VIMINA] Virgulæ tenues: id est, pueri teneri facilè flectuntur. Ætas enim tenella quamvis flexionẽ admittit, robusta & virilis non item.

276. ROBORA SILVARUM] Quæ jam adolevere, & ad justam magnitudinem & duritiem excrevere, inflecti ultrà ad nullam partem queunt.

277. PRO CUJUSQUE MENTE] Pro cujusque ingenio, & propensione naturali. IN DIVERSISSIMA] Studia, nihil commune cum aliis habentia, seu planè à se mutuo diffidentia.

278. ATRIA MUSARUM] Regnum, Palatium, & dominatus Musarum. NEC ENIM &c.] Non est aula vel dominatus tam latè patens & vastus, quàm Musarum; quarum potestas se porrigit ad omnes artes & disciplinas, quæ litteras & ingenium desiderant.

279. ILLE VORAT LIBROS &c.] Argutatur Poeta, & notat quemdam sui ævi fatuum aut fungum (Principem fortè aut Potentem) qui per assiduam & vigilem lectionem, nihil sapientior evadebat. *Vorare libros* dicuntur, qui inexhaustâ aviditate, numquam saturi, libros volvunt & evolvunt. Indè Cicero M. Catonem vocat *librorum helluonem* lib. 3. de fin. c. 7. Et lib. 4. ad Att. Epl. 10. Nos, inquit, *hic voramus literas, cum homine mirifico (ita mehercule sentio) Dionysio: qui te omnesque vos salutat.* QUI NON SAPIT] Persistit in metaphorâ comedendi vel vorandi; ac si dicat, qui gustum non habet, qui nîl sapit. Sententia est: Hic & ille studiis liberalibus insudant, & stulti habentur, vin' me iis accensere? IPSE FATEBOR] Iterum Diogenes, etiam in eâdem metaphorâ.

280. UT QUI DELICIIS FARCITUR &c] Qui lautissimis indies vescitur cibis, & nihilominus macrescit, non ciborum, sed stomachi, cibos non conficientis, vitio. Seneca Ep. 2. *Sed modò inquis, hunc librum evolvere volo, modò illum. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quæ*

*Sed vitio stomachi.* P. *Sententia callida. Pergit:*
D. *Ingenio sapimus, pariter doctrina labore,*
*Discrepat à docto prudens. Quis cetera nescit?*
*Non hoc deteritur Musis sua gratia; crescit.*
*Fertilis ut meritò campus renovatur aratro,*
*Fitque rotis adamas, speculumque labore nitescit,*
*Naturæque bonum evadit pretiosius arte:*
*Sic puer, ingenii, cathedræ qui accommodat aures,*
*Augmentatque sui pretium, sapientior exit,*

*ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt.*

281. SENTENTIA CALLIDA] Vox est Poëtæ, laudantis calliditatem Diogenis, quòd nihil acerbius enuntiaverit in potentem illum fatuum, & argutis tamen verbis vitium omne detexerit. PERGIT] Diogenes scilicet: vox est enim id narrantis Poëtæ.

282. INGENIO SAPIMUS] Intellectu & judicio naturali; non multâ lectione vel pertinaci studio: alioquin stultus sit sapientissimus. PARITER DOCTRINA LABORE] Quilibet laborando doctrinam assequi potest, modò memoriâ & virtute intelligendi præditus sit.

283. DISCREPAT A DOCTO PRUDENS] Verissimè: doctrina enim sine prudentia cœca est, & non rarò in scopulos impingit, & se collidit. Inde videat viros quandoque doctissimos, ac in omni eruditione maximos; temerarios inprimis & imprudentes. Quapropter reliqua aliis consideranda relinquens, quærit. QUIS CETERA NESCIT?] Ac si dicat: mala & incommoda, quæ nascuntur ex doctrina, quam non ducit & regit prudentia, omnibus nota sunt.

284. DETERITUR] Minuitur. *Deterere gratiam* dicit, pro gratiæ detrimentum inferre. Sic & Horat. *deterere laudes* dixit. l. 1. Od. 6. ℣. 11.

*Laudes egregii Cæsaris, & tuas*
*Culpâ deterere ingenj.*

GRATIA] Laus, dignitas, præstantia, venustas. CRESCIT] Augetur, intenditur. Antimetabole seu inversio, quâ retorquemus argumentum in adversarium; quasi dicat hoc loco: quòd ingenium vel hominis natura, discendarum artium studio poliatur, non facit ad contemptum, sed ad commendationem Musarum. Vitium enim doctrinæ non est imprudentia, sed naturæ.

285. FERTILIS &c.] Triplicem hîc instituit comparationem. Campus etiam fertilis aratur. Adamas quantumcumque pretiosus politur & splendescit à rotâ. Speculum licèt crystallinum & purissimæ intus materiei, labore lævigatur antequam resplendeat.

287. NATURÆQUE BONUM &c.] Quidquid in rerum natura vel venustum, vel laudabile est, venustius & laudabilius fit ab arte. Ars enim licèt à naturâ profecta, naturam adjuvat, perficit & exornat. *Artibus* enim, ut inquit Cicero l. 2. de Off. c. 15. *exculta hominum vita tantum destitit à victu & cultu bestiarum.* Jovianus Pontanus Eleg. ad uxorem de educandis liberis ℣. 23.

*Arte opus est: artem solers quoque perficit usus.*
*Perficit ars quidquid repperit ingenium.*
*Sponte suâ quamvis tellus fœcunda, novari*
*Poscit, & optatâ gaudet arantis ope.*
*Sponte suâ vitis profert Baccheia racemos,*
*Sed tamen assiduâ falce colentis eget.*
*Quid quòd quæ sterilis naturâ creverat arbos,*
*Insita pomiferas portat onusta comas.*
*Arte igitur natura juvatur, & arte magistrâ*
*Sumunt diversos pectora nostra habitus.*
*Dum tenera est ætas, dum mens patiensque magistri,*
*Tum proprias artes quisque docendus erit.*

288. SIC PUER &c.] Ordina: sic puer qui accommodat cathedræ aures, exit sapientior & augmentat pretium ingenii sui. Id est, puerorum ingenia studiorum cultu meliora evadunt, & perficiuntur. CATHEDRÆ] Doctori, seu præceptori è cathedrâ juventutem instruenti. Doctorum enim cathedras olim fuisse, arguit hoc Ausonii Epig. 9 profess. Burdig. ℣. 1.

*Et te quem cathedrâ temere usurpasse loquuntur,*
*Nomen grammatici nec meruisse putant.*

289. AUGMENTATQUE SUI PRETIUM] Facit, ut cultius & præstantius evadat.

*Inter & æquales prævertitur axe citato.*
*Sicut & incultis lolium subnascitur agris;*
*Sic animis juvenum: quamvis natura ministret*
*Robora, natali felix & fulserit astrum.*
*Nascitur & vitium & virtus ex semine eodem;*
*Scilicet ingenio. Ulteriùs me deinde fatigat*
*Nobilitas tanti fundi, tantique profundi.*
M. *Sed quis inurbanam culturæ lege juventam*
*Ferre queat, septem edoctam tacuisse per annos,*
*Posteà pauca loqui, mores ubicumque notare,*
*Et sterilem risus, figentem & lumine terram,*
*Nil admirantem, clavisque trabalibus, imis*

290. PRÆVERTITUR AXE CITATO] Longè & quasi velocissimo cursu, coævos & æquales suos in palæstra prætervehitur.

291. SICUT ET INCULTIS &c.] Ut ager incultus profert dumos, tribulos, zizania.

292. SIC ANIMIS JUVENUM] Sic animi otiantes educunt lolium vitiorum. NATURA] Naturales facultates, corporis habitus, ingenii bonitas &c. tales sint, ut ex iis non dumi aut tribuli, non frutices aut arbusta. sed altissimæ ac durissimæ quercus enasci possint. Id est, etsi per ingenii excellentiam ad maxima pervenire possent.

293. NATALI FELIX &c.] Genere & fortunæ dotibus illustres sint, & quævis faustissima de se parentibus promittant. Natalia astra refert ad nugas & divinationes Genethliacorum, de quibus egimus Serm.7 ad ✠.138 fol. 169

294. NASCITUR ET VITIUM &c.] Perstat in metaphora culturæ, & agrorum fructiferorum. Ex uno enim & ejusdem generis semine, videas bonos & vitiosos, seu mancos fructus provenire.

295. INGENIO] Rectè: nam incultum silvescit, & in malum semet inclinat; excultum erigit se ad virtutem. Cicero Tusc. QQ. l.3 c.2. *Ingeniis nostris semina innata virtutum.* FATIGAT] Ulterius argutando, & rationes contrarias nugaciter objectando.

296. NOBILITAS TANTI FUNDI] Melda tam dives agrorum seu fundorum. TANTIQUE PROFUNDI] Immensæ ac inexhaustæ opulentiæ. Sensus est: iterum dictis suis ita me aggreditur.

297. SED QUIS &c.] Vox Meldæ: ac si dicat, quis ferat juventutem sub ferula doctorum, adeò austeris & inscitis moribus assuescere, ut nihil ampliùs auliceæ urbanitatis præferant, & hominum commerciis se reddant inidoneos?

298. SEPTEM TACUISSE &c.] Sub disciplina institutorum, non loquendo, sed audiendo ea quæ præleguntur. Et Pythagoras suis auditoribus solidi quinquennii silentium indicebat.

299. PAUCA LOQUI] Ut solent continenter meditantes: qui occupant ita mentem intrinsecus, ut externa negligant, aut non attendant. MORES UBICUMQUE &c.] Quasi censoria & Catoniana gravitate, aliorum quorumcumque mores reprehendere & castigare.

300. STERILEM RISUS] Nunquam, aut quàm rarissimè ridentem: perinde ac si nihil à rebus externis afficeretur. FIGENTEM ET LUMINE TERRAM.] Oculis assiduo in terram ita deflexis, ut eam transfigere videatur; quod solenne est altum contemplantibus. Persius Satyr. 3. ✠. 80.

*Obstipo capite, & figentes lumine terram.*

301. NIL ADMIRANTEM] Quod philosophorum, & præ vulgo sapientium, quibus nulla commotio aut perturbatio ab externis. Plutarchus lib. περὶ τοῦ ἀκούειν testatur Pythagoram dicere solitum, sibi ex philosophia partum esse τὸ μηδὲν θαυμάζειν, quod est, *nihil admirari.* Epicuro mirantur ii, qui rerum caussas ignorant. Cic. lib. 3. Tusc. QQ. c. 30. *Hæc est ista præstans & divina sapientia, perceptas penitus, & pertractatas res humanas habere, nihil admirari cum acciderit, nihil antequam evenerit, non evenire posse*

*Affixam studiis, ridentem jubila mundi,*
*Et sibi & ærumnosam aliis? Melioribus annis*
*Stupratum ingenium tricis apinisque Minervæ*
*Sub rabido spectem cathedrario?* D. *Inertia magnis*
*Quòd modò Principibus, culturæ nomine præsit?*
*Nobilis indoctus, sed cetera factus ad unguem,*
*Audiat abnormis, sciolis vel debeat ullis?*
*Intereram, nisi te, communi vindice, natum*

*posse arbitrari.* Horat. lib. 1. Epl. 6. ℣. 1.
*Nil admirari, prope res est una, Numici,*
*Solaque quæ possit facere & servare beatum.*
Vide Lambinum in hunc locum. CLAVISQUE TRABALIBUS] Firmissimè, immobiliter. Adagium est, *trabali clavo figere*, pro validè munire, & indissolubili nexu vincire, seu firmè aliquid alicui affigere. Cicero Act. 7. in Ver. c. 52. *Vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret.* Arnob. l. 2. cont. gent. *Metus ille vos habet, ne velut trabalibus clavis affixi corporibus hæreatis.* Trabales clavi sunt, magni illi clavi, quibus trabes configuntur: aut pali prægrandes cuspidati in crucem noxiorum.

302. IMIS STUDIIS] Altissimis & intentissimis. RIDENTEM] Despectantem & culpantem. JUBILA] Gaudia. Vide Serm. 5. ad ℣. 50. fol. 93.

303. SIBI ET ALIIS ÆRUMNOSAM] Laboriosam, gravem, molestam, tetricam &c. Ita homines parum homines, qui corpori vacant, & vigilant; dormiunt animo: huic nihil, isti omnia tribuentes: quasi plus voluptatis non hauriant è libris sapientes, quàm fatui ex mundi nugis, & laboriosis inaniis. MELIORIBUS ANNIS] Ipso ætatis flore, delibandis carpendisque deliciis maximè opportuno.

304. STUPRATUM] Devirginatum, corruptum, perditum. TRICIS APINISQUE] Gerris, nugis, rebus inutilibus. Ita sus de Minerva, de leonibus musca. Mart. lib. 14. Epig. 1. ℣. 7.
*Sunt Apinæ tricæque, & siquid vilius illis.*
Id est, vilissima carmina & nugamenta. *Apina & Trica*, sive *Apina & Trica*, vilia fuere duo Apuliæ oppidula, quæ ut auctor est Plin. l. 3. c. 11. Diomedes tantâ cum ignominiâ everit, ut in proverbii ludicrum verterint.

305. RABIDO] Insano, tristi, phrenetico, hypochondriaco. CATHEDRARIO] Doctore seu professore. *Cathedrarios* philosophos Seneca vocat scholasticos professores, umbratiles illos, quibus de virtute garrire satis sit. De Brevit. vitæ c. 9. *Solebat*, inquit, *dicere Fabianus, non ex his cathedrariis philosophis, sed ex veris & antiquis.* Vide Lipsium in hunc loc. *Cathedrarios* hîc vocat Melda, & quidem rabidos, ignominiæ causâ, & in despectum artium & litterarum, ignorantiâ hominem in transversum rapiente, & eruditorum nasis objiciente. INERTIA &c.] Hîc incipit cum calore in Meldam invehi Diogenes; ac si quærat: Estne inertia quod &c.

306. QUOD MODÒ PRINCIPIBUS] Consiliis magnorum Principum. CULTURÆ NOMINE] Ratione doctrinæ ac variæ eruditionis, & quæ inde nascitur prudentiæ: sive ob singularem sapientiam insigni eruditione mixtam. Allusum hîc iterum ad sanctioris Concilii Præsidem Petrum Rose, de quo suprà in Proœthesi, & Serm. 10. ad ℣. 192. fol. 340.

307. FACTUS AD UNGUEM] Omnibus numeris absolutus, perfectus, consummatus. Similitudo desumpta à marmorariis, qui superinducto ungui commissuras explorant. Horat. l. 1. Sat. 5. ℣. 32.
*Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem Factus homo; Antonj non ut magis alter amicus.*
Vide quæ diximus suprà ad ℣. 114. fol. 370. & Serm. 3. ad ℣. 344. fol. 64 sententia est: Cui unica tantùm deest doctrina; cetera bonus, & omnibus numeris absolutus.

308. AUDIAT ABNORMIS] Infametur, tanquam agens quælibet contra normam sapientiæ, ac virtutis. SCIOLIS VEL DEBEAT ULLIS] Ea quæ suo Marte non potest, credat semidoctis quibusdam, quos adhibet sibi consiliarios.

309. INTEREAM] Execrationis formula, majoris asseverationis gratiâ. De hac egimus Serm. 10. ad ℣. 12. fol. 318. COMMUNI VINDICE] Communi famâ, opinione vel sententiâ: id est, omnibus vel plerisque sic sentientibus.

310.

*Vervecum in patriâ, crassoque sub aëre credam.*
*Melda, satisfeci: noli me ducere in orbem.*
*Túne tuos studiis privas, quia nobilis ortus?*
*Túne tuos, quos, inquis, amas, quia nobilis ortus,*
*Nobilis & locuples? Orbari prole mereris:*
*Orbari; scelus est; orbari prole mereris.*
*Sed quid ego? Miseros amplectere simie natos:*
*Præ stolido affectu vesaniùs ipse necabis.*
*Nunc tecum, innocuos tua qui deliria vafrè*
*Conjicis in pullos, alienos collibus atque*
*Fontibus Aonidum quos dicis: nec puerorum*
*Esse resistendum genio, speciosiùs addis.*

310. VERVECUM IN PATRIA] Natum inter barbaros, stupidos, incultos, artium osores & ignorantes. Juven Sat. 10. ℣. 50.

*Vervecum in patria, crassaque sub aëre nasci.*

*Vervex* de stupido & simplice dicitur. Sic legit Taubmannus apud Plautum Pers. 2. 2 2.

-----*Ain' verò verveceum caput?*

Et idem Captiv. Act 5. Scen. 1. ℣. 31.

-----*Interibi ex hac statua verveces volo*
*Erogitare, meo minore quid sit factum filio.*

311. MELDA SATISFECI] Contentionis filum incîdit, & valedicit Meldæ, cui futurorum damnorum rationes relinquit. IN ORBEM] In circulum, ut loquuntur Logici, dum eadem per eadem, tanquam mutua principia, continenter definiuntur, & obscurantur. *In orbem ducere*, itaque nihil aliud hîc est, quàm quærenti, per circulum logicum respondere. quod est nugari.

312. TUNE TUOS &c.] Antipophora, sive subjectio, in his & sequentibus, ad majorem vehementiam invectivæ.

315. ORBARI] Repetitio ad æstum orationis intendendum. SCELUS EST] Eos studiis frustrari, vel adeò amare perversè, ut eos potiùs odisse videaris, & perimere

316. SED QUID EGO?] Supple, ad hanc tuam dementiam dixero? MISEROS] Tam stolidè ac pravè à se educatos SIMIE] Similis simio. Etenim simiarum generi, ut refert Plin. l. 8. cap. 54. *Præcipua erga fœtum affectio. Gestant catulos, quos mansuefacta intra domos peperêre, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, similes gratulationem intelligentis. Itaque magna ex parte complectendo necant.*

318. NUNC TECUM &c.] Convertit orationem ad alium quemquam pravum filii alumnum. TUA DELIRIA] Errata & peccata tua, in educando stultissimè commissa.

319. IN PULLOS] Liberos tuos: sed temere, & citra eorum culpam illis hoc malum tribuis, *Pulli* pro liberis, ut supra Serm. 5. ad ℣. 163. fol. 108. ALIENOS COLLIBUS &c.] Id est, alienos à collibus & fontibus Musarum, quod est, litterarum studiis. Frequenter enim omissa legitur præpositio apud Ciceronem. Sic namque lib. 5. famil. Epl. 17. *Cum intervallum jam satis longum fuisset, non putavi alienum institutis meis, hæc ad te scribere.* Et lib. 11. fam. Epl. 27. *Sum admiratus, te qui hæc nosse deberes, quidquam à me commissum, quod esset alienum nostrâ amicitiâ, credidisse.* Item de Divin. l. 1. c. 82. *Neque hoc Dii alienum ducunt majestate sua.*

320. AONIDUM] Musarum, ab Aonio fonte illis sacro. Juven. Sat. 7. ℣ 58. --- *aptusque bibendis Fontibus Aonidûm.* ---

321. RESISTENDUM GENIO] Propensioni naturali, voluntati, vel ingenio, quantum scilicet spectat ad artium vel studiorum delectum. SPECIOSIUS] Ironicè: cùm pueris nondum rei intelligendæ paribus, minimè indulgenda sint, quæ præposterè postulant, aut, ob primas in discendo molestias, malè aversantur. Consiliis enim parentum relicti sunt, quibus natura rectè deliberandi usum negavit.

*Quamvis jurato metuam tibi credere testi;*
*Auribus haud quidquam puto dulcius esse tenellis,*
*Exuperent quàm quo latebras rudioris ephebi.*
*Si non sponte suâ Pimplæa ad tesqua feratur*
*Filiolus, præstans alioqui, & sub Jove natus;*
*Conducendus erit, captandus, sæpè monendus,*
*Cogendus leviter. Quid patre astutius ipso,*
*Si velit, in prolis moderamine? Frivola res est,*
*Quos studiis privas, juvenum allegare teporem.*
*Nil verbi. Vacat interdiu? Fac surgere natum,*
*Dum vocát auroram gallus: nec amicula Musis*

322. QUAMVIS JURATO] Solidus versus 5. Juven. Satyr. 5. Etsi ne tibi quidem juranti credidero. *Iuratus* activè frequens est admodum. Plaut. Amphit. Act. 1. Scen. 1. ℣ 281.
*Nam injurato plus credet mihi, quàm jurato tibi.* Cic. Act. 3. in Ver. c. 14. *L. Suetius homo omnibus ornamentis praditus, juratus apud vos dixit.* Sic & jure testibus non nisi *juratis* creditur: & Budeo lib. 2. de Contempt. Rer. fort. *Apostoli & Martyres juratissimi testes veritatis vocantur.* Vide Erasm. in Chil.

323. AURIBUS HAUD QUIDQUAM &c.] Nec puto aliquid lubentiùs audiri à pueris, quos generosa stimulat gloriæ cupiditas.

324. EXUPERENT QUAM QUO &c.] Quàm ea, quibus antecellere possint alios se rudiores. LATEBRAS] Ignaviam & inscitiam condiscipuli imperitioris. Hac enim vel perpetuò lateat indoctus, aut inter condiscipulos, in schola suppressus maneat à generosiorum diligentia. EPHEBI] Puberis pueri. Vide supra Ser. 3. ad ℣. 336. fol. 62. Agit de æmulatione, quæ in litterarum gymnasiis, validissimum est ad studia incitamentum.

325. SPONTE SUA] Suopte ingenio, ac quodam naturæ impulsu. PIMPLEA AD TESQUA] Ad musarum culmina. *Pimpla* mons & fons Macedoniæ, Olympo vicinus, Musis dicatus. Inde Horat. lib. 1. Od 26. ℣. 9. Musam, quam alloquitur, *Pimpleam dulcem* appellat. *Tesqua* loca sunt edita & aspera.

326. PRÆSTANS] Ingenii nobilis & liberalis, naturæ ac fortunæ donis opulentè præditus. SUB JOVE NATUS] Sub astro Jovis prospero & salutari: id est, felix & locuples. Jovis enim sidus prosperum semper habitum est: contrà Saturni maleficum & perniciosum. Horat. l. 2. Od. 17. ℣. 22. --- *Te Iovis impio. Tutela Saturno refulgens Eripuit*--- vide Lambinum.

327. CONDUCENDUS] Præmiis & honore alliciendus, non secus quàm operæ conducuntur pretio. CAPTANDUS] Iis laudibus & blanditiis, quibus tenetur, & erigitur.

328. COGENDUS LEVITER] Auctoritate paternâ, correctione sine ferocia.

329. PROLIS MODERAMINE] In gubernandis, bene educandis, inflectendisque liberis. Ætas enim illa credula est, & facilè piâ quâdam fraude decipitur, sibi postmodum hanc deceptionem gratulatura.

330. QUOS STUDIIS PRIVAS] Arces à studiis inertiâ tuâ, & stolido in eos amore. Hoc peccatum, uti fortasse ob animi teneritudinem in matribus tolerari utcumque possit, in patribus tamen molle nimis, ac effœminatum, & principe sexu indignum haberi debet. TEPOREM] Desiderium frigidiusculum, & minùs erectam ad studia voluntatem.

331. NIL VERBI] Supple, addo; ut generatim tantùm hoc argumentum prosequar: ad rem procedamus, & articulatim singula doceamus. Lucret. lib. 5. ℣. 264.
*Nihil opus est verbis, magnus decursus aquarum*
*Vndique declarat.* --- Plaut. Mil. 4. 5. 14.
*Quid opu' st verbis? Libertatem tibi ego dabo.*
VACAT INTERDIU?] Nugis suis, lusibus, aut aliis quibuscumque rebus, vel exercitiis per totum diem. FAC SURGERE] A somno & strato.

332. DUM VOCAT &c.] Summo mane, aut horis

*Major, nec potior, juvenum, Dea culta, saluti.*
*Temporiùs, prima extuderit fastidia, stratis*
*Sponte suâ evolitet; vultu si quando Camœnis*
*Incipiet propiore loqui. Nec tempora posco*
*Longa; mares animos puerili in corpore cernes.*
*Nescis, alme pater, quid sollicitudine parvâ,*
*His teneris præstes normæque capacibus annis:*
*Quod neque cum Attalicis, Cinyræ neque mutet acervis.*
*Hac iterùm generas, sed diâ matre, valebit*
*Fors quæ immortalem per strenua reddere prolem.*
*Contristatur homo, quia vita brevissima: cessat*
*Præcipuo spatio. Nos, cùm edormivimus annos,*

ris antelucanis, quando gallus Auroram inclamat. Gallum enim, ut vidimus ex Plinio Serm. 6. ad ℣. 103 fol. 135. excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno natura genuit; quare & Græcis *ἀλίκτωρ* dictus est, quia homines *ἀλίκτρυς* facit: id est, è lecto discedere cogit. AMICULA MUSIS] Aurora Musis amica, ut rectè monet tritissimum istud adagium, quod tempus matutinum studiis litterariis, & meditationibus attentioribus aptissimum est; cùm propter noctis, nondum prorsus discussæ, silentia, tum propter cerebrum à ventriculi vaporibus jam purgatum. Imò & horæ matutinæ nobis in quæstu sunt, dies enim nobis reddunt longiores. Hinc optimè Hesiodus in Erg. *Ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργυ.* Quod est, *Aurora quidem profert viam & opus.* Plaut. Perf. 1. 3. 33.

*-------Manè quod tu occœperis*
*Negotium agere, id totum procedit diem.*

333. JUVENUM SALUTI &c.] Nec Dea est, quæ potiùs colatur Juvenum saluti: id est, quæ magis mereatur coli, aut conducat saluti Juventutis.

334. TEMPORIUS] Magis tempori: id est adhuc maturiùs seu tempestiviùs surget, & auroram antevertet. Sic ad Solem amore Leucothoes captum Ovid. Metamorph. lib. 4. ℣. 196.

*Leucothoen spectas, & virgine figis in una,*
*Quos mundo debes, oculos. Modò surgis Eöo*
*Temporiùs cœlo: modò seriùs incidis undis.*

PRIMA EXTUDERIT FASTIDIA] Ubi primas molestias & labores superaverit.

335. SPONTE SUA EVOLITET] Ultro, minimè monitus à patre, proprio impulsu, ac ultroneo desiderio, se promptissimè lecto subducat.

336. VULTU PROPIORE] Admissus intimiùs ad Musarum penetralia. Id est, jam facto in studiis progressu, vicinior Musis, iisque docentibus familiarior. TEMPORA] Quibus semet matutinis vigiliis assuefaciat.

337. MARES ANIMOS] Generosos, vivaces, masculos.

338. ALME PATER] Tu qui filium sic educas, alis, instituis. Almus, ab alendo.

339. NORMÆ CAPACIBUS ANNIS] Idoneis recipere animi culturam, & artium formas.

340. ATTALICIS ACERVIS] Divitiis Attali Regis Pergami, qui totius Asiæ Imperio fuit opulentissimus. Horat. lib. 1. Od. 1. ℣. 12.

*--Attalicis conditionibus Nunquam dimoveas--*

CINYRÆ] Regis Cyprii, cujus nominata extitit apud priscos opulentia. Inde proverbium: *Κινύρυ πλῦτος*, quod est, *Cinyræ opes.* Vide Erasm. Sententia est: quod adeò carum & jucundum adolescenti, jam ad virilem ætatem provecto, fuerit: ut non velit id cum omnibus mundi divitiis inposterum commutare.

341. HAC] Curâ. ITERUM GENERAS] Censeris jam secundò filium gignere. SED DIA MATRE] Non ex matre corporali, seu corporis formatrice, sed ex spiritali illa, quæ solis animi bonis procreandis attendit.

342. IMMORTALEM] Æterni nominis gloriâ dignum, & Heroibus accensendum. PER STRENUA] Per fortia & generosè gesta.

344. PRÆCIPUO SPATIO] Ætate floridâ, pueritiæ, ephebiæ, adolescentiæ, juventutis; quæ discu-

*Non Deus in culpâ est: nos, nos contraximus ævum.*
*Hac ætate scias uti, longissima meta est.*
*Hæc patefactura est, solidis exercita Musis,*
*Securum virtutis iter; custosque futuri,*
*Nequa intercipiat vitium momenta, docebit*
*Dilatare suam per sedula tempora vitam.*
*Sed sine nos tenebris contentos vivere nostris,*
*Parnassumque colant alii. Sunt rustica proles,*
*Cerdonum soboles, & si qui nobilitatis*
*Degeneres animi: studiorum messis inescet*
*Hoc genus & pueros, habilesque ad lucra parentes.*
D. *Audite ô Reges! Cum nato adverte Philippe:*

discendis artibus, & formandis mentibus, ferè sola opportuna; non secus quàm ver colendis floribus. EDORMIVIMUS ANNOS] Otiando; nihil, vel agendo prava; dormiendo in multam lucem; magnam diei partem, nugis & voluptatibus mentem discingentibus, impendendo; quod nihil aliud est, quàm altum stertere.

345. NON DEUS &c.] Nos in culpa sumus, non Deus, qui vitam nobis longiorem indulsit, quàm mereamur, vel suadeat beatitudo finis, ad quam tendimus. Nos verò, quæ nobis à Deo liberaliter tribuuntur, temporis usuras, feriando decoquimus; & animorum lucra non antè sollicitamus, quàm amissa, steriles virtutum, fœcundi vitiorum. NOS, NOS] Geminatio vehemens: ac si dicat, nos ipsi, vel nos; imò nos. Sic & Plaut. Capt. Prologi ℣. 3.

*Vos, vos, mihi testes estis, me verum loqui:*

CONTRAXIMUS] Abbreviavimus, decurtavimus.

346. HAC ÆTATE] Hâc vitâ, hâc ætate adolescentiæ. LONGISSIMA META] Ob merita in Regem & patriam, ob numerum heroicorum facinorum, ob virtutes & fructus animi uberrimos, rectè censebitur longissima. Hæc enim omnia, à juventute bene instituta, vitam extendunt, & aliquot seculorum instar habent.

347. SOLIDIS MUSIS] Utilibus, masculis, & necessariis; non mollibus aut ignavis artibus, & ad otia deflectentibus.

348. CUSTOSQUE FUTURI] Supple, temporis.

349. NEQUA MOMENTA] Ne minimos etiam temporis articulos, vel quævis in bonum adminicula, intercipiat studium pravitatis & nequitię.

350. DILATARE TUAM &c.] Extendere, producere, proferre vitam, non quidem auctis temporum momentis, sed fructibus.

351. SED SINE] Alius quispiam, è grege scil. Cuculorum, argutatur.

352. PARNASSUMQUE COLANT &c.] Artes & scientias discant liberales. SUNT RUSTICA PROLES] Rusticorum filii.

353. CERDONUM] Sordidorum artificum, qui quæstus gratiâ mechanicam, aut illiberalem quamvis artem exercent, lucrisque inde coactis vitam tolerant. Cerdones enim propriè sunt lucriones, *ἀπὸ τοῦ κέρδου*, id est, *à lucro*. Juvenalis Satyrâ 4. ℣. 153.

*Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus*
*Cœperat: hoc nocuit lamiarum cæde madenti.*

ET SI QUI NOBILITATIS DEGENERES] Et si qui nobiles à majorum gloria degenerantes. Ita illi. Sapientes autem rectè dixerint, eos non à Jovis, sed à terræ filiis degenerare. MESSIS] Quæstus, & minorum subselliorum magistratus.

356. AUDITE Ô REGES!] Excipit & exclamat Diogenes, Regum aures vellicando. CUM NATO] Balthasare Carolo, puero sexenni, qui ad id tempus, in spem orbis utriusque, in aula patris sui Philippi sollicitè educabatur. Sed heu! ætatis anno XVII. dum thalamos Mariæ Annæ Austriacæ, Imperatoris Ferdinandi III. filiæ, opperitur; fatorum invidiâ sublatus est anno CIↃ. IↃC. XLVI. S. P. Q. Antverpiensis benignissimo Principi, in ævi ac spei flore prærepto, magnifi-

co

*Sic opicæ debes tua munia nobilitati.*
*Progenies scandat cerdonum anabathra; colit se*
*Nobilitas stivæ.* T. *Stivæ? Sed & indiget armis*
*Majestas.* D. *Graphicè. Sectare gregarius arma*
*Sub duce mechanico, qui te plus noverit; & te*
*Circumeant barrum longa experientia & anni,*
*Ne sis militiæ remora irreparabilis; aut si*

co extructo cenotaphio parentavit, in æde Cathedrali prid. Id. Januar. anni mox subsecuti; Musâ Gevartianâ, quà inscriptionibus, quà versibus, feliciter interludente. PHILIPPE ] Ejus nominis quarte Rex Catholice. Hic fuit Philippi III. filius, Pater Caroli II. Hispan. Regis, Principis nostri clementissimi, cui Deus det Pylios.

357. OPICÆ ] Incultæ, latinè nescienti. Auctor in M. SS. *Opicus, id est, incultus, qui Latinè nescit.* Tales Oscos sive Opicos Italiæ populos, apud Britannicum descibit quidã his verbis: *Oscè & Volscè fabulantur, nam Latinè nesciunt.* Juvenalis *Opicam* amicam, pro *indocta* dixit Satyr. 6. ℣.454.

*Nec curanda viris, Opica castigat amica*
*Verba: solæcismum liceat fecisse marito.*

A. Gellius videtur usurpasse pro Græcè nescientibus, licèt Latinè non indoctis. Sic enim l. 2. c.21. post interpretamenta quædam Græcanica: *Hic ego*, inquit, *ad nostros juvenes convertor, & quid, inquam, vos Opici dicitis mihi?*

358. PROGENIES CERDONUM ] Filii sordidorum artificum, de quibus suprà ad ℣. 353. ANABATHRA ] Subsellia excelsiora, vel clariora: ita enim auctor ipse in adversariis M.SS. Et Græcis *ἀνάβαθρον* significat *scalam, pulpitum, subsellium, παρὰ τὸ ἀναβαίνειν*, quod est, *scandere*: ut fiat hîc sententia: loca quævis excelsiora scandat, seu altiores magistratus obtineat. Insignis sarcasmus in nobiles indoctos.

359. STIVÆ ] Ad stivam, seu agriculturam. *Stiva* aratri manubrium. Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Stiva à stando, & in ea transversa regula manicula, quòd manu bubulci tenetur, qui quasi est temo inter boves.* Ovid. Met. 8. ℣.218.

*Aut pastor baculo, stivâque innixus arator.*

STIVÆ? ] Cum indignatione excipit hæc Opicus quispiam nobilis, aut talium patronus. INDIGET ARMIS ] Ac si dicat, non tantùm stivâ Regi opus est ad nutrimentum sui populi; sed etiam militibus, ut populum contra inimicos tueatur: tacitè insinuando, nobilitatem bello seu militiæ aptam fore & expeditam.

360. MAJESTAS ] Rex, seu Majestas Regia. GRAPHICE ] Iterùm Diogenes. Id est, catè, doctè, scitè, per ironiam. GREGARIUS ] Manipularis miles, sine militari quovis magistratu: aptus tantùm aliorum auspicia & ductum sequi: quod quàm sordidum, & nobilitate indignum; maximè, ut sæpe fieri compertum est, si pareant centurioni mechanico.

361. MECHANICO ] Illiberali, ignobili, qui, vel quorum parentes, artem aliquam mechanicam exercuerunt. Sensus est: tu nobilis subesto ignobili & obscuro. QUI TE PLUS NOVERIT ] Qui te doctior est, & plus rem bellicam capit, quàm tu. Hoc sensu Plaut. Asin. 1. 1. 19.

*Quid isthuc sit, aut ubi isthuc sit, nequeo noscere.*

Id est, intelligere. Et ipse Eleg. in Proecthesi ad Serm. 1. pag. 3. ℣.32.

*Qui te plus nerint unus & alter erit.*

362. TE BARRUM ] Elephantum, immanem belluam. Nempe ut suprà Serm. 6 ℣.22. fol. 126.

*Quid tibi inhumano de tali elephante videtur?*

Sensus est: qui mentis crassitie, æquas molem corporis elephantini. Vide quæ diximus fol. 126. ad ℣. citatum. *Barrus* elephas dicitur: propria enim illius vox est, apud Festum *barrire*. Horat. Epod. 12. ℣.1.

*Quid tibi vis mulier, nigris dignissima barris?*

Turneb. lib. 14. c. 20. & Torrent. in hunc locum, aliter exponunt: antiqui tamen omnes pro elephantis accipiunt, & sensus indicat, & optimè interpretatur Lambinus. CIRCUMEANT EXPERIENTIA ET ANNI ] Longis annorum periodis, artem militarem compara: id est, multos annos esto miles gregarius, & sine honore, antequam cohortem ducas.

363. REMORA IRREPARABILIS ] Plus obsis quàm prosis, cum damno irreparabili; quod plerumque incurritur, neglecta rei bene gerendæ occasione, quam præsens fert fortuna. Instar ele-

*Præficiare rudis, castrorum infamia: tandem*
*Post culpam & culpam, ipsius destructio Regis.*
*Sed quantò, generose parens, generosæ puellæ,*
*Quantò sit melius primis incumbere curis?*
*Utilibus mentem igniculis accendere, castra*
*Observare libris? Quid commentaria Juli,*
*Quid Titus & Florus, Maro vel dictavit Homerus;*
*Quid Tacitus, Seneca, & Lipsi documenta resignent,*

phanti scil. qui extemporariis & subitaneis expeditionibus, tarditate suâ plus adfert impedimenti, quàm robore adjumenti.

364. PRÆFICIARE] Ducendæ cohorti. RUDIS] Indoctus & imprudens. CASTRORUM INFAMIA] Omnium derediculo, & illusionibus pateas, & sis ipse militibus tuis opprobrio.

365. DESTRUCTIO] Perditio, ruina totius exercitus: ut solet non rarò in uno, alteróve duce, periclitari salus omnium copiarum.

366. GENEROSE PATER &c.] Pater nobilis, & fumosis avorum ceris inclyte.

367. PRIMIS CURIS] Studiis & litteris, quæ primùm in primis annis curanda. His enim prævertit ætatem, judicium, & prudentiam.

368. UTILIBUS IGNICULIS] Fortiter gestis & exemplis Heroum, & virorum illustrium: ea videlicet ex priscis historiis & antiquitatibus eruendo, & animum æmulandi desiderio accendendo. CASTRA] Ordinanda, aciem instruendam, militarem disciplinam, & alia quæ artem spectant imperatoriam & militarem.

369. LIBRIS?] Diligenter pervoluendis: quales sunt, quos subjicit. COMMENTARIA JULI] Julii Cæsaris commentariorum libros tres, aliosque septem, quos de bello Gallico scripsit dictator.

370. TITUS] Livius ille Patavinus, Latinorum historicorum coryphæus, qui Romanam historiam ab urbe condita, usque ad Augusti tempora libris CXL. complexus est; quorum nunc, latentibus vel amissis reliquis, extant libri XXXV. FLORUS] Lucius Annæus, qui epitomen Livianam conscripsit, ac libris IV. omnem Romanam Historiam succincto, sed masculo & militari stylo pertractavit. MARO] Pub. Virgilius, qui divinam Æneidem conscripsit; præliis, pugnis, aciebus, navigationibus, legationibus, cladibus, victoriis, aliisque belli eventis plenam, & mirâ varietate, artes militares adjutantem. HOMERUS] Græcorum scriptorum princeps, qui libros Iliados & Odysseæ, carmine Heroïco primus omnium scripsit, tanta eloquentiæ vi & gloriâ, ut septem Græciæ civitates, de vindicando sibi illius natali solo, contenderint. His bella, conflictus, seditiones, strategemata, dolos, proditiones, facta heroica, longo ordine descripsit: dignus proinde quem Virgilius tam religiosè observarit, & imitatus sit; ad virtutum Heroïcarum perpetuam commendationem.

371. TACITUS] Cornelius, qui historiam Romanam, ab Augusti excessu usque ad Titum Vespasianum deduxit: gravis, brevisque stylo, acer juxta & prudens, morum explorator & censor, aulis virisque Principibus, siquis alius opportunus. SENECA] L. Annæus Cordubensis Neronis præceptor, quo jubente cæsus, vitam cum placida morte, moribus & doctrinæ pari, commutavit. Ejus singularem cum eruditione sapientiam arguunt opera, tam quæ hodie extant, quàm quæ temporum injuriis periere, laudata tamen ab auctoribus priscis luculentè, quibus ea revolvere licuit. Unde & nomen Sapientis Romani sibi vindicavit. In hunc & Tacitum doctissimas notas conscripsit Lipsius: quæ toties recusæ, rabidam lectorum orexin nondum placarunt. LIPSI] Justi Lipsii, quem Brabantia nostra, litterarum & orbis bono, in vitam edidit. Vir fuit judicii, ingenii ac memoriæ incomparabilis, antiquitatis, omnisque doctrinæ fons inexhaustus. Scripsit quæ in rem nobilium & Principum maximè faciunt, præter Civilis doctrinæ libros, Monita & exempla politica, de Militia Romana libros quinque, unà cum Analectis ad eamdem: Poliocreticôn sive de Machinis libros itidem quinque: Saturnalium libros duos, qui de gladiatoribus: aliaque multa, quibus rempublicam litterariam mirificè locupletavit, & priscam Romanorum Principum magnitudinem posterorum admirationi obje-

*Queîs caluisse potes, didicisse & militis artem?*
*Nam licèt indigeat patris, post dicta, Gradivi*
*Tiro rudimentis, & adhuc ars distet ab arte;*
*Rubricam tamen auxilio est duxisse: recurrunt*
*Actutum ut species, se amplectitur utraque Pallas.*
*Sic tua nobilitas Regum præfulgeat armis:*

objecit. Qui scriptores, si seriò à nobilitate pervolvantur, absolutissimâ militandi moderandique arte, eam instituent.

372. Caluisse] Calere, accendi, stimulari ad res fortiter agendas. Tempus præteritum pro præsenti: quod in infinitivis Ovidio usque est usitatissimum. Epl. 2. Heroid. Phyllid. ℣. 141.

*Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis*
*Præbuerunt, laqueis implicuisse libet.*

373. Post dicta] Volumina, seu dictorum auctorum libros. Patris Gradivi] Martis, belli. Mars gradivus dictus, vel à *gradiendo in bella ultro citroque*, ut inquit Sextus Pomp. *sive à vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν, vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maxima est honorationis.* Videtur tamen esse Thracium nomen prisci apud Getas Regis vel Dei, qui populos illos frequenter inter se committebat, & cædibus incestabat. Marti deinde tributum bellorum patri. *Getas* autem Thraciæ partem olim tenuisse, ex Thucyd. lib. 2. prodit Turneb. l. 4. c. 22. Crudelitas verò effecit, ut sub Martis tutelâ esse crederentur. Virorum enim manes morte uxoris expiabant, quam ad tumulum manu propinquioris mactatam, eodem loco cum viro humabant. A. Gell. l. 5. c. 26. & l. 3. c. 7. Inde Martis Getici & Getarum frequens est mentio apud Poëtas. Papin. Theb. 3. ℣. 220.

*Gradivum acciri propere jubet. Ille furentes*
*Bistonas, & Geticas populatus cædibus urbes,*
*Turbidus æthereas currus urgebat ad arces.*

Claud. Paneg. Prob. & Olyb. ℣. 119.

*Qualis lethiferâ populatus cade Gelonos,*
*Procubat horrendus Gotico Gradivus in antro.*

Valer. Flaccus Argonaut. 5. ℣. 618.

*Ecce autē Geticis veniens Gradivus ab antris.*

Patris nomine eum decorat Virg. l. 3. Æn. ℣. 34.

*-------Nymphas venerabar agrestes,*
*Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis.*

Notant autem Critici, nomen *Gradivi* ferè tribui Marti furenti & sævienti; *Quirini* verò, Marti tranquillo. Nam intra urbem Mars *Quirinus* colebatur, ad urbis tranquillitatem; extra muros autem viâ Appiâ, *bellator* seu *Gradivus*, ad summovendos hostes, erectis utrobique ædiculis. Vide La Cerda in 3. Æneid.

374 Tiro rudimentis] Novellus miles, primis exercitationibus, in castris, præsidiis, præliis & conflictibus: ut non solùm Marte Quirino, sed etiam Gradivo utatur. Ars distet ab arte] Cognitio rerum militarium, quæ ex historiis hauritur, ab usu & praxi militari multùm differat.

375. Rubricam duxisse] Principia, seu primas regulas, & præceptionum capita prælibasse. Solebant olim indices, titulos, & capita librorum rubricâ vel minio notare, ac inprimis Jureconsulti, legum suarum titulos. Inde rubricæ pro legibus. Pers. Satyr. 5. ℣. 90.

*Excepto, siquid Masurj rubrica vetavit.*

Juvenalis Satyrâ 14. ℣. 192.

*Scribe puer, vigila, caussas age, perlege rubras*
*Majorum leges, aut vitem posce libello.*

Turnebus lib. 4. c. 5. Jus publicum, & in legum sanctionibus positum, *rubrica* nomine intelligi existimat. Uti enim majestas legibus accresceret, capitibus earum, sinopide aut cinabari notatis, sanguineum quiddam videbantur minari transgressoribus. Aurelius Prudentius contra Symmach. libro post. ℣. 463.

*-----Dicant cur condita sit lex*
*Bis sex in tabulis: aut cur rubrica minetur,*
*Quæ prohibet peccare reos.-----*

Recurrunt] Quovis monumento, seu occasione, in memoriam revertuntur.

376. Species] Imagines sive ideæ primarum regularum, in scrinio memoriæ asservatæ. Utraque Pallas] Litteraria & militaris. Id est sapientia quæ studiis acquisita, & quæ usu militandi roborata, se jungunt.

377. Tua nobilitas] Theoriâ & belli praxi probè instituta. Præfulgeat] Præficiatur, aut jam præfecta, edat exempla fortitudinis, & commilitonibus præfulgeat.

*Cui reliquis paribus primi debentur honores,*
*Non aliter, vel tota perit fiducia belli.*
*Ad ſummam: pater es, Pyreniſque accola; natus,*
*Sideris impulſu, nullis, fatóve ſiniſtro*
*Propendet ſtudiis, refragaturque labori;*
*Lotum guſtavit, per inania ſparſit ocellos.*
*Corripe, perſuade, monitiſque regatur amicis.*
*Impetus eſt virtus juvenili in corpore. Nolit:*
*Si cubito trudat, ſi perpetitudine perpes,*
*Tergiſque verſatur monitis, curiſque parentum:*

378. CUI RELIQUIS PARIBUS &c.] Qui, ubi ſcientia, fortitudo, animi, prudentia, conſilia &c. ſunt æqualia, meritò jure plebeio & obſcuro cuivis antehabebitur.

379. FIDUCIA BELLI] Spes belli proſperè conficiendi. Omnis enim ſpes victoriæ in ductoribus eſt: illis vitam & corpora credunt milites. Hos ſi prudentes, catos, & fortes exiſtimaverint, omnem facile timorem exuunt, & in quævis pericula ſe conjiciunt.

380. AD SUMMAM] Poſtremò, ſupple dicis. Loquitur ad illum, quem aggreſſus eſt ℣ 318. quem fuiſſe Primatem quemdam ex Hiſpanis apud nos miniſtris, videntur innuere ſequentia. Ad ſummam, recollectionem deſignare ſolet. Horat. lib. 1. Epiſt. 1. ℣. 106.

*Ad ſummam ſapiens, uno minor eſt Iove.---*

PATER ES] Dicis te eſſe patrem: id eſt, te filium impensè amare, & tenerrimo affectu in illum ferri. PYRENISQUE ACCOLA] Hiſpanus. Galli enim licèt pyrenæos accolant, nullum cum noſtratibus habent commercium. Et de Hiſpano intelligendam fore hanc phraſim, indicat ipſa ſermonis ſeries. Molliùs enim educantur in Hiſpania liberi: & ut velint parentes, ſe tamen pueri ſentiunt impares torquendis diu per ſtudia litteraria ingeniis. *Pyrene* promontorium Hiſpaniæ in ora Oceani Cantabrici, ubi mons Pyrenæus in Oceanum deſinit. Alii volunt eſſe Fontarabiam, alii Sebaſtianopolim. Vide Baudrand. Hîc nobis periphraſticè deſcribit hominem Hiſpanum. NATUS] Uti tu quidem dicis ſequentia.

381. SIDERIS IMPULSU] Cæli vel aſtrorum Hiſpanienſium influxu. FATOVE SINISTRO] Aliquo infortunio ſuo, aut tuo.

382. PROPENDET] Inclinatur. Id eſt, nullo deſiderio fertur in ſtudia litteraria. REFRAGATUR LABORI] Subterfugit & declinat ſtudendi tædia & moleſtias.

383. LOTUM GUSTAVIT] Mollitiem & voluptates deguſtavit, ad ſtudia non patitur ſe excitari. Sumptum adagium à Lotophagorum fabula, apud quos ſocii Ulyſſis, guſtatâ herbâ vel arbore, quam dicunt, *lotum*, ob ſingularem ejus cibi dulcedinem, ad navem, niſi verberibus adacti, redire noluerunt. Parœmia Græcis *Λωτῦ ἔφαγες*, id eſt, *lotum guſtaſti*, monet, haud facile te temperaturum à peccando, qui ſemel peccandi illecebram deguſtaſti. Vide Eraſm. PER INANIA &c.] Omnes mundi vanitates vidit, & deliciarum inania expertus eſt.

384. CORRIPE, PERSUADE, &c.] Benignè, manſuetè, juſtiſque rationibus, eum conare inducere in tuam ſententiam, etiam corripiendo, & puniendo ſi opus fuerit.

385. IMPETUS EST VIRTUS &c.] Impetus in Juvene, eſt ſignum virtutis, animoſitatis, ingenii. NOLIT] Si omnino non velit.

386. SI CUBITO TRUDAT] Monentem rejiciat, ſanis conſiliis pervicaciter obluctetur. *Cubito trudere* videtur hîc uſurpare Poëta, pro eo quod eſt, monita vel conſilia ſpernere: deſumptâ ſimilitudine à pueris, quibus dum ad vota res non fluunt, aut correpti ſunt; ululant, lacrymantur, & multa contra parentes muſſitant; quos ſi mater aut nutrix blandis monitis ad meliorem mentem conetur reducere, cubito, in ſignum repulſionis & indignationis plerumque retruduntur. Perſ Satyr. 4. ℣. 34.

*Eſt prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre*
*Deſpuat*

*Conſcendat quò fors; æſtu det vela ſecundo,*
*Sidere Mercurii, vel Martis: quod ſibi ſerò*
*Imputet. Invitum nemo ſervare laboret.*
*Invitis canibus nemo venabitur. Auri*
*Da centum loculis, & vivere cum Jove tendat.*
*Rara quidem, ſi detur, avis, non cedere natos*
*A teneris, patribus. Nugæ. Me judice, ſumma*
*In ſenibus culpa eſt; malè vel præeuntibus illos,*

*Deſpuat in mores.-----*
In quem locum Aſcenſius, *in ſignum*, inquit, *contemptus, cum manum extendere dedignamur, cubito pulſamus.* PERPETITUDINE PERPES] In pertinacia ſua pertinaciter pertinax.

388. CONSCENDAT] Navem ſcil. Id eſt, naviget. Vide quæ diximus Serm. 5. ad ℣. 80. fol. 96. QUO FORS] Quo vocat bona fortuna. Hoc intereſſe inter fortunam & fortem autumant Critici, quòd fortuna in incerto, fors fortuna in bono ponatur. Terent. Phorm. 5. 6. 1.

*O fortuna! O fors fortuna!-------*
Ubi Donatus: *Fortuna dicta eſt incerta res: fors fortuna eventus fortunæ bonus.* Inde & Hecyr. 4. 3. 4. *Fors fuat pol.* Quaſi dicat, bona ſit fortuna. Fors pro bona fortuna aliquando abſolutè legitur, & colebatur olim ab infimæ ſortis hominibus, operis, ruſticis, ſervis &c.

389. SIDERE MERCURII] Navi onerariâ ſeu holcade, cui Mercurius mercimoniorum præſes invigilet. VEL MARTIS] Navi præſidiariâ & militari, cui bellorum Deus Mars præſto ſit. Id eſt, naviget ſecundo Mercurio, vel Marte, & patriam deſerat, ne patri ſit dedecori.

390. INVITUM] Nullis blandimentis, monitis vel hortamentis obaudientem. SERVARE] Domi à periculis maris & viarum.

391. INVITIS CANIBUS &c.] Vetus eſt proverbium, innuens non ſat feliciter ſuccedere, quod à nolentibus extorquetur: neque eorum officio utendum fore, qui operam ſuam à lubentiâ non ſeriò nobis commodant. Plaut. Stich. Act. 1. Scenâ 2. ℣. 82.

*Stultitia eſt, pater, venatum ducere invitas canes.*
Senſus eſt: fruſtra ſit pater, qui modis omnibus mediiſque nequicquam tentatis, filium reluctantem compellere ſperet ad artium ſtudia.

392. AURI CENTUM DA] Libras ſcil. Id eſt, opulentam nummorum copiam, ſorti ſuæ congruentem. Certum, pro incerto. VIVERE CUM JOVE] Extra ſolum patrium, ſine amicis conſanguineis, & neceſſariis, cum ſolo æthere. Nam ut Lucanus lib. 6. ℣. 580.

*Iuppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.*

Niſi mavis hîc *vivere cum Iove*, eſſe idem, quod feliciter, fortunante Jove, ſeu ut ut poteſt: ac ſi quiſpiam hodie de abituriente dicat tritiſſimâ hâc formulâ: *vadat in nomine Domini.*

393. RARA QUIDEM &c.] Admodum rara res eſt, ſi quandoque tamen uſu veniat. Proverbialiter uſus Perſius Satyr. 1. ℣. 46.

*Quando hoc rara avis eſt, ſiquid tamē aptius exit.*
Juvenalis Satyrâ 6. ℣. 164.

*Rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno.*
Ac ſi dicat: Res rariſſima eſt, ſi tamen fieri poteſt, ut liberi in ætate tenella non cedant inſtitutioni.

394. NUGÆ] Quaſi dicat, nugatur qui hoc ait.

395. SENIBUS] Parentibus, tutoribus, inſtitutoribus. MALE PRÆEUNTIBUS] Malis moribus & exemplis filios depravantibus. Nimirum ut Quintilianus lib. 1. c. 2. De liberis: *Gaudemus,* inquit, *ſiquid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, riſu & oſculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt: noſtras amicas, noſtros concubinos vident. Omne convivium obſcœnis canticis ſtrepit: pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miſeri antè, quàm ſciant vitia eſſe.* Rationem eleganter reddit Juven. Satyr. 14. ℣. 40.

*-----Quoniam dociles imitandis*
*Turpibus, ac pravis omnes ſumus-----*
Ideoque optimè parentes & quoſvis domeſticos monet idem ibid. ℣. 44.

*Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,*
*Intra quæ puer eſt. Procul hinc, procul inde puellæ*
*Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.*

*Vel minùs attentis: non est quòd sidera culpent.*
*Quæ quondam antiquis, eadem patet omnibus & nunc*
*Semita virtutis; nec erat via tutior illis,*
*Quàm foret hoc ævi. Quid stas? An scilicet hæres?*
*Pone malum corvum; mala nos supponimus ova.*
*Invenio quibus hæc penitus mea dogmata cordi:*
*Sed paucos. Discunt, sed non perdiscere curant*
*Maxima pars juvenum; nebulæque Helicone leguntur,*
*Quas mox prava suo natura tepore resolvit.*
*Melda juventutem quæ vitæ elementa docebit?*

*Maxima debetur puero reverentia. Siquid*
*Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:*
*Sed peccaturo obsistat sibi filius infans.*

396 MINUS ATTENTIS] In utilitatem liberorum, bonamque eorum educationem & institutionem. SIDERA] Cælum & clima, sive illorum inclinationes.

397. ANTIQUIS] Græcis, Latinis, majoribus nostris, apud quos cultus litterarum, & institutio juventutis viguit.

398. SEMITA VIRTUTIS] Quâ perveniamus ad virtutem, gloriam, honores. TUTIOR] Mollior, commodior, curtior.

399 HOC ÆVI] Hoc tempore, hoc seculo. QUID STAS?] Quid dubitas de veritate dicti mei? HÆRES] Obstupidus, nihil habens quod respondeas, nec tamen mihi omnino assentiens?

400. PONE MALUM CORVUM &c.] Improbi patris, improbi filius; ignavi patris, ignavus filius. Adagium Græcum: κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν: Id est, *mali corvi malum ovum.* Aliqui à corvo deductum arbitrantur, quòd nec istud animal esui opportunum, nec ejus ovum. Alii à Corace Syracusano rhetore, cui Tisias discipulus mercedem ingentem pactus, tum demum persolvendam, si primo tirocinio agendi apud judices vicisset. Hanc prudens tam diu dare distulit, donec in jus vocaretur. Ibi Corax: *Si vicero*, inquit, *Tisia, merces mihi debebitur ex sententiâ: si non vicero; ex pacto* In quem pari versutiâ retorsit Tisias: *si non vicero Corax, nihil tibi debeo ex pacto; si vicero, nihil ex sententia.* Judices dubiosum hoc & inexplicabile, quod dicebatur, rati, rem injudicatam reliquerunt, occinentes, alludendo etiam ad nomen actoris, istud jam positum, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. A. Gellius l. 5. c. 10. id narrat de Protagora Sophista, & Evathlo discipulo Vide Adag. Schotti. Zenob. cent. 4. n. 82. Pium Bononiens. Annot post c. 73. Huic affine quod ab Erasmo refertur: *Nunquam ex malo patre bonus filius.* SUPPONIMUS] Damus, assignamus, vel dicimus. Perstat in metaphora: ova enim volucribus villaticis propriè supponuntur. Sententia est: dicimus mali patris esse malos filios.

401. INVENIO QUIBUS &c] Aliquos scil. qui istis meis præceptionibus obsequuntur, aut saltem obsequi conantur, sed paucos.

402 NON PERDISCERE CURANT] Prima discunt rudimenta, nec student se consummare, & perfectè se præceptis imbuere.

403 NEBULÆQUE] Inania, nugatoria, fumi, prava deliramenta Vid. Turneb l. 20. c. 1 & ea quæ suprà adduximus Serm. 10 ad ℣. 199 fol. 341 & hîc ad ℣ 27 fol. 358. Auctor. in M SS. alicubi, *nebula*, inquit, *usurpatur sicut spumosum. pro eo, quod superficie tenus, & in apparentia tantùm est.* HELICONE] Perfunctoriè studendo Musis, & non ad plenam cognitionem. Sciolis enim nihil indoctius. Vide suprà ad ℣. 184 fol. 379. citat. Quintilianum.

404 PRAVA NATURA] In pravum inclinans, & dejiciens. Suo TEPORE] Ignaviâ, socordiâ, laboris fastidio. RESOLVIT] Discutit, dissipat; ut venti nebulas. Continuat metaphoram, ut sensus sit: nugatoria illa & apparentia, quæ jam antè didicerant, ex memoria difflat.

405. MELDA] Idem, aut illi similis de quo suprà ℣. 233. fol. 384. Id est pater quispiam nobilissimus, sed in educandis filiis mollis & effœminatus. JUVENTUTEM] Filios suos. VITÆ ELEMENTA] Vivendi principia, seu regulas, quibus instituatur ad bene vivendum.

406.

*Prima salutandi Reges forma atque Tetrarchas.*
*Excipere intrantes comi gravitate, secunda.*
*Nosse viros aulæ; quo quisque loco, genitore,*
*Munere, divitiis: juxta quæ, poplite flexo*
*Plus, minùs, effari resupino callida naso.*
*Quando valedicunt, an ad atria, limina, rhedas*
*Educent, vel non. Quo ritu quemque, modoque.*
*Quando licet verbis non affectantibus uti.*
*Cui cedat proprio curru mensâve: secundo*
*Quippe gradu, aut ultrà distanti, dedecus esset.*
*Vertice quando juvet nudo, stantemque manere;*
*Roboris hoc magni est. Et ne obliviscar, ad ullas*

406. PRIMA FORMA] Regula, institutio, doctrina. Sic suprà ℣ 188. fol. 379. dixit *à forma ingenui*, id est, regulâ. Virgil. lib. 6. Æn. ℣ 615.
----- *Quæ forma viros fortunáve mersit.*
Ubi *formam* interpretatur Servius regulam, quòd singulis quibusque sceleribus, sua supplicia apud Romanos statuta erant. SALUTANDI REGES &c.] Adeundi, compellandi, Reges & principes, cum ceremoniis & cultu iis debito & consueto. De Tetrarchis vide quæ diximus Serm. 7. ad ℣. 392. fol. 237.

407. COMI GRAVITATE] Cum urbanitate ingenua, seu quam temperet mixta quædam gravitas. Hâc enim ita honorat alium, ut de proprio honore ac majestate nihil decedat. SECUNDA] Forma, seu regula.

408. VIROS AULÆ] Omnes proceres, ministros, & nobiles. Quo QUISQUE LOCO] Natus, vel quo loco sit apud principem & optimates: quâ gratiâ, quâ auctoritate polleat in aula. GENITORE] Quo patre, avo, proavo & majoribus: id est, quantæ sit nobilitatis.

409. MUNERE, DIVITIIS] Quod munus obeant, quàm sint opulenti. Ex his enim crescit, vel decrescit veneratio JUXTA QUÆ] Pro ratione vel mensura nobilitatis muneris, divitiarum &c.

410. PLUS, MINUS] Nunc minùs, nunc magis genu incurvando EFFARI] Supple sciat, aut deceat RESUPINO NASO] Ita erecto capite, ut nasus resupinus cælum spectet. Id enim ex aulæ decoro. Vide quæ diximus Serm. 10. ad ℣. 128. fol. 332. CALLIDA] Cum magna circumspectione, cautelâ & astutiâ; ne scil. dicantur vel plura, vel pauciora, aut verbum imprudentius excidat, aut verum nociturum enuntietur.

411. QUANDO VALEDICUNT] Jam abituientibus iis, qui eum compellarunt, aut inviserunt. ATRIA] Ad aulæ vestibulum. LIMINA] Portæ. RHEDAS] Ultra portam domus scil. pro foribus, & sub dio, & ubi rheda.

412. EDUCENT] Ex domo sua deducent, VEL NON] Vel non ad atria, vel non ad limina, vel non ad Rhedas. Quibusdam enim, ex recepto in aulis more id debetur, quibusdam non. QUO RITU QUEMQUE MODOQUE] Insuper quo cultu, quâ submissione, quâ incurvatione, quibus ceremoniis, verborum formulis &c.

413. NON AFFECTANTIBUS] Non adulantibus, comptis, fucatis, exquisitis, & quæ anxium delectum præferant: ut actitant, dum Principes & se majores affantur.

414. CEDAT PROPRIO &c.] Locum honoratiorem: quod fit claudendo latus illius in rheda, vel occupando locum minùs honoratum, tam in câdem, quàm in mensa.

415. SECUNDO GRADU] Dignitatis vel nobilitatis: supple, se inferiori cedere, dedecus foret. Nam paribus, aut uno gradu inferioribus, id licet, & passim fit.

416. VERTICE &c.] Aperto capite. STANTEMQUE &c.] Absque sessione.

417. ROBORIS HOC MAGNI EST] Stare scil. aperto capite, quod fit coram majoribus, tam ob cultum & reverentiam, quam ut corporis robur

*Litterulas dictans, intus curabit, & extrà,*
*Ne se signando, contaminet, inferiori.*
*Hæc in nobilibus putat esse potissima scitu,*
*Corpora diversis modò sint vegetata palæstris,*
*Melda. Sed hinc oritur quædam intolerantia morum,*
*Fomes & invidiæ; quatiuntur sæpè parentum*
*Stemmata. Si qua fides observatoribus olim,*
*Aut datur historiis, talem officio mutilabis,*
*Qui melior te sit ( verbis vulgaribus utar )*
*Qui clàm sive palàm regeret convitia forti*

bur ostentetur, & aptitudo ad militiam, in obsequium Principis.

418. AD ULLAS LITTERULAS DICTANS] Ad ullas litteras ad se missas rescribi jubens, vel dictans responsorias. INTUS ET EXTRA] Tam in ipsa epistola, quàm in inscriptione

419. SE SIGNANDO] Nomen suum exprimendo, aut manu suâ characteres efformando, vel adhibendo verba fastum & majestatem non affectantia. CONTAMINET] Inhonestet, dedecoret. INFERIORI] Ad inferiorem. Sensus & ordo est: ne se, nomen suum signando in litteris ad inferiorem, deprimat vel dedecoret.

420. HÆC IN NOBILIBUS PUTAT &c] Hæc Melda putat esse scitu necessaria, inprimis nobilium liberis.

421. PALÆSTRIS] Variorum armorum, & artium equestrium, & militarium scholis: aut aliis exercitiis nobilitate dignis, de quibus suprà ỽ. 215. & seq. fol 382

422. SED HINC ORITUR] Diogenes iterùm instat, & reprehendit anxiam illam, cujusque nobilitatis expensionem. INTOLERANTIA MORUM] Hinc nasci ait arrogantiam minimè tolerabilem. Suet in Tiberio c. 51. *Veteres quosdam Augusti codicillos de acerbitate, & intolerantia morum ejus, è sacrario protulit.*

423. FOMES INVIDIÆ] Incitamentum & nutrimen invidiæ, quæ ut plurimùm, arrogantiam & jactantiam consectatur. QUATIUNTUR] Agitantur, commoventur, expenduntur, committuntur. Horat. lib. 1. Epl. 10. ỽ 30.

*Quem res plus nimio delectavere secundæ:*
*Mutata quatient.-------*

PARENTUM] Et pravorum fortassis inter se. Id enim ficti amat, dum nimis anxiâ & exquisitâ curâ, quisque accedentium accipitur. Ubi enim superstitiose insistitur huic observationi, statim qui se indigniùs suâ nobilitate acceptum esse existimat: indignabundus, cum altero expostulat, parentum utrorumque stemmata inter se confert, sua extollit, aliena deprimit, lacerat, & convellit. Inde semina litium, rixarum, & pugnarum quandoque inter parentes. Imò frequenter fit, ut longè ignobilior, fastu cœcus & imprudens, eum debito officio frustretur & mulctet, qui majorum imaginibus illum longo intervallo post se relinquit.

424. STEMMATA] Gradus vel rami nobilitatatis. Propriè sunt serta vel coronæ, de quibus egimus Serm. 7. ad ỽ. 320. fol. 209. OBSERVATORIBUS] Qui jam olim, & à multis annis talia evenia observarunt.

425. AUT DATUR HISTORIIS] Quæ referunt mala hinc secuta. OFFICIO] Observantiâ & cultu, quæ natalibus & sorti eorum debentur. MUTILABIS] Frustraberis, privabis, minues: nimirum non deferendo id genus officium, quod illi debes. Sed hic subaudiendum est: *fortassis*; ut sensus sit, fortè illum cultu congruente non prosequêris, qui sit te multò nobilior, clariorque quàm tu arbitreris.

426 MELIOR] Dignior, clarior, nobilior. VERBIS VULGARIBUS] Sic enim vernaculâ nostrâ Belgicâ digniores, solemus appellare meliores: nec abludit Phrasis Latina apud Terent. Phorm. Act. 5. Scen 2. ỽ. 64.

*-----Ait illam civem esse Atticam*
*Bonam, bonis prognatam.-----*

427. CLAM SIVE PALAM] Exhibendo, monstrandoque privatim apud amicos, vel publicitus coram omnibus, familiæ suæ stemmata. REGERET]

*Expressa arbusto, & vitam indigitabit avorum,*
*Longè aliam, quàm fortè putet malè cauta juventus.*
*Ille tacet magè limatus; sed protinus ambo*
*Hos evitandos, armentaque bucera credunt.*
*Nil etenim toto naturâ odiosius orbe est,*
*Observare adeò quàm qualia qualibus. Usu,*
*Quoad opus est, discunt homines servare decorum.*
*Quæ licuere Sacris, senibus, primoribus aulæ,*
*Ridiculum est reliquos imitari velle minores;*
*Inter Abydenos ceu nunc fert ridiculus mos.*

RET] In te rejiciet, tibi reddet tua convitia, docendo nobilitatem suam, tuâ esse clariorem, & magis compertam. FORTI] Prænobili, generoso, illustri.

428 ARBUSTO] Serie genealogica, in qua arbores variæ, & rami variæ nobilitatis; diversarum familiarum necessitudines nuptiarum societate commixtæ &c. *Arbustum* vel *arboretum* locus arboribus consitus. Scitè allusum ad isthoc Horatii lib. 1. Satyr. 7 ꝟ. 28.

*Tum prænestinus salso multumque fluenti*
*Expressa arbusto regerit convitia.---*

Ubi, interprete Lambino, ducitur allegoria à frondatoribus, vinitoribus, ac vindemiatoribus, quibus volupe promptumque viatoribus convitiantibus, convitia prælargiter regerere, in morem arbusti vino, aut hibernis imbribus fluentis. VITAM] Fortitudinem, res gestas, aut vitæ sortem. INDIGITABIT] Digito ostendet.

429. LONGE ALIAM] Multò illustriorem. MALE CAUTA] Imprudens, arrogans, & malè instituta. Tacitè fortassis hic taxat Poëta, ore Diogenis, eos, qui nobilitati illius nebulas, aliquando objicere conati sunt.

430. ILLE] Alter quidam nobilis. MAGE LIMATUS] Cultior & prudentior. AMBO] Tam hic qui tacet, quàm alter qui regerit convitia

431. HOS] Arrogantes, fumosos, & nobiles aulicos, ad normam Meldæ pessimè institutos, & alios præ se despicantes. EVITANDOS] Non conveniendos, alloquendos, salutandos esse credunt: ideoque cautè vitant quemvis, cum ejusmodi Suffenis & Labeonibus, congressum. ARMENTAQUE BUCERA] Stupidos, incultos, quos boves vulgo indigitari tradit Erasmus in Chil. *Buceros* dicitur bubulis cornibus præditus, ἀπὸ τοῦ κέρατος, quod est cornu, & βοὸς, quod est bos. Ovid. Metamorph. lib. 6. ꝟ. 395.

*Lanigerosque greges, armentaque bucera pavit.*

Lucret. lib. 5. ꝟ 864.

*Lanigeraque simul pecudes, & bucera secla.*

Id est, soboles, vel multitudo bucera, ut exponit Giffanius & Turn. lib. 26. c. 13.

432. NATURA] A se, vel suâpte naturâ. ODIOSIUS] Magis invisum aut exosum est.

433. QUALIA QUALIBUS] Qualia comitatis officia, qualibus viris præstanda. Notat nimiam illam & superstitiosam comitatem quorumdam, qui nunquam, etiam rogati, desistunt à quovis minimo apice vel jota consuetæ suæ urbanitatis: sicque dum nimis honorant, vehementer quandoque offendunt, & incommodant. USU] Id est, versando inter homines.

434. DECORUM] Mores liberales & honestos, qui ad mutuum commercium à liberalibus inducti ac recepti, cum animi moderatione communiter exercentur. De iis legendus Cicero lib 1. Off c. 93. *Decorum* Latinis dicitur, quod Græcis est τὸ πρέπον Hoc Cicero dividit & describit ibid. c. 96 Primum generale, *quod consentaneum*, inquit, *sit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat.* Alterum huic generi subjectum, quod sic definiunt, *ut id decorum esse velint*, inquit, *quòd ita naturæ consentaneum sit, ut in eo moderatio & temperantia appareat, cum specie quadam liberali.*

435. QUÆ LICUERE] In cultu corporis, officiis, titulis, moribus &c. SACRIS] Episcopis, Prælatis, Sacerdotibus, aliisque quovis sacro ordine initiatis.

437. ABYDENOS] Molliculos & delicatulos; quo nomine olim Abydeni infames, uti & de ca-

*Nos, sentire parum de se, juvenesque docemus,*
*Atque inculcamus. Culturæ admittimus esse,*
*Gratiolas, partem; modò, quæ potiora, sequantur;*
*Et non effluere instiget præsumptio vanos.*
*Fortiùs instandum est. Quæ non ratione cavemus,*
*Vincimus exemplis. Hominem scrutemur ab ovo,*
*Et variegatas obeant brutalia partes.*
*Primis fermè annis impellimur immoderato*
*Flumine naturæ; cujus cedemus habenas*

calumniis. *Abydeni* Asiæ populus, cujus civitas *Abydos*, à civibus effœminatis & sycophantis notissima. Vide Suidam. Pausaniam, Stephanum & alios. Inde adagium Græcum: Μὴ εἰκῇ τὴν Ἄβυδον: Id est, *ne temere Abydum:* subaudi naviges: metus enim est, à mollitie vel calumniis. Notat comptulos nostros Junonis pueros, qui mimorum vel simiorum instar, statim sibi imitandum ducunt, quidquid viderint, tam in moribus, quàm vestitu, magnates sibi ipsis, indulsisse.

438 Nos] Ego & sectatores mei Sentire parum] Modestè agere & loqui, nihil arroganter vel superbè; extenuando eorum opes, natalia, dotes, doctrinam &c. ne scil. conceptâ temere, de propria excellentia, opinione, verbis aut factis ampullentur. Juvenesque docemus] Syndeton, quale videas alibi non infrequenter, sic ordinandum: nos docemus juvenes, & inculcamus parum sentire de se.

439. Culturæ] Institutionis ejusmodi, quæ pueritiæ in alias ætates congruat.

440. Gratiolas] Elegantias, festivitates, modulos civiles in incessu, sermone, cultu corporis &c. Nam & his conciliatur juventuti gratia & venustas. Modò quæ potiora &c.] Modò non negligant illa quæ sunt majoris pretii, vel momenti; ut cultus animi. modestia. moderatio, honoris temperantia, fastus suppressio &c.

441. Effluere] Dissolvi, ac dissipari in fumos & vanitatem. Vide suprà Serm. 9. ✠. 136. fol. 303. Præsumptio] Arrogantia, opinio de se temere sumpta. Sic & *præsumptuosi* vocantur audaces & arrogantes. Eo vocabulo usus Sidon. Apoll. l. 1. Epistol. 1. *C. Plinii disciplinam vestigiis præsumptuosis insecuturus.*

442. Fortius instandum est] Acriùs, efficaciùs, calidiùs contra ejusmodi mihi detonandum est. Ratione] Quæ non obtinemus argumentis & rationibus.

443. Vincimus exemplis] Sæpe impetramus exemplis. Quasi dicat hactenus rationibus egi, nunc ad exempla transeo. Hominem scrutemur ab ovo] Vitam hominis à primis initiis, excutiamus & perscrutemur. *Ab ovo* hic est, à primis elementis ac initiis. Horat. de arte ✠. 147.

*Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.*

Id est, ab ortu Helenæ, quæ belli Troiani fax extitit, exclusa ex ovo altero unà cum Polluce: uti ex altero Clytemnestra cum Castore. Nota est fabula Jovis, specie Cygni cum Leda congressi. De illo lusit Ovid Heroid. Epl. 8 Herm. ✠. 67.

*Non ego fluminei referam mendacia Cygni:*
*Nec querar in plumis delituisse Iovem.*

444. Variegatas] Varietate æratum distinctas. Obeant] Circumeant Id est, exploremus vel discutiamus, quàm brutas in omni ætate actiones, homines exerceant. Propositio hæc est, non tantùm eorum quæ in hoc Sermone deduxit Poeta, verùm etiam quæ speraverat, sermonibus aliquando componendis, deducere. Reliquâ enim hujus sermonis parte, sola adolescentiæ vitia in medium profert, & exagitat.

445 Primis annis] Infantiæ, pueritiæ, ephebiæ, Immoderate] Præcipiti, ac nimis impetuosè decurrente.

446. Flumine naturæ] Pravis scil. desideriis, in declive nos unà secum eodem impetu protrudentibus. Non secus quàm flumen, quod violento cursu omnia secum abripit. Sententia est: primis annis non tam agimus, quàm agimur, nihil ferè ad rationis amussim actitantes, quàm ad quæ, vel bonæ libidines, vel parentum aut institutorum hortamenta & stimuli nos impellunt. Cedemus habenas Moderationem. coër-

*Regibus ætatis, donec jam extensio partium*
*Extra partes obfirmarit robora mentis.*
*E mediâ turbâ sed adhuc dictata loquentis*
*Arripio cirros juvenis. Quò evanuit ardor*
*Ille bonæ mentis? Quò sese præbuit? Uno*
*Dignatur nunc Sacra genu, contermina mensæ,*
*Fortè die festo: periit pietate subactâ*
*Unde cathortoma: hinc, modicum exspectes, vitiorum*
*In nemus aufugiet tantò latitantior hystrix,*

coërcitionem, regimen relinquemus vel committemus.

447. REGIBUS ÆTATIS] Parentibus, pædagogis, institutoribus. ENTENSIO PARTIUM &c.] Justa & requisita corporis magnitudo vel quantitas. Logici enim quantitatem propriè dictam, per extensionem partium extra partes, definiunt. OBFIRMARIT] Solidaverit, & frenandis cupidinibus pravis paria effecerit. ROBORA MENTIS] Principes animi facultates, ut sunt vis intelligendi, & judicandi. Sensus est, donec perfectum rationis usum, ab organis corporeis ritè jam constitutis, assecutus fuerit.

449. E MEDIA TURBA] Adolescentium. DICTATA LOQUENTIS] Juvenis scil. ut sequitur, qui jam pronuper è scholis Academicis prodivit: nam adhuc doctorum suorum dictata loquitur. Ex Academia enim recenter in patriam regressis, frequens sermo est, de illis, quæ in ludo audierunt, vel didicerunt.

450. ARRIPIO CIRROS] Cincinnos, capillos crispatos, seu in nodum coactos; uti juvenes ad illa tempora, occœperant antiquare morem detondendi omne capillitium circum caput. Patrum enim & nostrâ memoriâ, cæsaries non promittebatur. Ad picturas & statuas ejusdem temporis, imò ad effigiem Poëtæ nostri in fronte libri expositam provoco. Optimè itaque hic loquitur de cirris, qui tunc pridem in usum, & morem adolescentiæ deduci cœperant: quasi vel inde eorum taxet insolentiam. Quid dicturus fuerit Poëta hac ætate, quando ascititium capillamentum, nullam sortem, ordinem, vel ætatem dedecet? Juven. Satyr. 13. ℣. 165.

*Cæsariem & madido torquentem cornua cirro.*
*Capillis trahere* in proverbiis dicuntur, qui vi perpellunt. Sic Pallas Homerica Achillem capillis à pugna revocavit. Sic & Plaut. in Menæch. Act. 5 Scen. 2. ℣. 117.

*----- Quis me capillo hinc de curru deripit?*
Et Idem Rudent. Act. 3. Scen. 5. ℣. 5.
*Meas de arâ capillo jam deripiam.-----*

451. ARDOR BONÆ MENTIS] Calor & amor honesti, & mentis excolendæ cura. Alludit ad Palæstram bonæ mentis, quam Lovanii eâdem tempestate, magno Belgicæ Juventutis fructu, exercebat doctissimus Puteanus, Historiarum Professor Regius. Vide orationem viri in auspiciis ejusdem palæstræ; & librum quem typis evulgatum anno CIↃ. IↃC XII. *Palæstram bonæ mentis* indigitavit. Quò SESE PRÆBUIT?] Quò se recepit, quò fugit, quò abivit?

452 UNO GENU SACRA &c.] In templo sacris mysteriis assistens, unicum dumtaxat genu incurvat, ceteris viris magè religiosis, & meliùs institutis, utrumque genu præsenti Deo inflectentibus. CONTERMINA MENSÆ] Sub ipsam meridiem, quo tempore postremùm, illo quidem die, litatur: in somno scil & corporis cultu, jam die matutino infructuosè consumpto. *Sacra mensæ contermina*, fiunt circa horam prandii, id est horâ duodecimâ, aut paullo antè.

453 FORTE DIE FESTO] Non profesto; ne putes eum frequentare Sacra non præcepta, ut solent Catholici paullo cultiores, etiam plebei & vulgares; sed die festo, quo ad assistendum divinis mysteriis, quivis Christianus obstringitur.

454. CATORTHOMA.] Perfectum officium: hominis nimirum Christiani Cicero l. 1 Off. c. 8. *Perfectum autem officium, rectum (opinor) vocemus, quod Græci κατόρθωμα.* Et l. 3. de fin. c 24. *Quæ autem nos aut recta, aut rectè facta dicamus, si places, illi autem appellant κατορθώματα, omnes numeros virtutis continent.* D. Ambrosius lib. 1. Off c. 11 *Hoc est igitur perfectum officium, quod κατόρθωμα dixerunt Græci.*

455. IN NEMUS AUFUGIET] In omne vitiorum genus

*Quantò spe melior fuit, & servantior æqui.*
*Quid moror, evasit. Prima otia quippe popinæ*
*Excipiunt longis foliis; tum, quæ exsecat omni*
*Menſe duas capiti mercedes, larga Daniſtæ*
*Lautorum in pueros bonitas: hinc luditur anceps*
*Alea, & obliquâ temeranda canicula ſorte.*

genus ſe conjiciet, ſilveſtrem in modum vitam inſtituet. LATITANTIOR HYSTRIX] Inſtar hyſtricis ſe recondens & ſepeliens inter vitia. Deſcribit Plinius l. 8. c. 35. In hunc modum: *Hyſtrices generat India & Africa ſpinâ contectas, ac herinaceorum genere: ſed hyſtrici longiores aculei, & cum intendit cutem, miſſiles Ora urgentium figit canum, & paullò longiùs jaculatur. Hybernis autem ſe menſibus condit: quæ natura multis, & ante omnia urſis.* Inde etiam in M.SS. Poëtam comperio, eligendum ſibi vocabulum reliquiſſe unum ex his tribus, *urſus, alce, hyſtrix.* Nam & urſo, ut jam vidimus ex Plinio, & alcæ, quæ eſt animal mediâ inter camelum & cervum ſimilitudine, pro more eſt in ſpecubus & latibulis ſe recondere. Extat apud Eraſmum in Chil. adag. Θρὶξ ὕστριχος, id eſt *pilus hyſtricis*, quod dici poteſt de quovis dicterio, acriter in quempiam torto. Verùm hæc aliò ſpectant. Senſus noſter hoc loco eſt: tantò Pertinaciùs ſe abdet inter vitia.

456. SPE MELIOR &c.] Quantò majorem ſpem de ſe parentibus fecerit, fore, ut boni æquique ſervantiſſimus evaderet.

457. QUID MOROR] Nequitiam deſcribere Juvenis, cui jam deſperata ſalus. EVASIT] Cuſtodiam & diſciplinam inſtitutorum: non ſecus quàm hyſtrix capta, ex hominum cuſtodia elapſa, in nemus ſe proripiens, nunquam, vel ingratis poſtliminiò reditura. Hîc ergo vitia diſcinctæ adoleſcentiæ deſcribere aggreditur. PRIMA OTIA] A ſtudiis ac inſtitutione præceptorum: id eſt, otia ſive ferias poſt abſoluta ſtudia excipiunt POPINÆ] Gaſtrimargia, temulentia, commeſſationes. Nam in ejuſcemodi ædiculis, non alia ſacra celebrantur. Hæc enim popinonum & gulæ procerum labyrinthi ſunt, quibus nomina impediunt, & animos implicant nunquam extricandos.

458. LONGIS FOLIIS] Ephemeridum ſuarum, quibus longâ ſerie, conſcribuntur ſymbolarum rationes. Id eſt, credunt adoleſcentibus ſymbolas non præſtantibus, & nomina referunt in ephemeridem. Hoc noſtrates vocant, *te boeck ſetten*, quod Latinè dixeris, *referre in commentarium.* TUM] Ubi jam æquò frequentiùs comperendinata ſolutio, & caupo ſibi æs repræſentari poſtulat, aliàs nihil ultrà crediturus. QUÆ EXSECAT] Itur ad trapezitam vel fœneratorem, qui fœnori det. Rectè *exſecat*, quia ut diximus Serm. 4. ad ℣ 56. fol. 72. trapezitæ ſemper cedit aliqua deſecti capitis portio.

459. DUAS MERCEDES] Centenarii ſcil. ſeu duo in centum, uti nunc quidem loquimur, ſingulis menſibus: Latini dixerint uſuram quinquagesimam. Menſibus enim ſingulis, uti modò, ita & olim Romæ uſuræ perſolvebantur, inde triſtes & atræ calendæ, de quibus egimus Serm. 9 ad ℣ 132. fol. 303. *Merces* licèt propriè in locatione intelligatur, uti *pretium* in emptione; hoc loco tamen accipitur καταχρηστικῶς pro fructu ſortis, quem propriè fœnus vel uſuram dicimus. Præivit Horat. lib. 1. Satyr. 2 ℣ 14.

*Quinas hic capiti mercedes exſecat.-----*

CAPITI] Sorti, ſeu ſummæ, ut aiunt, capitali. DANISTÆ] Fœneratoris; ſive ejus, qui fœnori dat, & credit argentum ſuum. Dicitur Græcè δανειστὴς, ἀπὸ τοῦ δανείζω, quod eſt, *fœnero, mutuò do ad uſuram.* Et hinc δάνειον, fœnus, aut mutuum quod fœnori datur.

460. LAUTORUM] Nobilium, divitum. Juvenalis Satyr. 7. ℣. 177.

*Chryſogonus quanti doceat, vel Pollio quanti*
*Lautorum pueros.-----*

Vide quæ diximus Serm. 3. ad ℣. 337. fol. 63. BONITAS] Prompta & ultronea facilitas, ab amore lucri & uſurarum, ſine periculo jacturæ, aut perdendæ ſortis. Lautis enim magna fides eſt apud fœneratores; maximè illis, quorum bene fundata pecunia, nullis patet effugiis. ANCEPS] Dubia, fortuita, incerta, vaga, deluſoria.

461. LUDITUR ALEA] Luſus teſſerarum vel cuborum, in alveolo. Aleæ artificioſæ meminit. Ovid. lib. 2. Triſt. Eleg. 1. ℣ 471.

*Sunt aliis ſcriptæ, quibus alea luditur artes.*

Aleæ nomine comprehenduntur ludi omnes, qui non

*Laïda nec moveas tali scenâ. Ergo fatiscit*
*Undique compages animæ; & quot sensibus una est,*
*Tot diversa patet, scelera in quæcumque, fenestris.*

non tam robore, arte, prudentiâ, consilio vel agilitate, quàm fortunâ vel mero casu constant. Hîc tamen restringitur ad lusum tesserarum jam exponendum. OBLIQUA SORTE] Quæ in obliquum cògat, aut retroagat ad initia fritilli. Vulgatum illum inter lautos lusum intelligit, quem à sortis fortuita mutabilitate, quam vel unicus sinisterior aleæ jactus creet, versatilem, vel desultorium appellant; Belgica lingua, *Verkeer*, lusoresque *Verkeerders*. Hoc lusu mirum in modum tenebatur Poëta noster, sed cum sale & citra nævum, uti in vita illius diximus. TEMERANDA] Vitianda, invertenda, in obliquum agenda. Hypallage, pro eo, quod est, sors temeranda caniculâ obliquâ: id est, obliquante, seu scrupum retroagente. Non rarò enim à jactu caniculæ, scrupus, cui jam victoria parta videbatur, in obliquum agitur, & quasi ad carceres alveoli repellitur; undè iterùm ei sit auspicandum. Hinc in M.SS. reperio pro *obliqua*, to *retrograda*: quod ipsum hoc loco mentem Auctoris vehementer illustrat. CANICULA] Monas, seu facies cubi unum dumtaxat punctum vel oculum referens. Scitè: jactus enim canis, jactus infortunatus est, tam in astragalis seu talis, quàm in cubis & tesseris. Pers. Satyr. 3. ṽ. 48.

-------- *Quid dexter senio ferret,*
*Scire erat in voto: damnosa canicula quantum*
*Raderet: angustæ collo non falleret orca.*

Propert lib 4. Eleg 9. ṽ. 17.

*Me quoque per talos Venerem quærente secundos*
*Semper damnosi subsiluere canes.*

Sic & Ovid. de art. l. 2. ṽ. 206. & 2. Trist. Eleg. 1. ṽ 474. *damnosi canes* appellantur, quos hîc Noster cum Persio *caniculam* dixit. Respondet Græcis ὁ vel ἡ κύων, quod est *canis*, uti & ὄνος, quod est *asinus*, & semper designant jactum infortunatum, vel damnosum. Nostratibus etiam hoc ævo idem ferè usus est, apud quos uniones, (jactus plerumque, non semper tamen, damnosus) appellantur *Esels*, id est, asini. Obiter hîc notandum est, canem alium fuisse in tesseris, alium in talis. In talis namque non est unio, uti est in tesseris: sed *canis* est, cùm omnes quatuor tali eumdem situm habent, vel eodem vultu steterint. Quò major quippe varietas vultuum, eò fortunatior erat jactus. Fortunatissimus autem erat, ubi singuli tali diversam habebant faciem, & jactus ille *Venus* dicebatur. Hinc de talis Mart. lib. 14 Lem. 14.

*Cùm steterit nullus vultu tibi talus eodem*
*Munera me dices magna dedisse tibi.*

Vide doctissimum Del Rio in Hercul Furent.

462. LAIDA NEC MOVEAS &c.] Nec credas hinc abesse scorta, lupas, seu amicas de tribu levi. Unam hîc Laida posuit pro multis ejus generis. Pro lasciva vel procace utitur Martialis lib. 11. Epig. 105 ṽ 21.

*Si te delectat gravitas, Lucretia toto*
*Sis licet usque die: Laida nocte volo.*

Pro meretrice Plutarchus de tuend. sanit. *Nonnulli cubantes*, inquit, *in lecto cum suis uxoribus, caris etiam & dilectis, Venere abstinent: Phrynæ aut Laidi persoluta mercede, corpus malè paratum irritant.* Ovid. Amor. l. 1. Eleg. 5. ṽ. 12.

------- *Multis Lais amata viris.*

*Lais* alioquin meretrix Corinthi famosissima fuit, quæ cùm ob formæ venustatem, opulentiores quosque, ex tota Græcia ad se pelliceret; ab iis mercedem, quantam vix dare poterant, postulabat. Hanc cum Demosthenes clàm adisset, ac illa drna denariorum millia poposcisset: *Ego*, inquit ille, *pœnitere tanti non emo*. Vide A. Gell. lib. 1. cap. 8. TALI SCENA] Ex hoc theatro, cœtu, spectaculo, sodalitio FATISCIT] Dissolvitur. Virg Georg. 1. ṽ. 180.

*Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat.*

463. COMPAGES] Commissura vel vinculum, quo continentur omnes hominis partes & facultates, sub dominatu & imperio rationis. Sensus est, dissolvitur animus in omnem licentiam, & mollitiem. Discincti vel dissoluti in proverbiis dicuntur molles & ignavi, qui animo dissipato ac vago sunt Proverb 18 ṽ. 9 *Qui mollis & dissolutus est.* Eccli. 2. ṽ 15. *Væ dissolutis corde.* Cic. 1. Off 99. *Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.* SENSIBUS] Exterioribus, per quos res transmittuntur ad animum. UNA EST] Una & non divisa in se, licèt variis polleat potestatibus. Sententia est: quot habet sensus, tot habet fenestras intromittendis noxiis.

464. TOT DIVERSA FENESTRIS] Id est, quasi à se divisa. Aptè, *fenestris*: nam adagium

M *Ignoscas, puer est; semel insanivimus omnes.*
*Pœnitet.* D. *O steriles rerum, resipiscitur unquam?*
*Mox crescet vitium specie virtutis; & ille*
*Vir magni est cerebri, magno qui potat hiatu:*
*Et valet ad casus, & ad omnia munia: quippe*
*Quæ non succedunt animante negotia Baccho?*
*Quò non inclines blæsum vino & titubantem?*

*fenestram aperire*, plerumque in malam partem sumitur Terent. Heaut. 3. 1. 71. -----*Hui Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.* Id est, occasionem. Sensus nostros cum fenestris comparari novum non est. SS. Patres interpretantur allegoricos verba Jerem. 9 ℣. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras.* S. Augustinus l. 50. Homil 35 *Per quinque sensus*, inquit, *quasi per quasdam januas, mors aut vita ad animam nostram ingreditur.* D. Ambrosius lib. de fuga secul. c. 1. *Fenestra tua est oculus tuus.* S. Gregorius Magnus lib. 21. Moral. c. 2. *Visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quædam vis mentis sunt, quibus foras veniat, & ea quæ extra ejus substantiam, concupiscat. Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit.* Rhodig lib. 2. c. 31. *Per quinque sensus veluti per fenestras, ad animam penetratur.*

465. IGNOSCAS, PUER EST] Verba sunt Meldæ, vel alius nimiùm filio indulgentis, malè educantis, & malum extenuantis. Ac si dicat: ætatis imbecillitati aliquid indulgendum est. SEMEL INSANIVIMUS OMNES] Trivialis parœmiâ, quâ diluimus hominis cujusque temporaria deliramenta. Bapt. Mantuanus Ecl. 1. ℣. 118.
*Id commune malũ est, semel insanivimus omnes.*

466. PŒNITET] Eum scil. stultitiæ admissæ. STERILES RERUM] Cognitarum scil. Id est, à rerum cognitione alieni, inexperti, imprudentes. Persius Satyr. 5. ℣. 75.
-----*Heu steriles veri, quibus una Quiritem*
*Vertigo facit Hic Dama est non tressis agaso.*
Hoc est, à veritate, seu veri recti cognitione alieni. RESIPISCITUR UNQUAM?] Quasi dicat: datúrne unquam ab insania regressus ad sanitatem, vel sapientiam? Verissimè istud vetus: *Qui lusit, iterum ludet.* Et illud: *Semel malus semper malus.* Quæ quamvis non rarò fallunt, in plerisque tamen locum invenisse, usus docuit seniores.

467. SPECIE VIRTUTIS] Cujus enim initio puduit, mox crescente, cum nequitia, impudentiâ & audaciâ, virtutis loco sibi statuent, ac gloriam inde aucupabuntur. Profligato enim pudore, pudenda vitia pleno agmine mentem irruunt. ET ILLE] Refert Diogenes discinctorum ejusmodi scita & gnomas, quibus mutua scelera elevant, & pro virtutibus invicem eadem obtrudunt; à fucata probabilitate plausum inter se captantes.

468. VIR MAGNI CEREBRI] Firmi, potentis ingenii, & capitis capacis. MAGNO QUI POTAT HIATU] Qui affatim bibit, & magnos canales educit. Ita despicantur eos, quibus sanior mens, vel à regula virtutis, vel à corporis infirmitate: perinde ac si illis imbecillius foret ingenium. Non defuere tamen, quibus hæc Bacchi cos perspicaciam mentis & cerebrum exacuit. Patronum in hoc habent bibaculi clarissimum virum Vopiscum Fortun. Plempium, qui lib. de tuend. valet. togat. c. 5. n. 10. *Germani olim, teste Tacito*, inquit, *sapientissimè consultabant inter pocula. Hoc seculo Illustrissimi viri Viglius & Peckius, alter concilii sanctioris Præses, alter Brabantiæ Cancellarius, optimè de jure responderunt, ac salutaria Principibus suis consilia dederunt, appoti probè* Optimam tamen cautelam subjicit: *at isti*, inquit, *non sunt quibuslibet imitandi.*

469. AD CASUS] Ad quosvis occursus & occasiones; ut quis scil citra ebrietatem largiter potet, ubi ad potandum premitur. OMNIA MUNIA] Strenuè ac feliciter obeunda. Ita illi, quibus constiterint sui dicti rationes.

470. ANIMANTE] Animos & audaciam addente. Corpore enim vini potu concalefacto, æstuant spiritus, vigorque actionibus conciliatur. Quod uti in sedatis, frigidis, & senibus fortasse falsum non est, ita & fervidis, biliosis, turbulentis, igneisque id conducere negat Plempius, ubi suprà.

471. INCLINES] Ducas aut trahas. Nam ut Juvenalis optimè ludit Satyr. 15. ℣. 47.
-----*Facilis victoria de madidis, &*
*Blæsis*

*Jure igitur magnis assuescit ephebia trullis,*
*Drechusiique mero sibi lubricat ureteres.*
G. *Omnia sic ibant. Numquam juveniliùs.* D. *Obe*
*Digne melampodio, fatalis nescius urnæ es?*
*Decrepito Lachesis num stamina fida spopondit?*
*Illudat quid si tibi febris ephemera? Si te*

*Blæsis, atque mero titubantibus.-----*

Hæc de suo, aliorum sententiis adjicit Diogenes: estque sarcasmus insignis, quo manifestè laudem in probrum convertit. BLÆSUM VINO] Phrasis Juvenalis, ut jam vidimus: id est, balbutientem, & quasi sermone vacillantem. Hic enim temulentiæ fœtus. Ovid. de arte lib. 1. ℣. 598.

*Fac titubet blæso subdola lingua sono.*

Quare autem lingua tunc oberret ac titubet, docet Aristot. in problematis. Quod si ad pedes retuleris, cave, cave ne collidare.

472. TRULLIS] Cyathis, vasis potoriis, de quibus Serm 3. ad ℣. 243. fol. 52. EPHEBIA] Adolescentia. Vide Serm. 3 ad ℣ 336. fol 62.

473. DRECHUSIIQUE MERO] Generosissimo genere vini Rhenani, nimirùm Baccharachensi. Oppidum enim *Baccaracum*, seu *Ara Bacchi*, vicinum est *Drechinsa*, quam Ortelius vocat Traianam legionem, estque oppidum haud procul Rheno in Palatinatu inferiori, inter Maguntiacum & Confluentiam; ubi laudatissima omnium Rhenensium vina nascuntur: quorum virtus in Brabantia, ac inprimis Antverpiæ, uti multùm probatur, ita magnâ laurorum aviditate expetitur. LUBRICAT] Lubricos reddit, seu liberos pandit meatus; virtute nempe diureticâ, quâ præ ceteris vinis, quæ apud nos bibuntur, plurimùm valent Rhenana. Juve. Sat. 11 ℣ 173.

*Qui Lacedæmonio Pytismate lubricat orbem.*

Id est, mensam Delphicam, ex Lacedæmonio lapide factam, in quam rejiciebant residuum vini in fundo hærentis, jam educto calice. VRETERES] Urinarios meatus ex renibus ad vesicam, Celsus lib. 4. c. 1. *A renibus singulæ venæ colore albæ ad vesicam feruntur. οὐρητῆρας Græci vocant, quod per eas, inde descendentem urinam, in vesicam destillare concipiunt.* Galenus lib. 5 de usu partium: *Renes autem ipsi vesicæ connectunt meatus quidam prælongi, validíque quos οὐρητῆρας* (Græci, nos urinarios) *vocamus.* Nimirùm *ἀπὸ τοῦ οὖρον*, quod est *urina*. Noster suprà Serm. 8. ℣. 223. fol. 285.

*-----Pulmonem agitavi, & utroque*
*Vretere mihi sensi descendere arenam.*

Vide quæ diximus ibidem.

474 OMNIA SIC IBANT] Tritum istud ora vulgi exercet, cui supplendo versui respondet alterum hemistichium: *sic ibimus, ibitis, ibunt.* Quo innuere videntur; eâdem prorsus ratione, viâ, & modo res humanas fluxisse, ut nunc, nec olim aliter usu venturas. NUMQUAM JUVENILIUS] Optimè ad legem Epicuri. Vox est voluptariorum, quâ se mutuo ad capessenda mundi gaudia, & delibandas voluptates provocant. Respondet Phrasi Belgicæ: *noyt jongher.* OHE] Ac si dicat satis est: jam satis argumenta gastrimargorum nostrorum intelleximus. *Obe* enim saturitatis & fastidii nota est. Vide suprà quæ diximus ad ℣. 225. Serm 8 fol 285

475 DIGNE MELAMPODIO] Stulte, furibunde, cui opus sit elleboro. Vide suprà Serm. 1. ad ℣. 29 fol 8. *Melampodium* enim ellebori genus est. Disertè Plin. lib 25. c. 5. *Melampodis fama divinationis artibus nota est. Ab hoc appellatur unum Ellebori genus, melampodion. Aliqui pastorem eodem nomine invenisse tradunt, capras purgari pasto illo animadvertentem, datóque lacte earum, sanasse Prœtidas furentes.* Et paullum infrà: *nigrum ex his melampodion vocant.* Alii à Melampode medico, qui eo Prœtidas, id est Prœti Argivorum Regis filias, furentes sanasset, nomen invenisse volunt. NESCIUS URNÆ ES?] Immemor mortis es? Nescin' te moriturum? *Vrna* vas ferale mortuorum ossa continens. Vide quæ diximus Serm. 7. ad ℣ 229 fol 186.

476. DECREPITO] Futuro decrepito, uti tu quidem speras, qui hoc vivendi instituto Nestoris tibi videris annos polliceri. STAMINA FIDA] Vitam certam & securam, usque ad ætatem decrepitam. Nota sunt Poëtarum commenta de Parcis, & earum staminibus, & lanificio fatali.

477. ILLUDAT TIBI] Spes tuas decipiat, repentinam mortem acciendo. FEBRIS EPHEMERA] Unius diei febricula. In adagiis reperias,

*Delicias inter ſuffocet craſſa ſaliva?*
*Auriculas aut, eſto, tuas draco lamberit; imo*
*Sors tua ſit fundo; dic, ſpondeat embolio quid*
*Scena cothurnato? De fucis mellea ſperem?*
*Ure puer filices; viridaria conſere nardo;*

Ἐφήμερ ζωὴ, quod eſt, *Ephemeri vita*, ſive unius diei. Eſt enim aliquod animalis genus apud Ariſtotel. l. 5 Hiſt. Animal. c. 19. & lib. 1. c. 53 quod manè naſcitur volatque uſque in poſtmeridianàs horas; mox declinante ſole macreſcit & languet, & occidente emoritur, vitâ non ultrà diem protractâ: unde nomen invenit ἐφήμερ, quod eſt *Diarii*. Nolim itaque hoc loco intelligi febrim illam ephemeram, quæ à Medicis eo nomine inſignitur, quòd uno dumtaxat die humanum corpus exerceat, poſteaque nullis adhibitis medicamentis ſe remittat: ſed aliam tam furioſam & ardentem, ut unico die hominem exſtinguat. Sic à Plutarcho ἐφήμερον φάρμακον dicitur, præſens venenum, quod unico die perimat. Et à Galeno ἐφήμερος πυρετὸς, febris ardens unius diei, vel diaria. De hac igitur hic Sermo eſt.

478. Delicias inter] In menſa, inter dapes & pocula. Crassa saliva] Deſtillatio, ſive catharrus, ut nunc Medici loquuntur, ſuffocativus: ex cerebro ſcil. delapſus, fauces & pulmones opprimens, & impeditâ interſpirandi actione, hominem ſuffocans. *Saliva craſſa*, hic eſt pituita tenax & viſcida, quæ parti cui illabitur tenaciter adhæret Seneca lib. 6. natur. Quæſt. c. 2 *Ego timeam*, inquit, *terras trementes, quem craſſior ſaliva ſuffocat?*

479 Auriculas draco lamberit] Conſilia Deorum intellexeris. Caſaubonus in Perſium: *Opinabantur*, inquit, *veteres eum, cui draco aurem lambiſſet, adeò ſubtilem aurium ſenſum habiturum, ut etiam Deorum conſilia ſit intellecturus.* Senſus eſt: licèt Deorum conſilio interfuiſſes, & te certò ſcires ex Dei decreto, non, niſi poſt ſeros annos, moriturum.

480. Imo sit fundo] Ultimo vel intimo fundo. Hoc eſt, fortuna tua adeò lateat in profundo, & tam altè ſolidèque fundata ſit, ut inde nullis rerum adverſarum uncis & harpagonibus erui poſſit. Embolio cothurnato] Tibi jam ingredienti luctuoſum theatrum vitæ juvenilis. *Embolium* eſt ingreſſus ſcenicus; vel quod ſcenam ingreditur tanquam perſona vel argumentum. Apud Græcos originem habet, ἀπὸ τῦ ἐμβάλλω, quod inter cetera ſignificat ingredior, intervenio. Illuſtrat Cicero l. 3. ad Quint. frat. Epiſt. 1. ſub finem. *Itaque*, inquit, *mirificum* ἐμβόλιον *cogito in ſecundum librum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio Deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus eſſet: quorum alter exercitum perdidiſſet, alter vendidiſſet.* Id eſt, inducam Apollinem cum concilio Deorum quaſi in ſcenam. *Cothurnatus* autem hoc loco, eſt triſtis, luctuoſus, tragicus. Tragœdiæ enim triſtes ſunt, ab exitu vel fine tragico, ſeu triſti. Sicuti autem in comœdiis utebantur ſoccis; ita in tragœdiis, cothurnis. *Cothurnus* autem calceamenti genus eſt, quo utebantur Reges, Principes, optimates &c. id eſt perſonæ Tragicæ. Hinc Ovid. lib. 2. Triſt. Eleg. 1. ℣. 553.

*Et dedimus tragicis ſceptrum regale cothurnis.*

Cothurnorum aliqualem deſcriptionem habes apud Virg. lib. 1. Æneid. ℣. 340.

*Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,*
*Purpureoque altè ſuras vincire cothurno.*

Clariorem apud Sidon. Apoll. Carm. 2. Paneg. Anthem. ℣. 400.

*Perpetuo ſtat planta ſolo, ſed faſcia primos*
*Siſtitur ad digitos, retinacula bina cothurnis*
*Mittit in adverſum, vinctè de femite pellex,*
*Qua ſtringāt crepidas, & concurrentibus anſis*
*Vinclorum pandos texant per crura catenas.*

Reliqua vide apud Albertum Rubenium de re Veſtiat. lib. 2. cap. 1.

481. Scena] Theatrum vitæ humanæ, ut jam dictum. Fucis] Apibus imperfectis, ut Plinio placet l. 11. c. 11. ſine aculeo, non mellificantibus, ſed apum mella devorantibus, ſervitiis verarum apum. Virg. l. 1. Æneid. ℣. 439.

*Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.*

Mella] Mel, id eſt, ſperem mel à fucis, ſeu vera & ſolida gaudia, à mundi vanitatibus, vel fluxis ſenſuum deliciis?

482. Ure puer filices] Blandè hortantis eſt. Exure, exſcinde morum zizaniam; id eſt, vitia vitæ otio contracta. *Filices* otiantis terræ fructus ſunt, agricolis admodum inviſæ; ubi enim inva-

*Velle librum forulis. Serò sapiunt Phryges. Isthmum*
*Cur fodio? Tu detrulla, blandeque conisca,*
*Junices inter prato immoriture juvencæ:*
*Aut priùs eventu stultorum disce magistro;*

invaluerint, totum fundum sustinent occupare. Horat. lib. 1. Satyr. 3. ℣. 37.

*Neglectis urenda filix innascitur agris.*

Virg. Georg. lib. 2. ℣. 189.

*Et filicem curvis invisam pascit aratris.*

Primùm itaque noxiis exstirpandis occupentur otia: deinde VIRIDARIA] Animum tuum. NARDO] Optimo ac odorifero frutice. Id est, excole mentem tuam virtutibus quàm optimis.

483. VELLE LIBRUM FORULIS] Bonis litteris operam da, artium libros, vel historias pervolve. *Foruli* capsæ, thecæ, armaria, in quis libri disponuntur, aut reconduntur. Juv. Sat. 3. ℣ 219.

*Hic libros dabit & forulos, mediamq; Minervam.*

Ut sensus sit: arripe librum ex bibliotheca tua, & studiis incumbendo, malorum cœtus & popinas defugias. Sed mox ipse sibi respondet Diogenes. SERO SAPIUNT PHRYGES] Ii scil. qui non nisi deploratis desperatisque rebus resipiscunt. Adagium refertur à Cicerone libr. 7. famil. Epl. 16. *In equo Troiano scis esse in extremo*, SERO SAPIUNT. Id est, in fabula Livi Andronici, cui nomen *Equus Troianus*. A græcis fluxisse volunt Troianorum deridiculo, qui decimo vix tandem anno, cladibus & diuturno bello contriti, cogitare cœperint de reddenda Helena, omnibusque cum eâ raptis, malè antè negata fide vaticinanti Cassandræ. Prop. lib. 4. Eleg. 1. ℣. 51.

*Aut si Pergameæ serò rata carmina Vatis*
*Longævum ad Priami vera fuere caput.*

Phœdrus lib. 3. Fab. 10. ℣. 4.

*Cassandra quia non creditum, ruit Ilium.*

Nempe ut auctor est Tryphiodorus de excidio Troiano: ----- τὴν γὰρ Ἀπόλλων
Ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὴν καὶ ἄπιστον ἔθηκε.
----- *Dederat huic augur Apollo*
*Esse bonam vatem, sed non credenda profari.*

Virgil. lib. 2. Æneid. ℣. 246.

*Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris*
*Ora Dei jussu, non unquam credita Teucris.*

Vide Beroaldum Annot, append. c.4. Et Alex. ab Alex. lib. 5. c. 15.

484. ISTHMUM CUR FODIO?] Cur ego hæc tam operosè inculco sine spe fructus? *Isthmum perfodere* dicuntur; qui magno, sed irrito conatu aliquid moliuntur. Isthmum siquidem Corinthiacum, ad majorem navigantium opportunitatem, multi Principes olim perfodere incassum tentarunt. Græcis ἰσθμὸς propriè est *terra bimaris*, sive angusta, duplici mari interclusa, κατ' ἐξοχὴν, sive antonomasticè Isthmus Peloponesi, in quo sita Corinthus, qui medius inter Ægeum & Jonium mare peninsulam illam Græciæ nectit. DETRULLA] Inter trullas & calices continenter versare, transfundendo vinum de trullis, in os & gulam. Id est, naviter & strenuè pota. Vide quæ diximus Ser. 3. ad ℣. 243. fol. 52. BLANDEQUE CONISCA] Scortare, libidinare, luxuriosè vive. *Coniscare* est instar arietum, hœdorum vel agnorum lascivientium, cornu petere. Id enim ovium proprium esse, innuit isthoc Virg. Georg. 2. ℣. 525.

----- *Pinguesque in gramine læto*
*Inter se adversis luctantur cornibus hœdi.*

Phrasis desumpta hîc est à Lucretio lib. 2. ℣. 321.

*Et satiati agni ludunt, blandèque coniscant.*

Usus etiam Cicero, apud Quintil. l 8. c. 3. *Caput opponis cum eo coniscans.* Metaphoticos, pro lascivire, seu petulanter ludere.

485. JUNICES INTER] Inter puellas, mœchas, meretrices. *Iunix* Græcis δάμαλις, tenella bos est; seu juvenca, quæ jam desiit esse vitula. Sceledrus herilem meretricem Philocomasium nomine *Iunicis* designat, apud Plaut. Mil. 2. 3. 33.

*Horsum ad stabulum Iunix recipiat se à pabulo.*

Sic & Persius Satyr. 2. ℣ 47. *Iunicum omenta* dixit. PRATO] Popinis, & voluptaribus obscœnis. JUVENCÆ] Aptè persistit in metaphora. Ætas enim *juvenci* seu bovis, qui jam desiit esse vitulus, respondet *junici*, de qua jam dictum.

486. EVENTU STULTORUM MAGISTRO.] Dictum Fabii est apud Livium: *Nec eventus docet hoc, inquit, qui stultorum magister est, sed ratio.* Verissimè: nam ut est apud Erasmum in Chil. *Malo accepto stultus sapit.* Et ex Hesiodo ibidem

-----*Tandem sua pæna nocentem*
*Consequitur, passusque sapit tum denique stultus.*

Extat & hîc senarius apud Græcos:

Ἡ δὲ μετάνοια γίγνετ' ἀνθρώποις κρίσις.
*Tum judicant homines ubi jam pœnitet.*

*Et te restituant bubones, nodus, egestas.*
*His meus Endymion præsentis filius ævi.*
*Exhibet auspiciis pretiosa exordia vitæ.*
*Nulla quies; ad equos, gladios, venabula, luctas.*
*Et canit, & saltat, spreto ordine, tempore, more.*
*Commoda servitiis & sphæristeria vexat.*
*Post strepitus, post sudores, dum lintea mutat:*
*Heus Dromo; lautitias paret in jentacula caupo.*
*Vina recententur. Sumus octo: non sibi desit.*
*It, redit; accepit mentem: munita culina est.*

487. RESTITUANT ] Honestati, virtuti, rationi, ipsimet tibi. BUBONES ] Pani inguinis ex contagio Lesbiano. Βυβὼν enim latinis inguen est, item & tumor, qui in inguine oritur, aut etiam in alia quavis corporis parte. NODUS ] Frequens per universum corpus: id est tumores multi, maximè in tibiis & capite, ex eodem fonte. EGESTAS ] Quæ decoctum patrimonium necessario comitatur.

488. HIS AUSPICIIS ] Quæ jam narratum eo. ENDYMION ] Mollis & feriatam vitam agens, qui plus amet stertere, quàm verè vivere; quique adeò stolidè à parentibus amatur, ut quidvis etiam illi nociturum indulgeant. Desumptum ex fabula Endymionis à luna perditissimè amati: qui, ad ejus preces, factâ sibi à Jove optandi quod vellet potestate, ac certâ spe impetrandi quod optasset: perpetuum somnum optavit & impetravit. Arist. Ethic lib 10 Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις: id est, *Endymionis somnum dormis.* Juven. Sat. 10. ℣ 318.

*Sed tuus Endymion dilecta fiet adulter.*

Ovidius lib. 3. de Art. ℣. 83.

*Latmius Endymion non est tibi Luna rubori.*

PRÆSENTIS ÆVI FILIUS ] Educatus, institutus ad morem hujus ævi: id est, dissolutus.

489 PRETIOSA ] Magni æstimanda; laudabilia, præclara, optima, Ironicè, ac si dicat: Turpia, prava, scelerata.

490. NULLA QUIES ] Domi in musæo, aut domesticis occupationibus. AD EQUOS ] Supple currit, ad equitandum, digladiandum, luctandum.

491 ET CANIT ET SALTAT ] Ubi eum aliorum jam tæduerit. SPRETO ORDINE &c ] Graphicè inconstantiam & levitatem insulsæ juventutis describit, quæ quovis pænè momento mutat otia, & desultorio calore in novas semper libidines prorumpit, sine cura decori.

492. COMMODA SERVITIIS ] Servis peropportuna. Nam heris sphœrâ aut pilâ ludentibus, hi feriantur & nugantur inter se. SPHÆRISTERIA ] Loca in quibus pilâ luditur. VEXAT ] Infestat, molestat, vario percussu vel missu pilarum.

493. POS STREPITUS ] Oris, pedum, pilarum. Omnia enim strepunt, tam clamore & cursu ludentium, quàm ejectæ, vel repercussæ pilæ, in reticulum, manus, vel parietes, allisione. POST SUDORES ] Postquam sudatum abundè, ab exercitii vehementia. LINTEA MUTAT ] Mundam & recentem subuculam assumit, & cultum corporis reconcinnat.

494. HEUS DROMO! ] Sic compellat famulum. *Dromo* nomen servi apud Plaut. Asin. 2. Scen. 4 ℣ 35 quasi δρομεὺς, cursor ἀπὸ τοῦ δρόμου, quod est cursus. LAUTITIAS PARET ] I, vade, indica cauponi, nobis hinc mox adfuturis lautum paret jentaculum.

495. VINA RECENTENTUR ] Nive, glacie, vel gelidâ refrigerentur. *Recens* enim usurpatur eleganter pro *rigens* vel *frigens*: quo sensu apud Turneb. lib. 23. c. 25. Trallianus dicit à Latinis dici *recentatum vinum*: scil. pro *frigerans*, aut *frigeratum*. Nam Catullo Epithal. Jul. & Mall. ℣ 3. dicitur *frigerans Aganippe*. Ceterùm *recentari* quandoque dicitur pro innovari. Sic Matius apud Nonium: *Recentatur*, inquit, *commune lumen hominibus*: id est, *innovatur*. SUMUS OCTO ] Jentaturi. NON SIBI DESIT ] Officio & lucro suo.

496. IT, REDIT ] Dromo ad popinam; impositâque cauponi curâ, redux hero denunciat, ut sequitur. Simili ferè modò Flaccus l. 1. Epl. 7. ℣. 15.

*Lecta tribus pubes fortè hìc exorbitat horis.*
*Inde domum. Pater est : gemit ad præsepia natus.*
P. *Incolumi stomacho es ?* F. *Non expergiscor, onustus,*
*Officio.* P. *Hæc te sobrietas reddet, pater inquit,*
*Immortalem, fax juvenum.* D. *Quæ gaudia ! Meldæ*
*Crescit aqualiculus largo pede, & obsecrat, ut se*
*Non nimiùm macret. Genitor, pro more, sopore,*
*Prandia despumat. Sed pulverulenta struatur*

℣. 55. *---It, redit, & narrat Vulteium* &c. ACCEPIT MENTEM] Intellexit voluntatem suam, eique obsecutus est. Lucil. apud Dousam ex Incert. num. 77.

*Qua facere id possis nostram nunc accipe mentem.* MUNITA CULINA EST] Parata, instructa est. Sic dicimus & *viam* sibi *munire*, pro parare. Cicer. 2. de Orat. c. 202. *Quam tibi primùm munisti ad te audiendum viam!* Item l. 1. Tusc. QQ. c. 32. *Hercules ad Deos numquam abiisset, nisi cùm inter homines esset, eam sibi viam munivisset.*

497. LECTA] Electa, egregia, insignis. Ironicè. EXORBITAT] Symposiando, helluando, debacchando, vitulando, extra æqui & recti orbitam saltitant.

498. INDE DOMUM] Supple, se recipiunt, ut pransurus cum parentibus accumbat. PATER EST] Edit vel manducat, bonâ orexi stimulatus. GEMIT AD PRÆSEPIA] Languet inter cibos; otiatur, cereali jentaculo saburratus, & hinc nil dentes dentiunt. *Præsepe* hoc loco pro mensa dicitur, ductâ similitudine à præsepio vel alveo jumentorum, unde avenam vel aliud quidvis mandunt. Plautus Curc. Act. 2. Scen. 1. ℣. 13.

*Quin reciperet se huc esum ad præsepim suam.*

499. INCOLUMI STOMACHO ES] Vox est patris à filio sciscitantis num affecto sit stomacho. NON EXPERGISCOR] Nondum excitor, vel proritor ad edendum. Respondet patri filius. ONUSTUS] Defatigatus, & lassus nimiùm.

500 OFFICIO] Exercitio digladiandi, equitandi, ludendi pilâ palmariâ. HÆC TE SOBRIETAS &c.] Pater iterum indicat se admirari, & probare illam filii frugalitatem, magnum valetudinis tuendæ adjumentum.

501. IMMORTALEM] Longævum; id est, vitam tuam in seros annos extendet. FAX JUVENUM] Exemplum quod imitentur, lux quâ se lustrari sinant alii. QUÆ GAUDIA!] Scil. filio, qui videt sibi feliciter fraudem procedere, & pro pœna demeritâ, præmiis & laudibus se muniri. MELDÆ] Filio scil. quem infrà ℣. 605. Meldam minorem appellat.

502. CRESCIT AQUALICULUS] A farto, & probè semper saginato ventriculo crassescit venter. *Aqualiculus* diminutivum ab *aqualico*, qui est vas, sive alvus, quò sordes confluunt. Aliis est genus intestini latioris: aliis porci venter: aliis vas ex quo sorbent sues. Quidquid sit metaphoricè *aqualiculus* pro ventre helluonis ponitur. Poëta noster in M. SS. interpretatur Belgicè, *vet buycsken.* Pers. Satyr. 1. ℣. 56.

*-----Nugaris, cùm tibi Calve*
*Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extat.*

Id est, cum tibi sit obesus & præpinguis venter. Laertius de Diogene Cynico refert l. 6. Anaximenem conveniens: *Pingui aqualiculo Rhetor,* inquit, *impertire & nobis pauperibus ventrem: quippe & ipse levaberis onere, & nobis plurimum commodabis.* Meldam itaque hic Poëta noster depingit ventriosum & doliatem. Verùm facilè adducor ut credam, quemadmodum heroïca facta plurimorum ducum in unum Herculem contulit, & coacervavit vetustas; ita in unum Meldam patrum diversorum vitia, errataque malè filios educantium, Poëtam conjecisse: ita ut sub uno, castiget omnes. Sensus est: non segniter cutem curat, & interim OBSECRAT] Pater filium.

503. NON NIMIUM MACRET] Adeo parcè edendo, & genium defraudando; cui etiam patre tam impigrè morigeratur.

504. PRANDIA DESPUMAT] Dormiendo, seu meridiando, sumptos in prandio cibos, in ventriculo decoquit: id enim notat verbum despumare apud Persium Satyr. 3. ℣. 3.

*Stertimus, indomitum quod despumare falernum*
*Sufficiat, quintâ dum linea tangitur umbrâ.*

Metaphora ducta videtur à cibis, qui in aqua coquun-

*Cæsaries frugi nato; condixit amicæ.*
*Accedat tonsor, sine dropace, non sine thecâ:*
*Nam ferramentis, ut barbula prima trahatur,*
*Innumeris opus est. Menti alarumque capillos*
*Enumeres citiùs. Dispone, inflecte magister;*
*Persolvam. An refert impendas plus minùs horam?*
*Ridet & irridet tonsor: ferrum admovet igni:*
*Dilatat, stringit; nec enim quid forcipe dignum.*
*Exhibuit nonò speculum, casiâque perunxit.*

quuntur, aut elixantur: ii enim despumantur, quod ipsum coctionis signum est. PULVERULENTA CÆSARIES] Capillitium, seu capitis pili odoriferis pulveribus inspergantur. Id est, bellè comatur, ut comptulus gratiam amicę demereatur.

505. FRUGI NATO] Ironicè: sed quem tam frugi & frugalem bonus pater existimat. CONDIXIT] Promisit se venturum.

506. ACCEDAT TONSOR] Qui barbam componat, investem & depilem. SINE DROPACE] Ne pilos illos subtilissimos evellat, & mentem glabret. Δρώπαξ enim latinis est unguentum depilatorium, sive medicamentum tollendis pilis & glabrandis corporibus adaptatum. Poeta noster in M. SS. describit: *Vnguentum quo utuntur in balneis [illegible] ad pilos purgandos.* Mart. lib. 10. Epigrammate 65 ℣. 8.

*Levis dropace tu quotidiano.*

Item & libro 3. Epigram. 74 ℣. 1.

*Psilothro faciem levas & dropace calvam.*

Est autem *psilothrum*, ut dropax, medicamentum deglubatorium. A dropace fit δρωπακίζειν, quod est cutem deglabrare. Ridet cum lepore investis ephebi lanuginem. NON SINE THECA] In qua scil. reconduntur instrumenta, quibus tondeatur, trahatur, & poliatur barba, illa scil. tam hirsuta.

507 NAM FERRAMENTIS &c.] Ironicè. Nam falsè ridet: quasi rigidis capillis hirta prima prima barbula, centum forfices & forcipiculas obtundat & hebetet. BARBULA PRIMA] Qualis est parectatis. Lucil. lib 8. inter reliq. Dousæ n. 9.

*Inde parectato chlamydes, & barbula prima.*

*Parectati* Nonio dicuntur, qui de pueritia veniunt ad pubertatem.

508. MENTI ALARUMQUE &c.] Id est, citiùs queas enumerare omnes singulatim pilos, scil. lanaos illos, cotoneos, aut gossipinos, qui mentum vestiunt adhuc glabrum, hircinosque sub axillis; quàm trahatur unius pili barba, aut in morem aliorum disponatur.

509. DISPONE INFLECTE &c.] Sic præcipit Glabrio noster, ratus alioquin sibi malè fore apud amatam. Obsequitur Nasonis præcepto de art. lib. 1 ℣ 517.

*Nec malè deformet rigidos tonsura capillos:*
*Sit coma, sit doctâ barba resecta manu.*

510 PERSOLVAM] Labores tuos liberali mercede compensabo. AN REFERT &c.] Quid ergo referat horam impendere; cùm nihil alibi tibi lucri decedat; quod abunde apud me facturus es?

511 RIDET, IRRIDET] Tacitè, & in animo suo. FERRUM ADMOVET IGNI] Forcipiculam in ignem mittit, ut barbæ, sui usum præbeat.

512 DILATAT, STRINGIT] Stringere & dilatare se fingit; ne glabrioni bilem concitet, aut mercedem ipse perdat. NEC ENIM QUID] Nihil criniti in hoc fundo, quod forcipe dilatetur aut stringatur. *Forceps* instrumentum est, quo metallum candens ex igne vel furno arripitur: quasi *forviceps*, id est, forvum capiens. *Forvum* autem Isidoro calidum vel fervidum est. Hîc autem transfertur ad ferramentum istud minusculum, quod in formam minoris forcipis cusum, usurpat tonsor igne fervefactum, ad inflectendos disponendosque barbæ pilos.

513. EXHIBUIT NONO SPECULUM] Id est: jam vicibus sæpe iteratis, speculum præbuit, ut faciem & barbam contemplaretur, num aliquid displiceret: pro more tonsorum, & usu tonstrinarum. CASIAQUE] Unguento ex casiâ suavissimi odoris herbâ composito. Virg. Ecl. 2. ℣. 49.

*Tum casiâ atque aliis intexens suavibus herbis.*

Et hujus folia volunt olim Romanis in coronamenta venisse. Ceterùm quid propriè per casiam intelli-

*F. Sufficiat. Tyriâ famuli me cingite lænâ:*
*Prodeat Hirpinus. D. Conscendit, loraque stringit;*
*Ferratoque premit talo. Latus actus in unum,*
*Pectora surgit equus; spumatque, hinnitque, quatitque*
*Strata viæ ungue. Cave, cave, ne viciniæ calcem*
*Accipiat. Tandem graditur calonibus implens,*

intelligatur, disputant adhuc Critici. Hîc certè pro quovis unguento odorifero positum est. PERUNXIT] Barbam & capillamentum.

514. SUFFICIAT] Placet, jam satis comptus sum. Vox Juvenci nostri. TYRIA LÆNA] Purpurcâ, vel conchyliatâ chlamyde. *Lana* Varroni lib. 4. de ling. Lat. dicta est, *quod de lana multa, duarum togarum instar.* Chlamydis speciem fuisse apud Romanos, docet Albertus Rubenius de re vest. lib. 2. c. 14. Virg. l. 4. Æneid. ✝. 262.

*-----Tyriaque ardebat murice læna*
*Demissa ex humeris, dives quæ munera* &c.

Hinc videas lautorum pueros ævo Scholiriano purpureas vel coccineas chlamydes ex humeris demisisse, uti modò cyaneas. Vox est domini servo imperantis, ut chlamydem adferat, & cervici imponat, &c. ut sequitur.

515. PRODEAT HIRPINUS] Equus meus. *Hirpinus* generosi & notissimi caballi nomen apud Juven. Satyr. 8. ✝. 62.

*Sed venale pecus Corythæ, posteritas &*
*Hirpini, si rara jugo victoria sedit.*

Id est, ex Corytha equâ laudatissimâ, & Hirpino caballo nobili. Equorum stemmata & proavos recensere, ac inter se celebrare Romani solebant, illorum in primis, qui in circo aliquando victores patres aut avos habuerant. Quò spectat istud Papin. Sil. 5 Carm. 2. ✝ 21.

*---Romulei qualis per jugera circi,*
*Cùm pulcher visu, titulis generosus avitis*
*Exspectatur equus, cujus de stemmate longo,*
*Felix emeritos habet admissura parentes.*

Hirpini equi avum fuisse Aquilonem, probat ex antiquo lapide sibi viso & exscripto J. Lipsius Cent. ad Ital. & Hispan. Epl. 26. atque ita exponit Martialem lib. 3. Epig. 63. ✝. 11.

*Qui sit, quam quis amet, qui per convivia currit:*
*Hirpini veteris qui bene novit avos.*

Inscriptio lapidis hæc est: AQUILO. N. AQUILONIS VICIT. CXXX SECUND. TULIT LXXXVIII. TER. TUL XXXVII HIRPINUS. N. AQUILONIS. VICIT. CXIIII. SECUNDAS. TULIT. LVI. TERT. TUL. XXXVI.

CONSCENDIT] Hirpinum, equum jam phaleratum & expeditum, ut dominum ferat. LORAQUE STRINGIT] Ut regat & domet Hirpinum, & generosiùs obluctantem premat. Describit mores equi junioris & adhuc ferocientis, & cui multa est ab avenæ saturitate petulantia. Solent enim equi jam admissum in dorso dominum, antequam progrediantur, exercere; & hic, illos, stringendo frenum, cujus, initio progressus, sunt minùs patientes: sicque præbent domino occasionem ostentandi imperium, & equitandi perdomandique sui peritiam.

516. FERRATOQUE PREMIT TALO] Calcaribus fodicat, & gradi imperat. LATUS IN UNUM] In alterutram viæ partem vi freni coactus, ægrè insessoris imperium patiens, spumantia ora attollens. Sic Virg. de equo Didus Æn. 4. ✝. 135.

*Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.*

517. PECTORA SURGIT EQUUS] Id est, secundum pectora: sive semet erigit, attollit pectus & pedes anteriores in altum.

518. STRATA VIÆ UNGUE] Ungulâ, quæ animantibus digitos non habentibus pro ungue. De *stratis* egimus Serm 7. ad ✝. 89. fol. 163. CAVE, CAVE &c.] Appositè: quasi vicinos moneat, ut de via cedant, equum declinent, ne calce feriantur: ut & in proverbiis: ἐξ τ̃ ποδῶν ἱππείων, id est, *extra pedes equinos.* Originem duxit ab equestribus certaminibus, ubi hâc formulâ quisque sibi cavere ab equis jubebatur. Totidem verbis respondet vulgare nostrum: *Vyt peerds voeten.* Geminatio hîc gravando periculo adhibetur. Ita & Horat. Epod. 6 ✝. 11.

*Cave, cave: namque in malos asperrimus*
*Parata tollo cornua.*

NE VICINIA] Id est, qui nimis vicini, aut cominus assilientem equum aspectant. CALCEM ACCIPIAT] Calcibus equinis feriatur.

519 TANDEM] Post longos renisus & luctamina GRADITUR] Scitissimè omnia. Sic enim solent equi Juvenes, feroces, generosi, lautè habiti, otio indomiti: primùm scil. se torquere in

*Quacumque incedit tumidus, bis quinque, plateas.*
*Si pater occurrat nato, quæ gloria? Mirum,*
*Hâc ſcenâ, Veneres omnes niſi polluat unus,*
*Inter cirratos centum dum circinat urbem.*
*Veſper adeſt; gerràs audit, gerraſque reponit,*
*Irrequietus adhuc, variis congreſſibus, inter*
*Sæpe pares naturâ, opibus, conatibus, annis:*
*Inter majores cum libertate frequenter.*
*Et, velut exornet ſua multiloquentia, cultis*

omnes viæ partes, gyros facere, ſemet erigere, hinnire, frenum mandere, recalcitrare &c. ac deinde aſtringenti loro obaudientes, ſuccuſſante, & obnitenti gradu procedere. CALONIBUS IMPLENS] Sonitu calonum. *Calones*, calcei ſunt propriè lignei, philoſophorum proprii, quorum uſum adhuc videas apud Monachorum quorumdam ordines; & noſtrates ancillas, dum aquâ domus pavimentum eluunt, & ſordes everrunt. Had Junius Belgicè interpretatur, *Platynen*: & à tacito inceſſu, per antiphraſin. *Stilleganger*; quod minimè ſileant. Plautus *Baxeas* nominat. Noſter hîc traduxit ad ſoleas ferreas, quæ equorum ungulas muniunt. Calcatæ autem viarum ſilices, ferreis hiſce calceamentis, minimè tacent, ut notum eſt: imò magnos edendo ſonitus calones imitantur. Hinc Noſter rectè premit eoſdem ſonos, qui intenduntur ab equi decuſſantis, & frequenter aſſultantis petulantiâ. Et ſic obequitando plateas bis quinque, Jovis hic filius, calonum ſtrepitu minimè communi elicit è domibus, & pueros & anus ad ſui ſpectaculum.

520. TUMIDUS] Tardo, gravi, ac ſuperbo greſſu, ore ſpumante, crurum anteriorum glomeratu, vario aſſultu, &c.

521. QUÆ GLORIA?] Quàm gaudet pater, ſi filio tam ſcitè ac glorioſè equitanti fortean occurſet? Quàm hoc ſibi laudi ducit? Perinde ac ſi res foret æterno præconio memoranda.

522. HAC SCENA] Hoc embolio, hâc repræſentatione, hac ſpecie tam eleganter equitantis. VENERES OMNES] Formoſiſſimas, & nobiliſſimas puellas POLLUAT] In amorem & ſui deſiderium rapiat. UNUS] Solus inter omnes.

523. INTER CIRRATOS] Adoleſcentes & ſodales ſuos, quibus ad id ævi, præter morem ſeniorum, ut jam dictum eſt, promiſſum, cirratum, calamiſtratumque erat capillamentum. Vide quæ diximus ſupra ad ỷ 450. fol. 407. ſenſus eſt: mirum ſi non ipſe, hâc equitandi ratione, præ aliis centum comptiſſimis, omnes puellas ad amorem & officium pelliciat. Inſignis ironia. CIRCINAT] Circumit. Ovid. Metam. l. 2. ỷ 721.

*Inclinat curſus, & eaſdem circinat auras.*

524. VESPER ADEST] Peracto jam hoc equitandi exercitio. GERRAS AUDIT &c] Nugas, res nihili, nihil ſalis habentes: ubi ſcil. jam congreditur cum ſodalibus ſuis, in *Mera*, præcipuo urbis vico; ubi ſub noctem frequens eſt, laurorum conventus, uti & ſub meridiem. Reviſe dicta Serm. 8. ad ỷ. 176 fol. 279 & Serm. 3. ad ỷ. 256. fol. 54. vel ſaltem in diverſorio. Tranſit igitur Poëta ad ſermones loquaculorum adoleſcentium, quibus uſitatum, nihil ſilere, effutire quævis ſine delectu, & effundere totum id, quod ſciunt, vel ex aliis audivere: propriam admirantes ſcientiam & eloquentiam; & ab hac loquendi farragine gloriam aucupantes. *Gerra* propriè ſunt crates vimineæ, poſtea ad nugamenta tranſlatæ.

525. IRREQUIETUS ADHUC] Ab luſu & crapulâ antemeridianâ, ab equitatione poſt meridiem: id eſt, nondum quietus aut contentus exercitiis, & elegantiis (ſic enim nominant) jam memoratis; tranſit ſub veſperam ad cœtus ſodalium aut aliorum ut ſequitur. VARIIS CONGRESSIBUS] Id eſt, in variis cœtibus, ſodalitiis, turmis, conventibus, ſub dîo, vel in caupona.

526. PARES NATURA &c.] Inter ſibi ſimiles, nobilitate, opibus, animis, ſtudiis, ætate.

527. MAJORES] Nobiliores, doctiores, vel ſeniores. CUM LIBERTATE] Magnâ arrogantiâ & audaciâ, ſine reverentiâ & reſpectu virorum ſeveriorum.

528. EXORNET] Honeſtet, decoret, vel oblectet

*Cœtibus audebit garrire, & materiâ; nec*
*Cesset robustis ire in contraria verbis.*
*Doctus & experiens cur non putet ista licere?*
*Inter eos quamvis tantumdem convenit; ac si*
*Certent cum cygnis ululæ. Pollentiùs inquam*
*Argueret, justum pro Thaïde quando duellum:*

lectet præsentes. MULTILOQUENTIA] Loquacitas, vana loquentia; ab ore, non à corde peritus sermo. In quem quadret istud apud A. Gellium lib. 1. cap. 15

*Οὐ λέγειν δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾷν ἀδύνατος.*
*Fari imperitus, conticere nescius.*

Videas enim quosdam, ex eorum genere, qui hîc in uno describuntur singuli. *sic scatere verbis sine ullo judicii negotio* (verba A. Gellii sunt loco citato) *cum securitate multa & profunda. ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire.* Et tales dicuntur non ex pectore, sed ex ore loqui: quòd vera facundia, sive illa copiosè loquens sapientia, non in ore, sed in corde lateat. Sic Homero Ulysses vir facundus & sapiens ex pectore loquitur; ex ore autem Thersites ille, de quo Ser. 5. ad ℣. 252. fol. 116. quem *ἀμετροεπῆν.* & *ἀκριτόμυθον.* id est, sine modo, & judicii delectu verba funditantem appellat: & cui Sallustianâ phrasi, ut refert Valerius probus apud Gellium jam citatum. *satis loquentia, sapientia parum* CULTIS] Doctis, prudentibus, severis, gravibus.

529 CŒTIBUS] Id est, in cœtu sapientium & doctorum hominum AUDEBIT GARRIRE] Ineptè, ac sine prudentia loqui; ex ore, non ex corde, ut jam explicuimus. ET MATERIA] Etiam de argumento graviori, & captum suum superante, uti solent in eruditis cœtibus, non nisi seria & gravia pertractari.

530. NEC CESSET IN CONTRARIA &c.] Problema tuum, ferocibus, arrogantibus & superbis vocibus tueri, & aliena temere impugnare, continenter & acutè vociferando, non relictâ doctioribus loquendi intercapedine: ut locum habeat illud ex Stratidis Comici fabulis.

*Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν.*
*Hic Chius astans non sinit Coum loqui.*

Vide Had. Junium Cent. 3. Adag 50. & And. Schot. Vat. App. Cent. 4 n. 45.

531. EXPERIENS] Prudens, usu peritus, qui suâ scientiâ securus, audet periclitari, & res tentare, ut diximus supra ad ℣. 213. fol. 382. NON PUTET ISTA LICERE] Ita strepere & blaterare, omnia sine discrimine effutire, & cronali instar aures omnium percellere? Ac si dicat: cur non probet multiloquentiam ejusmodi? Scilicet ironicè.

532. TANTUMDEM CONVENIT] Quamvis inter eos tantum sit discrimen, quantum inter cygnum & ululam, olorem & noctuam.

533. CUM CYGNIS ULULÆ] Maronianum est. Ita enim Ecl. 8. ℣. 54.

*Pinguia corticibus sudent electra myricæ;*
*Certent & Cygnis ululæ.-----*

Id est, noctuæ, bubones, cum oloribus vel cygnis. Adagium dicitur de rebus vehementer inæqualibus, & maximè dissimilibus. Veteribus enim (falsò an verò, non discutio) celebratur cantus suavis ille cygni jam senescentis, cui opponitur ingratus noctuarum ululatus. Alibi, simili ferè allegoriâ, opponi videas cygnos anseribus, hirundinibus, alaudis, upupis, fulicis &c. POLLENTIUS] Meliùs, nervosiùs, solidiùs potentiùs: quia in sequentibus hisce nugis omnis illius versatur ars & scientia.

534 ARGUERET] Supple, alios, vel aliorum dicta. JUSTUM DUELLUM] Supple. quando foret duellum; id est, altercatio, rixa, contentio, pugna &c. Sic & suprà explicuimus ad ℣. 169. fol. 377. PRO THAIDE] Amica sua defendenda, vel potiunda Thais nobilissimum scortum Alexandrinum. Ovid. de art. lib. 3. ℣. 603.

*Quæ venit ex tuto, minus est accepta voluptas,*
*Ut sis liberior Thaide; finge metus.*

Id est, negligentior periculorum, & famæ. Noctes suas carè vendidisse indicat istud Propert. lib. 4. Eleg. 5. ℣. 43

*Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,*
*Cùm ferit astutos comica mœcha Getas.*

Menandri dicitur, quia sæpius in fabulas illius inducitur nominatissima meretrix. Inde & Menandrea, & plurimos habuisse amatores, uti Lais, de qua suprà ad ℣. 462 fol. 409. dicitur à Propertio. lib. 2. Eleg 6 ℣. 1.

535. *Pallia si lænis, scutulatis rasa minentur.*
*Quæ potior sit norma jubæ? Quæ cultio barbæ?*
*Quæque galericulis sit forma recepta ferendis?*
*Quomodo conveniat color iste, vel ille puellis?*

*Non ita complebant Ephyrea Laidos ædis*
*Ad cujus jacuit Gracia tota fores.*
*Turba Menandrea fuerat nec Thaidos olim*
*Tanta, in qua populus lusit Erichtonius.*

Inde apud Mart. l. 14. extat MENANDRI THAIS, lemma 187.

535. PALLIA SI LÆNIS ] Obscuri & plebei, nobilibus. Illis enim pallia, his lænæ in usu erant. *Læna* vestis militaris, duplicata, & chlamydis species, ut jam diximus ad ỷ. 514. fol. 417. olim Sacerdotibus in sacris gentilium, item Regibus & Principibus in usu fuit. *Chlamys* pallio brevior astrictiorque est. *Pallium* autem fuisse vestimentum apertum, quod runicæ imponeretur, laxum, atque ad pedes fusum, tradit Ferrarius de re vest. p. 2. l. 4. c. 4. proditque de illa re neminem dubitare. Quæ omnia conveniunt nobilibus & lautioribus istius ævi, quibus in more erat, breviora pallia; & obscuris, qui longiora pallia ex humeris solebant demittere. Vide quæ diximus Ser. 5. ad ỷ 168. fol. 118. SCUTULATIS ] Divitibus, qui se vestibus scutulatis amiciebant. Dicitur enim vestis *scutulata*, quæ facta est ex panno scutulis distinctis contexto. *Scutula* autem non sunt orbes, ut quidam perperam opinati sunt, eò quòd perhibeantur similes telæ araneorum, quod multos hactenus fefellit; sed figuræ quadratæ oblongæ, quales reperiuntur in reti araneorum, quod constat multis filis in orbem circinatis, quæ transverso subtemine, à centro quoquoversum transmeantur. Quare Turnebus vocari scutulatum araneorum tete dicit, non à figura orbiculari, sed à multis quadris, vel scutulis, quas in eo conspicimus. *Scutulam* autem esse quadratam probat lib. 27. cap. 23. Et vestis quidem scutulata à Gallis ortum duxit. Plin lib. 8. c 41 *Plurimis verò liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit; scutulis dividere, Gallia.* Meminit Juvenalis Sat 2 ỷ 97.

*Cærulea indutus scutulata, aut galbina rasa.*

Ego conjicio hic intelligendum fore, id genus panni serici, quod diversis liciis stamen subeuntibus, villosas quasdam figuras exprimit: cujus usus ævo Scholiriano erat frequentissimus. Vulgo nostrati appellatur *Kaffa:* & vestimentum inde confectum, *Kaffa-kleed.* quod suprà etiam vocavimus holosericum, sed aliam protsus ob caussam. Revise Serm. 9. ad ỷ. 86. fol. 297. Et ejus generis vestimento depictum, videre licet Poëtam nostrum, eâ in tabulâ, unde prototypon effigiei ipsius efformandum curavimus. RASA ] Pauperes, plebei, & obscuri, qui villoso isto panno serico non utebantur, sed raso & laneo. MINENTUR ] Eò audaciæ devenerint ignobiles, ut nobilibus quamvis ultionem minitari sustinueint. Id enim nobilibus admodum probrosum, & junioribus inprimis, quibus sanguis æstuat, intolerabile habetur.

536. QUÆ POTIOR SIT NORMA JUBÆ ] Comæ, vel capillorum. Utrum prorsus attondendi, an per cirrhos, & cincinnos promittendi. Jubas equorum vel leonum suprà descripsimus ad ỷ. 81. fol. 365. Inde per metaphoram juba pro coma humana. Mart. lib. 1. Epig. 32. ỷ 6.

*Dumque docent fusa lactea colla juba.*

537. QUÆQUE GALERICULIS &c ] Comis adoptivis, futilibus capillamentis, quorum usus hodie promiscuus. Olim apud Romanos etiam ejusmodi galericulis seu pilis emptis utebantur. Juven. Satyr. 6. ỷ. 120.

*Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.*

Id est, attextis galero crinibus, ut explicat Salmasius. Quemadmodum non multis ab hinc annis vidimus ejusmodi capillamenta galericulis scorteis, cavè vel interiùs cohærere. Suet. de Othone lib. 7. c. 42. *Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignosceret.* Tertullianus de cultu fœminarum: *Affigitis præterea nescio quas enormitates futilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis; nunc in cervicem retrò suggestum.* Nisi hìc mavis intelligi pileolos, quos curtis admodum alis, marginibus, vel umbraculis, constat eâ ætate in familiari usu fuisse: uti & ab hinc quatuor lustris nondum exactis, mos idem aliquot annos tenuit Gallos & nostrates.

538. QUOMODO CONVENIAT &c. ] De forma & cultu virginum, & puellarum, quarum sunt observantissimi ejus generis juvenci.

539.

*Quæ saltu, facie, cantu, sermone decora?*
*De leporis, capreæ, turdi, viniqúe sapore.*
*De gradibus, quartis, octavis nobilitatis,*
*Judice femellâ, caliendro & dentibus auctâ.*
*Mox inter Chionas, sine reprensore, petulcis*
*Cum sociis. Animos. Lubet instaurare popinas*
*Largiùs. Ad latus est sua Lesbia cuique. Beatis*
*Invideant Divi. Genitor domicænia nati*

539. QUÆ SALTU &c.] Quæ commendetur ab arte saltandi, cantandi, eloquii, & à venustate: scil.

*Navita de ventis, de bobus narrat arator;*
*De pueris virgo, virgine deque puer.*

540. DE LEPORIS, CAPREÆ &c.] Hæc ganeonum & venatorum scientia est, quos nidores culinarii suffumigarunt.

541. DE GRADIBUS QUARTIS &c] Stemmatibus, quæ vulgus vocat *quarteria*. Vide dicta ad ℣ 171. Serm. 9. fol. 308. His enim à puero institutus Meldæ filius, apprimè vocalis & eloquens esse potest.

542. CALIENDRO ET DENTIBUS AUCTA] Aviâ aut materterâ majore, jam seniculâ. & cui pili defluxere & dentes, ut sola deinceps spes naturæ defectum supplendi, sit in caliendro seu galericulo, & in insititiis seu arte insitis dentibus Horat. l. 1. Sat. 8. ℣. 48.

*Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum.*

Quo loco exponunt interpretes caliendrum περίθετον, seu comam appositam. Alias enim sit operimentum aut ornamentum capitis. *Turneb.* l 7. c. 20. *Lambinus* in loc. Horat. *Torren.* Petronius *Corymbium* appellat. Ita enim ejus Satyricon: *Sevocatum me non minùs decoro exornavit capillamento: immò commendatior vultus enituit, quia flavicomum corymbion erat.* Ubi interpretes intelligunt, tam capitis ornamentum, quàm comam hypocriticam, seu galericulum. Sed una ratio non perimit alteram; potest enim & ornare vel operire caput, & veros crines mentiri. Arnobius lib. 6. inter probrosa Deorum insignia collocat, *fâlciculas, claves, caliendra, fomites, talaria &c.* ubi per *caliendra*, inquit Elmenhorstius, intelligitur κόσμος κεφαλῆς, id est, mundus, vel ornamentum capitis. Optimè *judice femella*: nam ab aviis maximè, earumque genitoribus deducuntur rami nobilitatis: cùm patris, avi, proavi, eorumque progenitorum idem sit nobilitatis insigne.

543. MOX INTER CHIONAS] Supple semet collocat: id est, unà cum sociis mœchas suas adit. Abrupto nempe morali diverticulo, pergit acta juvenum, ingruente jam nocte, describere. *Chione* celebris quæstuaria, de qua ita Mart. lib. 1. Epig. 35. ℣. 7.

*A Chione saltem, vel ab Helide disce pudorem;*
*Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.*

De nominis etymo egimus fusè suprà Serm. 5. ad ℣. 204. fol. 112.

SINE REPRENSORE] Liberè, extra conspectum patris, aut patrui, vel aliorum, quorum supercilia in hac turpitudine metuant.

544. ANIMOS] Supple, instauremus, vel induamus. Imitatur voces eorum, quibus se ipsi animant, ad Martem Dionæum: quasi dicant, animosè! Italicè, *animo!* Gallicè & apud nos *courage!* INSTAURARE] Revisere, & genio indulgere liberaliùs quàm horis matutinis.

545. AD LATUS EST SUA LESBIA &c.] Sua cuique amata, & conducta ad usuram corporis. Hoc nomine Catullus suam, ut quidam volunt Claudiam, ut alii Clodiam, insignivit, ne vulgaretur & innotesceret. Hanc compellat Epig. 5.

*Vivamus mea Lesbia atque amemus.*

Naso Trist. lib 2. Eleg 1. ℣ 427.

*Sic sua lascivo cantata est sæpè Catullo*
*Fœmina, cui falsum, Lesbia, nomen erat.*

546. INVIDEANT DIVI.] Id est, tam sibi videntur esse beatis, ut Deorum felicitas, iis possit cedere. DOMICÆNIA] Unà secum cœnantem non habet filium, & quidem sine censura. Patris enim benignitas, & præjudicium de continentia filii conceptum, colorant omnia. *Domicænium* vox est à Martiale primùm usitata & efficta. Sic canit. lib. 5. Epig. 79 ℣. 1.

*Si tristi domicœnio laboras.*

Et lib. 12. Epig 78. ℣ 6.

*Affecit domicœnio clientem.*

*Non spectat, multùm de sobrietate modesti*
*Securis juvenis.* S. *Saltem hoc pro laude paciscor:*
*Non quacumque lupâ, non quovis fornice prurit.*
*Tantùm furtivâ rapitur corruptor amicâ,*
*Atque in delicias vafer est.* D. *Quin imò vagatur,*
*Ut pascalis avis funesta novalibus.* S. *Et nunc*
*Clandestina Venus passim perhibetur honesta.*

547. SOBRIETATE ] Quam falsò credis pater. Salsè ac acutè irrisum. Ut premat supinam patris incurii socordiam.

548. SALTEM HOC &c. ] S. alius quisquam vel patronus, vel sannio. Solent enim filiorum facta benignius interpretari parentes, & eorum turpitudinem, si omninò diluere non possint, elevare. Virg Æneid. l.5. ℣.230.

-----*Vitamque volunt pro laude pacisci.*

Idem ferè lib. 12. Æneid. ℣ 49.

549. QUACUMQUE LUPA ] Non omnibus promiscuè scortis, aut vulgaribus prostibulis se commiscet. NON QUOVIS FORNICE ] Non quovis lupanari. Lupæ olim in locis fornicatis degebant, quæ inde ab idoneis fornices dicta. Juven. Satyr. 3. ℣. 156.

*Lenonum pueri quocumque in fornice nati.*

Inde & *fornicari*. PRURIT ] Ardet, tenetur, ad Venerem incitatur.

550. TANTÙM FURTIVA ] Clandestinâ, occultâ, quâ furtim & clam utitur, cum alio nemine consuetâ. CORRUPTOR ] Stuprator, blandimentis, astu, & pluvio Jove, in pellectæ juvenculæ sinum illapsus.

551. IN DELICIAS VAFER EST ] Prudens, catus, & nemine conscio fornicatur; obsequens vulgato isti: *Si non castè, saltem cautè* Ita isti, parentes, aut alii malè feriantium palpones. QUIN IMO ] Excipit hic iterùm Diogenes.

552 UT PASCALIS AVIS ] Tanquam passer hinc & inde volitando, & amatis suis adpipiendo. Passer avium salacissimus. Auctor Carminis Priapæi inter adagia Cognati

-----*Sine fine prurientes,*
*Vernis passeribus salaciores.*

Nota passerum salacitas, quibus propterea vitam breviorem tribuunt scriptores. Passerem unum horæ dimidiæ spatio vigesies femellam inisse, prodit apud Jonstonum Scaliger. Terpsicles apud Athen. l. 9. c. 10. eos qui passeribus vescuntur, in Venerem præcipites esse tradit. Inde & fictum creditur à Sappho, veneris currum trahi à passeribus. Sensus est: non secus vagatur & oberrat omnes fornices, quam passer novalia. Passeris periphrasis est, *avis pascalis*, quæ passim pascitur, seu cibum nusquam non quærit. *Aves quæ passim pascuntur*, inquit Casaubonus in Persium, *veteres Latini passales & pascales, Græci νομαδικὰς, & ἰσκάδιος dixerunt.* FUNESTA NOVALIBUS ] Segeti & arvis noxia. *Novalia* propriè dicuntur, quæ alternis annis seruntur, ut inquit Plin. lib 18. c. 19 Hîc autem pro agro frugibus ferendis exculto. Quod utrumque passeribus quadrat: passim enim vagantur: exitiales autem esse arvis, agricolis notum est. Plin. lib eis cap. 17. *Pestem*, inquit, *à milio atque panico sturnorum passerùmve agmina scio abigi herbâ, cujus nomen ignotum est* &c. Sicque Auctor noster in M SS. locum hunc exponit, præsenti versui in margine subjiciens το *passer* Pro sa act & molli posuit Juven Satyr 9 ℣. 54.

*Dic passer cui tot montes, tot prædia servas?*

Hinc adagium, *Passere salacior*, Angelo Polit. *passer*, in obscœnis numeratur lib observar. & emend c. 6 ET NUNC ] Hâc ætate. Vox est S.

553. CLANDESTINA VENUS ] Clam & occultè scortari. PASSIM ] Ubique & a plerisque, sed Veneris stipendia merentibus, & perversis auctoribus, qui in propria, ut solent, caussa talpæ sunt. HONESTA ] Legitima, concessa, non pudenda. Scortationem, sive, ut hodie loquuntur Theologi, fornicationem meram aut simplicem intelligunt, illam scil quâ cælebs vel liber cum innupta vel libera commiscetur, nemini damnum vel injuriam, ut rentur, inferendo. Sed insipientes illos & turpissimos opinatores, & speciosas eorum rationes, ineluctabili plagâ perimit magnus gentium Doctor Apostolus Epl 1 ad Cor. c. 6. ℣ 9 *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles &c. regnum Dei possidebunt.* Et paullùm infra ℣ 19. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis* quo-

*D. Sed subita invadit macies: fit lutea pellis;*
*Segnities pedibus: prohibent consistere vires:*
*Est dolor articulis, miseræque in fronte coronæ.*
*Vera lues. Medicum accersi: nam si mora longa,*
*Exitium superabit opem. P. Si culpa subesset,*
*Non utique hærerem: sed nulla occasio tabi.*
*Nullus ob ancillam stupratam, quæ pudibunda,*
*Quæ nolens vult, & lacrymatur, curtius unquam*

*quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Quæ omnia non nisi de scortationis, seu simplicis fornicationis noxâ, intelligi posse pro comperto est: & ipsa orationis consecutio seriò expensa, vel ipsos auctores proprio calculo condemnet. Quin ipse Sannio, qui hìc loquitur, argumenta ejusmodi profert, ut rideat & carpat.

554. SED SUBITA INVADIT &c.] Præludia morbi Lesbiani. Contracto siquidem contagio, mox vitiatur hepar, & ex eo hæmatosis, sive sanguinis confectio. Inde omnes corporis partes, suâ quælibet nutrimenti portione frustratæ marcescunt. Inde macies. Loquitur hìc Diogenes. LUTEA PELLIS] Flava, ut solent affecta corpora.

555. SEGNITIES PEDIBUS &c.] Ex symptomatis suprà relatis Serm. 9. ad ℣. 124. fol. 302. & à viribus profligatis, à macerato & debilitato corpore &c.

556. DOLOR ARTICULIS] Prosequitur seriem symptomatum. Natura enim, ne virulentum quid partes principes infestet, illud in corporis extima & cutem protrudit. Nam cùm maligni vapores, tanquam ex bulliente olla, in operculum, id est, hominis inquinati caput, aguntur, ibidemque ob cranii cutisque densitatem sistuntur, foras vel sub cutem capitis delabuntur, vel in articulos & artus deturbantur. Hinc immanis articulorum dolor, & ut sequitur MISERÆ IN FRONTE CORONÆ] Ex pustulis scil. & papulis in fronte & temporibus: vulgus initiatorum *coronas rosea*s appellat: quòd videntur ipso situ caput eatenus coronare. Sic Juven. de floribus Sat. 15. ℣ 50. -----*Multaque in fronte corona.*

557. VERA LUES] Per excellentiam, seu antonomasticws; quia solo contagio nascitur. Titulos & nomenclaturas illius illustravimus suprà Serm. 8. ad ℣ 124. fol. 302 MEDICUM ACCERSI] Chirurgum, qui manibus ægro opitulatur. Hortatur jocosè, ut acerbiùs mordeat. SI MORA LONGA] Si diutiùs distuleris medicinam malo adhibere. Juven. Satyr. 2. ℣. 167.

-----*Nam si mora longior urbem*
*Indulsit pueris, non unquam deerit amator.*

Ac si dicat: audi istud Nasonis libro 1. de remed. Amoris, ℣ 91.

*Principiis obsta: serò medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*

Nam elapsâ opportunitate curandi hujus mali, ars non valet nisi mancas & dimidiatas curationes exequi. Hinc tot monoculi, cæci, adunci, surdastri, blæsi, simi, ἄρινες, surdastri, curti &c. qui stigmata quæ debent Cypridi, ceu partem gloriæ Marti deferunt.

558. EXITIUM SUPERABIT OPEM] Morbus ipse exitii caussa, curari non poterit. SI CULPA SUBESSET &c.] P seu passer hic loquitur, & culpam extenuat. Ac si dicat, si res mihi cum Lesbianâ, aut inquinatâ fuisset.

559. NON UTIQUE HÆREREM] Non differrem remedium, vel opem medicam. NULLA OCCASIO TABI] Nihil à me commissum, unde malum hoc sequatur.

560. NULLUS OB ANCILLAM &c.] Obtrudere hìc contendit usum se fuisse virgine, impollutâ, pudibundâ, non semitariâ: id est Veneris lue non contaminatâ. PUDIBUNDA] Utpote cui adhuc integer pudor; non discincta, ut sunt, quæ non semel Veneri litarunt.

561. QUÆ NOLENS VULT] Quæ quidem blanditiis, promissis, muneribus, aut œstro Veneris illecta, sed tamen videri non vult, pudore coërcita. Fortè ex astu muliebri ac meretricio. Nempe ut Naso lib. 1. de Art. ℣. 665.

*Pugnabit primo fortassis; &, improbe, dicet,*
*Pugnando vinci, sed tamen illa volet.*

ET LACRYMATUR] Quasi injuriam & vim passa, dolens raptam virginitatem, metuens infamiam:

*Factus, vel sputet sub Mercurio.* D. *Sine curâ*
*Prorsus eris, velut attactus si possis inungi.*
*Hoc domitore feram superes in saltibus ipsis.*
P. *Post hac me tutæ servet trieteris amicæ.*
D. *Parte uteri interdum fiet toga curta solutæ:*
*Ecquid consilii?* P. *Matertera sciverit; imis*

miam: sed non sine fuco & larva. Optimè enim Ovidius de remed lib. 2. ℣. 294.

*Vt flerent, oculos erudiere suos.*

CURTIOR FACTUS] Luis malignitate, aut virulentâ corrosione, nasi, auris, vel veretri partem decoxit. *Curtos* enim Latini vocant, aliquâ corporis parte minutos, aut mutilos. Corn. Celsus lib. 7. c. 9. ubi de auribus, labris, naribusque curtis: *curta*, inquit, *igitur in his tribus curari possunt*. Sic Horat. l. 1. Sat. 6. ℣. 104.

*----- Nunc mihi curto*
*Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum.*

Pro mulo, cui cauda adempta vel curtata. Et idem ibid. Sat 9 ℣. 69. *------ Vin tu?*

*Curtis Iudæis oppedere? -----*

Curtos Judæos nominat, quia penis particulâ mutili sunt. Propertius de equo cui caudæ pars resecta lib. 4. Eleg. 1 ℣ 20.

*Qualia nunc curto lustra novantur equo.*

562. SPUTET SUB MERCURIO] Sub ferulâ & disciplinâ magistri Mercurii. Id est, cogatur sputare, vel instituere mali curam, per Ptyalismum seu sputationem. Mercurium vocat argentum vivum vel fusile, quod ob mobilitatem etiam *Mercurium* nominant. Græcis nomen ab aquâ & argento est, diciturque, ὑδράργυρος. Ceterùm, ut æger ad sputationem & salivam proritetur, solet inungi hydrargyro, aut certè sumere potionem, Mercurio pulverulento, seu in pulveres redacto, medicatam: quo pacto procedit ars. SINE CURA] Instat iterum Diogenes cum insigni mimesi: utitur enim iis consiliis, quæ suggerant sodales, aut alioquin familiares, quibuscum audeat sua communicare, & non celare morbum: perinde ac si unus ex illis, curam familiari libertate ipsi persuadeat & dicat: securus eris, si remedium adhibeas, quamvis pro comperto non sit, hac te tabe laborare.

563. ATTACTUS] Contagio inquinatus. INUNGI] Linimentis Mercurialibus, vel ex hydrargyro compositis.

564. HOC DOMITORE] Mercurio, qui à Germanis, ut prodit Ambrosius Paræus, MAGNUS MAGISTER JOANNES salutatur. FERAM] Luem campanam, ςdagram, sphillitidem. IN SALTIBUS IPSIS] In ipso suo cubili & stabulo, unde nondum evagatur & excutit ad alias corporis partes. Ipsis scil. initiis malum hæret in loco contacto. *Saltus* quibusdam mali commatis vocabulum, plerisque lascivum olet.

565. POSTHAC &c.] Loquitur hîc Mercurii discipulus scortator ipse, qui longâ macie excarnificatus, decernit vagę Veneri nuntium mittere, & secundum Mercurii lumbifragium declinare. Hinc se vel integrum triennium addicit TUTÆ] Incontaminatæ, sibi soli commiscendæ, à qua non immineat periculum contagionis. Id est, uni soli sanæ, & intaminatæ consuescam, non sectabor semitarias. O virgineum consilium! ad quod meritò exclamet iterum Noster, ut suprà ℣ 465. --- *O steriles rerum resipiscitur unquam?*

TRIETERIS] Trium annorum spatium Mart. lib. 10. Epig. 53. ℣. 3.

*Invida quem Lachesis raptum trieteride nona,*
*Dum numerat palmas credidit esse senem.*

Id est, annos natum XXVII. Paullinus Epl. 2. ad Auson. ℣. 1.

*Defore me patriis totâ trieteride terris.*

Inde *Trieterica* Bacchi *Orgia*, quæ tertio quoque anno apud Græcos celebrabantur. De his Virg. Æneid. lib. 4 ℣. 302.

*----- Vbi audito stimulant trieterica Baccho*
*Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.*

Papin. Statius Thebaid. 2. ℣. 661.

*----- Non hæc tristerica vobis*
*Nox patrio de more venit, non orgia Cadmi.*

566. PARTE UTERI] Anteriùs, vel à parte uteri. Argutatur hîc Diogenes, ut salsiùs illudat. FIET TOGA CURTA] Tunica muliebris apparebit curta, ob uterum fœtu gravem. Objectat igitur Diogenes hîc aliud malum: nempe si commisceatur sibi soli devotæ, hanc quandoque fœcundandam, cujus rei metus non est à semitariis. SOLUTÆ] Innuptæ.

567. ECQUID CONSILII?] Urget Diogenes, ut vel ipse responso suo se damnet lascivus.

MA-

*Expungar tabulis; pater inplacabilis esset.*
*Vite, Sabinâ opus est.* D. *Cotyledones malè fidæ?*
*Tunc à matre rubens sub noctem exponitur infans,*
*Pauperum ad ædiles ut perveniat; vel ut atrox*
*Mordius, ableget Campanas usque novercas,*

MATERTERA SCIVERIT] Supple, si sciverit. Lamentatur & queritur stuprator. *Matertera* matris soror: hic cælebs fortè, & nunquam nuptura, à quâ speret post mortem amplam sibi rem obventuram; nisi hujus rei intellecto nuntio, ipsum testamento expungat.

568. IMIS TABULIS] Ex intimo testamento. In imis tabulis hic esse dicuntur, quibus vel tota, vel magna pars hereditatis adscripta est, vel saltem pinguissimum aliquod legatum decernitur. Consonat phrasis nostra vernacula: *Esse in imo testamento*, quod dicunt: *Diep in het testament staen.* Hoc dicitur de illo, qui liberaliter testamento locuplerandus accietur. PATER INPLACABILIS &c.] Si sciat nempe, hanc culpam minimè mihi condonet Et quia scelestus ille magis timet homines quàm Deum, subjicit execrabile & facinorosum consilium.

569. VITE] Silvestri scil seu tamum seu bryoniam intellexeris. SABINA] Herbâ sabinâ. Hæc auctore Plinio lib. 24. c. 11. *Brathy appellata à Græcis, duorum generum est: altera tamarici similis folio, altera cupresso.* Duplex Pharmacum ad ejiciendos necandosque in utero fœtus. Remedium infamiæ abominandum, & Christianis auribus indignum: utinam & mentibus incognitum! COTYLEDONES MALE FIDÆ] Quærit iterum, & institutum prosequitur Diogenes. Ac si dicat, si cotyledones malè fidæ sunt: id est, fidæ sunt fœtui malè, ut tu dicis, quia minimè in rem tuam; sceleratis tuis pharmacis nec obsequuntur nec cedunt: quòd retinent nimis arctè fœtum, quem tu flagitioso & barbaro ausu niteris depellere Scelus hoc quàm vulgare fuerit apud Romanos, innuit ævi sui corrector Juvenalis. Satyr. 6 ℣. 593.

*Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.*
*Tantum artes hujus, tantû medicamina possunt,*
*Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos*
*Conducit.-------*

*Cotyledones* Galeno aliisque veteribus (recentiorum plerique dari negant) sunt oscula vel orificia venarum arteriarumque, quibus fœtus per umbilici radices, utero ejusque placentæ valentissimè committitur, spiritusque & sanguinem, ad vitam & augmentum, attrahit. Hæc ubi pharmaci virtute panduntur solvunturque, fœtum, ob alimenti inopiam, exitum sibi molientem demittunt: & hinc abortio.

570. A MATRE RUBENS] Ut solent recenter editi. Phrasis ex Juven. deprompta Sat. 7. ℣. 197.

*Sidera te excipiant modò primos incipientem*
*Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.*

SUB NOCTEM] Primis tenebris, non ipso noctis silentio: ut dum adhuc vigilant homines, & per vias publicas commeant, tempestiviùs repertus infans, curâ ædilium deferatur ad brephocomium, seu domum publicam, ubi curantur infantes expositi: nostrates appellant: *Het vindelinghen huys.* Hoc enim curant matres, quæ partui bene volunt, ut quàm citissimè offendatur, ne cæli injuriis diu pateat, aut aliàs quodvis vitæ vel valetudinis periculum adeat.

571. PAUPERUM AD ÆDILES.] Eleëmosynarios, ut vocamus. Hi enim ex opulentioribus & nobilioribus civibus à Senatu deliguntur, & munus decumanâ cum pietate, & accuratissimâ diligentiâ obeunt, gratis omnino & liberaliter, privatisque rebus neglectis, corrogandis per urbem erogandisque eleëmosynis, operam suam seriò & fideliter impendunt. Et hi uti ędibus publicę pietatis, quæ frequentes sunt, ita inprimis præsunt, pædocomio, parthenoni, brephocomio &c. de quo postremo jam dictum est. Et in his quidem aluntur pauperes pueri, virgines, infantes; quos miseranda matrum egestas, aut metus infamiæ exposuit. De ædilibus egimus suprà Sermon. 9. ad ℣. 78. fol. 296.

572. ATROX MORDIUS] Nomen confictum Juvenis alicujus isto ævo noti, qui prolem hac ratione pridem à se dimiserat. Rectè atrox, quia, sine pietatis sensu, fœtui æternùm renuntiat, qui sic ablegat: consilio tam barbaro minimè pater. CAMPANAS USQUE NOVERCAS] Ad rusticas Campinienses, perpetuò alituras. Vide Ser 3. fol 57. Optimè novercas dicit, cùm sint altrices alienæ prolis, ut novercæ privignorum:

*Cum pare vaccarum. Scelus expurgandum hecatombe!*
*Cinge miser lumbos: quanti mala gaudia constent,*
*Serò docet Nemesis. Non hîc sunt aurifodinæ*
*Propositæ nobis gazæ: non illius ergô*
*Venimus. In licitas prædas quin dirigis arcum?*

imò & peiores novercis, cum infantis patrem nec cognoscant, nec ament, nec revereantur.

573. CUM PARE VACCARUM] Stipe, mercede, præmio, & pretio perpetuæ nutricationis vel altituræ. Id est, duabus vaccis mercantur perpetuam nutricationem: hocque pacto, per interpositum incognitum quemquam, convento, prolem suam, amoliendæ infamiæ, ab se ablegant, & perpetuis laboribus agriculturæ mancipant. Hoc astu nutrices parentes infantis ignorant, nec eum jam adultum de illis instruere possunt. Unde meritò sequitur epiphonema SCELUS EXPURGANDUM HECATOMBE!] Id est, crimen enorme ac decumanum, non nisi maximo sacro expiandum. *Hecatombe* à *centum* nomen habet. Ἑκατὸν enim Græcis *centum* dicitur, & βοῦς, *bos*. Fuit itaque olim apud Græcos Hecatombe maximum sacrificium, constabatque centum bobus, aut interdum etiam aliis pecoribus. Ortum refert ad Lacones, quorum provincia vel regio Ἑκατόμπολις, id est, centum urbium erat, teste Eustathio. Hoc autem sacrificio utebantur, ad sedandam pestilentiam, etiam aliæ nationes. Quò respicit illud Horat. lib. 2 Od 14 ℣ 5.

*Non si trecenis, quotquot eunt dies,*
*Amice places illacrymabilem*
*Plutona tauris.------*

Id est, ne tribus quidem hecatombis in diem. Vide Torrent. Hecatombe describitur à Jul. Capitolino in Max & Balb. *Hecatombe*, inquit, *tale sacrificium est. Centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur. Nam si imperatorium sacrificium fit, centum leones, centum aquilæ, & cetera ejusmodi animalia centena feriuntur.*

574 CINGE MISER LUMBOS] Abstine te à rebus Venereis. Periphrasis desumpta ex Euang. Luc. 12. ℣ 35. *Sint lumbi vestri præcincti.* Augustinus lib. de continentia cap 7. *Quid est lumbos accingere? Libidines continere.* Et Serm. 23. de verb. Dom. c. 2. *In lumbis accinctis virginitas.* Gregorius Magnus Homil 13. in Evang. *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Sedes enim libidinis lumbi esse creduntur, quod semen genitale in illis confici arbitrantur. Augustinus lib. 2. contra Julian. *In lumbis quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur.* Inde optimè Psalmographus Psalm. 37. ℣. 8. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* In quem locum Origenes, *in renibus*, inquit, *vel in lumbis humanorum seminum receptaculum esse dicitur, ex quo illud genus indicatur peccati, quod per libidinem geritur. Lumbi* sunt illa humani corporis pars, quæ quinque dorsi vertebris, thoracis vertebras sequentibus, & ossi sacro incumbentibus, continetur. Illis interiùs adhærent musculi aliquot quos Hippocrates ψόας, antiquiores aliqui, ἀλώπεκας, alii autem, νευρομήτρας appellarunt. His incumbit seminis officina, quæ est renum. Plura vide apud Marsil. Cagnat. var Obs. l. 4. c 7. Inde libido, & Venus tot monstrorum parens. QUANTI] Quantis anxietatibus, doloribus, periculis noxarum capitalium, impendiis, pœnis, maledictis, execrationibus &c. MALA GAUDIA] Deliciæ Venereæ.

575. SERÒ DOCET NEMESIS] Post tot damna tam corporis, quàm animi, Dei vindex justitia demonstrat. De *Nemesi* revisendus est. ℣ 31. Serm. 2. fol. 24. AURIFODINÆ] Ordina: non hic sunt nobis propositæ gazæ, alicujus aurifodinæ, ex qua scil. quotidie aurum liceat effodere. *Aurifodinæ* loca, scrobes, putei sunt, ex quibus aurum eruitur.

576. GAZÆ] Immensæ divitiæ, & quales Arabum. Est enim gaza dictio Persica. Horat. lib. 1. Od 29 ℣. 1.

ICCI, *beatis nunc Arabum invides*
*Gazis, & acrem militiam paras.*

Sensus est: non sunt nobis propositæ aurifodinæ in militia Veneris, ex qua liceat aurum eruere: cùm è diverso in hac dilapidantur opes etiam immensæ: sed alios in usus illæ convertendæ sunt. NON ILLIUS ERGO VENIMUS] Non ideò nati sumus, ut mollem & libidinosam vitam agentes, animos nostros deformemus, & æternùm cruciemus.

577. IN LICITAS PRÆDAS] Ductam ex lege conju-

*Hæc sacer, aut aliquis potuit monuisse sodalis.*
*Incipit ergo faces accendere mente jugales,*
*Et stabilire domum; pater institit ipse quod ante,*
*Sæpè soror patris.* P. *Ditissima Juno Dearum,*
*Fidaque connubii præses, fœcunda petenti,*
*Multiplici sine quâ scateat Cytherea periclo:*
*Si formosa tibi, sine particulonibus heres*
*Abditur illustri genere; ad tua numina supplex,*

conjugem. DIRIGIS ARCUM] Spicula, sagittas, pro quibus hîc usurpatur *arcus* Id est, expositâ allegoriâ, libidinem & œstrum Veneris. Ac si dicat: eccur non ducis uxorem, quando abstinere grave est? Ex consilio scil. Apostoli Cor. 1. c. 7. ℣ 9. *Quod si non se continent, nubant.*

578. HÆC SACER] Sacerdos quispiam à sacra confessione, cujus est vitia reprehendere, & consilia emendationis suggerere: iis inprimis qui hoc in luto demersi sunt, nunquam vel serò emersuri; nisi tempori sanis istiusmodi consiliis obtemperent. SODALIS] Quo utitur familiariter, & cui perinde nota sunt delicta illius, quàm illi ipsi, aut Sacerdoti pœnitentiario.

579 FACES JUGALES] Nuptias. Vide suprà ad ℣.139 fol. 374. & Serm. 6. ad ℣.70. fol. 131. ACCENDERE MENTE] Semet stimulare, & accendere serio cogitatu ad nuptias. Id est, incipit cogitare de vitâ conjugali, & semet ad illius amorem & voluntatem excitare.

580. ET STABILIRE DOMUM] Familiam & Gentem liberis & hæredibus; ne desideratâ prole masculâ, tot illustrium avorum ceris fumosa domus intereat. PATER INSTITIT] Urgenter aliquando postulavit pater, eâdem de caussâ.

581. SÆPE SOROR PATRIS] Amita familiæ suæ sollicita, & saluti nepotis, cui nimis lubricus & periculosus cælibatus. DITISSIMA JUNO &c.] Oratio est Passerii nostri ad Junonem nuptiarum divitiarumque præsidem, ut & nuptiæ, & divites impetrentur Vide quæ diximus Serm. 2 ad ℣ 35. fol. 24 Insinuat Poëta divites hodie Junonem, sive proprias opes adorare: illis blandiri, illis adulari, illis confidere, earumque augmento nuptias sibi decernere, qui alioquin ob libidinandi vagandique licentiam, uxorem ducturi non fuerant.

582. FIDAQUE CONNUBII PRÆSES] Ut jam diximus & ostendimus suprà locis citatis. Illi enim vincla jugalia curæ. FŒCUNDA PETENTI] Conciliatrix fœcunditatis, seu larga gratiarum donatrix, iis commoda & opportuna, qui ad te confugiunt, te adorant.

583. MULTIPLICI SINE QUA &c.] Sine qua Venus exercita, res est plena periculi. Nempe ut jam eventu stultorum magistro ac damno suo serò edoctus est, quanta pœnitentia & pœna vitam tam libidinosè ac procaciter transactam à tergo sequatur. Ita vagam jam Venerem, innuptam, & inconcessam detestatur.

584 SI FORMOSA] Nam & Juno formæ & venustati maritandarum præesse credita est. Vox ejus apud Maronem est lib. 1. Æneid. ℣. 76.

----- *Quā formâ pulcherrima, Deiôpeiam*
*Connubio jungam stabili propriamque dicabo.*

TIBI] Tuis auspiciis, vel te conciliante nuptura. SINE PARTICULONIBUS HERES] Filia unica, sine coheredibus vel consortibus, quæ sola hereditatem adeat. *Particulones* Nonio sunt coheredes, quòd partes patrimonii sumant: sicut consortes qui sortem vel hereditatem quamvis inter se dividendam habent. Utrosque Græci nominant συγκληρονόμους.

585. ABDITUR ILLUSTRI GENERE] Alicubi latitat, me inscio, in familia quadam impensè nobili. Satis licenter: postulat enim formosam, divitem & unicam heredem, nobilem. Sed quantò satiùs fuerat, honestam, probam, & prudentem postulasse? Hæc animum pasceret, illa corpus. AD TUA NUMINA] Rectè in numero multitudinis; nam Juno plura habet numina sive potestates. Octo ut minimum illi tribuit Gyraldus, ut suprà insinuavimus. Sed scia hîc in rem pueri nostri Junonii implorantur: scilicet, quatenus Divæ illi triplex potestas in divitias, formas nubentium, & ipsas nuptias.

*Non impar propero: solatia lubrica sisto,*
*Fortunasque meas cum possessore resigno.*
D. *Annuit: exulta: pro te permitte requirat,*
*Diva rotundandis hodie promptissima votis.*
*Deiöpeia tua est: tantùm dignere procari.*
*His animum oblectat tacitis sermonibus: utque*

586. NON IMPAR] Tali dignus connubio, tali conjuge; non impar, nec illâ inferior, seu divitias seu nobilitatem spectes. SOLATIA LUBRICA SISTO] Oblectamenta Venerea, quæ me sæpe præcipitem dedêre, & sine legitimis facibus, jam suspendo. Oblectamenta rectè solatia dicuntur, quia cùm afficiunt homines, rerum aliarum tædia & curas dispellunt. Cicero ad Attic. l. 4 Epl. 16. *Qui me aliquid posse doluerunt, multa mihi dant solatia.* Id est, in rebus tristibus gaudia. Juven. Satyr. 13. ℣ 179.

*Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.*

*Lubrica* autem sunt, quia multis lapsum creant.

587. FORTUNASQUE MEAS] Opes & facultates meas, tibi divitiarum & regnorum Reginę acceptas refero. CUM POSSESSORE] Et memet ipse unà cum illis RESIGNO] Relinquo tibi & restituo. Horat. lib. 1. Epl 7 ℣. 34.

*Hâc ego si compellar imagine, cuncta resigno.*

Et libro 3. Carm. Ode 29. ℣. 53.

*-------Si celeres quatit*
*Pennas, resigno quæ dedit.-----*

Signare dicimus quod signo impresso claudimus; resignare quod fracto vel ablato signo aperimus. Hoc quia fit, quando in libris dati & accepti pecuniam, quam acceptam signavimus, redditam demonstramus, non raro accipitur pro *reddere* vel *restituere*.

588. ANNUIT] Diogenes iterum irridet, & firmat spem Abydeni nostri. PRO TE PERMITTE REQUIRAT] Sine illam apud Nympham pro te perorare: sponte ac ultro in tua vota se dedet. Id est: interventu, vel desiderio divitiarum tuarum, se tibi submittet.

589. ROTUNDANDIS] Ad finem deducendis, perficiendis, absolvendis. Rotunda enim figura perfectissima est. Sic phrasi Belgica *rotundum* diem vocamus, integrum diem & jam perfectum, cum cursum suum, XXIV. horarum gyro, sol perfecit. Item rotundos menses, rotundos annos dicimus, hac ratione completos. Imò cum diffidimus, ut aliquis rem institutam ad optatum finem deducat, familiariter dicimus, *Hy en sal dat niet rondt schieten.* Id est, *sagittando id non rotundabit:* ac si dicamus: non absolvet, non obtinebit suum finem. Horat. lib 1. Epl. 6. ℣. 34.

*Mille talenta rotundentur, totidem altera: porrò*
*Tertia succedant,-------*

Id est, acervus aut summa mille talentorum compleatur, perficiatur, absolvatur, quod enim rotundum, undique perfectum est. Vide Torrent. & Lamb. in hunc locum Horat. HODIE] Hoc tempore, cùm libertatis & licentiæ turpissima consuetudine inescati lascivi adolescentes, malunt impuris semitariis & prostibulis se commiscere, corpus & animum perdere, quàm conjugali vinculo uni soli amores suos obligare. Unde nunquam vel tardè adorant Junonis numina, qui exitialiter & impudenter audent cum improbo conjugii suggillatore Sat. 6 ℣. 210. pronuntiare:

*----- Felix Vulcanum nocte latentem*
*Qui gerit in cornu, Veneres per compita venans*
*Multivagas, ultra nunquam devinctus amorem.*

Apage hæc à Christianis mentibus: Deo, aut legitimæ posteritati servemus corpora nostra. Hunc finem nobis præstituit natura, à quo qui deflectunt, fidem naturę violant, & contra Deum impiissimè adulterantur. Ubi tamen, damno suo edocti, sapere & de face cogitare incipiũt: adeunt divitiarum Reginam, ut hic noster: illa enim sola est, quæ hac ætate, quâ non tam conjuges expetuntur, quàm earum divitiæ, primâ pollet auctoritate: unde & PROMPTISSIMA votis nuptialibus rotundandis.

590. DEIOPEIA TUA EST] Illa ipsa dives & heres sine particulonibus, sed & formosa. Sic hominem suis somniis pascit Diogenes. *Deiopeia* nomen est Nymphæ, de qua gloriatur Juno l. 1. Æneid. Virg. ℣. 75.

*Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,*
*Quarum quæ formâ pulcherrima Deiopeia.*

TANTUM DIGNERE PROCARI] Unicum tantùm restat tibi officium, ut eam adeas, invisas, amorem tuum doceas, & te offeras.

591. HIS ANIMUM &c.] Hisce cogitationibus & spebus oblectat & pascit animum suum, securus

*Nocte caput posuit, sibi, somno operante, videtur*
*Conformem desideriis duxisse puellam.*
*Jamque agit ornando de curru conjugis aureo:*
*De pueris, famulis, utensilibusque parandis:*
*De canum & accipitrum numero, calonum, & equorum.*
*Dives, & antiquæ gentis Costa urbe moratur;*
*Moribus & formâ castigatissima nata*
*Cui surgit: requies, spes, gloria sola parentum.*

rus de patrocinio & eloquentiâ Junonis: id est, auri & divitiarum suatum.

592. NOCTE CAPUT POSUIT] In lecto jam ad dormiendum comparatus, ubi in cervical ac pulvinarium caput reclinaverit. SOMNO OPERANTE] Phantasmata agitante.

593. CONFORMEM DESIDERIIS &c.] Eam quam cupiat, vel qualem interdiu vehementer expetivit. DUXISSE] Uxorem. Bellè: quod enim valido ac vehementi desiderio vigiles expetimus, noctu somniantibus per phasmata nobis repræsentari mirum non est. Sic de amantibus Virgilius Ecl. 8. ℣. 108.
*Credimus an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.*

594. JAMQUE AGIT] Tacitè secum vel cum familiaribus suis. DE CURRU] Rheda vel pilento adornando, in usum & pompam futuræ conjugis. AUREO] Undique inaurando cum parergis & reliquis ornamentis.

595. DE PUERIS] Pedissequis honesto loco natis, qui dominæ ubique præsto, & ad manum sint. Turnebus lib. 8. c. 9. *Pueros nobilium ministros*, inquit, *pagios, velut pædagogianos pueros, ut Marcellus nominat, vulgo solemus vocare.* Locus hic est Ammian Marcellini lib. 26. *In pædagogiani pueri speciem purpureis opertus segminibus pedum, tunicâ auro distinctâ.* In quem ita Marcel. *Ex quibus colligere possumus, pædagogianos pueros nobiles appellatos, qui Principibus viris inserviunt, eisque etiam sunt in deliciis, vulgo dicimus* PAGGI, *voce corrupta, sed non dissimili.* FAMULIS] Impendio vilioribus, quàm pædagogiani, qui vilioribus & ignobilioribus officiis defunguntur. UTENSILIBUSQUE] Supellectile omnis generis, ad usum & ornatum futuræ domus ac familiæ.

596. DE CANUM] Venaticorum. ACCIPITRUM] Avium prædatricium: quibus videlicet venetur vel aucupetur: pro more nobilium, ut aliquid exquisitioris edulii, labore suo empti, dominæ mensis bene condiendum inferat. De Accipitre ejusque speciebus egimus Serm. 5. ad ℣. 108. fol. 99. CALONUM] Servorum viliorum, qui in venatione maximos labores subeunt. *Calones* propriè militum servi, quos ita dictos autumant à ferendis lignis & palis, ad usum militiæ: vel ut alii, quia ligneas clavas gestabant, quæ Græci κᾶλα nominant. Unde dictos etiam volunt *clavatores*. Apud alios sic audiunt ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est, vocare vel accersere. Pro vilioribus servis dici indicat hoc Horatii lib. 1. Sat. 6. ℣. 103.
------ *Plures calones atque caballi Pascendi* -----
Ubi vetus Glossema monet *calones* appellari viliores servos, urbanos rusticosque, ad imitationem calonum, qui in exercitu serviunt. Vide Torrent. Sic & Epl. 14 lib. 1. ℣ 41.
------- *Invidet usum*
*Lignorum & pecoris, tibi calo argutus, & horti.*
Cicero l. 3. de nat. Deorum. c. 11. *Eos tu cantheriis albis, nullis calonibus, obviam Vacieno venisse existimas?* ET EQUORUM] In usus familiares, urbanos, rusticos, & venatorios &c.

597. DIVES ET ANTIQUÆ GENTIS] Vir apprimè nobilis & dives. COSTA] Nomen fictum, quo designat virum jam descriptum. URBE] In hac, vel in eadem urbe. MORATUR] Degit, habitat, domicilium habet.

598. CASTIGATISSIMA] Absolutissima, emendatissima. Id est, optimis moribus & singulari venustate prædita. *Castigatum* dicitur metaphorice, opus quodvis limatum, correctum, emendatum, absolutum: quod nullum opus arte factum sit initio adeò perfectum, ut correctionem aliquam non desideret.

599. CUI SURGIT] Crescit, pubescit, adolescit. REQUIES, SPES, GLORIA] Unicè à parentibus dilecta, utpote proles unica, heres sine particulonibus: ut suprà postulatum.

*Hanc videt, hanc ardet; petit hanc, patiturque repulsam.*
P. *Hoc genus, hi census?* F. *Sed malo virum ære carentem,*
*Quàm æs viro: & ingenuus gener hac in parte satisfdet.*
A. *Prano, capax rerum es, pauper, generosus, onustus*
*Prole; sed eximiæ correptus imagine formæ,*
*Melda, tuæ natæ, minor est; sine dote locabis.*
PT. *Non me consulto cedet mea filia Meldæ.*

600. HANC VIDET, HANC ARDET &c.] Recto ordine. Primum enim officium oculi subeunt. -----*Oculi sunt in amore duces*, ut dixit Propert. lib. 2. Eleg. 15. ÿ. 12. Platoni referunt isthoc: ἀρχὴ τοῦ ἔρωτος ὅρασις: id est: *visus amoris principium*. Et Plutarchus de amore, ἡ γὰρ ὄψις τοῦ πάθους ἐστὶ λαβή, quod dicunt, *amoris capiendi ansa visus est*. Musæus in Leandro, ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστι. Id est: *oculus via est*. Ideo Virgilius Eclogâ 8. ÿ. 41.

*Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.*

Quia ut idem lib. 3. Georg. ÿ. 215.

*Carpit enim vires paulatim, uritque videndo*
*Fœmina.*--------

Inde ergo admissis igniculis ad mentem, amat molliculus noster, ac tandem, ut voto potiatur, accedit & supplicat. PATITURQUE REPULSAM] Dignum malè feriato præmium. Repellitur à Costa divite, ac priscæ nobilitatis viro; conscio nempe turpissimarum scortationum, quibus discinctus ille pessimè in vulgo audiebat.

601. HOC GENUS, HI CENSUS?] Loquitur Passer: ac si dicat: hæc mea nobilitas, & hæ meæ divitiæ repelluntur? Men' tam illustri loco natum, tantisque censibus opulentum ausis despicere? SED MALO VIRUM &c.] Loquitur Costa & auream sententiam enuntiat: malo, inquit, filiæ meæ virum sine divitiis, quàm divitias sine viro.

602. INGENUUS GENER] Futurus filiæ meæ sponsus & maritus, nobili progenie cretus, liberaliter educatus, moribus honestis & nobilitate dignis imbutus, licèt non opulentus, satis mihi attulerit, si virtutibus & studiis animum excoluit, & propria nobilitate, quæ in moribus spectatur, se ipse commendat. Quibus enim animus excultus non est, næ viri nomine indigni sunt. Sic censent Patres quibus cor & animus ad honesta: nam hi in bono genero acquirunt filium, in malo perdunt & filiam. Irridet cum sale indulgentiam & incuriam patris Meldæ, quod filium tam molliter instituendo perdiderit.

603. PRANO] Loquitur paranymphus quispiam, conciliandis nuptiis à Melda adhibitus, qui Pranonem (ita virum nominat) inducat, ut filiam suam Meldæ filio locet. CAPAX &c.] Rebus magnis agendis par & idoneus. GENEROSUS] Nobilis. ONUSTUS] Gravatus.

604. PROLE] Multis liberis alendis, & suo tempore dotandis. CORREPTUS IMAGINE] Elegantiâ vultus in ejus amorem pellectus.

605. MELDA MINOR] Filius Meldæ, seu Melda junior. Minor & minores, sæpe pro juniore & junioribus dicuntur. S. Augustinus l. 6. confess. c. 8. *Ancilla, cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore*: Id est, Monicâ dominæ filiâ. TUÆ NATÆ] Filiæ tuæ. Sic ordina minor Melda correptus est venustate tuæ filiæ. SINE DOTE LOCABIS] Diviti indoratam filiam rrades, factâ tibi dotis gratiâ, magno rei tuæ compendio. *Locare filiam*, aut *nuptum locare*, proprium est Latinis scriptoribus Terent. Phorm. 4. 3. 40.--- *Quæso, quid si filiam Suam unicam locaret?* At Act 5. Scen. 1. ÿ. 25.

---*Nuptum virginem locavi huic adolescenti.*

Plautus *locare in matrimonium* dixit. Ita enim Trinum. Act. 3. Scen. 3. ÿ. 52.

*Vbi erit locata virgo in matrimonium.*

606. NON ME CONSULTO &c.] Meo consilio & voluntate non nubet Meldæ. Vox est Pranonis, opulentas filiæ suæ nuptias repellentis. Conatur itaque hîc docere Diogenes, quàm sæpe voto frustrentur lascivi adolescentes, qui turpitudinum suarum infamiâ, cujuscumque sottis parentes deterrent; ne filias suas illis elocent, quorum facibus anteactæ vitæ auspicia nihil fortunati promittant. Ita solet in pœnam & medicinam divina Nemesis, ut contempti & spreti, redeant ad se, & propriorum vitiorum putore offendantur.

*Crescere res parvas, magnas decrescere vidi.*
*Quis pudor aut modus est?* D. *Cum patribus ergo bubulcis*
*Concertare juvet, seducere sive puellam.*
*Aut cape deformem, aut cassam, aut sine gnomone, vel si*
*A furiis oriunda, procis despecta, supersit,*
*Quæ vetus exercet Testamentum.* M. *Nihil urges.*
*Quotidie quavis sub conditione, locoque,*

607. CRESCERE RES PARVAS &c.] Rationem repulsæ aut sequioris consilii reddit Prano: quòd magna rerum sit inconstantia. quòd elati non rarò deprimantur, depressi efferantur: talem quippe esse, & tam volubilem rerum omnium fortunam. Ac si dicat. Non est quod filiam meam Meldæ in matrimonium locem: nam & ego pauper & parvus crescere possum, & ille magnus & opulentus decrescere.

608. QUIS PUDOR AUT MODUS EST?] Supple, minori Meldæ; ut sit: Melda nec moribus pudorem, nec modum agendo præfert, in omnibus inverecundus, immoderatus, & indignus cui nubat mea. CUM PATRIBUS BUBULCIS] Hominibus agrestibus & infimæ sortis, ut sunt *bubulci*, qui bobus arant, aut boves pascunt. Id est, procare filias virorum agrestium, qui domi, non homines sed vitulas & boves eduxerunt: quarum scil. filiæ rudes, moribus boves sint, nec cultæ nec instructæ. Ridet hominem.

609. CONCERTARE] Agere cum illis, & nuptium postulare filiam. SEDUCERE] Lenociniis, & inanibus promissis inducere, ut desertâ domo paternâ secum aufugiat, & parentibus invitis nubat. PUELLAM] Alterutram ex duabus, vel Costæ, vel Pranonis filiam.

610. CAPE DEFORMEM] Duc conjugem invenustam, turpem, monogrammam, quam ames, si potes, sine rivali. CASSAM] Indotatam, sive dote cassam vel carentem. Plaut. Aulular. Act. 2. Scen. 2. ℣. 14.

*Virginem habee grandem, dote cassam.---*

Sic & Cicero *sanguine cassam* dixit l. 2. divinat. c. 133. *Cassus* descendere à *careo*, ut à cœno, cœnavi, *cœnatus*, ac si sit careo, carui, *cassus*; existimat Turneb. lib. 29. c. 34. AUT SINE GNOMONE] Sine dente, vel cui jam omnes dentes juniores exciderunt; id est, vetulam, annosam *Gnomones* vitulorum aut pullorum equinorum dentes sunt, ex quibus discere liceat ætatem ipsius jumenti. Inde *Agnomones* Julio Polluci dicuntur, quibus jam gnomon exciderit, inquit Rhodig. lib. 12 cap. 9. apud quem Aristoteles gnomonas dentes vocat, quibus jumentorum ætas internoscitur. Et hinc *aboli* nuncupati equini pulli, qui nondum dentes illos amiserunt. In proverbiis Erasmi juvenias to *gnomon & regula*: quod est illud, ad quod unum reliqua omnia conferuntur. Et inde *ἀγνώμων* dicitur, mente, consilio, judicio carens, stolidus, improbus, iniquus, sine regula recti & justi: quam expositionem siquis huic loco quadrare velit, non litigo: sed sic intelligenda erit, non vetula vel annosa, sed stolida, & mente carens. Vide lexicon Scapulæ.

611. A FURIIS ORIUNDA] Noxia & exitialis, ferox, iracunda, maligna, & furiarum filia, quæ Hebraicis sacris dedita. Olim quidquid noxium & exitiale, dicebatur à furiis ortum. Vide Adag. Erasm. PROCIS DESPECTA] Illocabilis, sine amatoribus, quam nemo sponsam sibi velit, & quæ jam defloruit, & vitam virginalem in senii ætatem deformavit. SUPERSIT] Sola fortassis relicta in familia sua, ob dotes jam commemoratas, à nemine ad nuptias interpellata.

612. QUÆ VETUS EXERCET TESTAMENTUM] Sacris Judaicis devota. Ex natione fortè Lusitana, quæ olim frequens Antverpiæ, Judæorum rituum suspicione laborabat. *Exercere vetus testamentum*, hic est, vivere ad normam Legis Mosaicæ, in antiquo testamento præscriptam. Inter fragmenta enim quædam Auctoris nostri invenio sequentia. --------- *Aut quæ*

*Sabbatha sanctificet, resecet præputia natis,*
*Et vetus exercet testamentum.-----*

Sententia hîc est: vel ducat furiæ alicujus Judææ filiam, seniculam, malignam, noxiam, & ab omnibus spretam. NIHIL URGES] Nihil concludis, nihil rectè doces, vana & futilia profers. Meldæ vox est.

613. QUAVIS SUB CONDITIONE &c.] Passim sine discrimine, sine longa & operosa deliberatione, & ultro quasi.

614.

*Mopso Nisa datur. Rara illi gratia lecto.*
615. *Divitiis rixæ cedant si & jurgia? Tum illos,*
*Lanigeras inter pecudes, balare jubebo;*
*Et natos natorum & qui nascentur ab illis.*
*Hæc pater intendit: spes illa novissima Meldæ.*
*Sed quota pars juvenum motus infrenium ad illas*

614. MOPSO NISA DATUR] Coëunt conjugia maximè inæqualia & dissimilia forte, genere, formâ, famâ: indignis viris, præter exspectationem, dignissima sponsa datur. Sumptum ex Pharm. seu Eclog. 8. Virgil. ỽ. 26.

*Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?*
*Jungentur jam gryphes equis.-----*

Quod in proverbium abiit, cùm præter omnium spem, res præclara obvenit ei, qui prorsus eâ indignus est: ut nihil jam non posse sperari, vel à quovis, appareat. Mopsus hîc vilissimus pastor, Nisa insigni formâ puella intelligitur. Vide Erasm. RARA ILLI GRATIA LECTO] Rara concordia vel amicitia ejusmodi conjugiis. Respondet hîc iterùm Diogenes. De *gratia* vide Serm. 3. ad ỽ. 278. fol. 56.

615. DIVITIIS RIXÆ &c.] Quasi dicat Diogenes: si divitiis etiam cedant rixæ: id est, si ob reverentiam divitiarum, quas unà secum viri familiæ intulit uxor, contineatur vir sub ferula uxoris, & litigare rixarive cum illa, vel eam corripere minimè audeat. Nempe qui ut Plautinus Demænetus Asin. 1. 1. 74 de se dicturus sit:

*Argentum accepi, dote imperium vendidi.*

Mulier siquidem ut est Aulul ejusdem 3. 5. 60.

*---Quæ indotata est, ea in potestate est viri.*
*Dotatæ mactant & malo & damno viros.*

TUM ILLOS] Viros nempe imperatrici conjugi legitimâ face conjunctos.

616. LANIGERAS INTER] Volo numerari inter oves & verveces, simplicissimum ac stolidum pecus. De illo Propert. l. 2. Eleg. 16. ỽ. 8.

*Et stolidum pleno vellere carpe pecus.*

Id est, ovem. Ovis itaque per translationem dicitur, homo parum callidus, minimè ferox, simplex, stolidus. Sic Bacchides Plautinæ Act. 5. Scen. 2. ỽ. 3. Oves ludibrio nominant senes illos, ut simplices & minimè astutos.

Ba-----*Amabo, quis has huc oves adegit?*
M. *Oves nos vocant pessumæ.* So. *Pastor harum*
*Dormit, cum hæ eunt sic à pecu palitantes.*

Caligula Silanum *ovem auream* appellat apud Dionem lib. 59. Sic Timon apud Laërtium l. 7. Cleanthem hebetioris ingenii hominem, arietem vocat. Vide quæ diximus suprà ad ỽ. 310. fol. 393. de voce *vervex*. Unde balare dicuntur, qui stolidè aliquid effutiunt potiùs, quàm loquuntur. Arnob. contra gent. l. 5. *Cornificius balare convincitur, qui novitati præsidentibus Divis alienæ potentiæ vim donat.* Vide Herald. Sensus Poëtæ hîc est: qui adulantur, & ob divitias se submittunt uxoribus, non viri sed oves censendi sunt.

617. ET NATOS NATORUM &c.] Immò & malum in filios serpet. Mulier enim quæ familiæ dictaturam gerit, ad placitum suum molliter educat liberos, & sexui sequiori subjicit: ut eos ad normam simplicitatis paternæ, arietinis moribus instituat. ET QUI NASCENTUR &c] Et in filios filiorum, & seros nepotes, malum se propagabit. Moribus enim in aliqua familia semel receptis constanter inhæretur, nec sine tumultu, bello, & turbâ obsistitur. Desumptus versus ex Virgil. Æneid 3. ỽ. 98

*Et nati natorum & qui nascentur ab illis.*

618. HÆC PATER INTENDIT] Melda scil. major desiderat, ut filius opulentam ducat conjugem, cujus ille disciplinâ contineatur, & sacro metu Reginæ pecuniæ arietinam vitam agat. SPES ILLA NOVISSIMA] Anchora sacra, post tot repulsas & naufragia: hâc spe se consolatur.

619 SED QUOTA PARS JUVENUM &c.] Sic ordinandum: quota pars juvenum perveniat ad illas tædas motus infrenium? Id est, quæ caussa sunt cur juvenes fiant infrenes, & dissolvantur. Quasi dicat: pauci juvenes, metu molestiarum jam memoratarum, perveniunt ad conjugia tam inæqualia, quæ cùm sint illis ipsis invisa, caussa vel motus sunt, cur evadant effrenes, & capistrum conjugale horreant, malintque uti desultoriâ, quàm ratâ & legitimâ Venere. Notat parentes avaros, qui nimis ardenter expetunt filiis suis opulentissimas quasvis nuptias, nihil pensi habentes, quàm sibi commodas & morigeras illi postea uxores habituri sint, & quàm de imperio fami-

620. *Perveniet tædas? Veneris contagio multos*
*Eripit ad plures; nullâ medicabilis arte,*
*Proposito, aut Nemesi: monimenta illusa relictis.*
*Assiduis alii dapibus, vinoque sepulti,*
*Surgere non meminere magis, stillante catharro:*

familiæ tumultuaturi. *Motus* pro caussa usurpari, indicat illud Plinii Secundi lib. 3. Epist. 4. ad Macrin. *Audisti consilii mei motus, superest alterutra ex parte judicium tuum.* Quod est, audisti rationes, quibus motus sum.

620. PERVENIET TÆDAS] Ad conjugium. De facibus & tædis alibi dictum satis. VENERIS CONTAGIO] Morbus Neapolitanus; vel immoderatus Veneris usus. Nam ut rectè Celsus lib. 1. cap. 1. *Frequens concubitus corpus solvit.*

621. ERIPIT AD PLURES] Tollit ex hâc vitâ, antequam de morum correctione ac conjugio cogitent. Abire, transire, penetrare, eripi *ad plures* dicuntur, qui vitam cum morte commutant, notatione Græca. Nam Græci sicut Deos aliquando κρείσσονας, id est, *meliores*: ita & mortuos non rarò πλείονας, id est, *plures*, appellarunt. Scil. quia plures sunt mortui, quàm vivi. Vide Guil. Canterum Novar. Lect. lib. 4. c. 18. Pausanias lib. 1. auctor est, Megarensibus redditum fuisse oraculum Apollinis Delphici: felices eos futuros, si cum *pluribus* consultarent. Quâ voce intellectâ, curiam eo loci exstruxerunt, ubi Heroum sepulchra erant. Alciat. Parerg. 10. c. 13. Inde Plaut. Trin. 2. 2. 13. --- *Quin prius Me ad plures penetravi? Nam hi mores &c.---* *Se penetrare* dixit, pro se prosipere. Mortuos simili ferè phrasi *priores* appellavit Phædrus. Sic enim habet lib. 4. Fab. 20. ℣. 1.

*Abiturus illuc, quò priores abierunt,*
*Quid mente cæca miserum torques spiritum?*

Sic & Seneca Epl. 52. *Tu vero etiam ad priores revertere, qui vacant. Adjuvare nos possunt, non tantùm qui sunt, sed & qui fuerunt.* Sic & Plautus Casin. Prol. ℣. 19

*Qui nunc abierunt hinc in communem locum.*

Dixit pro, *qui nunc mortui sunt.* Communis enim locus est unde negant redire quemquam. Ad quæ obiter notandum, veteres olim abstinuisse vocabulis mortis aut mortuorum, ne cogerentur malè ominari, quod Græcis est δυσφημεῖν. Inde & pro *mori*, dixerunt *abire*, ut jam vidimus. Sic & Cicero Phil. 1. c. 10. *Si quid humanitus accidisset*, id est, si mors me invasisset, nam sequitur: *Multa autem impendere videbantur prater naturam etiam, praterque fatum.* Et similis phrasis in jure frequens est. NULLA MEDICABILIS ARTE] Libidinandi consuetudo nullo remedio superatur. Degustata quippe semel Venerearum voluptatum illecebra, ita mentem occupat: ut numquam deinceps eam ad honesta regredi patiatur. Optimè S. Augustinus l. 8. Conf. cap. 5. *Ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dũ consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

622. PROPOSITO] Animi decreto, & seriâ voluntate vitam in melius commutandi. Consuetudine enim, & habitu pravo imbuta mens, semper in proclivi est, & ad lapsum prona. NEMESI] Divina ultione, seu pœnis, quas immittit ex usu libidinantibus. Ut præter memoratam luem Gallicanam, sunt egestas, corporis marcor, mala fama, nuptiarum repulsa, & cetera quæ justissimus Deus cumulat in perniciem corporum, semet tam pravè ac turpiter abutentium. MONIMENTA ILLUSA] Exempla insignis illusionis. Nam dum sperant vitam corrigere, morbo mederi, & jungi conjugio: mors eos præripit, & priùs vitâ quàm turpitudine suâ destituuntur. Quâ quæ major possit esse illusio? RELICTIS] Vivis, qui à mortuis, pluribus, prioribus relicti sunt.

623. DAPIBUS VINOQUE SEPULTI] Gnathones, belluones, nepotes, pamphagi, ganeones, popinones, gastrimargi, gurgites, lurcones, & siqui hoc in genere, quovis alio titulo insigniuntur; adeò & tam diu corpus escis & vino saburrant, donec animam exhalant. Nam

624. SURGERE] E lecto manè, in quem pridie fartum corpus reclinaverunt. NON MEMINERE] Memoriâ & animâ exuti. STILLANTE CATHARRO] Defluxu vel destillatione humoris viscidi, aut crassæ salivæ, de qua egimus suprà ad ℣. 478. fol. 412 Corpori enim quotidie madenti, ex facili hoc malum accidit. Ejus namque in vulgo ad hominem suum vox est; *Desine fundere, desinam fluere.*

*Eructant animam, vitamque in limine sistunt.*
*Subscribit monitis abstemius aleo nostris,*
*Nil commune sibi cum potatore reservans.*
*Nec Veneris pharetris macer est: discrimine parvo,*
*Multa lucraturus thesauros concipit arcâ.*
*Si canis arrabiat, nox sufficit una paternis*
*Censibus; & superest miserorum vivere fato.*
*Hercule si ludat dextro, Rhamnuside natum*

625. ERUCTANT ANIMAN] Vinolentâ violentiâ animam corpore exactam exspuunt. IN LIMINE] Ipso vivendi initio, in flore ætatis. Adolescentes enim vivere incipiunt: cùm infantium & puerorum, vix hominum vita sit. Vitam namque à ratione metimur; & qui eâ utitur jam adult â ratione, vivere verè dicendus est.

626. SUBSCRIBIT MONITIS] Meis scil. id est, dictis meis assentiur, dicta mea rata habet, probat. Sic Principes, qui Senatusconsultum subscribunt, dicuntur id habere ratum. ABSTEMIUS] Vini abstinens, quasi abs temeto se continens. *Temetum* autem priscis vinum erat. Inde restant adhuc vestigia, *temulentus*, & *temulentia*, & hoc ipsum *abstemius* A. Gell. lib 10. c. 23. *Mulieres*, inquit, *Romæ atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est vino semper, quod temetum priscâ linguâ appellatur, abstinuisse dicunt.* Hâc voce usus Lucilius lib. 6. in reliq Dousæ n. 5.

*Lanificam dici siccam atque abstemiâ ubi audit.*

Item & Ovid. Metam. lib. 15. ℣. 323..

*Vina fugit; gaudetque meris abstemius undis.*

Varro de vit. pop. Rom. apud Nonium: *Quantopere abstemias mulieres voluerint esse, vel ex uno exemplo potest videri.* ALEO] Aleator, qui quotidianus vel frequens est in alea.

627. NIL COMMUNE &c.] Inimicus ingluviei, gulæ, gastrimargiæ, & nihil cum potatoribus communicans, eorumque se contuberniis abstinens Arripit aleatores, quibus aliunde arcessitur vitium: scil. vel ab immoderatione, vel à cupiditate lucri.

628 NE VENERIS &c] Non tenetur libidine, amore puellari non macrescit. DISCRIMINE PARVO] Exiguæ jacturæ periculo. Hoc sibi initio persuadet aleator: nam tunc exiguum quid æris in lusum deponitur; verùm mox crescente æstu vel damni resarciendi, vel plus lucrandi, quandoque augetur adeò, ut solvendo non sint, qui perdidere.

629. MULTA LUCRATURUS &c.] Uti quidem sperat. THESAUROS] Ingentes divitias, magnam auri molem, perpetuò subventuras fortunas. CONCIPIT] Sibi imaginatur, & persuadet. ARCA] Servandos diu in arcâ.

630. SI CANIS ARRABIAT] Rabidus tibi sit, aut damnosus. Allegoricus, alludendo ad canem animal, cui proprium est rabire. Nam *rabies*, ut inquit Festus, *morbus caninus est*. Sensus est, si aleam infeliciter jacias: nam *canis* jactus infortunatissimus est, ut diximus suprà de *canicula* ad ℣. 461. fol 409. NOX] Lusus in totam noctem productus. Quippe dum aleatores incalescunt, somni immemores, integras sæpe noctes abaco incumbunt; nec antè occidisse phœbum intelligunt, quàm rubeat Aurora. PATERNIS CENSIBUS] Supple, decoquendis. Sensus est: unica nox potis est, solidum hominis patrimonium absumere, & omnia reliquæ vitæ adminicula dilapidare. Hoc est, unica nocte potest perdere omnes suas, quas habet, facultates.

631. SUPEREST MISERORUM &c.] Hoc unum post amissas opes superest, ut pauperem ac tenuem vitam agat inposterum, & egenus moriatur: FATO] Sorte, miseriâ, casu.

632. HERCULE SI LUDAT DEXTRO] Si alea jacta feliciter cadat, & fortunatè illi cedat lusus. *Hercules* hoc loco jactus est felicissimus talorum, qui hic ad tesseras transfertur, sicuti plerumque jactuum nomina & talis & tesseris sunt communia. Plaut. Curcul. Act. 2 Scen 3. ℣. 78.

--------- *Iacit volterios quatuor.*
*Talos arripio, invoco almam meam nutricem,*
*Herculem*
*Iacto Basilicum. Propino magnum poculum.* ---

Quem locum, ut vitiatum, aliter interpungit Lipsius Antiq. Lect l. 1. c 21 tuetur doctissimus Del Rio in Hercul. furent. & ex D. Cypriano, Turnebi sententiæ accedit, qui lib. 11. c. 7. diser-

*Se putat; & poscit sibi frena volubilis axis*
*Infelix Phaëthon; donec temeraria vota,*
*Intertrimento proprio, cognoverit, & se*
*In puris & nudis tristi à numine lusum.*
*Illius exemplo trahitur nunc quisque; Monarchâ*
*Colludente, domum, qui centum millia, felix,*

disertè dicit, vulturis jactum fuisse infelicem: Herculis verò Basilici faustum & fortunatum. Eorum enim uterque ait, talorum superficiebus depictas vel sculptas fuisse imagines, quarum alia Venerem, alia Herculem, alia regulum, alia vulturem, alia denique aliud Numen, vel quodvis aliud repræsentarit. Unde concludit Turneb loco cit. *Iactus Herculis basilici, id est, regii, faustus & felix. Herculem autem basilicum accipio, non qui, ut in laboribus exanclandis, leonis exuviis esset vestitus: sed qui, omnibus perfunctus ærumnis, cultu regio esset ornatus.* Siquis autem hic cum Lipsio sentiat, & jactum vocari velit *basilicum*, non *Herculum basilicum*, in loco citato Plauti, per me licèt: sed tunc exponam *τὸ hercule si ludas dextro*, in eumdem sensum, ut sit idem quod istud, si feliciter ludas: eâ prorsus ratione, quâ interpretati sumus Serm. 10. ✠. 129. *Hercule vel dextro.* Vide quæ diximus ibidem fol. 332. RHAMNUSIDE NATUM &c.] Se credit fortunæ filium, ditissimum, & maximè locupletem. Ut suprà Sermone 10. ad ✠. 20. fol. 319. *Rhamnusis* hoc loco Nemesis est, quæ & Deorum invidia, simul & fortuna. Multis hoc docet doctissimus Gevartius noster libr. 3. Elect. ad ✠. 121. Epiced. Glauciæ libr. 2. Silvar. ubi ex Justo Ryckio adfert veterem inscriptionem, cujus hoc initium: DEÆ NEMESI SIVE FORTUNÆ, PISTORIUS &c. De Rhamnusia revisi potest ✠. 31. Serm. 2 fol. 24.

633. POSCIT FRENA] Moderationem & regimen. VOLUBILIS AXIS] Fortunæ, seu rotæ, cui fingitur insistere, in gyrum agi, nunc his, nunc illis vultu arridere, nemini constanter favere. Quasi dicat, committit se fortunæ à se dirigendæ, audetque sibi promittere fortunatos aleæ jactus, vel eos, quos optet.

634. INFELIX PHAETON] Instar Phaëtontis, qui se audens credere equis solaribus à se dirigendis, in præceps ruit. Vide Metam. Ovid. lib. 2. De illo Naso lib 1. Trist. Eleg 1. ✠. 79.

*Vitares cœlum Phaëton si viveres; & quos*
*Optaras stultè, tangere nolles equos.*

TEMERARIA VOTA] Temerarium & stultum desiderium ludendi, & semet aleæ vel fortunæ committendi: supple, *fuisse.*

635. INTERTRIMENTO PROPRIO] Detrimento, damno, dispendio, & omnis rei tuæ turpissimâ jacturâ. Aptè *intertrimentum* posuit, quasi mutuo attritu collusores & aleatores substantiam suam terant. Paucos enim ditavit alea. Quadrat optimè Varronis interpretationi, qui lib. 5. de Ling. Lat. *Detrimentum*, inquit, *à detritu, quòd ea quæ trita minoris pretii. Ab eadem mente intertrimentum ab eo, quod duo, quæ inter se trita, & deminuta, à quo etiam intertrigo dicta.* Terent. Heaut. Act. 3. Scen. 1. ✠. 39.

*Nunc cùm sine magno intertrimento non potest.*
COGNOVERIT] Temere se aleam adamasse.

636. IN PURIS ET NUDIS] Omnibus fortunis & vitæ adminiculis privatum vel exutum. Adagium hodie tritum, originem videtur duxisse à Theologis, qui hominem in puris & nudis naturalibus positum dicunt, dum eum intelligunt omni Dei adjutorio destitutum, secundùm nudas & puras naturæ vires operari. Possit etiam torqueri ad corporum egestatem & nuditatem, dum quis nimiâ egestate compellitur, malè tectus & quasi nudus incedere. TRISTI A NUMINE] Fortunâ adversâ, quæ tristitiæ mater esse solet. Quid enim tristius, quàm vitæ adminicula perdere, quæ quibusdam non rarò ipsâ vitâ chariora sunt? D Cyprianus Epl. 96. de Aleat. *Hinc opes suas perdunt, hinc jam consumptis omnibus rebus suis, mutuis pecuniis se obruunt: hinc patrimonium sine ulla fori calumnia amittunt.* Damhoud. prax. Rer. crim. c. 128. n. 29 *Quemadmodum pestis adimit vitam, ita ludus aleæ adimit pecuniam.*

637. TRAHITUR] Quodam pruritu quæstus, vel habendi desiderio, pellicitur & stimulatur ad damnabilem aleam; ab illius scilicet exemplo, qui MONARCHA COLLUDENTE] Henrico IV. Galliæ ac Navarræ Rege.

638. DOMUM ASPORTAVIT] Secum in patriam detulit. CENTUM MILLIA] Nummûm, flore-

*Bis quater à Gallis secum asportavit; & inde*
*Est circumcisus, Parcâ indignante. Remittit*
*Rarò animos, lusu qui se fore credit opimum.*
*Rariùs è lusu sibi prædia comparat ullus.*
*Hactenus æquali talo: latet anguis in herbâ,*

flotenûm, scutatorum. FELIX ] Alearum jactor, & verè tanto Principe colludente, & tam largiter locupletante fortunatus.

639. BIS QUATER à GALLIS &c.] Sensus est: Qui aleâ ludens cum ipso Galliarum Rege Heorico IV. lucratus est bis quater centum, id est octingenta millia. Dicitur is fuisse Lusitanus quidam, qui in Belgiea nostra domicilium negotiationis ergo fixerat, circumscriptor tamen, uti ferebatur, & improbus aleator, ut qui arte sua hanc auri molem ipsi Regi excusserit. Rex intellectâ fraudis suspicione, tantâ animi moderatione usus est, ut aurum ipsi regiâ quadam generositate numerari voluerit; regno tamen suo cavens, improbi moris virum proscripserit. ET INDE ] Locupletatus & auctus tantis divitiis, semet synagogæ Judæorum subjecit, & hinc

640 CIRCUMCISUS ] Ritu Judaico recutitus, ut profiteretur sacra perfidissimæ nationis. PARCA INDIGNANTE ] Ante fatum & diem suum mortuus: id est, vulnere concisi penis vitam finiit; parcâ succensente, quòd ante horam fatalem, nefario consilio mortem præcocem sibi arcessente, vitæ stamen compelleretur incidere.

641. RARO ANIMOS REMITTIT ] Relaxat ab hoc lusu, qui non est nisi angor animi & perpetuus cruciatus. Nam ut rectè Guil. Stuckius Antiq. Conviv. l. 3. c. 22 ex Osorio. *Qui perdit afflictatur: qui lucrum facit, quamvis intemperanter exultet, ut tamen id, quod est lucratus, amittat, animo anxio & sollicito reformidat.* Accedit, quod spes lucri hominem, licet ludendo effluat, ita continenter stimulet & inquietet; ut quasi deductâ ad summum fortunâ, ac inde repente dejectâ in imum, nunquam cesset eamdem velut Sisyphi saxum, alteram aleam contioenter tentando, attollere. Similem pœnam Seoeca affingit Claudio Imper. aleæ studiosissimo (hic & lusorium conscripsit opus) in sua Apocolocynthosi: *Placuit*, inquit, *novam pœnam excogitari debere, instituendum illi laborem irritum, & alicujus cupiditatis speciem sine fine & effectu. Tum Æacus jubet illum aleâ ludere pertuso fritillo. Et jam cœperat fugientes semper tesseras quærère, & nihil proficere.* Et pergit vincto pede.

*Nam quotiens missurus erat resonante fritillo,*
*Utraque subducto fugiebat tessera fundo:*
*Cumque recollectos auderet mittere talos,*
*Lusuro similis semper, semperque petenti,*
*Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos*
*Fallax assiduo dilabitur alea furto.*
*Sic cùm jam summi tanguntur culmina montis,*
*Irrita Sisyphio volvuntur pondera collo.*

FORE CREDIT OPIMUM ] Qui sordido ditescendi desiderio ad aleam rapitur, & sibi ex injusto lucro, seu ludi rapinâ, promittit aureos montes, & opes immensas: quas etsi obtineat, nunquid alienis spoliis se vestit injustissimè? Ciceronis scitum est lib. 3. Off. c. 22. *Illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes, augeamus.* Et c. 23. *Hoc multò magis exigit, ipsa naturæ ratio, quæ est lex divina & humana: cui parere qui velit, nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat.* D. Bonaventura apud Souter. de Alea l. 2. *Quod ex ludo habetur, nullo titulo possidetur, nec potest retineri, sed debet pauperibus erogari.* Augustinus Aoconit. Augustiniani cœtus lux, de Pot. Eccles. Q 62 Art. 6. *Quia ludus alearum est inhonestus & prohibitus; qui sic non lucratur justè acquiris, nec potest retinere: imò competit repetitio.* Vide infrà Leg. Justinian. ad ℣ 648.

642. RARIUS E LUSU SIBI &c. ] Ludendo quis dives rarò evadit. Petrarcha Dialog. 27. *Hoc jugi experientiâ deprehenditur, omnes hujusmodi ludi magistros nudos esse, atque inopes & egenos.* Stuckius Antiq Convival. l 3. c. 22. *Aleator impius est in suos liberos, uxorem, totamque familiam, quam immani hoc studio, sæpe ad extremam, ignominiosamque inopiam, penuriam, mendicitatemque detrudit.*

643. HACTENUS ÆQUALI TALO ] Hactenus egimus de aleis sinceris, non fallacibus, quales jaciunt, qui ludendi scientiâ pares aut ferè pares, abstinent ab omni fraude & dolo malo, nec utuntur talis, id est tesseris inæqualibus: quales sunt omnes arte malâ confecti cubi, qui justas & æqua-

*Alea fallaci quoties medicata lavernâ.*

645. *Cùm veteratores, specie integritatis, avitos*
*Exsorbent census juvenum; & præstare recusant,*
*Sorte reluctatâ, quæ nomina facta fritillo.*

æquales quadratarum superficierum & angulorum dimensiones non habent. LATET ANGUIS IN HERBA] Malum, fraus, iniquitas, in hoc ludo latent. *Anguis* hîc pro quovis malo dicitur, & non rarò homines improbi, nomine serpentium designantur. Virg. Ecl. 3. ℣. 93.

*Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.*

Quod non sine specie parœmiæ dictum esse contendit Janus Gulelm. verisimil. l. 1. c. 13. Putatque allusum ad adagionem quem extulit pomponius, *vipera est in veprecula*. Alcæus apud La Cerda in hunc locum, eâdem ferè formâ dixit: Ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος ὦ ἑταῖρε ὑποδύεται. Quod est: *O amice omni lapidi subest scorpius*. Sic & similes alibi parœmias offendas: *Serpentes se in arctum contrahunt*. Item, *latent dracones sub ovium pelle*. Item *tribuli sunt inter herbas*. Quæ dici possunt ad eos, quos à ludo & aleâ, luxuriâ, temulentiâ, aliisque mentium scorpionibus deterrere volumus. Vide La Cerda cit.

644. ALEA MEDICATA] Infecta, venenata, fraudibus illita & FALLACI LAVERNA] Furacitate: id est, eo animo jacta, ut fureris, rapias, & fallas. *Laverna* furum Dea, de qua revideri possunt, quæ diximus Serm. 1. ad ℣. 99. fol. 17.

645. VETERATORES] Veteres & recocti aleatores, omni fallaciarum & astutiarum fucco imbuti. *Veteratores* olim servi dicebantur, qui sæpius empti & revenditi, vario usu dominorum, artes omnes & versutias noverant. Quare etiam minoris venibant quam novitii: à dominis enim horum simplicitas quærebatur, illorum calliditas rejiciebatur. Unde servis nomen istud probro dabatur. Terent. And. 2. 6 26.

----- *Quid hic volt veterator sibi?*

Ideo tralatitiè *veteratores* Festo dicuntur, *callidi à multa rerum agendarum vetustate*. A. Gell. lib. 3. cap. 1. pro recocto litteratore dixit: *atque ibi*, inquit, *quispiam de sectatoribus Favorini, qui videbatur esse in litteris veterator*. Cic. 5. in Ver. cap. 35. *Deinde in hoc homo lynceus, etiam callidus, ac veterator esse vult*. & l. 2. Q. frat. Epl. 12. *Me magis de Dionysio delectat: ipse est enim veterator magnus*. SPECIE INTEGRITATIS] Mentientes integritatem & simulantes innocentiam: id est, ita se componentes, ac si essent simplices, ludere imperiti, sinceri, sine dolo malo vel ullâ fallaciâ.

646. AVITOS CENSUS JUVENUM] Omnem substantiam sibi relictam ab avis & majoribus. Aleator enim impius est in suos parentes, quorum opes atque patrimonia multis illorum laboribus atque sudoribus parta dilapidat. *Stuckius* Ant. convival. l. 3. c. 22. Sed hi veteratores, simplices & minimè versutos adolescentes circumscribunt, & adeo dementant, ut quo plus perdunt, eò plus deponant, & ab omni jactu, perditi recuperationem & vindicias prestolentur: *neque enim*, ut canit Juven. Sat. 1. ℣. 89.

----- *Loculis comitantibus itur*
*Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ.*

Hinc optimè censuit Damhouder. Prax. Rer. Crim. cap. 128. n. 12. *Quicumque simplices & incautos Iuvenes & adolescentes suasionibus, blanditiis, malitiis, ac similibus illecebris ad alearum frequentationem pertrahunt: ii non ut aleatores simplices, sed multo gravius plectendi sunt*. PRÆSTARE RECUSANT] Solvere, vel repræsentare, quod perdidere.

647. SORTE RELUCTATA] Adversatâ: seu fortunâ jactus aleæ non secundante. Id est, si ipsis veteratoribus non favet alea. QUÆ NOMINA FACTA FRITILLO] Debita sinisteriore lusu contracta. Notat fraudes eorum, qui eo animo ludunt, ut si vicerint, nihil victo sint remissuri; si perdiderint, nihil victori soluturi: quo fuco nihil iniquius. *Fritillus* hîc significat ipsum lusum: sicut quandoque & alveus, pyrgus, alea, alveolus, eumdem denotant μετωνυμικῶς. Hoc sensu explicandus Sidon. Apollin. l. 3. Epl. 3. *Omitto quod hîc primùm tibi pila, pyrgus, accipiter, canis, equus, arcus ludo fuere*. Et lib. 5. Epl. 17. *Domnicius homo gratia summa, summi leporis, tesseras ceperat, quatiebatque, quo velut classico ad pyrgum vocabat aleatores*. Id est ad ludum tesseratum. *Fritillus* tamen propriè est turricula, pyrgus, (quidam etiam orcam & pyxidem nominant) vasculum buxeum plerumque, aut ex alia materia, intus gradatim asperum. (Hodie in Italia læve est) in quod jactati tali vel cubi (supernè imposito indice ne excidant) quatiuntur cum sonitu, ac deinde in abacum jaciuntur,

*Tunc adeunt Sacros. De lusu nemo tenetur.*
*Practica multiplici constans industriâ; at inter*
*Acta crumenisecûm nobis dictabitur ista,*
*Vulture & Harpyiâ furacior. Hi scelerati*

tur, ut jactus à fraude manus sit immunior. Horat. l. 2. Satyr. 7. ỹ. 15.

*Scurra Volanerius, postquam illi justa chiragra*
*Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque*
*Mitteret in pyrgum talos, mercede diurnâ*
*Conductum pavit.-----*

Πύργ☉ Græcis idem est quod *turris*, & hinc pro *turricula*. Alii malunt legere φιμὸν, tanquam proprium instrumentum aleatorium; quod ipsis relinquimus. Nobis satis est, quod pyrgus hîc denotet nobis fritillum, qui non est alveolus, ut quidam perperam opinati sunt, sed vasculum jam descriptum. Quod planè locus de petruso Claudii fritillo evincit, quem ex Seneca suprà ad ỹ. 641. adduximus; ubi & sonitus fritilli, & lapsus per digitos rem clarissimè demonstrant. Et arguit epitheton, *parvo*, apud Juvenalem Satyrâ 14. ỹ. 4.

*Si damnosa senem juvet alea, ludit & heres*
*Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.*

Ubi agitur de motu tesseratum in fritillo, qui facilè ab una manu fit, ob parvitatem fritilli: quod locum non habet in abaco. Arguit etiam sonitus tam accuratè descriptus à veteribus, qui solet ab iterata identidem motitatinne, in fritillo esse protractior & frequentior, quàm in alveo. Matt. lib. 4 Epig. 14 ỹ 7.

*Dum blandâ vagus aleâ december,*
*Incertis sonat hinc & hinc fritillis.*

Ubi & epitheton *incertis* roborat dictum. Fritillus enim reddit jactus incertos, non abacus. Et à sonitu fritillus nomen habet, quasi à frittiniendo. *Fritinnire* autem Nonio est *subsilire cum sono*. Motitatio verò cuborum in fritillo, fit cum subsultatione. Hinc Salmasius in Fl. Vopisc. *fritillum* juxta vocabuli veriloquium, vocat διάσειστρον, quod est vehementer concutiens. Hoc ipsum de pyrgis prodit istud Sid. Apollin. l. 8. Epl. 12. *Hic te tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus exspectat.* Vide Turneb. lib 6. c. 3 Rader. in Matt. lib. 14 Lem. 1. Inter fritillum & pyrgum discrimen aliquod grande notat Turn. l. 27. c. 3.

648. TUNC ADEUNT SACROS ] Consulunt, vel potiùs consuluisse se dicunt Sacerdotes & Theologos. DE LUSU NEMO TENETUR ] Supple, respondent sacri, vel potiùs illi sibi responsum esse dicunt: neminem lege teneri, id solvere, quod lusu per leges vetito, amisit. Ita quidem gravissimi supercilii Theologi & Canonistæ, quibus utramque paginam facit Constitutio Justinianæa Cod. l. 3. Tit. XLIII. de Alear. & Alear. lus. Leg. 3. *Alearum usus.* Quâ generali lege Imperator decernit, nemini licere ludere: *& si*, inquit, *contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur, ab his qui dederint, vel eorum heredibus: aut his negligentibus, à patre aut defensoribus illius civitatis: vel recipiat fiscus, non obstante, nisi quinquaginta annorum præscriptione. Episcopis verò locorum hoc providentibus, & præsidum auxilio utentibus.* Quæ sententia, an veteratoribus ejusmodi, qui lusosunt animo non solvendi, si perderent, suffragetur, discutiant alii & decernant.

649. PRACTICA MULTIPLICI &c. ] Hæc agendi ratio vel dolus, magnâ & frequenti veteratorum industriâ, uti quidem gloriantur, aleæ infortunatiùs jactæ multum adfert præsidii.

650. ACTA CRUMENISECUM ] Inter furta eorum, qui crumenam secant. *Crumeniseca*, inquit Had. Junius, *nonnullis dicitur, qui in conferta turba marsupiis manum injicit, & aut secat, aut inanit.* Eodem ferè nomine gaudet Italicè *tagliaborse*: Gallicè, *coupebourse*: & Belgicè, *borse-snyder*. Utitur hac voce Budæus in Pandect. & crimen ipsum vocat *crumenisecium*. Plauto dicitur *sector zonarius*, quia olim in zonis nummos circumferebant; sic enim Trinum. 4. 2. 20. ----*Aut dormitator aut sector zonarius.* Festo *Manticularius*, à manticulando, quod est, furandi gratia manticulas attrectare. *Manticula* autem est parva mantica: & hæc est pera viatoria. Manticularum autem usus pauperibus erat, teste Festo in nummis recondendis. Asconio idem dicitur *saccularius*. Vide Cæl. Rhodig. lib. 10. c. 6. Sententia est: hanc industriam, inter furum & manticulariorum recoctos clependi astus referemus.

651. VULTURE ET HARPYA &c ] Rapacissimis volucribus. *Vultur* enim sive *vulturius* avis rapax est, & carnivora: humanis carnibus jampu-

*Talorum fructus. Blasphemiam omitto, furores;*
*Quæ & taceam rogites, inconvenientia mille.*
*Miror sæpè solùm quòd non retegatur hiatu,*
*Devoret ut magnorum irritamenta Deorum.*
*Mutua, & his caussis, vel quæ levioribus orta*

putrescentibus suprà modum delectatur. Unde Umbricius haruspicum peritissimus apud Plin. lib. 10. cap 6. prodit vulturios triduo aut biduo antè volare , ubi cadavera futura sunt. Quo spectat istud Plauti Truc. Act. 2 Scen. 3. ℣.16.

*-----Vide,ut jam quasi volturii triduo*
*Priùs prædivinant , quo die esuri sient.*

Metaphoricè *vultur* de rapace dicitur. Sic Apuleius auctore Rhodig. l. 8. c. 18. Caussidicos & Oratores forenses, *togatos vulturios* nominavit. Sic de duobus rapacissimis imperatoribus Pisone & Gabinio refert Cicero pro Sest. cap.71. *Exierunt,malis ominibus & exsecrationibus,duo vulturii paludati.* Et Orat. in Pison.39. *Appellatus est hic vulturius illius provinciæ.* Id est,*direptor.* HARPYIA] Monstrum volatile , virgineo vultu, manibus uncis : sic dicta ἀπὸ τῶ ἁρπάζειν, id est à rapiendo. Harpyias describit Maro Æneid. lib. 3. ℣. 216.

*Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris*
*Proluvies,uncæque manus, & pallida semper*
*Ora fame.-----*

Raptrices fuisse indicat quod sequitur.ib. ℣ 225.

*At subitò horrifico lapsu de montibus adsunt*
*Harpyiæ,& magnis quatiunt clangoribus alas,*
*Diripiuntque dapes, contactuq; omnia fœdant.*

Inde adagii vice ex Plutarcho celebrat La Cerda in 3. Æneid. isthoc : *Harpyiarum in morem:* dicitque easdem esse & Furias. & Harpyias,& Diras: multisque docet istud Servii : *Sanè apud inferos Furiæ dicuntur & canes,apud superos Diræ, & aves:in medio vero Harpyiæ.* Nihil ergo aliud innuit hîc Poëta, quàm quod hæc aleatorum industria sit præmodum rapax & furax.

652.BLASPHEMIAM OMITTO.]Maledicta, probra , execrationes, convitia, abjurationes, in Deum,Divos,& homines Alea enim cùm mendaciorum , fraudum , litium , & rixarum mater sit, iram facit incalescere, &, præter cetera, aleatores ita rapit extra se , ut Deum etiam blasphemiis , convitiisque lacessere sustineant. Justinianus lege,ut suprà ad ℣ 648. *Consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare Deum conantur.* FURORES] In rabiem enim quandoque aguntur aleatores , & se mutuò , quà voce , quà manu involantes , in cædes prolabuntur.

653. QUÆ ET TACEAM ROGITES] Ordina:& quæ rogites ut taceam : id est, quæ ipse velis me tacere. IN CONVENIENTIA MILLE] Omnis generis scelera incidunt in aleatores. Aleam tam Civilia quàm sacra Jura detestantur,& plectunt, non alio fine,quàm ut immania,quæ ab illa proficiscuntur crimina,recīdant & perimant. D.Cyprianus Epist. 96. de Aleat. Aleam damnat ceu impiam & blasphemam , & à moribus Christianis prorsus alienam : omnesque eâ ludentes reos facit idololatriæ , prodigalitatis , furti , rapinæ, perjurii , blasphemiarum , &c. Et si rectè calculum ponimus: nullum decalogi præceptum suggesseris , quod impius aleator non prævaricetur. Multis probat id Souterus de alea lib. 2. c. 6. Et Guil. Stuckius antiq. convival. l 3. c. 22. apud quem Osorius lib. 7. de Reg. instit. *Hic ludus,* inquit , *altor otii , magister ignaviæ , instrumentum avaritiæ , fraudis officina , rei familiaris eversio , temporis jactura, rixæ materia, morum pernicies,dignitatis labes,insignis ignominia* &c. Apud Jureconsultos circumferuntur crimina, quorum mater alea , his versiculis trivialibus;

*Hæc cum taxillis ludendo crimina fiunt :*
*Ecclesiæ spretus , usuraque , rixa , rapina,*
*Scandala, tum nugæ,blasphemia,tum faciendi*
*Furti doctrina , violentia , copia falsi,*
*Et mortis caussa , deceptio , perditioque*
*Temporis, & desiderium, corruptioque ingens:*
*Istis prædictis adulatio , vitaque turpis.*

254. MIROR SÆPE SOLUM &c.] Miror quandoque audiendo aleatorum blasphemias , execrationes, perjuria, mendacia & maledicta,quòd terra non hiscat , sinum pandat , & sacros istos homines absorbeat. RETEGATUR] Aperiatur.

255. IRRITAMENTA] Homines Dei irritatores, seu Dei iram provocantes,criminibus jam commemoratis.

656. MUTUA ET HIS &c.] Transit ad monomachos , quos gloriæ cupiditas , fuga umbratilis infamię,in mutuam armat perniciem.HIS CAUSSIS] Ob lites, rixásue,aut quævis probra vel maledicta,

*Jurgia, jejuno generosus vindicet ense:*
*Aut sedet imbelli maculosa infamia dorso;*
*Quæ vetet exactâ consistere Principis aulâ.*
*Insano coëunt campo mortaliter ambo*
*Sæpè, vel alterius tingendi funere. Vincat*
*Ille vel hic, Cadmæa nocet victoria utrique.*

ledicta, in lusu alearum mutuò jacta vel exercita. VEL QUÆ LEVIORIBUS] Vel fortè ex caussa multò leviori, nullâ quandoque datâ pugnæ ansâ, nullâve rixâ vel contentione antegressâ.

657. JEJUNO ENSE] Animo composito, sedato, præmeditato, quem nec ira, nec furor præcipitat, cui jam hesterna rabies subsidit. Sic & in genere temulentiæ jejunum dicimus, cui jam edormita crapula. VINDICET] Vindicare debeat, ex præscripto impiæ consuetudinis.

658. AUT SEDET] Perpetuò vel firmiter adhæret. *Sedere* pro *firmiter hærere* novum non est. Virgil. lib. 2. Æneid. ṽ. 659.

*Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,*
*Et sedet hoc animo.*--- Et 7. Æneid. ṽ. 611.
----- *Certa sedet patribus sententia pugna.*

Claud. lib. 1. de Rapt. Proser. ṽ. 122.

*Certa requirenti tandem sententia sedit.*

Papin. Thebaid. lib. 1. ṽ. 179.

-----*Sociis hanc addere mentem Sedit?* -----

IMBELLI DORSO] Quod contumeliosè imbelle & generoso nomine indignum vocant. Proverbiali schemate apud nostrates, aliquid alicujus dorso adhærere dicitur, quando dicti cujuspiam factíve infamia ora vulgi exercet, & in feros annos non patitur sui memoriam aboleri. Vulgus dixerit: *Het hanght hem aen sijn slippen.* Quasi laciniæ vel superiori togæ nota cœnosa, macula, vel lappa perpetuò adhærescat, quæ hominem à tergo aliis illudendum & digito monstrandum propinat. MACULOSA INFAMIA] Quod semet non sustinuerit ulcisci, de probro, convitio, vel maledicto in se jacto.

659. VETET] Ob metum opprobrii. Semper enim illi timenda est, hujus imbelliæ (ita vocant) opprobratio. EXACTA CONSISTERE AULA] Versari inter fortis & suæ dignitatis homines, inter exactæ ac absolutæ strenuitatis viros, in aula Principis bellicosi.

660. INSANO CAMPO] Campum ingrediuntur insani, pessimè saluti suæ consulentes, pugnæ aleâ de morte æterna decreturi. COEUNT] Con-grediuntur, manus conserunt. MORTALITER AMBO SÆPE] Id est ambo perimendi, vel se lethali plaga invicem sauciaturi.

661. VEL ALTERIUS TINGENDI FUNERE] Vel saltem alterius morte vel cæde funestandi. Tingit se alterius funere, qui sanguinem haurit alteri fatalem, quasi semet metaphoricè eodem sanguine cruentet.

662. ILLE VEL HIC] Sive hic sive iste vincat. CADMÆA NOCET &c.] Uterque vincitur. Cæsus enim à plagâ cadit, superstes publica animadversione; ex præscripto legum, si vindicat justitia. Et hinc optimè adagium *monomachis miserior*, ex Posidippo comico refertur ab Athenæo l. 4. *Τῶν μονομαχούντων ἀθλιώτερος*. Id est *miserior his qui monomachiam exercent*. Quod veteres ad ludos & gladiatores servos, vel mortis reos, quorum utrique vel alterutri pereundum erat, retulerunt; si referamus ad spontaneos nostros gladiatores, miseriorem horum sortem dicemus, quod illorum alteruter quandoque mortem evadebat, horum ex lege neuter. *Cadmæa victoria* est, quæ eadem victores & victos opprimit, sive dum utrosque æqualis manet calamitas. Latini *pugnas Osculanas* appellant. Quo adagione, ut inquit Festus, significabatur *victos vincere.* Prior parœmia originem habet à Cadmo, qui satis dentibus serpentis à se interempti, armatorum bellicosâ messe auctus, mox eosdem, dum in mutua corpora grassantur, amisit. Amœnam descriptionem habes apud Ovid. Met. 3. ṽ. 105.

*Spargit humi jussos, mortalia semina dentes:*
*Inde (fide majus) gleba cœpere moveri,*
*Primaque de sulcis acies apparuit hasta.*
*Tegmina mox capitum picto nutantia cono:*
*Mox humeri pectusque, onerataque brachia telis*
*Existunt: crescitque seges clypeata virorum.*

Verùm ut sequitur paullo inferiùs ṽ. 118.

*Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum*
*Cominus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse.*
*Hic quoque qui letho dederat, non longius illo*
*Vivit, & exspirat, modò quas acceperat auras.*

Exem-

*Restauratur honos; animæ jactura pusilla est.*
*Sed furor exuperans, bruti & manifesta phrenesis,*
*In partes rixæ socios accire secundos;*
*Armarique illos funesta in prælia, sæpe*
*Antè sibi ignotos, sæpe arcto sanguine junctos.*
*Ad metas fateor deveni non loqui; amicè*
*Et tutò aut liceat, stimulis prægnantibus, ipsos*
*Pertractare Joves necdum scelera ista perosos.*

*Exemploque pari furit omnis turba: suoque*
*Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.*

663. RESTAURATUR HONOS] Ex mente impiorum, quorum barbaries, umbratilis & falsi honoris idolo mactat tam opimas victimas. Honor enim hic penes solos illos est, qui perverso ritu plus corpori quàm animæ; plus tempori, quàm æternitati litant. ANIMÆ &c.]Parvi æstimatur perpetua animi jactura, & æterna nox, cui se sacros ultro devovent. Monomachia enim legibus Divinis & humanis vetita est. Concil. Trident. Seff. 25. cap. 19. de reform. Clementis VIII. Constit. anni CIↃ. IↃ. XCII. Cod. 11. Tit. 43. Leg. unic. *de gladiatoribus*.

664. SED FUROR EXUPERANS] Quasvis scil. insanias superans: ac si dicat: non stultitia, sed furor est. BRUTI ET PHRENESIS]Belluina rabies. Græcis, ἡ φρενῖτις, mentis delirium: id est inflammatio membranarum cerebri, febrim acutam & mentis perturbationem inducens. Juvenali dicitur ἡ φρένησις. Sic enim Sat 14. ℣. 136.
*Cum furor aut dubius, cū sit manifesta phrenesis.*
Sententia hæc est: non humanum deliramentum, sed belluinus furor est.

665. SOCIOS ACCIRE SECUNDOS] Advocare sibi, in partem defensionis, unum alterúmve auxiliarium ex sodalibus & familiaribus suis: quibus nefas & nævus sit, gloriosum id obsequium (sic accipiunt) vel officium detrectare. Ita enim sæpe stipulantur hi furiosi inter se, ut vel soli, & certis armis; vel pari auxiliatorum numero, eâdem armaturâ instructorum inter se decertent. Adjutores hosce, vulgato jam nomine, *secundos* nominamus Ita sibi satis fore non arbitrantur, propriâ insaniâ periisse, nisi amicissimos quandoque inter se committant, & suo gladio perimant.

666. FUNESTA IN PRÆLIA] Sanguineam, atrocem, & lethalem pugnam, omnibus, utcumque sors tulerit, atram & funestam.

667. SIBI IGNOTOS] Nunquam visos, aut sibi consuetos, nullâ injuriâ lacessitos, nec facti vel dicti offensâ provocatos. SANGUINE JUNCTOS] Agnatos, consanguineos, gentiles, affines. Verissimè hoc: nam, cùm quilibet accitus officio deesse non possit sine nota ignaviæ: non rarò accidit, ut agnati inter se decertent, vel incogniti, & se mutuo barbarâ vecordiâ trucident. Scil. prout eos primorum benevolentia invitaverit.

668. AD METAS NON LOQUI]Non habeo, quo facta ejuscemodi diluam vel excusem. *Ad metam non loqui*, adagio tritissimo ac triviali, deducti dicuntur, qui altero quovis continenter arguente, & rationes validissimas in medium producente, ita constringuntur & perurgentur, ut ad ultimum nihil ipsis reliquum sit, quàm non loqui. Hîc autem nonnihil deflexum est, & significat Poëta nihil ultrà sibi de hoc argumento loquendum esse, cum res per se sit manifesta: nisi liceat ipsos Reges super cædem interpellare; ut impiam hanc barbariem tam sacris, quàm civilibus sanctionibus proscriptam, severissimè animadvertendo in reos, exscindant.

669. ET TUTO] Sic in ordinem redige: aut amicè & tutò liceat. Præfatur Regum veniam, ut cum illis loqui liceat. Satis reverenter, callidè, ac ex decoro. STIMULIS PRÆGNANTIBUS] Gravissimis rationibus & argumentis, quibus stimulentur ad severitatem & censuram, in quosvis monomachos exercendam.

670. IPSOS JOVES] Humanos scil. ut dixit. Lib. 10. ℣. 10. Id est, Reges & Principes PERTRACTARE] Explorare, commonere, examinare. Sic Cic. 1. de Orat. 222 dicit *sensus mentesque pertractare*. NONDUM SCELERA ISTA &c ]Non omnes quidem reges pertractare vult, sed illos dumtaxat, qui nondum hoc scelus oderunt, connivendo vel non puniendo. Multos enim Reges & Principes videas severissimè in monomachos

*Nam quid inhumanum, vel quid tam perditum, apertis*
*Quàm certare odiis nullâ genitrice creatis,*
*Cum charis, cum cognatis & inire duellum?*
*Barbaries verbo est, lex barbara, barbara virtus,*
*Barbarus interpres, & barbara gratia Regum:*
*Barbara sunt Regum nil proficientia scita.*
*Quid? quòd te moveat, Rex invictissime, verbum*
*Ambiguum; exponas manifestis sceptra periclis,*
*Demitur ambiguis tibi pes si forsitan arvis:*
*Et non commoveat, qui te deridet apertò?*
*Ex flagranti homicida seræ committitur: urget*

animadvertere: & sic pestem hanc regnis suis averruncant. Ita infrà ℣.768 Serenissimæ gentis Austriacæ Principes.

671. APERTIS ODIIS] In ultionem jam incumbentibus, & in publicum certamen deductis.

672. NULLA GENITRICE CREATIS] Nullâ caussâ prægressâ natis, nullâ injuriâ provocatis vel extortis: ut usu venire diximus apud monomachos, qui ad auxiliarium officium fidelissimos & sibi amicissimos invitare solent, dum pacti sunt cum adversario, etiam de sociis adjutoribus, seu secundis adhibendis.

673. CUM CHARIS, COGNATIS &c.] Ut jam diximus ad ℣ 667. INIRE DUELLUM] Bellum vel certamen singulare. Sed hîc notandum obiter, *duellum* priscis nihil aliud fuisse, quàm bellum, quòd duo utrimque, non singulares homines, sed exercitus inter se pugnarent. Ex *duello* enim deflexum est *bellum*, ex *Duellona*, *Bellona*; ex *Duellius*, *Bellius*; ex *duis*, *bis*; ex *duona*, *bona*. Sic & ab antiquis *duellus* dicebatur, qui postea *bellus*. Vestigia adhuc priscæ locutionis extant in *perduellio* & *perduellis*. Sic & *duellis* pro *hostis* apud Turneb. lib 14. c. 21. ex Arnobio ibidem accito. Unde duellum apud locupletes scriptores non est certamen singulare, pro quo, nunc passim usurpatur, sed idem prorsus quod bellum: & *duellare* idem quod *bellare*. Et apud Plaut. Epid 3 4. 14. *Arte duellica divitias magnas indeptus*, pro *arte bellica*. Et Capt. prol. ℣. ult.

*Domi bellique duellatores optumi.*

Id est, bellatores, milites, strenui, generosi.

674 BARBARIES VERBO EST] Ut verbo dicam, mera est barbaries, feritas, incivilitas, magis ab agrestibus, feris, & belluinis, quàm ab urbanis, cultis, & humanum in morem institutis, proficiscens. LEX BARBARA] Impia consuetudo inter generosos & viros militares recepta, & jam non minùs, quam lex sancta constringens. BARBARA VIRTUS] Fortitudo, strenuitas, quam probant & deprædicant impii monomachi.

675. BARBARUS INTERPRES] Qui hanc consuetudinem, ut æquam interpretatur. BARBARA GRATIA] Indulgentia, conniventia, venia post admissum crimen, non punitio.

676. NIL PROFICIENTIA] Malum non perimentia, seu severè satis non plectentia. SCITA] Jussa, decreta, mandata, leges, quibus quidem decernuntur pœnæ in monomachos, sed non tales, quæ pestem hanc omnino tollant.

677. TE MOVEAT] Movere possit, aut satis sit, ut ad iram vel vindictam te provocet.

678. AMBIGUUM VERBUM] In legibus, pactis, conventis, ubi adhuc dubites, utrum à te stet justitia. EXPONAS PERICLIS] Clarigando vel bellum indicendo, in tuam & totius regni perniciem. Qui enim bellum indicit, belli aleam tentat, quæ sibi non minùs, quàm adversario ultimum quandoque paret exitium.

679. AMBIGUIS ARVIS] Controversiosis, de quibus adhuc litigatur & dubitatur. PES] Modica terræ portio.

680. NON COMMOVEAT] Ad iram, vindictam, pœnam te cieat QUI TE DERIDET APERTO] Palàm contemnendo & transgrediendo leges quas sanxisti: de quo nullum dubium, cùm factum liqueat, esse possit.

681. EX FLAGRANTI] Supple, crimine, vel deli-

*Talio: lex viridis: quid consilii? Experiatur*
*Illicò apud Regem, qui tunc fit pluris in aulâ.*
P. *Caussa mali, quòd dissuasit Calnortius Acco*
685. *Luderet alveolo, quia linguæ effusior esset.*
I. *Sacra corona, dies fuit hæc miserabilis Acco,*
*Multa lacessitus Calnortium ad arma citavit;*
*Atque interfecit. Casus fuit undique purus.*
*Rex:* R. *Deploro vices juvenum. Sed in arce superstes:*

delicto: ardente scil. adhuc furore & rabie, se vindicandi, nondum sedato animi æstu. *In flagranti* hodie dicimus proverbialiter, cùm reus à judice in ipso crimine vel cœpto, vel jamjam confecto deprehenditur: quasi animo adhuc æstuante, nec plenè, à mali furore, sedato. Sic Cicero dixit *flagrare* cupiditate, bello, amentiâ, infamiâ, amore &c. Et pro Cœlio. c. 12 *Flagrabant vitia libidinis apud illum.* Ut flagrans delictum hîc nihil aliud sit, quàm æstus & furor animi, quo flagitium perpetratur. Æstus enim mentis incendit opus. SERA COMMITTITUR] Vinculis & carceri obserato traditur.

682. URGET TALIO] Lex talionis, quæ vel maximè in homicidiis hodie obtinet. *Talio* autem est æqualis retributio: dum scil. injuria ad æqualitatem vindicatur. Solon propter membrum ruptum talionem constituit. Quod apud Hebræos vigore legis Mosaicæ fuit antiquissimum. Sic enim Exod 21. ℣ 23. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere &c.* Et Levit. 24. ℣. 20. *Sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Idem Deut. 19. ℣. 21. Et apud Romanos in XII. tabulis locum invênit, hâc formulâ, uti est apud Festum & A. Gell. l. 20. c. 1. SI MEMBRUM. RUPIT. NI. CUM. EO. PACIT. TALIO. ESTO. Favorinus legem reprehendit ob ulciscendi acerbitatem. Vide A. Gel. ibid. Et inde *in dissuetudinem abiit.* Instit. lib. 4. tit. 4. *de injuriis* §. 7. *pœna. Sed homicida tenetur lege Cornelia de sicariis & veneficiis* Dig. l. 48 Tit. 8. ad dictam legem §. 2. *Et qui.* Urget itaque lex talionis, id est, homicidam superstitem ad mortem deposcit LEX VIRIDIS] In pleno vigore, recentissimæ sanctionis, & quæ de transgressoribus acerrimè se vindicat. QUID CONSILII?] Suppleo, vel ejus defensoribus, quò pœnam evadat. EXPERIATUR] Fortunam tentet, num possit Regem inflectere ad clementiam.

683. QUI TUNC FIT PLURIS] Qui illâ tempestate maximè apud Regem gratiosus est & impetrabilis. IN AULA] Ab aulicis talis habitus, gratiosus scil. & magnæ auctoritatis.

684. CAUSSA MALI] Supple fuit. Vox est P. qui virum gratiosum instruit, & factum modo quodam plausibili docet, extenuando & elevando crimen, undecumque licuerit. CALNORTIUS ACCO] Nomina conficta. Sed quid vetat sub ficto schemate veram historiam adumbrare?

685. LUDERET ALVEOLO] Ne luderet tesseris in alveolo, abaco, seu tabulâ lusoriâ. LINGUÆ EFFUSIOR] Id est, effusioris & expeditioris linguæ, quæ facilè jaciat convitia, maledicta & opprobria, & post hæc, parte non silente, indicat pugnam & gladios.

686. SACRA CORONA] Rex, cui caput coronatum. Oratio est illius, qui deprecatur pœnam Acco, & perhibetur magnæ apud Regem esse suadelæ. HÆC FUIT MISERABILIS &c.] Malè auspicata & infelix Acco, qui eam homicidio Calnortii funestavit.

687. MULTA LACESSITUS] Secundùm multa: id est, multis injuriis & probris irritatus. AD ARMA CITAVIT] Provocavit ad certamen singulare, & monomachiam.

688. ATQUE INTERFECIT] In congressu & pugna. CASUS FUIT &c.] Casus fuit merè fortuitus & improvisus: ex primo enim calore ad arma processum est.

689. REX] Supple, sic fatur. DEPLORO VICES JUVENUM] Utriusque, cæsi scil. & superstitis. Cadmæa enim victoria utrique nocet. SED IN ARCE SUPERSTES] Prosequitur Rex, quasi dicendo: superstes in arce vel in carcere compe-

 ditus

690. *Præsidis, haud mea, res.* I. *Decuit clementia Reges*
*A mundi teneris:* R. *Non sunt res ludicra leges.*
I. *Rex supra leges: qui fecit, & abrogat; idem*
*Dispensat. Nulla est quin sit pede regula varo.*
*Quis sit, & in quantis lustratus casibus olim,*

ditus est: vin'me justitiæ opponam? Si nexus non foret, aliâ viâ ipsi succurrerem.

690. PRÆSIDIS, HAUD MEA, RES] Cognitio criminis istius est penes concilii mei supremi Præsidem. Ac si dicat: permitto Accum tribunali justitiæ. DECUIT CLEMENTIA REGES] Instat iterùm, & clementiam implorat apud Regem gratiosus. Non dissentiendum dicto, si clementiam accipiamus, ad præceptum Taciti in Vit. Agricol. Clemens enim justitia decet Principem, cujus est, *omnia scire, non omnia resequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentiâ contentus esse.* Rex itaque clementer justus sit, ut nec justitia immoderatiùs exercita amorem, nec clementia metum tollat. Ita in privatos pius sit, ut pietas in rempublicam redundet. Rectè apud Senecam in ludo Augustus: *Pietate & justitia, Principes Dii fiunt.*

691. A MUNDI TENERIS] Ab initio mundi. Uti enim salus populi pendet à Principe, ita & Principis à populo. Amor & obsequio mixtus timor, populum firmat Principi, ut jam ille inter homines tanquam Deus quispiam ambulet, cujus sit de omnibus bene mereri. Magna hæc fortuna, sed quam magnus animus decet. *Magni autem animi est proprium*, ait Senec. lib. 1. de Clem. c. 5. *placidum esse, tranquillumque, & injurias atque offensiones supernè despicere. Muliebre est furere in ira. Non decet Regem sæva & inexorabilis ira: non multùm enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat. Servare proprium est excellentis fortunæ: quæ numquam magis suspiri debet, quàm cum illi contingit idem posse, quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali.* Et c. 8 *Regibus certior est ex mansuetudine securitas. Quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* Sed hæc mansuetudo & clementia sapientiæ regulis definienda est. Neque enim sapiens, cui cura publicæ salutis, facinorosis ignoscit, ne dum privatæ pius, rei communi sit crudelis. *Clementia*, inquit iterum Seneca l. 2 de Clem. c. 7. *liberum arbitrium habet: non sub formulâ, sed ex æquo & bono judicat.* NON SUNT RES LUDICRA LEGES] Regis responsum est, ac si dicat: leges ludibrio haberi non debent nec contemni; perinde ac si essent res quævis ludicra, jocularis; non seriò, sed joco & hominum derisiculo sancita.

692. REX SUPRA LEGES] Iterum intercessor. Rex omni lege altior est. *Princeps enim legibus solutus est.* Dig. Tit. *de legibus* l. *Princeps. Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Dig. de *constit. Princ.* l. *quod Principi.* Sed boni Principis est legibus pondus adjicere: nam de auctoritate juris, Regia pendet auctoritas. Proinde *digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Cod. *de legibus* l. *digna vox.* QUI FECIT ET ABROGAT] Principis enim est, legem novare & antiquare. Vis legum à prima potestate, & inde in minores magistratus se diffundit; prima & novissima regula eorum qui gubernant.

693. IDEM DISPENSAT] Solvit legibus, seu legum gratiam facit. Vox est Theologis & Leguleis frequens in hac notatione. Sacri enim magistratus, creditæ sibi potestatis divinæ dispensatores, non domini sunt. Sic Apost. de se 1. Cor. 9. ℣. 17. *Dispensatio*, inquit, *mihi credita est.* Sicut ergo boni patresfamilias, non vitæ necessaria tantùm, sed etiam opera dispensant inter familiares, quibus frugi sint, & victum lucrentur: ita sacri Antistites, & necessaria vitæ spiritualis, & opera dispensant, quis victum immortalem sibi parent: singulisque rescribunt, quomodo legi vel præcepto cuivis sit parendum. Inde transivit ad sacrarum legum interpretes, & ab his ad Juris civilis consultos. Sententia hîc est: qui potest rogare & abrogare legem, potest etiam aliquem à lege eximere vel solvere. D. Thomas 1. 2. q. 97. Art. 4. ad 3. *In lege humana publica non potest dispensare, nisi ille à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ille commiserit.* NULLA EST QUIN SIT &c] Omnis lex vel regula quandoque claudicat, & sui gratiam fieri permittit, saltem per *ἐπιείκειαν*, seu lenitatem, æquitatem ac summi juris moderationem. PEDE VARO] Id est, intorto, curvo, vel obliquato. Persius Sat. 4. ℣. 12.

*Curva subit, vel cùm fallit pede regula varo.*

694. IN QUANTIS CASIBUS] Periculis domi mi-

*Accorum sanguis, pro Majestate tuorum,*
*Pro populi rebus, pro libertate, salute,*
*Eruis historiis. Reditura occasio verbis*
*Pondera det nostris: tantorum avertere mentes*
*Nobilium temerè, rigor & res plena pericli est.*
*Mortuus ignovit. Demus sua pabula legi:*
*Quid precor accedet CalnortI optabile genti?*
*Adde, quòd & magnæ libræ, si puniat omnes*
*Æquali lex cæca modo, quis cingier ense*
*Nobilium se sustineat? Quis diriget arma*
*Frontibus imperii? Quis mœnibus arceat hostem?*

militiæve, vitam Regi & patriç exponendo. LUSTRATUS] Visus, cognitus, celebratus.

695. ACCORUM SANGUIS] Gentiles, patres, avi, majores familiæ Accianæ. PRO MAJESTATE TUORUM] Patrum & majorum tuorum.

697. ERUIS HISTORIIS] Eruere vel cognoscere licet, ex annalibus, & commentariis, quibus res gestæ decessorum tuorum posteritati commendantur. REDITURA OCCASIO] Si fortuna occasionem similem retulerit, strenuitas & fortitudo ejusdem gentis fidem faciat, me vera dicere. Id est, adsit occasio, docebunt fortia gerendo me vera dixisse.

698. PONDERA DET] Rationum momenta, quibus & verum doceant, & majestatem tuam ad clementiam inflectant. AVERTERE MENTES] Alienare à se, animos tam strenuorum virorum vel offendere tantam nobilitatem.

699. RIGOR ET RES PLENA PERICLI] Majestati tuæ, & notam nimiæ severitatis inurat & fortè rebus tuis officiat.

700. MORTUUS IGNOVIT] Condonavit illi cædem sui ante mortem. DEMUS SUA PABULA LEGI] Esto, puniatur reus ad legis rigorem; & sic legi talione satisfiat.

701. QUID ACCEDET OPTABILE &c.] Quid utilitatis, quid gloriæ accedet genti Calnortianæ? Mors enim Acci Calnortium exanimem non reduret ad vitam.

702. MAGNÆ LIBRÆ] Magni ponderis, magni momenti. PUNIAT OMNES] Sine ullo discrimine, aut dignitatis meritorumque examine.

703. ÆQUALI LEX CÆCA MODO] In quo gravissimè aliquando delinquitur. Celebratur enim priscis parœmia: *Summum jus summa injuria.* Quod est, tum maximè receditur ab æquitate, dum nimis superstitiosè ac presè verbis legum insistitur Hoc ex callidâ nimis, & malitiosâ Juris interpretatione nasci auctor est Cicero lib. 1. de off c. 33 & pergit: *Ex quo illud, summum jus summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium.* Terent. Heaut 4. 5. 48.

-----*Ius summum sæpe summa est malitia.*

Paullus l. 17 ad Plaut. Dig. l. 45. *de verb. oblig. l. 91. si servum* § 3. *Celsus adolescens scribit eum qui moram fecit in solvendo Sticho, quem promiserat, posse emendare eam moram, postea offerendo: esse enim hanc quæstionem de bono & æquo: in quo genere plerumque sub auctoritate juris scientiæ perniciosè (inquit) erratur. Et sanè probabilis hæc est sententia.* QUIS CINGIER ENSE &c] Quis ex omni nobilium cœtu, qui patrum suorum exemplis, ad gentis gloriam, & res fortiter pro Rege & patria gerendas, accenduntur; volet inposterum arma assumere, signa sequi, & Majestati tuæ militare?

704 QUIS DIRIGAT ARMA] Quis ducet exercitum, legiones, turmas? Hæc enim nobilibus primarum gentium dantur, quorum virtus per traducem aviti sanguinis jam probata est.

705 FRONTIBUS IMPERII] In fronte vel prima acie exercitus. Et hæc viris nobilissimis committuntur. Senec. de Constant. cap. 19. *Quo quisque honestior genere, fama, patrimonio est, hoc se fortiùs gerat: memor in prima acie altos ordines stare* Certa forma sive initium aciei *frons* dicitur. A. Gellius l. 10. c. 9. *Vocabula*, inquit, *sunt militaria, quibus instructa certo modo acies*

*Audiat ignavum pecus hac ditione juventus?*
*Afficit innumeros sors lamentabilis ista,*
*Diversosque homines, quia nulla potentia nobis*
*In primos animi motus. Cum fratribus Acci*

*appellari solet, frons, subsidia, cuneus, orbis, globus, forfices, serra, ala, turres.* Sic Cato apud Festum: *signis collatis aquo fronte pugnavit.* Ubi notandum ex eodem Festo, antiqui *frontem* masculino genere dixisse. Hinc & idem Cato de re militari apud Nonium dixit: *Una depugnatio est; fronte longo, quadrato exercitu* Uti & Plautus: *coronatum frontem habet petilis.* Titinnius, *fimbriatum frontem gestas.* Cæcilius *fronte hilare, corde tristi.* Consule Festum. *Imperium* hîc dixit pro exercitu vel copiis, quæ Imperatori parent, sicut *regnum* pro terra, & sic pro incolis terræ, qui subjiciuntur Regi. Virg. Æneid. 4. ỳ. 229.

*Sed fore qui gravidam imperiis belloque frementem*
*Italiam regeret-----*

Idem infrà Ausonius ad ỳ. 738 ex Epigram. 4. Id est, imperatoribus, inquit La Cerda. Nonnemo dixerit, non tantùm Imperatoribus gravidam, sed etiam militaribus manipulis, qui Imperatoris imperiis obnoxii sunt. Sic & *Civitas*, pro *civibus*, *legio*, pro *legionariis*, *manipulus*, pro *manipularibus*. Et vulgari jam phrasi cujusque linguæ per Europam receptâ, dicimus *regimen*, seu barbarè *regimentum*, pro legione, quòd unius Chiliarchæ aut Tribuni imperio, vel regimini pareat. Quò putem respexisse Poëtam, ut frons imperii, sit frons legionis, vel saltem totius exercitus. QUIS MŒNIBUS ARCEAT HOSTEM?] Quis defendat patriam & Regem; tueatur urbes, quas aggreditur hostis?

706. AUDIAT IGNAVUM PECUS] Dicatur & despiciatur tanquam ignava & imbellis. HAC DITIONE] In hac terra vel regione tam bellicosâ, quæ ditioni bellicosissimi Regis subest? Hîc iterum *ditio*, pro terra, quæ ditione seu imperio ac potestate gubernatur. Sic Lipsius Cent. 4. Epl. 2. dixit: *In ditione Leodicensi diutius subsistam.* Quod rodit infamis ille Famiani & omnium eruditorum mastix Gasp. Scioppius, libel. de stylo, quasi vero nobis hæc miseria & limitum angustia reliqua sit, ut excurrere non liceat, vel ad unam, etiam venustam & argutam, translationem, quam non triverit aurea scriptorum ætas. Sunt & suæ Vaneres posterioribus, & novissimorum quidem seculorum Ciceronibus, quibus licèt novandarum antiquandarumque vocum potestatem negamus: Romanas tamen litteras scitissimis tropis locupletasse, perpetuæ illorum gloriæ adscribimus. Apage servum pecus cum nugacissimis tuis nugis, quibus non tam litteris, quam gloriæ tuæ in mordendis litteratorum principibus, velificaris. JUVENTUS] In primis nobilis, & generosa, armis nata & militiæ.

707. SORS LAMENTABILIS &c.] Infelicitas deploranda, ut exortâ rixâ, calidâ contentione, pugnâ, adversarium sauciet, mutilet, vel omninò occidat.

708. DIVERSOSQUE HOMINES] Diversi generis, nationis, ætatis, & sortis homines. POTENTIA] Nulla vis ad frenandos

709 PRIMOS ANIMI MOTUS] Impetus insurgentis iræ, vel alterius affectionis; quo agimur dormiente ratione. Intelligit illas motiones subitarias, quibus homo rapitur, antequam rapi se cognoscat: Theologi recentiores *motus primo-primos* appellant; fiuntque antequam se advertat ratio. Illa autem in potestate nostra non sunt, sicuti nec visa nec cogitata, quæ obrepunt invitis antequam respuantur. S. Augustinus de lib. Arbit l. 3. c. 25. *Voluntatem*, inquit, *non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: quid autem quisque vel sumat vel respuat, est in potestate; sed quo viso tangatur, nulla potestas est.* Et hæ commotiones humanis actionibus non accensentur. Nam ut rectè D. Thomas 1. 2. Q. 1. Art. 1. in C *Actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberatâ procedunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt quidem dici hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis, in quantum est homo.* Sed hæc ratio magis ad speciem huc adducitur. Si enim monomachis, (qui non solent nisi ex pacto, & adhibitis consuetis formulis & ritibus, interpositâque morâ, saltem donec ad locum condictum pervenerint, inter se manus conserere) hæc ratio possit suffragari, ut cædes superstiti cedat impunè: quid non sperent, qui flagrante rixâ adversarium lacessiti peremerunt? Mens Auctoris nostri hîc est, fraudes & larvas detegere, quibus circumscribuntur Principes. CUM FRATRIBUS ACCI] Pœnam fratris in actores ulturis: scil.

*Æternas inimicitias nutrire, moleſtum,*
*Damnoſumque foret Calnorti heredibus: intus*
*Non doleant Accii; ſed opus ſervire decoro:*
*Stemmate defunctum nec vivo comparet ullus;*
*Ingenio, cultu, fortunâ, gratiâ in aulâ*
*In totum minor eſt. Cecidit? Sic fata tulere.*
*Devincire animos modò, clementiſſime Princeps,*
*Juſtitiæ moto violatæ horrore, tuorum*
*Ergo potes, quod velle ſoles; ignoſcere culpis,*
*Quas minuunt, latis. Ad nulla exempla trahuntur*
*Vulgo, quæ ſtatuunt pleno ſub pondere Reges*
*Nobilium cauſſis. Ipſo me pono reatu;*
*Et pedibus me volvo tuis. Ita Neſtora vivas,*

ſcil. ſi ex lege Accus capite plectatur.

710. ÆTERNAS INIMICITIAS] Hos ſcil. tanquam juratiſſimos hoſtes, & ſemper ultionem molituros declinare, ſe armare, aut fortè cum iis etiam depugnare.

711. DAMNOSUMQUE] Ob pericula cædium, faciendæque jacturæ, tam in fortunis obtentis, quàm obtinendis: vigilantibus ubique invidiâ & odio Acciorum, ut quovis pacto de Calnortiis ſe ulciſcantur. INTUS] In animo.

712. NON DOLEANT ACCII] Fratrem ſuum ultimo ſupplicio affectum: ut fieri ſæpe advertimus, dum agnati plus lætantur de aditâ hereditate, quàm doleant de jacturâ demortui. SED OPUS SERVIRE DECORO] Exteriùs tamen ita ſe componere coguntur, quaſi maximè doleant: & ut nolint, ne traducantur per ora hominum, ulciſci compelluntur. Arguantur enim fratrem non adamaſſe; eſſe ignaros, imbelles, ignobiles, & fratris plexi immemores.

713. STEMMATE DEFUNCTUM &c] Ordina. Nec ullus vivo defunctum comparet ſtemmate. Id eſt: nobilitatem quod attinet, Accus qui vivus adhuc & ſuperſtes, longè antecellit Caloortium, qui cæſus eſt.

714. INGENIO CULTU &c.] Ingenio, doctrinâ, comitate, gratiâ & auctoritate apud aulicos.

715. IN TOTUM] Omninò, omni ex parte. MINOR EST] Illi cedit. CECIDIT?] Occubuit, fato functus eſt, altero prævalente? SIC FATA TULERE] Sic voluit fortuna, & Dei decretum, qui iſtos Calnortio vivendi terminos præfixerat.

716. DEVINCIRE ANIMOS] Firmiùs tibi obſtringere, & eorum in te fidem ac benevolentiam magis firmare potes.

717. JUSTITIÆ MOTO &c.] Amoto violatæ juſtitiæ horrore, id eſt, ſi liberaveris illos metu pœnæ, quam violata exigit juſtitia. TUORUM] procerum, primorum & nobilium, qui alioquin doleant, & indignentur, ita profundi & tolli nobilium ſanguinem.

718 QUOD VELLE SOLES] Principum enim eſt, de omnibus bene mereri. Adulatur, ut validiùs inclinet. Principes enim bonos magis juvat amari, quàm timeri.

719 QUAS MINUUNT] Elevant, extenuant. LATIS] Allatis culpis, cædi ſcil. patratæ, ut jam dictum. AD NULLA EXEMPLA] In exemplum impunitatis; veniæ, vel abolitæ culpæ, id trahere non poſſunt obſcuri vel vulgares.

720. PLENO SUB PONDERE] Quæ ſtatuunt Reges, uti modò loquuntur, *de plenitudine poteſtatis*, id eſt, interpoſitâ ſummâ majeſtatis auctoritatiſque virtute.

721. NOBILIUM CAUSSIS] In cauſſis & culpis nobilium. Nobiles enim alio pede dimetiendi, quàm vulgus. IPSO ME PONO REATU] Admiſſæ culpæ reum me pono, & ſupplex gratiâ imploro.

722. ET PEDIBUS &c.] Et me abjicio ad pedes Majeſtatis tuæ. ITA NESTORA VIVAS] Annos Neſtorios vive, ſeu vitam in longam ſenectutem extende. De longævitate Neſtoris reviſe Serm.

*Impetui veniam, pro quanto admiſimus, oro.*
*Impetret hâc ſuadâ, molimine fortè minori,*
*Regi in deliciis, vel ſiquis ab auribus inſtat.*
*Membrum homicida fuit rixarum, ſive vocatus*
*Criminis ad partes; impunius ambulat, & ſe*
*Caſibus à triduo recidivis ſtrenuus offert.*
*Nemo poteſtatem ſupremam Regis adumbret:*
*Detrahat aut meritis, vel caſus caſibus æquet:*

Serm. 2. ad ℣. 33. fol. 24. Rrgiam loogævitatem obteſtatur.

723. IMPETUI] Præcipiti perturbationi, ac itarum violentiæ, quâ cædes patrata, ante plenam rationis cognitionem. PRO QUANTO ADMISIMUS] Pro tantilla parte, quâ rei ſumus & damnabiles. Hâc formâ loquendi, culpam alienam, ſuam facit, ut certiùs reo veniam impetret.

724. HAC SUADA] Hâc oratione tam bellè validèque ad perſuadendum accommodatâ. *Suada* perſuaſionis Dea, apud Romanos, vel *Suadela*, ut cecinit Horat. lib. 1. Epl. 6. ℣. 38.

*Ac bene nummatum decorat Suadela, Venuſque.*

Græcis Πειθὼ dicitur. Sic enim Cicero de Clar. Orat. c. 59. *Πειθὼ quam vocant Græci, cujus effector eſt Orator. Hanc Suadam appellavit Ennius: ejus autem Cethegum medullam fuiſſe vult.* Carmen Ennii antè citaverat:

*Flos delibatus populi, Suadaque medulla.*

Extat idem Carmen ex lib 22. Epiſtolarum moralium Ann. Senecæ ad Lucilium apud A. Gellium l. 12. c. 11. ſed nonnihil variatum, uti & hodie extat in fragmentis Senecæ editionis Lipſianæ. ----- *Dictus ollis popularibus olim Quitum vivebant homines atq; avū agitabant, Flos delibatus populi & Suada Medulla.*

MOLIMINE FORTE MINORI] Immò fortè oratione minùs comptâ, & non tam operosè ſtudioſèque ad perſuadendum compoſitâ.

725. REGI IN DELICIIS] Si ſit aliquis quem Rex amat. AB AURIBUS] Quem frequens & lubens audit Rex, fidei plurimùm dictis ejus tribuens. Ut ſunt quidam apud Reges, in quibuslibet agendis, prora, quod aiunt, & puppis. INSTAT] Contioenter & perurgenter petit.

726. MEMBRUM HOMICIDA] Id eſt, ſive homicida primus & principaliter pugnaverit, utpote alter rixatorum, ſive à primo ad ſibi auxiliandum accitus fuerit. Verbo: ſive primarius, ſive ſecundarius fuerit.

727. CRIMINIS AD PARTES] Ad pugnam illam legibus; quà ſacris, quà profanis vetitam. IMPUNIUS AMBULAT] Audaciùs, arrogantiùs, minùs metuens pœnam, certiùs ſperans impunitatem quam antè, ſe paſſim ſpectandum præbet. Cicero pro P. Quinctio cap. 12. *Libertate uſus eſt, quo impunius dicax eſſet.*

728. CASIBUS] Cuicumque ſorti, anſæ, caſui, accidenti. A TRIDUO] Poſt dies tres. RECIDIVIS] Recurrentibus, & ad eumdem lapſum monomachiæ irritantibus, *Recidivum* propriè dicitur, quod à lapſu reſtitutum iterum corruit. Sic caſus hi dicuntur recidivi, quia denuò ſemet offerentes, ad ſecundam ruinam invitant. STRENUUS] Intrepidus, pœnæ metu ſolutus.

729 NEMO POTESTATEM SUPREMAM ADUMBRET] Nemo minuere, dubiam facere, aut quaſi umbris obtegere poteſt. Id eſt, nemo negare poteſt hanc Regibus dandæ veniæ ac vitæ poteſtatem eſſe. *Adumbrare* hîc ponitur pro diminuere, vel non ſolidum facere. *Adumbratum* enim veteres dixere, pro *non abſoluto*, vel *ficto*. Cicero 3. Tuſc. 22. 3. *Eſt enim gloria ſolida quadam res, non adumbrata.* Item & pro tegere vel obſcurare. Jul Capit. in Vero: *Erat enim morum ſimplicium, & qui adumbrare nihil poſſet.* Id eſt tegere vel celare. Paris ferè ſignificationis ſunt *ebumbrare* & *inumbrare*. Ita Lucret lib. 3. ℣. 930.

*Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuere, tenentque*
*Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis.*

Ovid. Heroid. Epl 17 Hel ℣ 47. ----- *Nec ullus*
*Error, qui facti crimen obumbret, erit.*

730. DETRAHET AUT MERITIS] Nobilium ſcil. majorum & vetuſtiſſimarum gentium, quorum majores optimè de Rege meriti. VEL CASUS CASIBUS ÆQUET] Nec caſus nobilium æquiparet caſibus plebeiorum. Id eſt, nemo poteſt negare, vel minuere merita nobilium, aut eorum

*Si tamen ut clemens oleis incendia nutrit,*
*Exceditque modum, vel quovis nomine, culpæ*
*In se non minimam trahit indulgentia partem.*
*Humanis vacat officiis, subsistere quod nec*
*Fas nec jura sinunt. Casu hoc, ignoscite, Reges,*
*Si mihi subduci facies humana videtur.*
*Est regio latè septem-subjecta-trioni,*

rum delicta eidem censuræ subjicere, quâ vulgatium hominum malefacta puniuntur.

731. SI TAMEN UT CLEMENS ] Nomine clementiæ. OLEIS INCENDIA NUTRIT ] Ignem nutrit, fomentum cædibus præbet, oleum camino addit. Horat. l. 2. Sat. 3. ℣ 321.
*Adde poëmata nunc: hoc est, oleum adde camino.*
Sic & Diogenianus apud Schottum Cent. 6. n. 71. Μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ, id est, *ignem igni ne addito.* Cui affine est istud ἰσχυρικῶς dictum, *oleo incendium restinguere.* D. Hieron. ad Eustochium, *vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis: quid oleum flammæ adjicimus?* Et nostratibus familiare est tritissimum istud, *olie in t' vier*, quod dicimus dum quidvis malo adjicitur, unde pejus evadat.

732. EXCEDITQUE MODUM ] Vel nimis frequenter impunitatem tribuendo, vel criminibus cædibusque nimis atrocibus, cujus ultionem plenis clamoribus urget populus. VEL QUOVIS NOMINE ] Etiam quocumque titulo, sive abolitionis, sive veniæ, sive indulgentiæ; sive gratiæ sive debiti.

733. NON MINIMAM &c.] Etiam alieni peccati particeps fit, & est caussa, cur licentiùs malum deinceps perpetretur.

734. HUMANIS VACAT OFFICIIS ] Caret humanitatis officio. Id est: officium humanum, amicum obsequium, moderatio vel clementia, dici non potest. SUBSISTERE ] Fieri, aut inveniri in rerum natura impunè.

735. FAS NEC JURA SINUNT ] Nec lex divina nec humana. Virg. Georg. 1. ℣ 268.
*Quippe etiam festis quadam exercere diebus,*
*Fas & jura sinunt.-----*
In quem locum Servius: *Fas ad religionem, jura pertinent ad homines.* Alex. ab Alex. l. 6. c. 23. *Ius in legem, morem, & aequitatem veteres diviserunt: jusque ad res humanas, fas ad religionem pertinere voluerunt.* Sic & ex Isid. Etymol. Jus Canon. Dist. 1. c. 1. *Leges divinæ, naturâ, humanæ, moribus constant; ideoque hæ discrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. Fas lex divina est: jus lex humana.* CASU HOC ] Ubi modus exceditur, & ignis igni additur. IGNOSCITE ] Admodum reverenter, ut decet, ne offendantur, quos religiosè coli, volunt jura.

736. SI MIHI SUBDUCI &c.] Si ego censeam auferri omnem humanitatis speciem. Nam dum singulis privatim studetur, omnibus publicè pessimum in modum consulitur. Privata enim singulorum salus anxiè curata, neglectâ communi; publica cunctorum ruina est.

737. EST REGIO LATE. ] Sub septentrionibus, sive regio septentrionalis. Id est, quæ Græcis Latinisque scriptoribus vergit ad septentriones. Nobis enim Belgis, qui iisdem scriptoribus septentrionales populi sumus, Austria quæ hîc describitur ferè Orientalis est. Porrò *septentriones*, septem stellæ sunt ursæ majoris, ut vocant, ad polum arcticum, quæ à variis figuris, quas Astronomi sibi videntur observasse, varia nomina sortiuntur. Græci ἅμαξαν, Latini plaustrum appellarunt. Duas enim stellas pariles pro bobus accepere. Reliquis verò quinque, plaustri figuram designarunt. Triones verò dicuntur, auctore Varrone l. 6. de Ling. Lat. à bobus. *Triones enim & boves appellantur à bubulcis, etiam nunc maximè cùm arant terram. Sic omnes qui terram arabant à terra terriones, unde triones ut dicerentur detritum. Triones dicti septem, quòd ita sitæ stellæ, ut terna trigona faciant.* Atque hæ septem cum aliis plurimis (nam quinque & viginti quidam numerant, ut recenset Perottus) constituunt ἄρκτον, vel ursam maiorem, quam & *Helicen* nuncupant: aliæ septem *Cynosuram*, sive *minorem ursam* componunt. Has volunt fuisse duas nymphas Jovis altrices, quas accepti beneficii gratiâ, in cælis collocaverit. De illis Aratus apud Nicol. Perottum.
*Hic Iovis altrices Helice, cynosuraque fulgent.*
*Dat Graiis Helice cursus majoribus astris:*

*Pannoniis habitata olim, nunc Austria famæ*
*Nobilis assiduis Turcarum insultibus audit.*
*Hic Deus elegit quondam, ad moderamina mundi,*
*Insignes pietate viros, quos nomine gentis*
*Dicimus Austriacos: credunt genus ab Jove summo,*
*Alitis intuitu supraque infraque ministri,*

*Phœnicas Cynosura regit, sed candida tota.*
Septem ergo triones nobis designant terras sub hoc astro sitas. Virg. Georg. 3 ℣. 381.

*Talis Hyperboreo septem subjecta trioni*
*Gens effrena viro Riphao tunditur Euro.*

738. PANNONIIS HABITATA OLIM] Vetus enim Pannonia partes Hungariæ, Stiriæ, Austriæ, complectebatur: omnia scil. quæ inter Noricum, Danubium & Illyricum sita erant. Ejus limites vide apud Ferrarium & Baudrand. Ortelius & alii Austriam totam Pannoniorum finibus inclusere. Hinc Gevartius Introit. Ferd. Portic. Cæsareo-Aust. fol. 43. *Austria*, inquit, *olim Pannonia superior à Romanis dicta est.* Uti hodie, ita & olim veterum Imperatorum Romanorum Sedes. Inde Ausonio Danubius loquens Epig. 4.

*Imperiis gravidas quà seco Pannonias.*

FAMÆ AUDIT] A famâ & rerum gestarum gloriâ.

739. NOBILIS ASSIDUIS &c.] Propter frequentissimas Turcarum irruptiones, quas jam tot secula gloriosissimè reprimit, validissimum orbis Christiani propugnaculum dici meruit. Rectè monet nos istud Gevartii in Rodolpho I. Aug. Introit. ut suprà fol. 54. *Observatione dignissimum est, Augustam Austriæ Domum, à Rodolpho Cæsare eo ipso tempore, communi orbis Christiani bono, esse conditam, quo Ottomannica familia, damno publico emersit: ejusdemque tyrannidi intra limites coërcenda, velut inconcussum propugnaculum divinitus objectam esse.* De Turcis vide Serm. 7. ad ℣. 263. fol 196.

740. MODERAMINA MUNDI] Mundi Christiani & veræ religionis luce illustrati. Imperium enim & dominatum Augustissimæ hujus gentis, sol oriens & occidens suspicit & decurrit.

741. INSIGNES PIETATE VIROS] Religione, clementiâ, æquitate, comitate, moderatione. Virg. Æneid. 1. ℣. 14.

*Insignem pietate virum tot adire labores.*

Felicissimè sibi, in Ferdinandini introitus pompâ, obstetricatas musas, uti frequentiùs infra, ita & hîc nobis commodare non gravabitur Casp. Gevartius, urbis nostræ κειμήλιον, Austriacorum Principum cultor perpetuus, qui in porticu Austriaco-Cæsarea, portæ mediæ tympano, sub obelisco, & Aquilis imperii insignibus, inter geminas marinas nymphas alatas, sic canit:

*Imperii columen, nutantis & ancora mundi*
*Austria perpetuo vigeat splendore propago:*
*Qua non ulla domus divûm fœcundior unquam,*
*Æthera sideribus, terras virtutibus implet.*

NOMINE GENTIS] Familiæ primùm Habspurgicæ, dein Austriacæ, ab Austria, cui hereditario jure imperitat. Quippe Rodolphus I. Augustus, coactis Augustæ vindelicorum imperialibus comitiis, ex Principum Senatusconsulto, & ordinum Austriacorum postulato, Austriam, Carnioliam, Stiriam, aliaque vicina loca filio suo Alberto Comiti Habspurgensi Imperii beneficio concessit; jam antè inde expulso Ottocaro Bohemiæ Rege, qui provincias illas post mortem Frederici Badensis capite plexi Neapoli, de quo egimus Serm. 7. ad ℣. 337. fol. 217. exclusâ ejus sorore Agnete Badensi, legitimâ fratris herede, obtinebat. Et ne Alberto ejusque posteris ambiguum in eas jus nasceretur, ejusdem Agnetis & Meinhardi Comitis Tirolensis filiam Elisabetham sibi conjugem impetravit. Inde Gens Austriaca dici cœpit, quæ antea fuerat Comitum Habspurgensium vetustissima ac prorsus regia progenies. Vide Orig. Habspurg. Pont. Heut.

742. GENUS AB JOVE SUMMO] Poëticè: id est, à domo regnatrice, & vetustissimorum Heroum sanguine. Æneas ad matrem Venerem lib. 1. Æneid. apud Virg. ℣. 384.

*Italiam quæro patriam, & genus ab Iove summo.*

Et Habspurgenses quidem stemmata sua derivant à Theoberto Magni Clodovæi abnepote, Clotarii primi pronepote, Sceretberti nepote, Scilderici filio. Vide Pont. Heut. Sed ad aquilam Jovis alitem Imperialem refert noster.

743. ALITIS INTUITU] Ob Aquilam gloriosum Imperii insigne. Hoc enim usum volunt Jovem contra Titanas, inde ad Cretenses, ab his ad Troia-

*Tum quòd ab æterno domus insuperabilis armis:*
745. *Cui tutelarem se Juppiter ampliat, audet*

Troianos, à Troianis per Æneam ad Romanos. quo postea Romani, velut præcipuo vexillo in bellis usi sunt. Magis tamen simile vero est, quòd Jove dimicante contra Saturnum, aquilæ augurio tanquam felici & fortunato, regni victor evasit: quo exemplo Romani aquilam velut auspicatissimum signum habuere. Nec unâ contenti, suam cuique legioni aquilam præire voluerunt. Hinc Lucanus lib. 1. ỳ. 244.

*Vt nota fulsere Aquilæ, Romanaque signa,*
*Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar.*

Ita nunquam sine Aquila imperator. Nam ut Fl. Joseph. De bel. Jud. l. 3. c. 5. *Aquila Romanis imperii signum est, & velut omen victoriæ, in quoscunque eant.* Persis etiam aurea Aquila, supra oblongam hastam, patentibus alis, militare signum fuit. Romani argenteam magis quàm auream habuere, quòd fulgentior ex argento atque conspectior foret: tamen pòst & auream. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2. Cæterùm hodie Imperii Germano-Romani insigne est, non una Aquila, sed gemina: neque enim cum vulgo rectè dixeris Aquilam esse bicipitem, sed duas invicem se expansis alis inumbrantes, ad nationis Germanicæ immortalem gloriam, & invictæ virtutis perpetuum monumentum. Rem nobis aperit Cæsarum descriptor Cuspinianus in Oct. Augusto, de quo, *Adeo*, inquit, *ignominiosè à Germanis acceptus clade Lollianâ & Varianâ, ut consternatus barbam continuos aliquos menses nutriret. Nihil fuit istâ cæde cruentius. Tres enim legiones obtruncatæ, signa & aquilæ duæ à Germanis captæ, quas hodie possidemus. Non enim biceps est aquila, ut imperitum vulgus credit: sed duæ simul, quarum altera alteram expassis alis obtegit. Tertiam signifer legionis tertiæ abstulit, paludeque demersit, ne in hostium manus veniret. Alioquin tres haberemus Aquilas in insignibus Imperii. Nec unquam hæ redditæ sunt Imperatoribus Romanis, quod Parthi fecerunt, sed semper in hunc usque diem servatæ.* De cladibus suprà memoratis ita Sueton. de Oct. Aug. l. 2. c. 23. *Graves ignominias, cladesque duas omnino, nec alibi quàm in Germania accepit Lollianam & Varianam: sed Lollianam majoris infamiæ, quam detrimenti: Varianam pene exitiabilem, tribus legionibus cum duce, legatisque & auxiliis omnibus cæsis.* Plura vide ibidem, & apud Vell. l. 2. de Aquilis legendus Plin. l. 10. c. 4. Lipsius, Pancirolus &c. SUPRA INFRAQUE MINISTRI] Aquila enim Jovi in cælo & in terra, semper cum fulmine, ac ad ministerium præsto est. Immo quòd solam hanc negant fulmine exanimatam: *Ideo armigeram Iovis*, ut inquit Plin. l. 10. c. 3. *consuetudo judicavit.* Hinc *Iovis ales* à Virgil. 12. Æneid. ỳ. 247. & lib. 5. Æneid. ỳ. 255. *Iovis armiger* dicitur. Uti & apud Pspin. Theb. lib. 3. ỳ. 532. Hinc Ovid. Met. 10. ỳ. 157. de Jove se in Aquilam transformante:

-------*Nullâ tamen alite verti*
*Dignatur; nisi quæ possit sua fulmina ferre.*

Horatius l. 4. Od 4. ỳ. 1. *Ministrum fulminis alitem* Papin. Theb. 8. ỳ. 676. *flammigerum alitem vocat.* Quâ ratione autem flammas vel fulmen gerat, docet Ovid. l 12. Met. ỳ. 560.

*Vertitur in faciem volucris, quæ fulmina curvis*
*Ferre soles pedibus, divûm gratissima Regi.*

744. AB ÆTERNO] A multis seculorum periodis. Indicat vetustatem fortitudinis Austriacæ, quæ minimè limitata, fines suos ignorat, & gentis primordia. INSUPERABILIS ARMIS] Animos & Martium robur Heroum Austriacorum, omnium pæne, per Europam, nationum annales celebrant. Breviter Nicol. Vernul. Virt. Gent. Aust. l. 2. c. 6. specimina quædam repræsentat strenuitatis & victoriæ. Sed perpetua una, maximaque victoria est, hactenus servatum in Germania imperium, tam atrocia tot annorum cum Turcis bella impunè tulisse, ne dicam illisisse. Apolog. Vernul. fol 43. *Terroris totam aliquando Asiam solâ nominis sui famâ Solymannus, Europam armorum suorum strepitu concussit; ei verò quia se Austriaci opposuerunt servata Hungariæ magna pars est, & liberata ab impendenti exitio Germania. Repressus tot ejus victoriarum cursus est Austriacorum oppositu, & vis illa Turcarum tanquam impetuosus quidam torrens, cum in Austriacam domum, quasi in vallum incidisset, fracto impetu resedit.*

745. CUI TUTELAREM &c.] Cui ampliorem præbet tutelam Deus, ob insignem Religionem, & demissam Principatus Apostolici observantiam. Philippus II. corâ Carolo V. Parente Aug. Bruxellæ regnorum provinciarumque vastissimarum imperium suscipiens, pro more inaugurationis ejusmodi, cultum Dei ubique in Regnis & provinciis se conservaturum solenni Sacramento pollicitus est: sed mox rationem adjecit.

*Livor ut extremis hominum se prodere metis.*
*Hæc infinitis spatiis se extendit in orbem;*
*Omine felici tandem, & Junone secundâ,*
*Prorogat imperium in Belgas; Pulchroque* PHILIPPO
*Natus ibi* CAROLUS *ter Maximus, os humerosque,*

certissimum se fore, *cælestem opem numquam sibi ab hoc conatu defuturam.* Et verò hâc arce se tutatur invicta Austriacorum potentia, cui Deus tantò impensius favet, quantò ferventiùs æmulorum invidiâ impetitur.

746. LIVOR UT EXTREMIS METIS &c. ] Ita est; nec lux sine umbra, nec virtus sine invidia: res secundæ invidorum dentibus semper livent. Austriaca domus quantò virtutibus clarior, robore potentior, tantò æmulorum telis, & virulentis corrosionibus obnoxia magis. Ad extremas enim metas se extendit livor, & excessum quemvis superat, quo hactenus impetita Gens hæc ter Augusta. Sed altior omnibus & nequidquam petita, stultam arguit suorum hostium temeritatem. Nam ut tectissimè Gevartius Int. Ferd. fol. 46 de eadem παρῳδικῶς ex Claudian. l 3. de laud. Stilic. ℣ 39.

*Hæc domus invidia fines virtute reliquit;*
*Humanumq; modum. Quis enim livescere possit,*
*Quòd nunquā pereant stellæ? Quod Iuppiter olim*
*Possideat cælum? Quod permeet omnia Phœbus.*

Addo ego quod proximè sequitur in Claudiano:

*Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis*
*Invidia mensura capit.-----*

747. HÆC INFINITIS &c. Ejus enim Gentis Imperatores, salutantur Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Reges: Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Silesiæ &c. Principes Sueviæ, Marchiones Moraviæ, Lusatiæ, & Burgoniæ, Landgravii Alsatiæ, Comites Habspurgi, Tirolis &c. Quæ omnia Carolus V. Aug. fratri suo Ferdinando ultrò transcripsit. Philippo verò filio suo opulentissima Hispaniarum & Indiarum Regna, unà cum Neapolitano & Siciliæ sceptro, Belgicarum Provinciarum Principatu, Insubriæ Ducatu &c. ut verum sit: *Austriacis solem non occumbere:* quibus scil. nunquam feriantur astra, ut Romanæ olim magnitudini usu venisse, superbo quidem, sed vero carmine, modulatur Lucanus lib. 7 ℣. 422.

*Te geminum Titan procedere vidit in Axem.*
*Haud multum terræ spatium restabat Eoo,*
*Vt tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,*
*Omniaque errantes stella Romana viderent.*

Gevart. Arc. Phil. facie post. fol. 33.

*Dotales geminis mundi de finibus Indos*
*Austriadûm domus auspiciis sortita secundis,*
*Sparsaq; regna tenens, pariter cum lumine solis*
*Mitibus aqua regis famulantem legibus orbem.*

Et alibi eâdem musâ Antverpiam animante:

*Austriadûm per regna meat surgensque, cadensque*
*Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.*

748. OMINE FELICI ] Faustis auspiciis, feliciter. TANDEM ] Duobus exactis seculis, ex quo Rudolphus primus Imperatorias Aquilas domui suæ invexerat: filio deinde Alberto I. in Imperium, nepotibusque Frederico II. Alberto II. & Frederico III. (alii IV. scribunt) eidem succenturiatis. Maxæmilianus enim Frederici III. aut IV. filius. JUNONE SECUNDA ] Solennibus nuptiis (quibus præest Juno, ut jam sæpiùs dictum) duxit Mariam unicam filiam & heredem Caroli Pugnacis, postremi ex sua gente Burgundiæ Ducis: sicque Provincias Belgicas, & utramque Burgundiam dotali jure dominatui Austriaco submisit. Egimus suprà Ser 7. ad ℣. 21. fol. 154. & Serm. 3. ad ℣ 148. fol. 43.

749. PROROGAT IMPERIUM ] Hereditarias suas provincias amplificat accessu principatus Belgici, per suprà memoratas nuptias. PULCHROQUE PHILIPPO ] Maxæmiliani Austriaci ex Maria Burgundâ filio, qui Joannam Ferdinandi & Elisabethæ Castellæ ac Arragoniæ Regum filiam sibi desponsam, ac CXXXV. navium classe in Belgium delatam, dum Antverpiâ eum anno CIƆ. CCCC. XCVI. Lyram Brabantiæ oppidum adiret, ipsis Sanctorum omnium solenniis uxorem duxerat. Hic à formæ venustate *Pulchri* cognomen obtinuit, & opulentissimis hisce nuptiis, Hispanica utriusque orbis imperia, in Gentem suam Austriacam intulit.

750. NATUS IBI CAROLUS ] Ex Joanna ut suprà, Carolus, postea eius nominis Imperator V. invictissimus, in amplissimâ Flandriæ Metropoli Gandâ anno seculari CIƆ. IƆ. ineunte. TER MAXIMUS ] Ob res tam strenuè, quàm feliciter gestas

*Cæsariem, pectus, mores, perque omnia Belga.*
*Quippe butyratis, sub mansuetudine cæli,*
*Nativo crevitque solo, rectore Adriano,*
*Donec ad Hesperiæ solium, properaret, opimos*
755. *Indorumque Aquilæque Lares: nunc prædominantur*

stas, omnium imperatorum laudes in se uno complexus. Ejus actis commemorandis cunctarum gentium annales tument. Eum salutat Antverpia inter duodenos Cæsares Austriacos septimum, Int. Ferd. Gevartiano Disticho:

*Salve Augustorum, numeri non ordine, prime*
*Sed meritis: limes regni cui terminus orbis.*

Os humerosque] Secundùm os & humeros. Sic de Ænea Virgil. Æneid. l. 1. ✣. 593.

*Os humerosque Deo similis. Namque ipsa decoram*
*Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ*
*Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.*

751. Cæsariem] Capillamentum, quod à cæsura, vel crebra cæsione nomen habet. Pectus, mores, perque omnia &c.] Sinceros, comes, minimè fucatos & fastuosos Belgarum mores, toto corpore & animo præferens, & præter hæc cordis sapientiam, integritatem, fortitudinem, quæ in pectore hospitantur. Id est, per omnia verus Belga.

752. Butyratis] Pane butyro illito, sive lamellis ex pane sectis & butyro litis; Belgicè vocamus *boter-ham*. Cibus nobis admodum familiaris, maximè pueris, ob copiam lactis & butyri bubuli optimi, quo abundamus fluminum & pascuorum nobilium beneficio. Et quędam apud nos opsonia sunt, quæ non nisi cum butyrato pane manduntur: immò & plerumque pastus nostros, etiam lautè habiti, hâc ambrosiâ claudimus. Jocatur à more vix alibi per Europam recepto, quem tamen nos pertinaciter tenemus, & à nutrimenti probitate commendamus. Multi eò referunt egregiam puerorum venustatem, cutemque succosam & candicantem, quibus alias nationes videmur anteire, maximè si de Hollandis sermo est, quibus hic cibus omnium ferè horatum est: nam apud hos βασιλικὸς βοῦτος. Sub mansuetudine cæli] Aëris temperie humidiore, & vegetandis impinguandisque corporibus congruentiore.

753. Nativo crevitque solo] In Belgio educatus, optimeque formatus tam animo, quàm corpore. Rectore Adriano] Florentio Ultrajectino, insignis Ecclesiæ S. Petri Lovanii tunc Decano, de quo egimus Serm. 7. ad ✣ 411. fol. 240. qui pueritiam Caroli Principis pietate & litteris imbuit, vir à morum innocentiâ & eximiâ doctrinâ nulli non cognitus, quem non tam Caroli Cæsaris auctoritas, quam propria merita ad summi Pontificatus apicem evexerunt. Ceterùm educatio Caroli generatim commissa fuit Guil. Croyio Ceuriæ & Arschoti Regulo.

754. Hesperiæ solium] Ad gubernacula regnorum Hispaniensium. Carolus enim adhuc ephebus ætatis anno quinto decimo, ab avo Maxæmiliano Cæsare emancipatus Belgicis provinciis ac triennio post Hispaniarum regnis inauguratus, mense Februario Anni cIↃ. IↃ. XVIII. Opimos] Verè opulentos & basilicos.

755. Indorumque] Sceptro enim Hispaniensi, Indiarum regna diriguntur, quo domita & subjecta sunt. Siquidem Christophorus Columbus Anno Christi cIↃ. CCCC. XCII. paucarum navium classe, à Ferdinando Rege Catholico impetratâ, primus in occidentem navigare tentavit, variasque insulas reperit, Regique suo detexit ac subjecit. Variæ deinde, ut rebus inventis facile quidpiam additur, variorum industriâ accessiones factæ: ac inprimis sub Carolo nostro potentissimo, Mexicanum Regnum opulentissimum Duce Ferdinando Cortesio, uti & paullo pòst, Peruanum ditissimis venis & fodinis inclytum Francisci Pizarri operâ, Hispaniarum dominatui accessit: ac illaro Christi cultu, orbem novum immensis spatiis ab Europa divisum, semet insigne Christianæ rei additamentum, Romanis Apostolici imperii pomœriis intulit, & conjunxit. Vide Heut. Rerum Aust. l. 8. c. 13. & Gevart. int. Ferd fol. 66 Aquilæque] Imperii. Id est, donec Rex Hispaniarum & Indiarum, ac Imperator factus esset. Carolus autem istius seculi ac ætatis suæ anno undevigesimo, absens in Hispania, Romanorum Imperator istius nominis V. Francofurti renuntiatus, sequenti anno cIↃ IↃ. XX, Aquisgrani Imperiali Diademate insignitus est. Ita totius Orbis potentia in unum Carolum coaluit. Prædominantur] Aliis mundi monarchis & Principibus latiùs & potentiùs regnant.

*Austriaci Belgæ* CAROLI *toto orbe nepotes.*
*Teutonicas Cæsar* FERNANDUS *servat habenas;*
*Insignire suo, Romanis fascibus, ævo,*
*Multorum invidiâ multùm ringente, paratus*
*Progeniem, & frustrà tot bella ciente Suëco.*

756. AUSTRIACI NEPOTES] Austriaco sanguine procreati, à Philippo Pulchro per Carolum V. & Ferdinandum I. ejus fratrem descendentes. Et Carolina quidem progenies in Hispania rerum potitur, ac hodie perseverat in clementissimo Domino nostro Carolo II. Caroli V. abnepote, Belgarum Principe: Ferdinandina verò in Leopoldo primo Imperatore, Ferdinandi III. filio, Ferdinandi II. nepote, Caroli Archiducis Austriæ pronepote, Ferdinandi I. abnepote. Deus illos, quâ solent, pietate ac justitiâ, & inde annis & heredibus fœcundet! BELGÆ] Ex sanguine Belgico Philippi Pulchri, qui Maxæmiliano ex Mariâ Burgundâ nascitur Brugis Flandrorum anno numeralibus hisce expresso:

oMnIbVs ACCeptVs regnat noVVs
eCCe phILIppVs.

IX. Cal. Jul. horâ III. à meridie. Vide Heut. Rer. Aust. l. 1. c. 9. TOTO ORBE] Ob immensam protensamque ubique terrarum ditionem & Monarchiam Austriacorum. Sive enim hunc, sive novum orbem, & utrobique, seu orientales, seu occidentales, septentrionales, aut meridionales spectaveris plagas: nusquam non invenias regiones Austriaco moderamini subjectas. Immo ad solum Austriacum Hispaniarum Regem, ferunt non ita pridem Regem Persarum litteras dedisse, quibus erat hæc inscriptio: REGI QUI SOLEM HABET PRO GALERO. Quod nempe subjectorum Coronæ Hispanicæ, ubique terrarum, quorumdam saltem, verticibus semper sol incumbat. Vide Gevart. Int. Ferd. fol. 88.

757. CÆSAR FERNANDUS] Qui pronepos Philippi pulchri, nepos Ferdinandi I. Imperat. (in hunc Carolus V. Aug. frater abdicatis regnis, Imperii diadema transtulit) à patruo Mathia I. Aug. adoptatus filius, anno hujus seculi XVII. in Bohemiæ ac Hungariæ Regem coronatus; ac deinde anno XIX. à Septemviris Principibus Francofurti Romanorum Imperator ejus nominis II. renuntiatus est: dignus qui sanctitate, fortitudine ac prudentiâ, omnibus Imperatoribus sit exemplum. TEUTONICAS HABENAS] Magnam Germaniæ partem, provincias hodie scil. hereditarias, quas suprà ad ℣. 747. fol. 452. recensuimus. Immo & totam Germaniam, tanquam Imperator & Rex Germaniæ.

758. INSIGNIRE] Nobilitare, decorare, exornare. ROMANIS FASCIBUS] Amplitudine, potentiâ, gloriâ, priscorum Cæsarum Romanorum.

759. MULTORUM] Regum, Principum, Dynastarum, qui bello Bohemico partes Frederici Comitis Palatini, contra Ferdinandum II. Imperat. legitimum Bohemiæ Regem tutati sunt. INVIDIA RINGENTE] Indignante & frendente, tacitè secum & frustra irascente. Ringi canum est, dum nares intorquent latraturi, & in rugas os diducunt: quod Belgæ propriè dicimus *grimmen*. Pro *irasci* dicitur, inprimis dum nondum apertos in latratus erumpitur, ut solent canes ante latratum ringi. In hac notatione usus Terent. Phorm. Act. 2. Scen. 2. ℣. 27.
*Dum tibi sit quod placeat, ille ringitur, tu rideas.*
Nec ringi satis fuit, in apertum bellum erupère, si unam alterámve summam potestatem demas, quibus volupe erat eminus hæc incendia contemplati, & foco hostili frigidam suffundere. Ferdinandus enim sub initia imperii sui, bello Bohemico implicitus, quasi orbis prope universus in ipsum junctis viribus conspirasset, Bohemicis, Marcomannicis, Germanicis, Pannonicis, Dacicis, Turcicis, Schyticis armis oppugnabatur. Vide Gevart. Int. Ferd fol. 78.

760. PROGENIEM] Posteritatem suam Austriacam. FRUSTRA] Ut probavit eventus. SUECO] Gustavo Ataulpho Suecorum Rege; qui contra Ferdinandum, feliciter jam confectis bellis Bohemico & Danico, egressus ab extremo Septentrione, per totam Germaniam victricia arma sua circumtulit, subnixus etiam Gallicis, Britannicis, Moscoviticis, aliorumque Principum & rerumpublicarum legationibus, milites & stipendiorum subsidia pollicentibus. Verùm fortunâ suâ non longiùs biennio usus, in Lutzensi prælio, glande majoris sclopi sinistrum brachium comminutus, ac extra aciem abductus, à Cæsarianis, victoriâ jam elatis, incognitus interficitur, XVI. Cal. Decemb. Anno CIↃ. IↃC. XXXII. Hanc victo-

*Hispanos rerum dominos quis nesciat inter*
*Christiadum populos, & propugnacula Petri?*
*Solis utrâque domo protendit sceptra* PHILIPPUS:
*Invictus* FERDINANDUS, *felicibus orbis*
765. *Auspiciis, rediit fidis spes maxima Belgis.*

victoriam biennio pòst, Ferdinandus III. Hungariæ ac Bohemiæ Rex, parentis Cæsaris auspiciis, ac Ferdinandus Hispaniarum Infans Philippi III. Hisp. Regis filius, S.R.E. Cardinalis, designatus Belgarum Prorex, lectissimis copiis, quas unà secum ex Italia fratris sui Philippi IV. auspiciis in Belgicam ductitabat, magnâ cum gloriâ cæsis ad Norlingam domitisque Suedis, ac imperii perduellibus, coronarunt. Vide Gevart. Int. Ferd. fol. 1. 2. 82.

761. HISPANOS RERUM DOMINOS] Latissimè imperitare, unitis tot regnorum, provinciarum, & nationum gubernaculis in uno Monarcha. De Dominatu vastissimo Romanorum Virg. l. 1. Æneid. ℣ 285. ----- *Mecumque fovebis Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

762. CHRISTIADUM POPULOS] Inter nationes Europæas & Americanas, Christi sacris devotas. Sic ordinanda sententia: quis nesciat inter populos Christianos, rerum dominos esse Hispanos, & PROPUGNACULA PETRI] Defensores Christianæ Catholicæ religionis, & Apostolici principatus, quæ D. Petrus Apostolorum coryphæus, proprio sanguine de gentium erroribus triumphans, Romanis arcibus intulit & stabilivit. Sunt enim Hispani religiosi cultores potestatis Apostolicæ, & observantissimi Pontificum Romanorum, quibus summa rei Christianæ, à Servatore in D. Petro, commissa est. Inde Principes nostri Hispano-Austriaci nusquam in Provinciis suis ferunt, nisi Catholicis factis addictos: & hæreses quâ viribus & armis, quâ belli nervo insectantur. Clemens VIII P. M. inter alia declaravit solum Philippum II Hispaniarum Regem, in expellendis ab Ecclesia hæreticis, plus multo expendisse, quàm omnes simul Reip. Christianæ Reges & Principes. *Vernul.* virt. Aust. lib. 1. cap. 5. Octavian. Maninus Poëmate de ope contra Turcas, ad Phil. II.

*Effigies tu vera Patris, suprema* PHILIPPE
*Spes gentis Christi cultricis, maxima regna*
*Qui sanctâ ditione tenes.*-------

Et Philippus III. ejusque filius Philippus IV. Hispaniarum Reges omnes opes suas & regnà Apostolicæ Tiaræ non semel consecrarunt.

763. SOLIS UTRAQUE DOMO] Orbis plagâ orientali & occidentali. Id est, ab Aurora usque ad Hesperum, manum regnatricem extendit. PHILIPPUS] IV. scil. ejus nominis, qui tunc diu cœperat rerum potiri in Hispania, Belgica &c.

764. INVICTUS FERDINANDUS] Hispaniarum Princeps Cardinalis, qui in Belgicam destinatur, antequam eò pervenerat, in itinere militiæ suæ felicissimum tirocinium posuit, ad Norlingam (alii Nerolingam vocitant) Sueviæ urbem, ubi castris Sereniss. Hungariæ Regis Ferdinandi Imperatoris postmodum III. commodè jam ex Italia, ubi lectissimas Hispanorum, Neapolitanorum, Insubrum & Burgundionum legiones conscripserat, Rhæticis Alpibus superatis, per Tirolensem provinciam, in Bavariam descendens, exercitum suum junxerat, ac unà cum Ferdinando à Suedis & Imperii perduellibus, nobilissimam victoriam reportaverat. *Gevart. Chiffl.* ORBIS AUSPICIIS] Publico totius orbis voto, lætitiâ, & plausu.

765 FIDIS BELGIS] Catholicis, legitimo suo Principi adhuc parentibus, & pro ejus fide contra perduelles pugnantibus. SPES MAXIMA] Rei restituendæ ac bene gerundæ contra inimicos Batavos, eorumque fœderatos. Sic erant hominũ nostratium vota, nec aliquid frequentiùs legis in monumentis lætitiæ publicæ, quibus in principibus Belgicæ urbibus exceptus est Serenissimus hic Princeps Ferdinandus. Sic illum compellat Antverpiæ nostræ genius, Pegmate Georgiano Gevartianam Epigraphen efferens:

*Sol Belgis exorte tuis, decus orbis Iberi,*
*Anverpiam,* FERNANDE, *venis optatus ad urbē.*
*In te spes arrecta hominum: te publica vota*
*Iam pridem Arctoi formosum pulvere belli*
*Excipiunt, genibusque tuis affusa recumbens*
*Belgica semirutas attollit lætior arces.*
*In te nostra salus: tibi se reparanda reservant*
*Tempora, funestis belli fœdata ruinis.*

REDIIT] Tam ipse Belgiaco sanguine cretus, quàm

*Nulla per immensum dominatur Principe tellus,*
*Quâ non Austriacûm metuenda potentia: nullos*
*Invenias impunitos ditione sub horum*
*Qui temerè extremo decertavere duello.*
*Quidquid alunt animi, fidei nituntur in hostem*
*Nobilitas, pulchrumque mori pro Principe ducunt;*
*Temperiem propriis, quantum sub honore, professa*
*Moribus: esse satis vim viqúe repellere, certis*
*Casibus, indomitâ si quis temerarius irâ*

quàm spes publica, quæ jam inde à morte Principis ALBERTI PII Austriæ Archiducis & ISABELLÆ Hispaniarum Infantis Belgicam procul effugisse videbatur.

766. PER IMMENSUM] Orbem terrarum, ejusque spatia. DOMINATUR] Regitur, agitur, gubernatur. *Dominari* passivè reperias apud Ciceron. lib. 1. Off. c. 139. *O domus antiqua, heu quàm dispari dominaris domino!* Nigidius figulus apud Priscianum: omne *pecus indomitum habet quiddam in se ferum: sed tamen eâ naturâ est, ut curari & dominari possit.* PRINCIPE] Ab ullo Principe, vel Dynastâ.

767. QUA NON AUSTRIACUM &c.] Ubi Austriacorum potentia non timetur.

768. DITIONE SUB HORUM] Sub horum imperio ac dominatione.

769. EXTREMO DUELLO] Lethali pugnâ singulariter inter se decertarunt: id est, qui monomachiam exercuerunt ex pacto, uti suprà descriptum, & in quo iniquitas.

770. QUIDQUID ALUNT ANIMI] Quidquid habent Heroici roboris, fortitudinis, animorum, virium. FIDEI NITUNTUR IN HOSTEM] Enituntur, exerunt, non contra se mutuò duellando, sed contra Hostes religionis, maximè Mahumetanos Turcas, aliosque Christiani nominis inimicos, vel apostatas.

771. NOBILITAS] Viri nobiles, Principes, proceres, quorum copia in Imperio Germanico & Hispaniensi. PULCHRUMQUE MORI] Gloriosum, & heroicum esse arbitrantur. Et ferè virorum fortium est, in armis occumbere, rebusque patriæ & Principis præclarâ morte consulere. Horat. lib. 3. Ode 2. ℣. 13.

*Dulce & decorum est pro patriâ mori.*

Cicero Off. 1. cap. 57. *Omnes omnium caritates patria una complexa est; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Et strenuitatis heroicæ indicium est, in bello potius gloriosam mortem opperere, quàm infamem vitam ducere. Virg. l. 2. Æneid. ℣. 317.

-----*Pulchrumque mori succurrit in armis.*

Et lib. 4. Georg. 216. -----*Et corpora bello Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortẽ.* PRO PRINCIPE] Austriaco Domino suo, & patria, à quâ, sub ejus imperio, tam liberaliter & mansuetè habentur.

772. TEMPERIEM PROPRIIS &c.] Ordina: nobilitas professa temperiem propriis motibus, quantum sub honore: id est, assueta propriis animi commotionibus imperare, easque moderari, quantum per honorem verum & ingenuum, non vanum & fucatum licet.

773. ESSE SATIS VIM VIQUE &c.] Pensant vel existimant esse satis vim vi repellere, cùm omnia id jura licere pronuntient Cic. pro Milon. c 30. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent.* Probaverunt etiam Jura sacra. Sic enim Innocentius III. Cap. *significasti* 2 *De Homicid. Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* CERTIS CASIBUS] Non semper, omnino, & quovis modò: nam & moderamen servandum est, quod vocant, *inculpata tutela*, nec vis justa & publica propulsanda est. Nam ut Dig. Tit. *quod metus caussa* l. 3. *continet: Sed vim accipimus atrocem & eam, qua adversùs bonos mores fiat: non eam quam magistratus rectè intulit.*

774. INDOMITA SI QUIS &c.] Iniqua, insolenti, præcipiti, & impetuosâ.

775.

*Vellicet, incessat prior aut quis cuspide, pensant.*
*Est modus in rebus: generosos cingier armis,*
*Stemmatibus ne indigna ferant, quis nesciat? Atqui*
*Ancipitis verbi suffitu, aut pellicis ergô,*
*Aut quacumque levi caussâ, discrimine vitæ*
*Jejunum remeare odium, instigare secundos,*
*Nec ratio, nec fert pietas, nec cura salutis;*
*Nec reperi quo tale nefas stabuletur in antro.*

775. VELLICET] Lacessat, provocet manus consertas, vel ad pugnam exciat. Nec tunc satis tutum armis pugnaturum excipere, cùm alia suppetit via propulsandæ injuriæ, sine damno vitæ. INCESSAT PRIOR AUT QUIS &c.] Aut priùs ferrum stringat, pugnam intentet, ac vitæ tuæ immineat, nisi propulses.

776. EST MODUS IN REBUS] Certa quædam mediocritas & ratio, quæ prohibeat omnem excessum, ut quis, nec plus efferatur in injuriam sibi illatam, nec minùs Horat. l. 1. Sat. 1 ℣. 106.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
*Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

GENEROSOS CINGIER &c.] Nobiles ideo, jure sibi concesso, ense latus accingere.

777. STEMMATIBUS NE INDIGNA FERANT.] Ne aliquid vel dicto vel facto, quod nobilitati suæ probrosum sit, patiantur. Cicero pro Milon. c. 10 *Quid comitatus nostri? Quid gladii volunt? Quos habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret.*

778. ANCIPITIS VERBI SUFFITU] Suffumigatione, seu quavis pravâ affectione verbi alicujus, quod possit suspicaci interpretamento contumeliosum accipi. Odori enim tribuimus metaphoricè, illa quæ non tam certò vel apertè, sed quasi clàm, & per conjecturas quasdam rescifcimus. Hinc *odorari* pro clàm indagare, aut quid odore quodam suspicionis sentiscere. Cicero ad Att. l. 4. Epl. 13. *Velim siquid forte novi habet, maximè à Quinto fratre, deinde à C. Cæsare, & siquid fortè de comitiis, de repub (soles enim tu hæc festivè odorari) conscribas ad me.* Sic & *subolere*, pro *suspicari*. Plaut. Casin. 2. 3. 59.

*— Subolet hoc jam uxori, quod ego machinor.*

Terent. Phorm. 3. 1. 10. *numquid patri subolet?* Id est, utrobique suspicatur. *Suffire* autem nihil aliud est, quam fumigare, aut potiùs suffumigare: hoc est, subtus odorem seu tetrum seu suavem alicui excitare. Hinc *suffitus*, *suffitio* & *suffimenta*. Sic & *suffire* vestes vel chirotecas dicimus, id est, bonis odoribus ea imbuere. AUT PELLICIS ERGO] Propter amicam vel concubinam. *Pellex* à pelliciendo nomen habet, sed dicitur potissimùm de illa, quæ consuevit viro, cui domi uxor, vel etiam subinde cui non est. Vide A. Gell. l. 4. c. 3. Dig. l. 50. *De verb. sign.* l. 144. Paulus sic ait: *Massurius scribit pellicem apud antiquos eam habitam, quæ cùm uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc verò nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellare Granius Flaccus in libro de jure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat, quosdam eam, quæ uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam Παλλακὴν Græci nominant.* Inde Παλλακεύομαι, id est, *sum concubina*. Pellex antiquis, auctore Festo, propriè dicebatur, quæ uxorem habenti nubebat. Cui generi mulierum etiam pœna constituta à Numa Pompilio hac lege: *Pellex aram Iunonis ne tangito: si tanget, Iunoni crinibus dimissis, agnam fœminam cædito.*

779. DISCRIMINE VITÆ.] Cum vitæ periculo: ex odio enim ejusmodi, pugna vel ultio, & ab utraque non rarò mors.

780. JEJUNUM REMEARE ODIUM] Hesternum, quod heri fortean inter pocula & rixas concepisti, & in hodiernum mane productum, jam jejunus & animo tuo redditus, insigni & fatali plagâ ultum is. INSTIGARE] Rogando invitandoque, ut tibi cum adversario singulari certamine decreturo, secundus assistat.

781. NEC RATIO] Lumen naturæ tibi aliisque inditum. NEC FERT PIETAS] In sodales, amicos, homines, quos æquâ tecum charitate prosequi te oportuerat. NEC CURA SALUTIS] Tuę & illius. Nam socium acciendo graviùs peccas, & illum unà tecum in mortem, & perpetuos cruciatus præcipitas.

782. NEC REPERI QUO STABULETUR] Ubi hactenus tutò sit: id est, ubi inveniat patronum vel

*Tuque ex adverso rigidè quem dicere feci,*
*Nobiliumque ignobilium defensor acute,*
*Parce rogo insulsis doctrinæ illudere verbis.*
*Austriaco latet exemplo, quodcumque Camœnis*
*Poscimus attribui generosæ flore juventæ.*
*Inter opes tantas, & tanta negotia, nemo*
*Qui Parnassi aliquâ non consummatus in arte est;*
*Consiliis adeò ut dubium, an præponderet armis.*
*Transibo antiquos. Prælapsâ ætate* RODOLPHUM
*Vidimus, & constat studiis sine fine moratum;*
*Quasque recondiderat natura abstractior artes,*
*Excoluisse virum, atque omnes superasse vocatos.*

vel tutorem, à quo censeatur id malum esse tutum aut concessum. *Stabulari* hic est versari in quocumque stabulo, id est, loco, vel statione. De iis alibi dictum, consule indicem.

783. TUQUE EX ADVERSO] Melda vel alius, quisquis hos tueris, & malum tuo exemplo nutris, tam indulgenter regendo ætatem puerilem. RIGIDE] Rigidè induxi loquentem, ut rigidiùs severiùsque te castigarem.

784. NOBILIUMQUE IGNOBILIUM] Nobilium sanguine, ruditate Oscâ ignobilium. Nobiles vocat ignobiles, qui bonis artibus se in juventute non excoluerunt, & jam ætate provecti, inter Oscos & asinos rudunt.

785. PARCE ROGO INSULSIS] Rogo uti posthac sapientior, desinas lacessere doctos, & studia scientiarum. INSULSIS] Insipidis, sale non conditis, ineptis, inficetis.

786. AUSTRIACO LATET &c] Ordina: latet exemplo Austriaco, quodcumque poscimus attribui Camœnis ipso flore generosæ juventæ. Id est: ipsi Principes Austriaci etiam Musis operantur, & se studiis excolunt, in exemplum aliorum Procerum, ut juxta ea quæ docuimus, instituí & exercitari filios suos curent, ipsâ pueritiæ & adolescentiæ ætate.

787. GENEROSÆ] Nobilis, ac illius inprimis, quæ prodit à Diis majorum gentium.

788. INTER OPES ET NEGOTIA] Quæ cùm tanta sint, ob vastissimum imperium & immensas opes, magnas curas & temporis intertrimenta postulant.

789. PARNASSI ALIQUA ARTE] Qui non sit alicujus ingenuæ artis, omnibus numeris perfectè ac absolutè peritus.

790. CONSILIIS AN ARMIS] Ut dubium relinquant, Heroëine majores sint sapientiâ & consilio, quàm armis & fortitudine.

791. TRANSIBO ANTIQUOS] Priscos illos & primævos Austriacæ Gentis Imperatores & Principes. PRÆLAPSA ÆTATE] Superiori seculo, & hoc præsenti. Imperavit enim ab anno CIↃ. IↃ. LXXVI usque ad annum CIↃ. IↃC. XII. RODOLPHUM] Imperatorem ejus nominis II. Maxæmiliani II. Aug. filium.

792. SINE FINE MORATUM] Continenter Musarum studiis inhæsisse, quibus mirum in modum tenebatur.

793. NATURA ABSTRACTIOR] Abstrusior, ab aliis scientiis secretior, & mirabilium suorum celantior. ARTES] Mathematicas. De his suprà ad ℣ 261. & 263. fol. 387. & 388. Rudolphus quippe Imperator, præterquam quòd disciplinarum, & rerum omnium peritiâ, judicio limato, maturo consilio ita polleret, ut etiam excelleret, in Astronomia vix ulli cessit, solitus quandoque Mathematicos suos noctu vocare, ut de rebus Astronomicis cum iis pro genio disceptaret. Immò ipse suas terrarum sceptris assuetas manus, ad eruditum illum pulverem non dedignabatur demittere, tabulis Astronomicis à se conscriptis clarus. Artium verò aliarum, doctorumque omnium tam singularis fuit cultor, ut perpetuus eorum fautor & patronus dici sustinuerit. Vide Vernul. Gevart. & alios.

794. OMNES] Mathematicos, quos ut jam dictum,

*Diceris historias legisse* PHILIPPE *secunde,*
*Sed clausis oculis dictasse volumina* REGUM*:*
*Lucubrare suum tibi qui quocumque dicabat*
*Tempore, gratus erat, certusque à Rege videri.*
*Quid tibi cum Musis Hunnorum summa Potestas?*
*Diceris insomnes Heliconis vertice noctes*
*A teneris traxisse tuas, omnesque vicissim*
*Illice constanti ad choreas duxisse Sorores.*

dictum, ad se frequens, etiam noctu arcessebat. SUPERASSE VOCATOS] Doctiùs omnibus disseruisse, & arbitratum esse.

795. DICERIS HISTORIAS LEGISSE] Tam in priscorum recentiorumque monumentis, quàm ex epistolis, quæ ex omni orbis plagâ, ubi rerum potiebatur, ad illum mittebantur. Hæ enim historiarum & annalium loco illi erant, ex quibus bella, proditiones, strategemata, fœdera, perduelliones, conflictus, res prosperè vel improsperè gestas, castra, acies &c. ejusmodi, quibus scatent historiæ, discere illi volupe erat, & quotidiana lucubratio. PHILIPPE SECUNDE] Hispaniarum & Indiarum Rex. Hunc *Prudentis* cognomento decorarunt, ob singularem prudentiam, & acerrimam, in dispiciendo quid cuique rei congrueret, judicandi vim. Erat enim, ut Gramondus Gallus scriptor Austriacis parum æquus, majorisque hinc nobis eatenus fidei, testatum relinquit lib. 4. Hist. Gal *Regiis probè imbutus artibus, præcipuè politicâ.* Eâ verò ut tradit Vasconcello in sua Acephaleosi Regum Lusitan. Prudentiâ & consilio in hominibus præsertim eligendis, & præveniendis negotiia, ut non solùm cognomento Prudens vocetur, verùm etiam omnes sui temporis homines maturitate consilii, & ingenii dexteritate longo intervallo post se reliquerit.

796. SED CLAUSIS OCULIS] Intra septa palatii sui Mantuæ Carpetanorum, aut in Prætorio Regioque Asceterio S. Laurentii conclusis, & nihil regnorum provinciarumque suarum extrà contuentibus. Etenim in musæo suo Regio lucubrando, felicissimè populos sibi ubique terrarum subjectos moderabatur, proregibus, legatis & præfectis, aliisque minoribus magistratibus leges præscribendo. Inde apud Vernulæum Virt. Aust. l. 2. cap. 3 quidam dixisse proditur: plus Philippum solo calamo, quàm majores ejus gladio potuisse. DICTASSE VOLUMINA] Argumentum scribendorum voluminum præbuisse. Litteras siquidem dictando, maximus ille Princeps, plura factitasse dicitur, quam, plures alibi Reges imperio suo præsentes agere potuerint: ut de unius Philippi actis per litteras plura conscribi possint plurimorum Regum volumina.

797. LUCUBRARE SUUM] Lucubrationes, commentationes suas, sive libros à se conscriptos. TIBI QUI DICABAT] Nuncupabat, dedicabat, inscribebat.

798. GRATUS ERAT] Benevolè habebatur à Rege. CERTUSQUE A REGE VIDERI] Dignabatur alloquio & conspectu Regio: id est, statim admittebatur ad affatum Regis.

799. HUNNORUM SUMMA POTESTAS] Hungariæ Rex. Compellat Ferdinandum III. Ferdinandi II. Imperat. filium, qui eâ ætate, vivente etiamnum patre, Rex Hungariæ & Bohemiæ salutabatur. Hic, semestri ferè spatio ante obitum paternum, Rex Romanorum electus, Patri mox in imperium suffectus est, anno Christi CIƆ. IƆC. XXXVII. Cui fatis defuncto Anno CIƆ. IƆC. LVII. Septemvirali electione succenturiatus est Leopoldus I. Imperator Pius, Felix Augustus, VIII. idus. Quintil. anni subsecuti. Deus Optimo Principum, in pace vel victoriâ, ætatem in serum senium producat. *Hunni* olim *Huni, Abares,* vel *Avares* populi fuere Sarmatiæ, juxta Meotieam paludem habitantes, postea immigrarunt Pannonias, quarum pars Hungaria, ut jam diximus ad ✝ 738 de illis Claud ad Ruff. 1. ✝ 320.

*Hunnorum laturus opem, quos afore bello*
*Norat, & invisis mox se conjungere castris.*

Eorum descriptionem pulcherrimam ibidē vide.

800. DICERIS INSOMNES &c.] Impigrè diu noctuque litteris incubuisse à puero, & inter Musas educatum esse. OMNESQUE VICISSIM] Omnes scientias & artes, suo quasque ordine, per vices didicisse.

802. ILLICE CONSTANTI] Constanter amando,

*Ut libros scribas, bona pars quos rideat orbis?*
*Ut libros agitem, bona pars quos palleat orbis:*
*Ut libros vivam, quos integer approbet orbis.*
*Perge bonis avibus: post Patris sæcula Cæsar,*
*Quæ superent Juli, tua Commentaria dicta.*
*Magna* LADISLAO *studiorum cura Polono.*
*Multa fuit culto* LEOPOLDI *pectore Clio;*

do, & ad tui amorem illiciendo. Id est, diceris impigrè naviterque studendo, Musas tibi benevolas & officiosas reddidisse. *Illix* ponitur hîc pro illecebra, seu re quæ allicit. *Illex, illicis*, inquit Noster in M. SS. *interdum substantivè pro illecebra*. Porrò, ab illiciendo *illix* dicitur: suntque propriè *illices* aucupum aves, quæ alias alliciunt, Græcisque appellantur παλεύτριαι, Belgicè *Lock-vincken*. Vide Turneb. l. 24. c. 38. Plaut. Asinar. Act. 1. Scen. 3. ubi improba læna allegoriam exponit ℣. 67.

*-------Ædis nobis area est; auceps sum ego;*
*Esca est meretrix; lectus illix est; amatores aves.*

Nonio *illix* & *illex* sic discernuntur: *ab illiciendo fit illix: illex vero est, à quo lex non servatur.* Sed nobis sicuti *pellex* à pelliciendo dicitur, ita & *illex* ab illiciendo. AD CHOREAS DUXISSE] Ad studiorum oblectamenta, exercitia, institutionem, tecum secessisse.

803. UT LIBROS SCRIBAS &c.] Quærit, ut aptè respondeatur, quasi sit: cur ita litteris insudas? An fortè ut libros conscribas, quos plerique ridebunt & contemnent? Notat tacitè fortunam scriptorum, quorum æquè boni, quàm mali nonnumquam vilipenduntur, & abjiciuntur. Hoc enim hominibus maximè sciolis proprium, carpere ea, quæ imitari non possunt: quare optimè Maurus Terentian. de Syllab. ℣. 1067.

*Pro captu lectoris habent sua fata libelli.*

BONA PARS] Magna pars hominum.

804. UT LIBROS AGITEM &c.] Vox est, Ferdinandi, sive ejus quisquis illius nomine respondet. Quasi dicat: non studeo ut scribam, sed ut agendo fortia, scribendi de me argumentum præbeam. PALLEAT] Extimescat. Id est, quos extimescant æmuli & adversarii Imperii Romani & gentis meæ.

805. UT LIBROS VIVAM &c.] Ut ita mores, actiones, & vitam instituam: tam prudenter, sagaciter, fortiter gubernem Imperium, ut orbis totus acta mea cogatur approbare.

806. PERGE] Musis & litteris vacare. BONIS AVIBUS] Auspicatò, id est feliciter. Veteres enim quia nihil nisi auspicatò aggrediebantur, tum demum id sibi feliciter cessurum arbitrabantur, dum felicia auspicia captaverant, & successum felicem videbantur aves addicere. POST PATRIS SECULA] Post vitam patris tui Ferdinandi II. Imperat. Bene ominatur, sub persona Diogenis, Poëta Ferdinando III. qui biennio pòst, vivente adhuc patre, Romanorum Rex electus est, ac dein eodem post aliquot menses ex humanis egresso, in imperium successit: vatis nostri voto minimè successum frustrante.

807. QUÆ SUPERENT JULI] Magnitudine rerum gestarum, superent commentaria Julii Cæsaris de bello Gallico & civili, quæ sibi, & factorum suorum gloriæ conscripsit. DICTA] Id est, materiem & argumentum suppedita, & si quidem res Imperii ferant ipse conscribe, qui ob cultum musarum ei rei par es, non secus, quàm alter quidam J. Cæsar, quem etiam hac ratione imitaberis, de actis suis commentatum.

808. LADISLAO] Aliis Vladislao Poloniæ Regi, Sigismundi III. filio, qui materno stemmate Austriacus est. Matrem enim habuit Annam Austriacam filiam Caroli Archiducis, sororem Ferdinandi II. nuptam Sigismundo Regi, ut suprà XIII. Cal. Mart. anno Christi CIↃ. IↃ. XCII. Cui deinde natus Ladislaus Anno CIↃ. IↃ. XCV. Princeps hic vivente patre, in Germaniam, inde in Belgium, ac Romam iter instituit: ac obsidionem Bredanam lustravit. Anno deinde CIↃ. IↃC. XXXII. Ordinum consensu Rex creatus est. STUDIORUM CURA] Id est, strenuè studuit, & litteris imbutus est.

809. CULTO] Litteris & artibus Imperatoriis exeocto. LEOPOLDI] Id est, in culto pectore Leopoldi Archiducis Austriæ, qui fuit filius Caroli Archiducis ex Mariâ filiâ Alberti V. Bavariæ Ducis, frater Ferdinandi II. de illo egimus Serm. 5. ad ℣. 295. fol. 121. invicti animi Heros

*Atque aliis, causâ vel quos brevitatis omitto,*
*Temporibus patrum, vel quos hoc novimus ævo.*
*Tuque, gubernandi cunis qui grandia tiro*
FERDINANDE *patras, qui terror Regibus exis,*
*Ferreus injustis, sinceris corde benignus;*
*Unde tuis tam magna venit præstantia factis,*
*Strenuitas animo, moderatio, gratia, virtus?*
*Scilicet ingenium & rerum prudentia major*
*Præ reliquis infusa tibi? Communia palpem?*

ros fuit, & clarissimus bello Strategus. CLIO] Historiarum assidua lectio. *Clio* enim Historiis scribendis præest: ut tritum istud arguit:

*Clio gesta canens transactis tempora reddit.*

Derivatur enim παρὰ τὸ κλείω, quod est, *celebro.*

810. ATQUE ALIIS] Sanguinis Austriaci Principibus. CAUSSA BREVITATIS] Ne deflectam ab instituto longiùs, & hîc tantùm videat elogia depromere, non mores arguere.

811. TEMPORIBUS PATRUM] Ævo superiori & proximè lapso, & hoc præsenti. Hinc digreditur ad Ferdinandum Hispaniarum Infantem, qui jam anno CIↃ. IↃC. XXXIV. in Belgicam pro Rege advenerat.

812. GUBERNANDI CUNIS] Initio tui moderaminis & gubernaculi, cui te apud Belgas & Burgundiones præfecit frater suus Philippus IV. Hisp. Rex. *Cunæ, cunabula,* vel *incunabula*, pro rerum initiis dicuntur. Cic. 2. ad Att. Epl. 15. *Ego verò in montes patrios, & ad incunabula nostra pergam.* Et in C.Salust. c. 8. *An ulla alia putas esse rudimenta, & incunabula virtutis?* Id est, initia. TIRO] Ipso tuo belli tirocinio. Novellus enim adhuc miles erat.

813. FERDINANDE] Hispaniarum Infans, Princeps Cardinalis, Belgicæ Pro-rex. GRANDIA PATRAS] Hostes cædis, armis tibi viam paras, ad Provinciam tibi commissam. Alludit ad victoriam Nortlinganam de hostibus Imperii reportatam: cui magnum momentum accessit Princeps Ferdinandus. Ille siquidem ex Italia cum selectis aliquot diversarum nationum legionibus, ut suprà ad ✝ 760. memoravimus, quas in Belgicam ductitabat, post emensas Rhæticas Alpes in Bavariam lapsus, unà cum Ferdinando III. tunc Hungariæ Rege ad Norlingam tam feliciter gloriosèque cum Suecis & fœderatis rebellibus congressus, ut hostium duce Hornio capto, nobilissimam victoriam reportarit. Cùm autem Alsatiæ pars magna, & Lotharingia Francorum & Suecorum armis occupatæ essent, iterque per illas interclusum, viam sibi, in Belgicam, ferro aperuit. Nam post subactam Wirtemburgicam Provinciam, Ferdinandus per Palatinatum inferiorem, & Franconiam, victricia arma, terroremque & metum latè circumferens, prona omnia & cedentia virtutibus suis sensit. Ut prorsus hæc serenissimi Principis in Provincias nostras profectio, non iter, sed continuus quidam victoriarum cursus & triumphus perpetuus esse videretur. *Gevart.* Bruxellam pervenit Prid. Non. Novemb. Anno CIↃ.IↃC. XXXIV. REGIBUS TERROR] Gallo & Sueco Regibus, & aliquot Imperii Dynastis rebellibus, per quorum terras viam sibi ferro aperuit, ut jam dictum EXIS] Exis Hispaniâ, in campum Martium, scil. Belgicam descendis, educis milites contrà Gallum Nam Francis infesta Belgio arma palàm inferre parantibus, ac limitaneis Flandriæ oppidis insidias machinantibus, medio Januarii mense anno CIↃ. IↃC XXXV Gravelingam, summâ hiemis inclementiâ advolavit, urbique & arci, auctis earum presidiis, cautè prospexit.

814. FERREUS INJUSTIS] Durus & implacabilis, & hostis malorum. SINCERIS] Bonis, justis, probis, & Principi suo fidis.

815. UNDE TUIS FACTIS &c] Heroicis tuis virtutibus & facinoribus, quæ jam acta commemoravimus.

817 SCILICET INGENIUM] Sententia est: putemúsne hæc omnia tibi à Deo infusa, vel tibi unà cum spiritu congenita esse? Quasi dicat minimè: aliunde hæc tibi obtigêre.

818. COMMUNIA PALPEM] Ac si dicat: communia

*Nec volo, nec possum: quia tu, si blandiar, arguas.*
*Culturæ & studiis, quidquid tua gloria, debes.*
*Ad res, ad casus adhibere à Pallade doctos,*
*Consilioque usuque viros, & tempore firmos,*
*In te vera notant studiorum culmina, quæ nec*
*Fors neque successus sterili sibi vendicet ore.*
*Ite quibus titulo placet ullo inscitia: cultus*
*Troiano descendat equo, speculâque Minervæ*

munia illa, quæ alii tibi blandientes, adulantesque, in tuas laudes adferunt, ego non producam. *Palpare* vel *palpari* pro blandiri, usquequaque usitatissimum est, translatum ab equisonibus, ut diximus Serm. 11. ad ℣. 7. fol. 317. *Palpo* autem asciscit tam accusantis quàm dantis casum. Juven. Sat. 1. ℣. 35.

*Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat.*

819. Nec volo nec possum] Adulationem enim omnem naturâ aversor, detestor, & prorsus damno. Utpote qui supra de se canit Serm. 1. ℣. 64 fol. 13.

*Laudibus assuevi non prodigialiter ullis.*

Quia tu si blandiar arguas] Meritò me reprehendas, ob conjunctam in te, perpetuo quidem nexu, cum heroicâ magnanimitate generosam modestiam.

820. Culturæ et studiis] Institutioni, ac Musarum cultui, quo jam inde à teneris assuevisti. Quidquid tua gloria] Quidquid facis gloriosè, ac ex virtute Heroicâ, quæ perennem parat gloriam.

821. Ad casus a Pallade doctos] Viros undiquaque doctissimos, quos non quivis Palladis mysta, sed ipsa Dea instituisse censeatur. Extollit Ferdinandum, quod viros eruditos & sapientes consiliis suis admoveat, & inter illos familiariter versetur. Eryc. Puteanus ad Ferdinandum hunc nostrum Purp. Austriacâ, *Ingenium*, inquit, *non nisi delicium, quia cultum eruditionis admisit: animus non nisi thesaurus, in quo pietas, pudor, & generosa honestas constipantur. Tua sic igitur bonæ artes ac studia sunt, sed quantum in Principe laudari possunt: quæ cùm modum excedunt, ex Principe privatum faciunt. Modus verè ille est, ut ubi didiceris quantum satis: quantum didiceris ames magis, quàm tractes; scias, quàm excolas; usurpes quàm ostentes: major futurus, si inter doctos potiùs Principem agas, quàm si inter Principes doctum. Tuum est agere, aliorum scribere, quæ agas; tuum favere viris doctis, ut doctissimus ipse videaris, illorum ingenia, studia, labores, liberali ad gloriam affectu stimulare.* Et verè, ut ait vetus illud à Zenodoro citatum ex Aiace Locrensi:

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ

*Sapientium commercio Princeps sapit.*

822. Consilioque usuque viros] Judicandi & consilia suggerendi virtute præditos, multo rerum usu exercitos, & prudentiam assecutos. Tempore] Ætate. Firmos] Stabiles, constantes, rationibus firmis subnixos, qui sententiam non facilè varient, sed semel datam constanter tueantur, vel prudenter mutent.

823. Notant] Discunt ac deprehendunt homines. Vera studiorum culmina] Absolutam & consummatam artium peritiam; seu discunt te ad Musarum culmina pervenisse, & in scientiis, quantùm eges, consummatum.

824. Fors] Fortuna. Neque successus] Qualiscumque fuerit, sive bonus, sive malus eventus. Sensus est: doctrina & rerum peritia efficiunt, ut quâvis fortunâ, in rei tuæ utilitatem loquaris copiosè, disertè, ac sapienter. Id est, non sterili ore, vel sermone.

825. Ite] Repellit & abire jubet, quibus ullo titulo probanda videtur ignorantia: maximè tamen illos, de quibus egit, qui nobilitatis gratiâ, ducunt Musis non colendos Primorum nobilium liberos. Cultus] Eruditio, doctrina, prudentia.

826. Troiano descendat equo] Evehatur ad nominis gloriam, & ducendis legionibus præficiatur. Sic olim viri fortissimi Principesque exercitus Græci, inclusi utero equi duratei, signum faciente, & claustra laxante Sinone, in perniciem Troianorum inde descenderunt, & nominis

*Lucidâ, & intereat proprio ignorantia fumo.*
*Advigilate patres, & vos sine conjuge matres;*
*Ancora sacra juvet forsan: brutos removete*
*Affectus: pretiosa nimis sunt prona juventæ*
*Tempora, pensandúmque quibus credantur alumnis.*
*Nescia tuque tui prima ætas roboris, acri*
*Cede patrum curæ: juvenere viriliter: aude*

minis gloriâ inclaruerunt. Hi recensentur à Virgilio lib. 2. Æneid. ✠. 261. quem consule, & suprà Serm. 8. ad ✠. 77. fol. 266. Ac si dicat: sicuti Græciæ fortissimi descenderunt ex equo Troiano, ita viri ex palęstra litteraria, tanquam ex equo, descendant ad juvandam consiliis & viribus rempublicam. SPECULAQUE MINERVÆ] Ex Schola vel arena sapientiæ ac prudentiæ. Notandum equum illum Troianum donum Palladi sacrum extitisse, adeoque manere Poëtam allegoricus in præfatâ metaphorâ. Appellat autem speculam Minervæ, quod ab eruditione homo videat res quasi oculis suis subjectas, non secus, quàm qui è specula quâvis. Respicit adagium: Ω'ς ἀπὸ σκοπιᾶς, quod est, *velut è specula*. Siquidem ex alto commodissimè spectantur omnia, quòd nihil inde contuentis impediat conspectum.

827. LUCIDA] Lucem magnam dispiciendis rebus commodante. INTEREAT] Sicut olim Troia, vino & somno sepulta, & caligine nocturnâ, ac nebulis fumosis, visum & lucem auferentibus immersa: ita ignorantia propriis tenebris caliget & pereat.

828. ADVIGILATE PATRES] Educandis ac instituendis liberis vestris. SINE CONJUGE MATRES] Viduæ, & quibus mortuus maritus; quæ filiis estis pro utroque parente.

829. ANCORA SACRA JUVET] Extremus conatus, vel vigilantia summa, in mores & actiones liberorum. *Sacram ancoram* vocarunt prisci nautæ, maximam & validissimam ancoram, quam non mittunt, nisi cum extremo discrimine laboratur. Unde proverbium: ἱερὰν ἄγκυραν χαλάζειν, quod est, *solvere sacram ancoram*; quoties scil. ad extrema deventum est. Indicat Diogenes, ad extrema confugiendum esse, quando cetera non proficiunt. Quasi dicat, si ingenium & naturales propensiones liberorum tuorum tales sint, ut sponte illos ad bonum non inflectant, nec consiliis tuis semet accommodent, tu adhibe validissimam quà pœnis, quà premiis; quà monendo, quà corripiendo; quà blandis, quà asperis remediis, ancoram: id est extrema tenta in educatione & institutione, cùm id possis: nam recta & accurata educatio plurimum momenti habet, ad totius vitæ bonam directionem. Lycurgus, si Plutarcho credimus, pro concione perorans, ut ostenderet quanti valeat educatio: canes duos eodem partu editos dimisit, unum domesticis, alterum venatoriis cibis assuetum, diversis in locis diverso cibo collocato: cùmque uterque ad consuetum cibum raperetur, facile persuasit parentibus, quantum momentum habeat ad rectam vitam educatio. BRUTOS REMOVETE AFFECTUS] Belluinas perturbationes aut cupiditates frenate, sistite, dedocete, disciplinâ domesticâ & scholasticâ.

830. PRETIOSA NIMIS] Ob ævi seu vitæ brevitatem, maximè in ætate puerili, quando omnia transeunt velocissimè, homine tunc nondum considerante, quàm utiliter vel inutiliter tempus transigat. PRONA JUVENTÆ] In malum, & pravarum cupiditatum fomenta, & captanda voluptatum tristia gaudia.

831. PENSANDUMQUE] Dispiciendum, & deliberandum maturè. QUIBUS CREDANTUR ALUMNIS] Quibus eos præceptoribus instituendos & informandos credatis.

832. NESCIA TUQUE TUI ROBORIS] Ignorans quid ferre, aut præstare possis, si ludos inter pueriles Musis consuescas: immo quid tibi postea profuturæ sunt artes & studia litterarum, & ingenium scientiis subactum. PRIMA ÆTAS] Pueritia, adolescentia. ACRI] Rigidæ ac severæ disciplinæ.

833. CEDE PATRUM CURÆ] Esto docilis, te submitte consiliis & præceptis parentum tuorum. JUVENERE VIRILITER] Juventutem virilem age: id est, catè, prudenter, constanter, instar virorum te gere. Quasi dicat: impetu Juvenili facias bona, quæ vir quispiam faciat consilio. Adagium Græcum est νεάζειν, vel νεανίζειν,

aut

*Ardua quæ pulchra : eque Aganippes fontibus hauri,*
*Queîs animam serves corpusque fidele senectæ.*
*Mox aut certa manet te Adrastia : venerit hora,*
*Ridebo monitor non exauditus. Acerbo*
*Et vos qui Cynicos contemnitis Arcades ore,*
*Dogmatis opposui tabulam, quin pectore dextram*
*Ponite, & instinctu properantem incidite venam.*

aut *νεανιεύειν*, quod est, *juvenari*, pro quidvis agere more juvenili, putà inconsideratiùs, inconsultiùs. Sic ad illud Horat. de arte ℣. 246.

*Aut nimiũ teneris juvenentur versibus umquam.*

Lambinus: *Verbum*, inquit, *Græcum fortasse exprimere voluit, νεανιεύεσθαι, quod valet rem aliquam, præclaram quidem illam, & laudabilem gerere, sed majore animo quàm consilio: quod juvenes solent.* AUDE] Etiam majora quàm ferat ætas, age illa quæ sunt virorum.

834. ARDUA] Difficilia, operosa, & motibus naturæ depravatæ adversantia. QUÆ PULCHRA] Honesta, & propter se expetenda, gloriosa, nomen tibi & famam paratura. AGANIPPES FONTIBUS] Ex scholis Musarum, scientiis, artibus, studiis litterariis.

835. QUEIS ANIMAM SERVES] Ab æterno cruciatu, & perpetuâ damnatione. CORPUSQUE FIDELE SENECTÆ] Quod ferat molestias & infirmitates senectutis: quale illis est, qui juventutem suam Venere, Cerere, aut temulentiâ, non enervarunt: quibus scil. adhuc robur par longæ senectuti ferendæ.

836. CERTA] Certò tibi incubitura. ADRASTIA] Nemesis, pœna, ultio, vel punitio divina. *Adrastia* ab Adrasto Rege nomen obtinuit, qui primus Nemesi templum erexit, & *Adrastiam* nuncupavit. De Nemesi seu Rhamnusia egimus Serm 2. ad ℣. 31. fol. 24 Adagium Græcum est: *Ἀδράστεια Νέμεσις*, subaudi *adest*, vel *aderit*. Dicitur in eos, quibus, ob insolentiam arrogantiamque, fortunæ commutationem minitamur Vide Erasm. VENERIT HORA] Punitionis tuæ, calamitatis, infortunii, mortis, in pœnam neglectæ institutionis.

837. RIDEBO] Te & dolores tuos, seramque pœnitentiam, & quam serò instituis in fundo parcimoniam. NON EXAUDITUS] Quod me ad saniora monitorem tam imprudenter neglexeris & contempseris. ACERBO] Mordaci, contumelioso, maledico.

838. CYNICOS] Populares meos, qui vitia hominum insectando, homines sperant & conantur meliores reddere. Vide quæ diximus in proœthesi hujus libri, & sparsim Serm. 10. de Cynicis. ARCADES] Rudes, stupidi, asini. *Arcades* enim malè olim audiebant ob ingenii hebetudinem. Hi Musicam omnem primi noluerunt in civitatem recipere, nec ullas liberales disciplinas, quarum cultu mansuescunt hominum ingenia. Unde & cæli vitio, & neglectu disciplinarum, in summam morum immanitatem efferari sunt. Quin & lunâ se antiquiores faciebant; unde & Astronomiam insigniter despectabant. Quare & proverbio habiti *lunâ antiquiores*, quod dicitur in omnes stupidos & ignavos, qui litteras, quas ignorant, despiciunt, gloriantes de nobilitate sua. Vide Append. Erasmi. Hinc Juvenalis Satyr. 7. ℣. 159. -----*Quod læva in parte mamillæ*

*Nil salit Arcadico juveni.*-----

Id est, quod sit excors, corpus sine pectore. Inde proverbia *Ἀρκάδιον βλάστημα*, id est, *Arcadicum germen*, & *Ἀρκάδας μιμούμενοι*, quod dicitur, *Arcades imitantes*: adeoque de grandibus & ignavis proferri solitum.

839 DOGMATIS OPPOSUI TABULAM] Oculis vestris spectandam exhibui doctrinam meam, tanquam in tabulâ depictam, vel litteris exaratam. QUIN PECTORE] Ad pectus in quo sapientiæ ac voluntatis domicilium collocant. DEXTRAM PONITE] Mittite, vel conjicite dextram manum. Sic Belgæ familiariter monemus eos, quos jubemus meminisse propriæ conscientiæ, ut manum in proprium sinum, aut pectus mittant, hâc formulâ Belgicâ: *Steckt u hant in uwen boesem.* Hìc autem ut tangatur arteria, vel venarum pulsus exploretur. Sic Juvenalis suprà citatus: sic Persius Satyr. 3. ℣. 107.

*Tange miser venas, & pone in pectore dextram.*
*Nil calet hîc.*-------

840. INSTINCTU] Supple, meo Diogenis: id est, instigatione, impulsione, & suasu meo.

PRO-

*Hæc ita de primâ lege pubertate: facessit*
*Fastidî curæque satis. Majora supersunt:*
*Si vacat, & valeo, post potum pergo Pohontem.*

PROPERANTEM] Celeti ac frequenti pulsu, animi ægritudinem vel febrim arguentem. INCIDITE] Secare, pertundite, ut noxius sanguis, fomentum morbi, exhauriatur. Ducitur Metaphora à febrientibus, quibus manuum scapi tanguntur, ut, explorato arteriæ pulsu, vis morbi cognoscatur. Pacatus enim æqualisque pulsus, desitam febrim; properans autem & inæqualis, vigorem illius denuntiat. Et hâc paræenesi orationem claudit, & DIXIT Diogenes.

841. HÆC ITA DE PRIMA &c.] Hæc, inquit Poëta ad lectorem, de prima pubertate: id est, ephebiâ vel primâ adolescentiâ, à me conscripta tibi habe, & lege. FACESSIT] Fecit, peperit, attulit, hoc scribendi officium, vires mihi plerumque non Fortunante Hygeiâ.

842. FASTIDÎ CURÆQUE SATIS] Multum molestiæ, attentionis, tædiorum ac laborum. MAJORA SUPERSUNT] Scribenda mihi de Juventute, virili ætate, ac tandem de senectute. Cuique enim ætati sua vitia & cupiditates sunt, quibus obsistant, qui beatam vitam diligunt. Et de illis aliquando scribere moliebatur Poëta.

843. SI VACAT] Per negotia mea privata vel publica, ET VALEO] Si commoda utar valetudine. Affecto quippe plerumque corpusculo erat Scholirius, ac multa nephritide vexabatur, ut ipse innuit Serm. 2. ℣. 52. fol. 27. Verùm valetudinem hanc non indulsit Poëtæ invida Parca, quæ homini fatale vitæ filum, anno ætatis LIII. repentinis forficibus incidit. Deus illi æternam requiem, nobis verò declinandi vitii voluntatem potestatemque largiatur. POST POTUM PERGO POHONTEM] Post potas aquas Spadanas, curando corpori destinatas, meditor hoc argumentum prosequi. Frequens enim erat ad fontes Spadanos, ob sequiores corporis affectiones. *Pohon* nomen est fontis, qui Spadæ ipso in foro scaturit, ac principe loco ab aquantibus potatur. De illo egimus Serm. 4. ad ℣. 15. fol. 67. Opus Marmoteum, quod hodie fonti superstructum cernitur, ejus efficientiam gemino versu, & posteriore quidem, positi marmoris annum χρονικῶς designat.

*Obstructum reserat, durum terit, humida siccat,*
*DebILe fortIfICat, sI taMen arte bIbIs.*

# AD SATYRAS V. N.
# PETRI SCHOLIERII
## EQUITIS ET SENATORIS ANTVERPIENSIS, A SE ELUCIDATAS.
## SCHOLIASTES.

*Non sunt discipuli tua carmina docta,* SCHOLIRI:
*Nobilius nequeat fingere Doctor opus.*
*Temporibus nostris, Flacci, Juvenalis, & Acci,*
*Nasos & dentes exprimis atque sales.*
*Et quod non faciant isti, te docta magistro est,*
*Belgiacos mores Musa Latina loqui.*
*Ito bonis avibus, parvoq; à lumine plenum*
*Sume diem, & salibus vincito fata tuis.*
*Discipulus nulli docto dicere* SCHOLARIS:
*Doctor at æterna laude* SCHOLARIS *eris.*

AD NOBILEM AC CLARISSIMUM VIRUM

# FRANCISCUM VAN DIEPENDAEL

J. C. Scholirianæ Musæ, dum inter vivos,

## CULTOREM ET PRÆCONEM,

HORUM SCHOLIORUM FLAGITATOREM

PERPETUUM.

CANDIDA MENS, *quæ nunc rutilantia sidera calcas,*
*Accipe de Piudo munera sera meo.*
*Ecce tuo toties Vates celebratus ab ore,*
*Qui tibi delicium primaq; cura fuit:*
*Publica cum nostris subiturus lumina nugis,*
*Denuo se doctûm mittit in ora virûm.*
*Quidquid id est operis, tu dux auctorq; fuisti,*
*Imperio studiis consilioq; meis.*
*Quàm memini ductis huc me sermonibus, ægrè*
*Implicitas vestris explicuisse manus.*
*Dumque fugâ meditor clàm vestrum evadere regnum:*
*Sæpe tuli geminis limina clausa feris.*
*O quoties stimulis nos irritastis amaris!*
*Credita inexpertis rixa subinde fuit.*
*Uxor ut audierat* SCHOLIERI *nomen abibat,*
*Ex usu solita tædia docta mora.*
*Nec stetit hæc inter nos dissertatio solos,*
*Quilibet ore tuo suspiciebat opus.*
*Quocumque in cœtu* VALLALTIA *lingua sonâbat,*
SCHULLERIUS *primos vincit in orbe stylos.*
*Moxq; spuebantur, vel simplice sæpe screatu,*
*Carmina mordaci tincta ducena sale.*
*Vota sed urgebant dispelli plurima noctem:*
*Hinc mihi perpetuus sollicitator eras.*
*Proxima spectantur, dicebas, funera libris:*
SCHULLERIO *à scholiis certa medela tuis.*
*Quid tardant operæ nostræ sua lumina Vati*
*Cudere, cultorum dum tibi vota calent?*
*Cognita sunt paucis abstrusi metra* SCHOLIRI:
*Differs? crede mihi nemo patronus erit.*
*Vivit adhuc illis, qui conspexere Poëtam,*
*Sal, lepor & grato felle retincta phrasis.*

*Ast heu! non licuit, sic me mea fata tenebant,*
*Libera consiliis pandere vela tuis.*
*Nunc licèt hac vestris invidit gaudia votis*
*Parca, tibi sponsum suscipe ritè diem.*
*Praestat, quàm numquam, promissum reddere serò:*
*Qui malè, non laudem, qui bene praestat, habet.*
*Vivito concepto tua per praeconia foetu,*
*Cui lux profuerit reddita, sumpta patri.*
*Te Vati conjungo tuo: vita una duorum est:*
*Unius à rivo laus utriusque fluet.*
*Nostratem nunc fronte leget quicumque Poëtam,*
*Juncta* DIPENDALII *nomina calce leget.*
*Sic igitur currat* SCHOLIERIA *Musa per orbem,*
*Ut nova* FRANCISCO, *sit nova vita* PETRO.

FINIS.







# INDEX
## RERUM ET VERBORUM
### LOCUPLETISSIMUS,

In quo numerus Paginam : *a*. primam : *b*. secundam Columnam, Lectoris commodo, designat.

## A



Acce-

# INDEX RERUM ET VERBORUM.

Amat

*Ani-*

*Aqua-*

Argu-

*Aspi-*

*Au-*

Bla-

## C.



Cala-

*Ca-*

*Cla-*

*Color*

Cor-

*Cya-*

## D.



 *Deco-*

Dio-

Du-

## E.

## F.

Fons

*Fri-*

## G.

# INDEX RERUM



*Gut-*

# INDEX RERUM



Ho-

Im-

Io-

## L.



Late-

 *Lova-*

## M.

Ma-

Mne-

## N.



Na-

Lin-

M.



Mansf.

# INDEX RERUM



Ma-

 Men-

# INDEX RERUM



Mne-

## N.



Na-

## O.

## P.



Pales

Phi-

 Po-

# INDEX RERUM



Prin-

## Q.



Quan-

## R.

# INDEX RERUM



Risus

## S.

Spe-

*Sul-*

# T.

Vir-

Vul-

W.



X.



Z.



FINIS.



# INDEX PROVERBIORUM

## AUT GNOMARUM ILLIS AFFINIUM,

Quæ toto hoc opere ſparſim reperiuntur.

*Numerus barbarus paginam: A. primam: B. ſecundam ejus Columnam denotant.*

### A.



### B.



C.

## C.

# INDEX PROVERBIORUM.



Ob-

F I N I S.



PETRI

## APPROBATIONES VETERES ET NOVÆ.

PETRI SCHOLIRII Antverpienſis ſermonum familiarium Liber primus, typis Plantinianis editus Antverpiæ anno 1623. cum Privilegio Regio ſignato, *Fourdin*, & hac Ordinarii cenſura.

*Ermones hos familiares* PETRI SCHOLIRII *verè familiares, feſtivos, & in corruptos ſeculi mores, cum urbanitate & lepore, fuſos reperi, & qui lucem aſpiciant dignos cenſui. Antverpiæ* XIV. *Kal. Februar.* CIↃ. IↃC. XXIII.

LAUR. BEYERLINCK Archipresbyter & Libr. Cenſor Antverp.

EJuſdem Liber ſecundus cum eodem Privilegio Regio, ſignato ut ſuprà, editus ibidem, & iiſdem typis anno 1627. & hac Ordinarii Cenſura.

*QUod ſermones hi familiares* PETRI SCHOLIRII *Antverpienſis, uti & priores ejuſdem nuper editi, à feſtiva urbanitate, & quæ ad vetuſtioris ævi, qui in ſimili argumento luſerunt, ſcriptores accedat, ſtyli nexuſque elegantiâ commendentur; digni etiam ſunt, qui prælo typiſque mandentur. Ita cenſeo* V. *Kal. Novemb.* CIↃ. IↃC. XXVI.

LAURENT. BEYERLINCK Protonot. Aplic. Canonicus, Archipresbyter, & Librorum Cenſor Antverpiæ.

EJuſdem Liber III. cum Privilegio Regio ſignato, *Cools*, editus iiſdem typis anno 1635. cujus cenſura eſt hæc.

*GEneroſi & eruditi Viri D.* PETRI SCHOLIRII *Diogenes Cynicus, ſive ſermonum familiarium Liber tertius utiliter lucem videbit.*

GASPAR ESTRIX Plebanus & Librorum Cenſor Antverp.

## LICENTIA ORDINIS.

Ego infra-ſcriptus Provinciæ Belgicæ, Ord. Erem. S.P. Auguſtini Provincialis, viſa approbatione examinatoris ad id à nobis deputati, cujuſdam libri, cui titulus: PETRI SCHOLIRII *Equitis & Senatoris Antverpienſis Serm. familiarium Libri* III. *cum commentariis Alberti Le Roy Fratris Eremitæ Auguſtiniani Antverpienſis*: conſentio, ut typis mandetur. Datum Lovanii 21. Novemb. 1682.

F. LAMBERTUS LE DROU *Provinciæ Belgicæ Ordinis Erem. S. Auguſtini Prior Provincialis.*

---

## CENSURA ORDINARII.

Liber, cui titulus: PETRI SCHOLIRI &c. *Serm. familiarium Libri III. cum commentariis Alberti Le Roy &c.* nihil continet fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium; ac proinde typis evulgari poterit. Datum Antverp. VII. Decemb. M. DC. LXXXII.

ANTONIUS HOEFSLACH *Eccleſiæ Cathedralis Canonicus Graduatus, Librorum Cenſor.*

---

## ALIA.

Liber, cui titulus eſt: PETRI SCHOLIRII &c. *Serm. familiarium Libri III. cum commentariis Alberti Le Roy &c.* non ſolùm nihil continet fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium: verùm etiam ubi agit de moribus & vita hominum, tam diſertè ea pertractat, ut quælibet per illum ætas optimè erudiri poſſit. Proinde dignum cenſeo, qui publicam lucem aſpiciat. Datum Lovanii 23. Martii 1683.

NICOLAUS DU BOIS *Sacrarum Litterarum Primarius Profeſſor, Librorum Cenſor &c.*

Cccc LECTO-

## LECTORI.

SUbjectam familiarium epistolarum heptadem corollarii loco hîc adnectimus. Eas auctor noster, Horatium imitaturus, tumultuario calamo ad amicos conscripsit, & in adversariis suis accuratâ manu exaravit. Nos, ut aliquot pagellas, alioquin vacaturas, occupemus; eas, antequam pereant, fideliter ac libenter, lucis publicæ interventu, in te transcribimus.

---

# PETRI SCHOLIRII

EQUIT. ET SENAT. ANTVERP.

## EPISTOLÆ FAMILIARES.

### EPISTOLA I.

AD REVERENDUM PATREM

P. FERDINANDUM DE SANVITTORES.

*SI causam petis insoliti longique silentI:*
*Carmina composui nuper, nunc edidi, hiulca;*
*Castiganda tibi quæ mitto. Cæterùm & uxor,*
*Et soboles, & ego, vestrique, meique valemus.*
*Litibus amotis me sacrificare Vacunæ*
*Contendo, fontes, atque instaurare salubres*
*Sub medium veris. Quid enim? nunc pœnitet anni*
*Desidiæ elapsi, si quando nephritide acutâ,*
*Aut jecoris vitio, tabes. Comitabitur uxor:*
*Nescio si puerorum aliquis, sed filia major.*
*Arbitrio, curæque tuæ committo Penates,*
*Et conducendos baculorum lusibus hortos.*
*Vive, vale nostri non immemor, & tua cura.*

Antverpiæ Kal. Decemb. 1626.

# EPISTOLA II.

## Ad AURELIUM MALINÆUM Brabantiæ Consiliarium, posteà Sanctioris Concilii Assessorem.

*Qualemcumque Duci dabis hunc, Malinæe, libellum:*
*Gaudet enim, studio paucorum, carmine, nec non*
*Jucundâ Italiæ multo madet ore salivâ.*
*Cùm peroportunum, videsis quæ lusimus, alter*
*Est tuus: at reliqui sex FannI, Corseliique,*
*Maesdammi, HappartI, PraetsI, sunt Præpositique.*
*Quæso verecundi des nomine, & imperium fer*
*Si quid curatum rectè vis; surgo legendo.*

Antverpiæ 2. Decemb. 1626.

# EPISTOLA III.

## Ad THOMAM FIENUM Medicinæ Doctorem & Professorem primarium Lovanii.

*Si vel amicitiæ me quidquam deterere, aut, quod*
*Recta valetudo, Primatis in arte medendi*
*Efferri oblitum: scribendi aut nolle laborem:*
*Sive putes Musis me præposuisse Vacunam,*
*Toto erres cœlo, semper mihi care Fiene,*
*Semper honorande: ast promissio nupera, mendax*
*Pœnè, revertendi convivendique dierum*
*Exacto spatio calamos compescuit, & me*
*Tardum plus decies ad mœnia vestra citavit.*
*Si tamen attendas Acherontica tempora, cuivis*
*(Quæ & te sollicitant) suspecta, paterculo abundè*
*Pigritiæ veniam des. Nati febricitarunt.*
*Ambiguis medicis, jecur æstuat undique natæ,*
*Uxor arenosis concussa doloribus. Anno hoc*

*Consto mihi solus. Misi quæ ludere circa*
*Italiam potui: mendosâ expunge liturâ:*
*Emendata tuo jubeas me visere Phœbo.*
Antverpiæ 10. Decembris 1626.

---

# EPISTOLA IV.

## Ad ERYCIUM PUTEANUM Historiographum Regium, Lovanium.

*SCire velim, quæ de Latio sententia nostro*
*Nata Palæstritas inter, Puteane, capaces.*
*Oblectare magis studui, quàm cogere iniquis*
*Res orbis summas numeris, vel labier impar*
*Magnorum fluvio, & repetita offendere crambe.*
*Quidquid erit perscribe, precor, quod vulneret aures;*
*Quam (licèt à doctis) laudari, malo doceri.*
*Ne res communis lateat te, millibus audent*
*Certare hìc super induciis. Beat Indica classis*
*Plus solito Regem duplo. Fugat agmina Cæsar*
*Rustica. Dantisci victoria lata Polono.*
*Vive memor nostri, valeas cum conjuge, prole.*
Antverpiæ 11. Decembris 1626.

---

# EPISTOLA V.

## Ad Reverendum Patrem P. MARIUM AMBROSIUM CAPELLO, postea Antverpiensem Episcopum, Lovanium.

*QUid tuus, aut noles, in te committere tantum,*
*Quid nostri potuere? soles, neque dissimulabas,*
*Quandocumque aderas properare, professus amicum,*
*Ad complectentes te plurimo amore penates.*
*Nunc (neque de mitra valet excusatio) septem*
*Lassus obis, hac urbe, dies, notosque salutas,*

*Excepto solo qui te plus diligit illis.*
*Necdum illisa animo forsan nubecula fratris,*
*Quod me pupillis subduxi? injuriæ agendum,*
*Scis (quia nephritis toties me detinet ægrum,*
*Pulmonum & jecoris vitium) quod supplice voto*
*Auxilium cogar propriis arcessere rebus.*
*Adde quod Italiæ totum calet illice pectus,*
*Dummodo sint vires atque otia. Crede, Camœnis*
*Quas tibi transmitto: caussas memoravimus illis.*
*Ulteriùs valeo? Fungar propioris amici*
*Munere, si irato necdum me expunxeris albo.*

Antverpiæ 12. Decembris 1626.

---

# EPISTOLA VI.

## Ad SILVESTRUM DE HERTOGHE Causidicum & Compatrem suum.

*Cum me improvisò rapuerunt, Compater, urbe,*
*Ad bis quinque dies, aliena negotia, non te*
*Plenè consulto rebus super anteà agendis:*
*Ballaridem nostram tibi confido fore cordi.*
*Ultra præfixum dilata solutio tempus*
*Si nequeat nobis, aliquo insurgente, nocere,*
*Scire velim; satis an factum Colynsio; an ipsi*
*Competat, an mihi fundi hujus purgatio; ritu*
*Quo fieri possit, quo debeat; an velut emptor*
*Frugi (sic fama hìc) possim requiescere. Scribe*
*Siqua obscura animo lateat nubecula, vel me*
*Tantæ arcis dominum nec habes, nec habebis amicum.*

Antverpiæ 24. Decembris 1626.

EPIS-

# EPISTOLA VII.

## Ad JACOBUM EDELHERIUM Antverpiæ Syndicum.

*UT venatorem venarer ego irrequietum,*
*Ludendi studio, puto te jussisse ferinam*
*Me tibi sollicitare. Sorani ad tecta remoti*
*Cum propero, Stratium non invenio. Bone, quando*
*Expectas dominum, vel quò iverit? Indubitanter*
*Visit Evertinum: cubat hic propè Lovaniensem*
*Portam. Festino. Antoni, præcurre, etenim res*
*Promotoris eget, jam instant Regalia. Necdum*
*Quadrans ex quo adiit Lusitani Principis ædes.*
*Urbem transnamus: frustrà: verbo, Emanuëlem,*
*Nescio quò volitaturus, convenerat. Audi*
*Curti; nam curtare vias nosti: rape te cras*
*Ante diem stratis: Stratium salvere jubeto*
*Nomine Edelherii & nostro: promissus aper num*
*Vivat adhuc, scitare, & dama, & Phasidis ales:*
*Caussa ut sint morulæ ne condiat Angelus aptè?*
*It, redit. Hunc ipsi Matutæ credo litare.*
*Horis obscuris cum Gallinaceo: abivit*
*Lovanium. Sic me à pleuritide servet Apollo!*
*Da mandata tuæ potiùs referenda puellæ,*
*Quam simili posthac venatori fugitivo.*
*Expecta tamen à fido quid retia saltu:*
*Namque tui caussá Provisor dicitur absens.*

Antverpiæ 26. Decembris 1626.

AD-

# A D D E N D A.

**F**Ol. 9. *Columnâ* 1. *post Lin.* 7. Sic & Horat. De arte ỳ.14. *magna professis*,dixit,& ỳ.27. *Professus grandia turget.*

*Fol.* 9. *col.* 2. *ad lin.* 8. *adde* : DISPARIBUS ] Discordibus, discrepantibus.

*Fol.* 163. *col.* 2. *post lin.* 8. *adde* : Ceterùm strata Antverpiensia ampla sunt & spatiosa; domibusque utrimque superbâ ac pari ferè symmetriâ constructis, elegantissima, mundo pede ac inoffensa nare transmittunt viatorem, cloacis subterraneis liquidiora,vehiculariis publicis crassiora purgamenta numquam non devehentibus.

*Fol.*163. *col.*2. *post lin.*39.*adde*: Ædis quoque D.Paullo sacræ Ordinis FF.Prædicatorum,magno nuper sumptu & arte, post instaurata, quæ incendium absumpserat testudines & tectum, in cælum elata, non minimo urbis ornamento.

*Fol.* 197. *c.* 1.*post lin.*29. *adde* : fabula vulgaris est de Germano quodam ( Suevum fuisse volunt)qui,degustatâ huiatis nectaris suavitate,cum natura expostulasse proditur, madente gutture occinendo isthoc: *quare non lacrymasti in patria nostra ?*

*Fol.*253. *col.*2. *post lin.*14. *adde*: allusum procul dubio ad diem lunæ, quem primum insert September, vulgi nostratis vacationi ac ludis sacrum, fringillis aliisque id genus aviculis, plagis & retibus, ceterisque aucupii armis, annuum id forum incendentibus: vernacula phrasi nuncupant, *Vinckmerckt*. Quo die cum ferientur mechanici,fortiendo anseris regno, ut suprà,ex more, incumbunt.

*Fol.*255. *c.*1. *ad lin.*24.*adde*: sed quamvis hæc fortassis expositio non planè displiceat, verior tamen mihi videtur quam subjicio. HÆRETICIS CUM SOLE CUBANTIBUS ] Civibus hæreticæ factionis,intra familiam suam se continentibus jam digresso sole, publicamque in urbe lætitiam, & epinicios ignes, præ pudore ac luctu fugientibus. Consueverant enim eâ tempestate cives acatholici post solis occasum frequentes congredi ad Janum vel propinquiora compita:imò & per sclopPos, sibila, alieve signs invicem ad congressum invitare, si quando secundos de castris Batavicis nuntios acceperant: unde sagaciores ex fidelibus civibus, mox aliquid inprosperi rei patriæ accidisse subolebant. Re autem sinisteriùs gestâ per Hollandos,Catholicisque triumphantibus ac publicos focos accendentibus, nusquam in plateis apparebant, sed occlusis foribus domi latitabant: qua de caussa popularium sarcasmo, cum sole cubitum abiisse ridebantur.

*Fol* 261. *col.*2. *post lin.* 17. *adde* : OPTIMA CANTRIX ] Scitula ac venustula quædam ( nympha dicam an meretricula ? ) quæ diversantes isthic suo cantu oblectabat, melos organo parvo polycalamo, ut quidam, vel ut alii clavichordio, moderante ac venustante. Vulgare illi agnomen erat,*Amaryllis*, quod frequens esset in concinendo carmine isthoc Italico: *Amarilli mia bella.* Quò etiam spectare crediderim istud ỳ. 162. Serm. XI. fol. 376. *cum bella cantatrice.*

*Ibidem ad lin.* 39. *adde* : possit etiam hîc intelligi per to PNEUMATICIS MODIS, ars minutismorum seu minurizandi, ad clausulam vel quietem odes. Spiritus enim protractior sub finem carminis, à priscis cantoribus, maximè Gregorianis, *Pneuma* nuncupatur.

*Fol* 367. *col.*1. *ad lin* 4.*adde*:Adagium natum ab oraculo Pythico,quod Philippo Macedonum Regi sciscitanti, qua ratione hostes vinceret,hoc hexametro respondisse fertur.

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.
*Hastis argentei pugna, sic omnia vinces.*

# C O R R I G E N D A.

**F**Ol. 1. col. 1. lin. 2. lege: *Iuliana Schetz.* 8.2.34. lege: *Theoria* 18. 1.8. leg. *χῦμα*. 44. 2.11. leg. *annus* IX. 53.1.3. leg. *vilitas.* 57.1.9. leg. anno CIↃ.IↃC XXIX. 58.1.13. leg. *bubulam* 62.1.iiii, leg. ỳ.348.71.2.32. leg. VERSURIS CAUTUS)73.2.11.leg.*majoris*.77.1.3. leg.RIDEO.) 78.1.6 leg. *malo conscientiâ territo*.Ibid. lin 7.leg. *ex quibus*.99.2.30. leg. *venator rapax*. 107.2.7.leg. *stringere*. 119.1.5. leg. *mitti solet*. 135 1.17. pro *nonaginta sex.* leg *quadraginta octo.* 145.2 9 leg.207.fol 148.2.15.*tabulatum.* adde,*intellige*. 156.2.11. *Polsucret.* leg.*Polsorcet*. 171.1.37. lege,COCCINZOS) 173.text ỳ. 1. leg *vere Elysii*.186.2.35.leg.*celebris*. 188.2.39. leg.*structuris*.212.2.21.*via Aurelia*,lege *via Valeria*: cetera omitte quæ adduntur post : *prodidit P. Victor.* 214. 1.penult. leg. *nemorale* & sic etiam col.2.1. fol.216.2.39. leg 337. fol. 223.2.28. leg. *opinationi.* 225.1. 37. leg. DUCTU. 248. 2.43 leg. *refractarios*. 269. 1. 2. leg.*significatu*. 272. 2. 15. leg. *minimos*. 274.1 37. leg.*ad cades*. 275.1.2. leg.*hominis*. 270.2.36. leg. *fulta*.283.1.20. leg *pro curru rota*.284.2.37. leg. *flagritriba*. 285 1.11. leg. *asymbolos*. 300 1.32. leg.CIↃ.IↃ.XXIII.ibid.lin.33.leg.CIↃ.IↃC XXIII 310.1. pænult.leg. *litibus alienis*. 336. 1. 8. leg. FRATRES) 364.2.16. & 17 leg. *volatilibus*. 369.2.33. leg. *Ciceronem*. 384.2.11. leg. 229. 398. 2. 14. leg *Polioreeticon*. 412. 2. 29. leg. *pandas* 415. 1. 3. leg. *tuam*. 416.1.11. leg. *mentum*. 421.2.17. leg. *sape*. 423. textus ỳ. ult. leg. *curtior*. 424. text. ỳ.2. leg. *poscis*. 432. 1. 16. leg. ỳ.279. fol.435.2.34. leg. *Herculem*. 436. 2. 27. leg. *qui sic lucratur, non juste acquirit*. 447. 1. 19. leg. *Ignavos.*

***F I N I S.***